BENEDICTUS HENRICUS MERKELBACH O.P.

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

TOMUS TERTIUS

EDITIO UNDECIMA

DESCLÉE DE BROUWER

SUMMA

THEOLOGIAE MORALIS

EIUSDEM AUCTORIS

OPUSCULA PASTORALIA

I. **Quaestiones de Castitate et Luxuria**, ed. 4ª, in-8°, 130 p.

II. **Quaestiones de Embryologia :**

A. Series prima : **De Embryologia et de Ministratione Baptismatis**, ed. alt., in-8°, 88 p.

B. Series altera : **De Embryologia et de Sterilisatione**, in-8°. 105 p.

III. **Quaestiones de Variis Poenitentium Categoriis**, ed. alt in-8°, 187 p.

IV. **Quaestiones de Poenitentiae Ministro eiusque officiis**, ed. alt. in-8°, 137 p.

V. **Quaestiones de Partibus Poenitentiae et de dispositionibus poenitentis**, ed. alt. in-8°, 142 p.

VI. **Quaestiones de Variis Peccatis in sacramentali confessione medendis**, in-8°, 155 p.

SUMMA THEOLOGIAE MORALIS

I. **De Principiis**, ed. 11ª, in-8°, 788 p.

II. **De Virtutibus Moralibus**, ed. 11ª, in-8°, 1031 p.

MARIOLOGIA.

Tractatus de Bma Virgine Maria, Matre Dei atque Deum inter et homines mediatrice, in-8°. 424 p.

SUMMA
THEOLOGIAE MORALIS

AD MENTEM D. THOMAE

ET AD NORMAM IURIS NOVI

QUAM IN USUM SCHOLARUM

EDIDIT

BENEDICTUS HENRICUS MERKELBACH O. P.

IN COLLEGIO ANGELICO DE URBE OLIM PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS.

EDITIO UNDECIMA AUCTA ET EMENDATA.

III.

DE SACRAMENTIS

DESCLÉE DE BROUWER

BRUGIS - BELGICA

NIHIL OBSTAT
Lovanii, die 15ª Maii 1962
P. fr. P. Van Overbeke, O. P., S. Th. Mag.
P. fr. R. Callewaert, O. P., S. Th. L.

IMPRIMI POTEST
Bruxellis, die 20ª Maii 1962
P. fr. L. Camerlynck
Prior Provincialis.

IMPRIMATUR
Brugis, die 29ª Maii 1962.
M. De Keyzer
vic. gen.

PROLOGUS

In primo huius operis volumine, exposita inveniuntur in generali universaliora principia totius scientiae moralis, atque doctrina de virtutibus theologicis quae versantur circa ipsum ultimum finem, qui est in agendis primum principium.

In altero volumine dictum fuit in speciali de variis mediis ex ipsa rei natura intrinsece ad finem necessariis, ad quae nos disponunt virtutes morales; quae omnes ad quatuor reducuntur cardinales.

At alia quoque sunt media extrinseca, ex positiva Dei voluntate ad salutem praescripta, nempe sacramenta a Christo Domino instituta; inter quae eminet ss. Eucharistia, quae simul est iuge Novae Legis sacrificium. Quapropter in praesenti tomo tradenda tota venit doctrina moralis de sacramentis, tum in generali, tum in speciali, cum omnibus regulis et praeceptis quae ad ipsa pertinent.

At practicas illas quaestiones intelligere perfecte non videtur possibile, quin de sacramentorum generali natura et de singulorum indole proprio rectus adsit conceptus; atque antipaedagogicum habemus morales solutiones separare a speculativa cui innituntur doctrina. Placeat igitur, ad instar fundamenti, exponere et quaestiones de sacramentis speculativas, breviter tamen ac summatim: longiores scil. demonstrationes, profundiores explicationes atque investigationes subtiliores relinquendo dogmaticis.

De sacramentis multa decrevit legislatio ecclesiastica, cuius

canones et praescriptiones profecto erunt attendenda, cum quodam tamen moderamine: quando scil. et in quantum erit necessarium ad sufficientem intelligentiam aut pleniorem theologiae moralis cognitionem, qualem requiri in sacerdotibus possit videri debitum. A maiore abundantia ieiuni manere intendimus, ne moralem scientiam velimus convertere in canonicam disciplinam; perfectiores scil. textuum elucidationes, intricatiora problemata, specialiores in iuridico processu vias, atque totius iuris aspectum syntheticum existimamus iurisperitis reservanda.

Faxit Deus ut, patrocinante B. Virgine, opus inceptum compleri possit in certiorem scholarum eruditionem, potiorem utilitatem cleri, atque perfectiorem aedificationem corporis Christi.

Scribebam, in festo S. Alberti Magni, Confessoris atque Ecclesiae Doctoris, die 15ª novembris 1932.

Auctor.

THEOLOGIA MORALIS SPECIALIS

DE SACRAMENTIS

INTRODUCTIO.

1. **Materia tractanda.** — Theologia est scientia ex principiis revelationis deducta de ipso Deo et aliis rebus in ordine ad Deum. Complectitur plures partes :

1) Una est mere *speculativa*, dogmatica, cuius finis *directus unice* est cognoscere veritatem de ipso Deo : tum a) in se ut supernaturale ens super omnia elevatum, tum b) ut supernaturale principium, seu auctor atque finis rerum, maxime hominis, quem destinavit Deus ad visionem sui intuitivam in quam homo pervenire potest per gratiam. Ex quo sponte nascitur :

2) Altera pars *practica*, moralis, cuius finis *directus* et *principalis* est dirigere actiones humanas. Si enim Deus est nostri principium et finis, sequuntur in nobis erga ipsum relationes morales et officia : debemus scil. eum auctorem nostri agnoscere, et ad eum finem ultimum tendere. Pars moralis tractat in genere et in specie a) de actibus humanis quibus in Deum tendere debemus, de ipsorum regulis scil. de conscientia et de lege, et de ipsorum principiis, scil. de habitibus, virtutibus nempe et Spiritus sancti donis, quae omnia sunt media homini *intrinseca* atque suapte natura *necessaria* quibus tendimus in Deum ; et e contra b) agit de peccatis quibus a Deo elongamur vel recedimus, et de ipsorum principiis, seu de vitiis.

Hae duae partes in theologia sunt necessariae, ita ut sine ipsis nec concipi posset, nam esse non potest nisi sit de Deo et nisi fiat ab homine cognoscente finem supernatu-

ralem ; quodsi adsint, etiam intelligitur *per se* completa.

3) At in *praesenti ordine*, post peccatum originale, *ex libera voluntate* ordinavit Deus alia media specialia homini *extrinseca* ut eum cognoscere et ad ipsum tendere valeamus. Sunt nempe a) Verbum incarnatum, quod viam veritatis nobis ostendit et ad salutem nos perducit beatitudinis aeternae ; b) sacramenta, quibus gratiam et salutem consequimur, et quae a Christo efficaciam habent. Et sic tertia pars theologiae fuit addita.

Porro doctrina de Verbo incarnato tota est speculativa ideoque in dogmatica explicatur ; doctrina vero de sacramentis in generali et in speciali *partim* est *speculativa, partim practica.* Cum tamen sacramenta potius sint instituta ut recipiantur quam ut credantur, magis pertinent ad theologiam moralem, et ideo rectius doctrina sacramentalis in parte morali exponitur et opportunius. Atque haec est materia quae nunc est tractanda.

Divisio tradita est summae S. Thomae, qui in I, q. 2, proaem. scribit : « 1° tractabimus de Deo, (non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod est principium rerum et finis earum, et specialiter rationalis creaturae) ; 2° de motu rationalis creaturae in Deum ; 3° de Christo qui (secundum quod homo) via est nobis tendendi in Deum ».

2. Ordo in tractatione sequendus. — Materia explicanda est tota doctrina de Sacramentis tum in generali tum in speciali, ac de quibusdam aliis quae cum ipsis connexionem, relationem aut similitudinem habent, uti sunt sacramentalia, ritus et caeremoniae, irregularitates aut impedimenta, censurae aut indulgentiae. Quae declaranda sunt secundum ipsum naturalem sacramentorum ordinem, scil. :

1° De Sacramentis in generali,
2° De Baptismo,
3° De Confirmatione,
4° De Eucharistia ut est sacramentum et sacrificium,
5° De Poenitentia,
6° De Extrema Unctione,
7° De Ordine,
8° De Matrimonio.

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERALI.

INTRODUCTIO.

S. Th. III, q. 60, a. 1 et 2.

3. **Sacramentum secundum nomen** etymologice significat id quod sacrat, seu medium sacrandi ; unde denominatur ex ordine ad aliquod sacrum et ad sanctitatem. Graece dicitur μυστήριον, quod significat id quod est occultum ; at idem fere sonat : res enim sacrae seu divinae maxime solent esse arcanae.

Quia autem multipliciter est aliquid sacrum, et multipliciter ordo ad sanctitatem, multiplex est significatio sacramenti. Sicut enim sanum dicitur non solum animal quod proprie sanitatem habet, sed per analogiam etiam vultus aut color qui est signum, et medicina quae est causa sanitatis ; ita sacramenta dicuntur non tantum illa quae in se habent aliquam sanctitatem occultam, sed ea omnia quae ad illam vel signi vel causae ordinem vel qualemcumque aliam habitudinem habent. Hinc vox sacramentum significat in sermone ecclesiastico :

a) veritates divinas, in se sacras, lumen rationis excedentes [1], et speciatim illas quae in Ecclesia antiqua celabantur non initiatis ;

b) figuras, parabolas, similitudines, symbola quibus res

1. Mt. XIII, 11 : « Vobis datum est nosse *mysteria* regni coelorum » ; Eph. I, 9 : « ut notum faceret *sacramentum* voluntatis suae » ; item III, 3, 9 ; Col. I, 27 ; I Tim. III, 16 ; Sap. II, 22 ; VI, 24 ; I Cor. XIII, 2.

supernaturales nobis proponuntur[1]; quo sensu saepe locutus est S. Augustinus[2];

c) caeremonias seu ritus et signa ad cultum Dei instituta, quibus homo sanctitate sanctificatur et sacris initiatur[3].

Sermone profano sumitur : a) pro omni secreto quatenus est non violandum sed servandum ac si esset sacrum : ita Tob. XII, 7, legitur : sacramentum regis abscondere bonum est ; b) pro iuramento, praesertim militum erga rempublicam, quia fit per aliquod sacrum, et quia non violandum sed servandum est ut aliquod sacrum ; c) pro pecunia litigantium deposita in templo, quia ibi servatur ut res sacra.

Iam a pluribus saeculis, usu theologorum et Ecclesiae vox sacramentum signis sanctificantibus facta est maxime propria[4]; unde in praesenti tractatu hoc sensu sumitur : « proprie, ait S. Thomas, q. 60, a. 2, dicitur sacramentum, secundum quod *nunc* de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacrae in quantum est sanctificans homines ».

4. Divisio tractatus. — Tractatus dividitur in quinque partes : de sacramentorum essentia, — necessitate seu existentia, — effectibus, — causa, — et numero.

1ª pars est : *De essentia sacramenti :* 1. de notione et significatione signi sacramentalis ; — 2. de partibus signi sacramentalis : a) de materia et forma, b) de unione materiae et formae ; — 3. de determinatione signi sacramentalis : a) de causa determinante materiam et formam ; b) de mutatione materiae et formae.

1. Apoc. I, 20 : « *sacramentum* septem stellarum » ; XVII, 7 : « ostendam tibi *sacramentum* mulieris » ; Eph. V, 32 : « *sacramentum* magnum in Christo et in Ecclesia » ; Dan. II, 18, 30, 47.

2. De Civ. Dei, l. X, 5 : « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum i. e. sacrum signum est » ;— c. Faust., l. XIX, 11, caeremoniae cultus externi, et l. II de Pecc. mer. et rem., ritus impositi catechumenis vocantur sacramenta ; — ep. ad Marcel. 138, n. 7 : « signa cum ad res divinas pertinent vocantur sacramenta ».

3. I Cor. IV, 1 : « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores *mysteriorum* Dei ».

4. Saeculo XII Hugo a S. Victore ait sacramenta gratiam *continere*, Summa sententiarum eam *conferre*, Petrus Lombardus eam *causare*.

Quae doctrina fuit communi usu recepta et probata a C. Tridentino. Et positivum fundamentum habet in Patribus, licet apud ipsos sensus vocis sacramenti sit valde indeterminatus. Describunt enim signa sanctificantia, recolentes *symbolum visibile* in quo est *virtus Spiritus sancti* et *invisibilis gratia*. Cfr. Tertullianus, *de Bapt.* IV ; Ambrosius, *de Spiritu sancto*, I, 77 ; Augustinus, *Q. in Hept.*, III, 84.

2ª pars est : *De necessitate sacramentorum* in praesenti ordine, ante peccatum originale, ante et post Christum.

3ª pars est : *De effectibus sacramentorum :* A. de gratia : 1. de gratia a sacramentis causata : a) de gratia habituali gratum faciente, b) de gratia speciali seu sacramentali, c) de gratia inaequali causata ; — 2. de modo quo gratia causatur : a) de causalitate sacramentorum efficiente, b) de causalitate sacramentorum instrumentali, c) de virtute causativa sacramentorum, d) de causalitate sacramentorum Veteris Legis ; — 3. de tempore quo gratia causatur ; — B. de charactere : 1. de existentia characteris ; — 2. de essentia characteris ; — 3. de sacramentis characterem imprimentibus.

4ª pars est : *De causa sacramentorum :* 1. de causa instituente ; — 2. de causa ministrante seu ministro : a) de variis ministris, b) de fide et sanctitate ministri, c) de intentione ministri, d) de iis quibus sunt sacramenta ministranda ; — 3. de causa suscipiente seu subiecto : a) de conditionibus validae susceptionis, b) de conditionibus licitae susceptionis.

5ª pars est : *De numero sacramentorum :* 1. de numero septenario ; — 2. de sacramentorum ordine seu comparatione ad invicem.

Sequitur appendix : de caeremoniis sacramentorum et sacramentalibus.

Theoria de sacramentis in generali non exhibetur in Scripturis vel Patribus, sed tantum doctrina de singulis ; habet tamen fundamentum in S. Augustino ; fuit autem aedificata a Scholasticis saec. XII, qui per modum unius omnia sacramenta considerare ceperunt[1].

1. De Sacramentis utiliter conferri possunt : S. Thomas, in III, q.60-65, cum comment. Caietani, Iohannis a S. Thoma, Sylvii, Salmanticensium, Nugno Cabezudo, Billuart ; item Petrus de Ledesma, *Summa de Sacramentis ;* Drouin, *De Re Sacramentaria ;* — inter scholasticos S. I. S. Rob. Bellarminus, Suarez, et de Lugo ; — inter recentes dogmaticos Franzelin, Billot, Heinrich-Gutberlet, Hugon, De Baets, Van Noort, Pohle, Diekamp, Del Val, Sasse ; — item Haine, *Principia dogmatico-moralia universae theologiae sacramentalis ;* De Smet, *Tractatus dogmatico-moralis de Sacramentis in genere ;* — Chardon, *Histoire des Sacrements ;* Hahn, *Die Lehre von den Sakramenten in ihrer geschichtlichen Entwicklung ;* Oswald, *Die dogmatische Lehre von den h. Sakramenten ;* Probst, *Sakramenten und Sakramentalien in die drei erste Jahrhunderten ;* Pourrat, *La Théologie sacramentaire ;* Schanz, *Die Lehre von den h. Sakramenten der Katholische Kirche ;* Gihr, *Die h. Sakramente der Katholische Kirche ;*

PRIMA PARS.

DE ESSENTIA SACRAMENTI.

QUAESTIO PRIMA.

DE NOTIONE ET SIGNIFICATIONE SIGN SACRAMENTALIS.

S. Th. III, q. 60, a. 1, 2, 3.

5. Definitio sacramenti. — Plures traduntur sacramenti definitiones[1], quae tamen omnes reduci possunt ad duas. Prima est : sacramenta sunt *signa caeremonialia practica sanctificationis humanae*. In qua definitione indicatur :

A. Genus ad quod sacramenta pertinent : sunt nempe *signa*, et quidem externa quae significant per similitudinem rerum sensibilium.

B. Id quod ipsis est proprium et quo differunt ab aliis signis, nempe :

— pro quaestionibus practicis S. Alphonsus et manualia moderna, uti Ballerini, Lehmkuhl, Marc, Aertnijs-Damen, Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt, Prümmer, Tanquerey, Vermeersch ; — inter canonistas Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*, I ; — inter oratores Monsabré, *Les Sacrements*.

1. Gregorius M., in c. 16 l. I Reg : « Sacramentum est in quo sub tegumento rerum invisibilium divina virtus secretius humanam salutem operatur ». — Hugo Vict., l. I de Sacr., p. 9, c. 2 : « Materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine repraesentans, ex institutione significans, et sanctificatione continens invisibilem et spiritualem gratiam ». — Mag. Sent. : « Sacramentum est quod ita signum est et forma invisibilis gratiae, ut ipsius imaginem gerat et causa existat ». — Conc. Trid. : « Symbolum rei sacrae et invisibilis gratiae forma visibilis, sanctificandi vim habens » sess. 13, c. 3. — Cat. C. Trid. : « Sacramentum est res sensibus subiecta quae ex Dei institutione, sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet », vel iuxta Augustinum composita : « Invisibilis gratiae visibile signum ad nostram iustificationem institutum ». — Cat. theol. ad Ordinandos : « Signum practicum rei sacrae (sanctificantis) ». — Scotus : « Est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum eius gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris ». — Sylvius : « Sacramentum V. L. est signum sacrum figurativum gratiae per passionem Christi dandae. Sacramentum N. L. est invisibilis gratiae forma visibilis, ex Dei institutione sanctificandi vim habens ». Vel : invisibilis gratiae signum visibile ad nostram sanctificationem divinitus institutum, ut dicitur in Iure et apud S. Canisium.

1° Sunt signa *caeremonialia*[1] i. e. signa sacra ex parte rei significantis, lege permanenter instituta, ad publicum et ordinarium cultum pertinentia.

Sic differunt a) ab omnibus signis, quae licet ad cultum non pertineant, tamen divina repraesentant, uti sunt martyrium, et etiam omnes creaturae ;
b) a symbolis quae non sunt instituta a lege, uti sunt imagines Christi, Crucis, Sanctorum ;
c) ab iis quae non sunt instituta permanenter et in perpetuum, uti lingua ignea in die Pentecostes, et signa quibus Christus remittebat peccata[2].

2° Sunt signa *practica* i. e. efficacia, conferentia id quod significant.

Sic distinguuntur a signis mere speculativis, res divinas repraesentantibus v. g. ad populi instructionem, uti sunt similitudines mysteriorum, imago crucis, et caeremoniae accidentales sacramentorum[3].

3° Sunt signa *sanctificationis humanae*, et quidem sanctificationis arcanae qua homo Deo *fini supernaturali* coniungitur ; unde sacra sunt etiam ex parte rei significatae.

Sic distinguuntur tum a sacramentalibus, uti consecratio altaris, aspersio aquae benedictae, quae significant dispositionem ad sanctitatem[4] ; tum a sacrificio quod est signum interioris affectus quo homo se devovet Deo, non autem sanctificationis per illud conferendae : sacrificii enim finis directus est ut eius actione Deus honoretur, sacramentum autem ut eius susceptione homo sanctificetur.

Sanctificatio est duplex : una interior quae fit per gratiam gratum facientem et virtutes infusas, qua homo fit capax vitae aeternae : haec pertinet ad N. Legem ; altera externa et legalis quae consistit in externa consecratione, purificatione, insertione

1. Augustinus, c. Faust., l. XIX : « Signa sunt quibus in unum religionis nomen fideles adunantur » et ab aliis distinguuntur ; unde debent esse sensibilia.

2. Hinc sacramenta non sunt : transitus maris Rubri, petra fundens aquas, manna, serpens aeneus, immolatio Isaac, verba Christi constituentis apostolos sacerdotes aut miracula facientis, baptismus Iohannis, descensus columbae, lotio pedum, insufflatio in discipulos, charismata extraordinaria.

3. Item verba Scripturae ; et illae caeremoniae V. L. quae sanctitatem Christi significabant qua in se sanctus est, non illam qua sanctificat.

4. Alia sunt : tonsura, absolutio a censuris, professio religiosa, exorcismus, benedictio matrimonii, consecratio virginis, benedictio abbatis, lotio pedum.

in populum Dei, deputatione ad sacra ministeria (Hebr. IX, 13), et quae est simul figurativa prioris : haec propria est V. Testamento. Iamvero sacramenta efficiunt sanctitatem propriam illi oeconomiae ad quam pertinent, unde oritur *fundamentalis* differentia inter sacramenta V. et N. Legis : haec significant et efficiunt sanctitatem interiorem in praesenti, illa significabant et efficiebant in praesenti sanctitatem legalem (qua aliquis coram lege habetur ut purus, sanctus, idoneus ad officia religionis), et huius collatione erant signa, figurae, typi et reales promissiones Christi salvatoris quem praedicabant venturum, et futurae sanctificationis interioris per passionem Christi et sacramenta N. Legis conferendae[1].

6. Alia definitio S. Thomae. — Definitio supra tradita indicat id quo sacramenta ab aliis signis distinguuntur, nempe quod sint signa practica ; at non est omnino completa, quia plura a sacramentis significantur quae ab ipsis non producuntur. Unde S. Thomas tradit aliam definitionem : *Signum rei sacrae, in quantum est sanctificans homines* (a. 2) ; in qua haec ultima verba : « in quantum est sanctificans homines » non referuntur ad signum sed ad rem sacram ; unde sensus est : signum rei sacrae prout haec est causa nostrae sanctificationis interioris.

Etenim sacramentum proprie dicitur id quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. Atqui in ea « tria possunt considerari : videlicet ipsa causa sanctificationis nostrae, quae est passio Christi ; et forma nostrae sanctificationis, quae consistit in gratia et virtutibus ; et ultimus finis sanctificationis nostrae, qui est vita aeterna. Ergo haec omnia per sacramenta significantur » ; nam significant rem sacram quatenus sanctificat, i. e. causam sanctificationis quatenus effectus suos producit. Sed haec est *essentialis* differentia inter sacramentum V. et N. Legis, quod illud significabat Christum venturum et sanctitatem futuram ; hoc autem repraesentat redemptionem iam factam et sanctitatem praesentem, unde est « et signum rememorativum eius quod praecessit, scil. passionis Christi,

1. Cfr. I-II, q. 103, a. 2. — Hinc q. 61, a. 4, ad 3 : « illa (V. L.) fuerunt congrua gratiae praefigurandae, haec autem (N. L.) sunt congrua gratiae praesentialiter demonstrandae ». Et Augustinus, in Ps. 73 : « Illa promittebant tantum et significabant ; haec autem dant salutem ».
Sacramenta humanae sanctificationis in V. L. enumerantur : circumcisio, initiatio sacerdotum, esus agni paschalis et panum propositionum, expiationes plures et purificationes. Sacramenta vero non sunt : consecratio tabernaculi aut vasorum, sacrificia, expiationes domorum.

et demonstrativum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scil. gratiae, et prognosticum i. e. praenuntiativum futurae gloriae » (a. 3). Sacramenta autem V. Legis haec omnia praenuntiabant.

Sic in Baptismo significantur simul gratia quae est semen gloriae, et mors, sepultura, resurrectio Christi, secundum Rom. VI, 3-6 ; in Confirmatione significatur mysterium Christi crucifixi quod Iudaeis est scandalum, Gentibus autem stultitia (I Cor. I, 23) ; in Matrimonio significatur unio Christi et Ecclesiae, Christus autem dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret (Eph. V, 25-32) ; Eucharistia est « sacrum convivium, in quo recolitur memoria passionis, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur » (Cfr. I Cor. XI, 24-25 ; Ioh. VI, 50-59).
Similiter in V. Lege, circumcisio (Gen. XVII, 10 ; Rom. IV, 11) significabat causam sanctificationis, adventum Christi in carne de semine Abrahae ; formam sanctificationis, gratiam Christi ligantem concupiscentiam ; et cum fiebat octavo die qui est dies resurrectionis Christi, repraesentabat etiam finem sanctificationis, futuram resurrectionem et gloriam. Item Agnus paschalis significabat Christum immolandum, gratiam reficientem Eucharistiae, et salutem sanguine Christi consequendam.

7. Corollaria. — Ex praedictis facile intelligitur :

1. Quare S. Thomas ponit sacramenta in genere signi, non autem in genere causae : a) quia sacramenta non causant nisi in quantum significant ; b) quia sacramenta etiam significant res sacras quas non causant.

2. Intelligitur etiam quod vox sacramentum non sit terminus univocus sed analogus, qui perfecte et simpliciter dicitur de sacramentis N. Legis, imperfecte et secundum quid de sacramentis V. Legis[1]. Vel enim differunt a) in ipsa significatione sanctitatis quam practice et simpliciter aut tantum speculative et secundum quid significant ; vel b) in ipsa sanctificatione quam efficiunt, quae est aut vera et perfecta sanctitas, aut tantum imperfecta ipsius umbra.

1. « Sacramentum non dividitur per sacramenta V. et N. Legis sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes, ut sanum in habens sanitatem et signans eam : sacramentum autem *simpliciter* est quod causat sanctitatem, quod est signum tantum non est sacramentum nisi *secundum quid*, et ideo esse causam poni potest in definitione sacramenti, sicut habens sanitatem in definitione sani » S. Thomas, in IV, Sent., d. 1, q. 1, a. 1, qc. 3, a d 5. Et in Summa, III, q. 62, a. 1, ad 1 : « Sacramenta N. Legis simul sunt causae et signa ; et inde est quod sicut communiter dicitur : efficiunt quod figurant. Ex quo patet quod habent *perfecte* rationem sacramenti in quantum ordinantur ad aliquid sacrum, non solum per modum signi sed etiam per modum causae ».

3. Sacramenta a) *in ordine ad Christum*, sunt quaedam *divinae Incarnationis reliquiae*, quibus Christus sui memoriam nobis reliquit atque suum meritum et fructus suae passionis nobis applicat. Unde dicuntur ab eius latere fluxisse et a Ss. eius Corde, una cum Ecclesia, dimanasse (Aug. in Ioh., tr. 120, n. 2) ;

b) *in ordine ad Ecclesiam*, sunt *tesserae*, quibus fideles ab infidelibus distinguuntur ; *vincula*, quibus Ecclesiae membra in unum corpus visibile colliguntur; *instrumenta vitae* divinae et sanctitatis ; et ideo pertinent ad essentialia Ecclesiae constitutiva ;

c) *quantum ad homines*, sunt *fontes salutis*, *medicinae* quae vulnera sanant, *instructiones* et eruditiones quibus homo per sensibilia manuducitur ad spiritualia ;

d) *quantum ad Deum*, sunt mirabilia *divinae Sapientiae inventa* quibus Deus medetur nobis, et insignes *Omnipotentiae effectus*, quae infirmis elementis contulit virtutem sanctificandi.

8. **Animadversio.** — Sacramenta, quatenus fuerunt descripta, de facto existere est conclusio totius theologiae sacramentalis.

QUAESTIO SECUNDA.

DE PARTIBUS SIGNI SACRAMENTALIS.

Articulus I.

De Materia et Forma Sacramentorum.

S. Th. III, q. 60, a. 4 et 6.

9. **Notiones.** — *Signum* est id per quod aliquis devenit in cognitionem alterius. Ad quod tres requiruntur conditiones : ut sit manifestativum, ut ordinem dicat ad alterum distinctum, ut sit prius cognitum.

Signum dividitur in *naturale* et *conventionale*, prout inducit in alterius cognitionem ex natura sua, sicut fumus significat ignem et vestigium animal, vel propter connexionem ex positiva institutione ortam, sicut ramus olivae indicat pacem. Conventionale est duplex : a) *arbitrarium* seu *ad placitum*, quod ex natura sua est omnino indifferens ad aliquid significandum : talia signa sunt verba, nam quod vocamus domum posset vocari lapis, et vice versa ; b) *symbolicum*, quod ex natura sua, independenter a positiva institutione, non quidem significat alterum, habet tamen ex natura sua aptitudinem ad hoc potius quam illud significandum, propter aliquam similitudinem, convenientiam seu analogiam quam ex se habet cum re significata. Sic corporalis ablutio vel manducatio habet ex natura sua aptitudinem ad significandam purificationem vel refectionem animae.

10. *Principium I.* **Sacramenta tum V. tum N. Legis non sunt signa naturalia, nec mere arbitraria, sed ad ipsa requiruntur *res* quae symbolice significant.**

Probatur : a) *Non sunt signa naturalia*, quia inter corporalia et spiritualia non est naturalis connexio ; ergo sunt signa conventionalia ex positiva institutione.

b) *Non sunt signa mere arbitraria sed symbolica :* Homini est connaturale ut per similitudines rerum sensibilium perveniat in cognitionem spiritualium ; atqui res sacrae quae per sacramenta significantur sunt quaedam spiritualia bona quibus homo sanctificatur ; ergo homini est connaturale ut tamquam sacramenta sumantur res sensibiles. Iamvero sapientia Dei unicuique rei providet secundum suam naturam. Ergo conveniens est, ut sapientia Dei tamquam sacramenta sumat res sensibiles quae similitudinem quamdam cum rebus sacris habent. Unde Augustinus, ep. 98 ad Bonif., n. 9 : « Sacramenta, si quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent ».

11. *Principium II.* **Ad perfectionem N. Legis requiritur quod sacramenta constent *rebus* symbolicis et simul *verbis*.** — *Certum* est et pertinet ad doctrinam catholicam [1].

Probatur : a) *Ex Scripturis*, pro Baptismo (ad Eph. V, 26 ; Ioh. III, 5 et Mt. XXVIII, 19), Eucharistia (Mt. XXVI, 26 ; Mc. XIV, 22 ; Lc. XXII, 19) et Extrema Unctione (Iac. V, 14, 15) ; indicatur forsan pro Ordine (Act. VI, 6 ; XIII, 3) et pro Confirmatione (Act. VIII, 15).

b) *Ex Traditione*, cuius testes sunt tum *Patres*, uti pro Baptismo : Didachè, c. 7 ; Iustinus, Apol. I, 61 ; Tertul-

1. Modus loquendi iam adhibetur a Petro Lombardo, IV Sent., d. 1, sub D.

lianus, adv. Prax. 26 ; de Bapt. 13 ; Origenes, in Rom. V, 8 ; pro Eucharistia : Iustinus, Apol. I, 66 ; Irenaeus, adv. Haer. IV, 18, 5 ; V, 2, 3 ; Origenes, in Mt. XI, 14 ; pro istis sacramentis et quibusdam aliis, ut pro Confirmatione et Ordine, inde a saeculo IV et V communiter, v. g. Gregorius Nyssenus, or. in Bapt. Christi ; praesertim Augustinus, in Ioh. tr. 15, n. 4 ; tr. 80, n. 3 ; — tum *Liturgici textus omnes et Ritualia*, quae a saec. IV et V iam exstant et quibus constat singula sacramenta rebus componi et verbis ; — tum *Concilia*, ut Florentinum, decr. pro Armenis.

c) *Ratione* aptissimae convenientiae : Sacramenta N. L. tripliciter considerari possunt : 1° ex parte causae sanctificantis quae est Verbum incarnatum, cui sacramentum quodammodo conformatur in hoc quod rei sensibili verbum adhibetur, sicut carni sensibili est Verbum Dei unitum ; 2° ex parte hominis sanctificati, qui componitur ex anima et corpore, cui proportionatur sacramentalis medicina, quae per rem visibilem corpus et sensus tangit, et per verbum ab anima creditur ; 3° ex parte ipsius significationis sacramentalis : verba, ait Augustinus, de Doctr. chr. II, 3, inter homines obtinuerunt principatum significandi, quia per verba magis distincte possumus exprimere quod mente concepimus, et ideo ad perfectionem significationis sacramentalis conveniens fuit ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur. Aqua enim significare potest et ablutionem propter sui humiditatem, et refrigerium propter sui frigiditatem ; sed cum dicitur : *ego te baptizo*, manifestatur quod aqua utimur in Baptismo ad significandam emundationem spiritualem.

Differentia praedicta sacramentorum correspondet differentiae ipsius oeconomiae V. et N. Legis :

1° Illa erat minus expressa, haec clarioris significationis, secundum Apostolum, ad Hebr. X, 1, distinguentem umbram coelestium in V. T., imaginem coelestium in N., res ipsas coelestes in gloria ; unde in sacramentis V. L. sufficiebant *res* quae satis obscure et tamquam per umbram coelestia significant, contra in N. L. clarior significatio tamquam per imaginem requirebatur, et ideo sacramenta constant *rebus et verbis*.

2° Clariora debent esse signa rei praesentis quam rei futurae ; sed sacramenta V. L. praenuntia erant Christi venturi, et ideo non ita expresse (sed solis rebus) significabant Christum sicut sacramenta N. L. quae ab ipso procedunt et quamdam similitudinem ipsius in se habent, utpote non solis rebus sed etiam verbis constantia [1]. Cfr. Augustinus, c. Faust., l. 19, c. 16 et 17.

12. *Principium III*. **Sacramenta N. Legis constant rebus et verbis tamquam materia et forma.** — Iste modus loquendi pertinet ad usum ab Ecclesia inde a saec. XIII receptum [2], quem improbare non liceret.

Probatur : Res et verba quibus constant sacramenta, *per analogiam* recte vocantur *materia* et *forma*. Sicut enim res corporeae constant duobus principiis realiter distinctis quorum 1) unum, materia, est potentia indeterminata et imperfecta (materia prima, — marmor), alterum, forma, est actus determinans materiam ad esse tale vel tale et illam perficiens (anima, — forma statuae) ; 2) materia praesupponitur, forma accedit ; et sic 3) ipsarum unione constituitur unum ens (unum vivens, — una statua) : ita sacramenta constant duobus : 1) rebus quae magis confuse significant, indeterminate et imperfecte, ac verbis quae magis distincte, determinate, perfecte significant et quae ideo res determinant ad aliquam determinatam significationem, sicut declaratum est n. praec. ; 2) res praesupponuntur verbis, secundum illud Augustini, tr. 80 in Ioh., n. 3 : « Verbo Baptismus consecratur : detrahe verbum et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum » ; 3) harum unione constituitur unum signum sacramentale habens unam significationem.

Cum autem hac formula, ipsa compositio signi sacramentalis tam apte simul et concise indicetur, usu universalis Ecclesiae tam graecae quam latinae, et Conc. Const[1], art. 22 (c. Wicleff, et Hus), Flor. (decr. pro Armenis) et Trid., sess. 14 de poen., c. 2 et 3 ; de extr. unct., c. 1, fuit consecrata.

13. **Animadversiones.** — 1. Materia et forma hic intelliguntur partes *reales* sacramenti ; praeter eas assignari possunt

1. In Vetere Lege aliquando adhibebantur verba, sed erant mere caeremonialia, non sacramentalia.

2. Dicunt generatim ita prius locutum esse Gulielmum Altissiodorensem († 1231) in *Summa aurea* composita inter a. 1215 et 1220. Alii assignant Stephanum Langton († 1228), uti Gillmann, qui *in Taufe in nomen Jesu*, et *Sakramentenlehre* id vindicat contra Schanz.

partes metaphysicae seu logicae, scil: ex una parte totum sensibile, constans ex rebus et verbis, quod est signum ; ex altera parte eius significatio per quam est signum, quae est sacramenti forma metaphysica, sicut humanitas in homine.

2. Ex hoc quod sacramentum definitur signum conventionale, male concluderetur esse merum ens rationis, quod non existit nisi dum cognoscitur. Non quidem est ens physicum quod habet propriam existentiam, sed ens morale et iuridicum. Talia sunt obligationes, iurisdictiones, tituli, dignitates, deputationes, signa conventionalia : haec non existunt nisi dependenter ab ordinatione alicuius intellectus practici, sed illa ordinatio, quamdiu non revocatur, manet subiecto affixa. Unde in rebus et verbis sacramenti simul ac in institutione adest reale fundamentum ut concipiatur tamquam signum. Licet ergo ipsa significatio sit aliqua relatio rationis, huius fundamentum tamen est reale, et ideo sacramentum etiam existit, dum non concipitur. Eodem modo relatio creatoris in Deo est rationis, sed in ipso et in creaturis adest fundamentum ut Deus creator appelletur, et hoc fundamentum reale est, nam Deus manet creator etiamsi ut talis non concipiatur.

3. *Res* quae sunt sacramenti materia intelliguntur non solum res exteriores, ut aqua, chrisma, etc., verum etiam ritus sacri seu actiones humanae *sensibiles*, uti ablutio, unctio, impositio manus, confessio, etc. quia in his est eadem ratio indeterminata significandi ac in rebus ; pariter *verba* formae, licet regulariter sint voces, possunt esse ea quae ipsis aequivalent, ut signa quibus mutus matrimonium init.

In specie materia et forma sunt : in Baptismo ablutio hominis per aquam, et : *Ego te baptizo in nomine P. et F. et Sp. s.* ; in Confirmatione chrismatio hominis in fronte, et verba : *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis...* aut alia aequivalentia ; in Eucharistia, accidentia panis et vini, et : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,* etc. ; in Poenitentia, actus poenitentis : contritio, confessio, satisfactio, et absolutio sacerdotis : *Ego te absolvo...* ; in Extrema Unctione : unctio multiplex, et : *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti ;* in Ordine : impositio manuum vel traditio instrumentorum, cum verbis appropriatis ; in Matrimonio, traditio corporum et acceptatio verbis vel signis expressa.

4. A materia *ex qua* intrinsece constituitur seu componitur sacramentale signum, distinguenda est, tribus in sacramentis, materia extrinseca *circa quam* solum versatur sacramentum : illa vocatur materia *proxima,* haec materia *remota.* Talis est substantia panis et vini in Eucharistia, peccata in Poenitentia, corpora in Matrimonio : licet enim praerequirantur ad sacramentum, non tamen ingrediuntur signum sensibile. — In aliis sacramentis, quia consistunt in applicatione seu usu rei sensibilis, materia ex qua remota dicitur ipsa res quae adhibetur, v. g. aqua, oleum ; proxima, ipsius applicatio seu usus, v. g. ablutio, unctio.

5. Ex Conc. Flor. docenti (decr. pro Arm.) « sacramenta *perfici* (i. e. confici) rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia », ne concludas sacramenta materia et forma non componi : Concilium enim utitur verbo perfici, quia intentio ministri quae necessaria est ad sacramentum efficiendum, non ingreditur compositionem signi sacramentalis. Quodsi res et verba non componerent, non sese haberent tamquam materia et forma ; neque, ut dicit Trid., sess. 14, c. 3, essent *partes* sacramenti, ad ipsius *integritatem* requisitae.

Articulus II.

De Unione Materiae et Formae.

14. *Principium I.* **Ad essentiam seu validitatem sacramenti** *per se* **sufficit partium unio seu simultas moralis.** — Sacramentum enim non est physice unum sed morale compositum, scil. unum signum, ad quod sufficit unio qua secundum communem aestimationem hominum utraque pars concurrat ad unam significationem. Unde debet inter materiam et formam tanta esse coniunctio ut secundum moralem aestimationem hominum, *spectata natura cuiusque sacramenti,* una alteram afficiat, hoc est, ut verba censeantur cadere in talem rem, et cum ea unum totale signum constituere. Ex quo sequitur unionem illam vel simultatem materiae et formae non esse eamdem in omnibus sacramentis, quia signa sacramentalia sunt naturae diversae.

1° Hinc sacramentum *Poenitentiae* non exigit unionem strictam, quia institutum est per modum iudicii, in quo sententia non necessario sequitur statim examen causae ; unde potest quis post plures horas vel dies absolvi, modo confessarius retineat ideam status poenitentis.

2° Similiter in *Matrimonio* quia est contractus : sufficit enim ut consensus unius ponatur, dum consensus alterius adhuc moraliter perseveret.

3° E contra in *Eucharistia* requiritur simultas physica totalis, quia pronomina *hoc* et *hic* demonstrant materiam esse praesentem eo tempore quo verba pronuntiantur.

4° Denique *pro ceteris* sacramentis pauci auctores, inter quos Caietanus, requirunt *quamdam* simultatem physicam quia eorum formae significant materiae applicationem in praesenti ; at *partialem,* qua scil. forma proferri inchoetur antequam materia desistatur applicari, aut, vice versa, materia applicari incipiat antequam forma desistatur proferri. Alii multi tenent esse illa

valida sacramenta, si forma pronuntiatur *immediate* ante vel *statim* post adhibitam materiam, quia tempus praesens in forma expressum, v. g. *ego te baptizo*, moraliter loquendo admittit quamdam latitudinem, sicuti patet ex eo quod Baptismus est certo validus, etiamsi ablutio non fiat nisi sub verbis : *in nomine Patris...*

In praxi : cum in sacramentis, sententia solum probabili cum periculo nullitatis uti, sit regulariter illicitum, iuxta primam sententiam est agendum, ut ceteroquin a Rituali praescribitur ac proinde requiritur saltem ad liceitatem ; quodsi sacramentum aliter fuerit ministratum, repetatur sub conditione [1].

15. *Principium II.* **Ab eodem ministro debet fieri unio seu applicatio totalis formae ad materiam,** et in sacramentis quibus materia externa sit applicanda subiecto, etiam ab eodem poni debet materia ac pronuntiari forma.—

---

1. Legentes recentissima opera facile putarent hac in re aliquid esse immutatum ; atque nunc omnino certum esse sacramentum habendum ut validum nec sub conditione repetendum, quando ita fuit ministratum ut cum materia immediate connectatur forma aut vice versa.

Sed haec conclusio non concordat cum instr. S.Off. 2 maii 1858, quae sub conditione dicit repetendum Baptisma si completa ablutione forma pronuntietur vel e contra absoluta prolatione formae ad ablutionem procedatur. Atque S. Alphonsus qui sententiam contrariam videtur approbare in Th. M., l. VI, n. 9, in *Examine Ordinandorum*, n. 6, et in *Conf. dir.*,n. 3, illam vocat *practice* non probabilem. Invocant autem :

1) Plura decreta S. Off. (12 sept. 1877 ; 17 mart. 1897 ; 30 nov. et 14 dec. 1898), quibus ordinationes declarantur validae. Sed, ut notat Prümmer, non dirimunt quaestionem, quia non constat de essentiali materia et forma Ordinis ; — praeterea particulare est huic sacramento quod prius fiat impositio manuum super singulos, tunc solum oratio proferatur super omnes ; at ex eo quod est cuidam sacramento particulare nequit valide deduci generalis regula quae valeat pro omnibus. Speciatim in decr. 17 mart. 1897, non erat dubium de simultate materiae et formae, sed quaestio erat de *immediato* tactu calicis, quem licet ordinandus antea immediate tetigerit, sub pronuntiatione formae tamen ab hoc aliorum manibus fuit prohibitus : ordinatio declaratur valida, quia tactus mediatus sufficit atque aderat mediantibus aliorum manibus.

2) Etiam responsum S. C. de disc. Sacr. 17 nov. 1916. Est solutio alicuius casus expositi de validitate Baptismi : « proposito dubio : An validum dici possit Baptisma in casu, respondendum censuerunt : *prout proponitur negative* ». Solutioni praeficitur in Act. S. Sedis, aliquod adnotandum cuiusdam consultoris, in quo inter varias considerationes legitur : « Communis doctrina est ad validitatem Baptismatis non requiri unionem physicam materiae et formae, sed satis esse unionem moralem quae habetur tum si fiat ablutio immediate antequam forma absolvatur, tum si fiat immediate post ». Haec tamen non in ipso decreto inveniuntur, nec approbationem aut auctoritatem habent a Congregatione, quia non sunt motivum in quo decretum fundatur, cum Baptisma in casu nihilominus invalidum declaretur.

A fortiori nequit dici decretum S. Officii supra memoratum a. 1858, ab hac alia Congr. de disc. Sacr. fuisse revocatum ; ac proinde suum valorem conservare dicendum est.

Confectio enim sacramenti est una actio sacramentalis nomine Christi ponenda, quae ex duabus partibus componitur, scil. ex applicatione formae ad materiam, vel et utriusque ad subiectum ; unde ab eodem applicatio fieri debet nec esset actio una si inter duos ministros divideretur ; — et secus plerumque non verificaretur sensus verborum formae, ut si unus aquam infunderet baptizando et ablueret et alter diceret : *ego te baptizo* [1].

Attamen 1) pro sacramentis in quibus non est materia applicanda subiecto, non idem minister debet ponere materiam et formam, sed sufficit quod formam applicet materiae. Ita in Poenitentia sacerdos formam scil. absolutionem applicat materiae seu actibus positis a poenitente ; in Eucharistia sacerdos valide consecraret materiam, scil. hostiam aut calicem, a diacono in altari repositam ; in Matrimonio coniux acceptat corpus ab altera parte oblatum.

2) Plures valide possunt simul integram materiam et formam ponere totius sacramenti, ut si plures simul aquam infunderent baptizando et dicerent : *Ego te baptizo...* vel *te baptizamus* (n. 140) ; et presbyteri ordinati simul cum episcopo consecrant.

3) In sacramentis quae pluribus constant partibus integralibus, singulae valide possunt a diversis poni, dummodo idem materiam et formam respiciat uniuscuiusque partis. Ita uno sacerdote consecrante hostiam, alter valide consecraret calicem ; et in extrema Unctione, posset unus sacerdos primam unctionem peragere sub debita sua forma, alter secundam, tertius tertiam, etc. uti fieri solet in Ecclesia graeca.

QUAESTIO TERTIA.

DE DETERMINATIONE SIGNI SACRAMENTALIS.

Articulus I.

De Causa determinante Materiam et Formam.

S. Th. III, q. 60, a. 5 et 7.

16. *Principium I.* **Deus determinavit signa sacramentalia.** — *Certum est.*

Probatur : Non pertinet ad aliquem determinare illud

---

1. Opinio de probabili valore sacramenti in casu quo materia simul et forma non ab uno eodemque ministro posita fuerit, omnino reiicienda est, ut etiam liquet de Baptismo ex decreto S. C. de Sacr. 17 nov. 1916.

quod est in potestate alterius, sed solum id quod est in sua potestate. Atqui sanctificatio hominis non est in potestate ipsius, sed in potestate Dei sanctificantis. Ergo non pertinet ad hominem proprio iudicio determinare signa quibus sanctificatur, sed hoc debet esse divina institutione determinatum.

17. *Principium II.* **In Nova Lege Deus determinavit signa sacramentalia mediante Christo, huius voluntati humanae determinationem committens faciendam.** — *Certum est*, quia sequitur ex doctrina Trid. definientis, sess. 7, can. 1, Christum sacramenta instituisse.

Potuit Deus determinare signa variis modis : a) per seipsum, nullo interveniente homine, sicut fecit in Veteri Lege quam Moyses tantum promulgavit ; b) potest deputare hominem ad determinandum signum quod postea ratum habeat : ita, ante egem mosaicam, interiore instinctu homines determinasse quaedam sacramenta sat generatim dicitur ; c) potest voluntati humanae Christi relinquere determinationem signi, et ita egit in Nova Lege.

Probatur : 1° *Ex fontibus revelationis :* pro quibusdam sacramentis constat ex Scripturis, scil. pro Baptismo (Ioh. III, 5 ; Mt. XXVIII, 19), pro Eucharistia (Mt. XXVI, 26) et pro Poenitentia (Ioh. XX, 22-23) ; — pro aliis ex traditione, cuius testis est Conc. Trid., sess. 21, c. 2, docens *substantiam ipsam* sacramentorum non fuisse relictam Ecclesiae arbitrio ; ergo fuit determinata ab institutore, quem c. 1 et sess. 7, can. 1, dicit esse Christum.

2° *Ratione convenientiae :* Christus ut homo promeruit nobis gratiam datam per sacramenta ; unde congruum erat ut ipse voluntate sua humana determinaret signa quibus confertur.

18. *Principium III.* **Christus materiam et formam non determinavit in individuo sed solum quoad substantiam ; — imo, probabilius, non semper determinate in ultima specie, sed, pro quibusdam sacramentis, solum generatim et in confuso.**

Probatur 1ª pars : Christus enim non requirit specialem aquam, v. g. pluvialem, vel vinum, v. g. album, vel oleum, v. g. Palaestinense, sed quidquid sit vere oleum, vinum, aqua, etc. sufficit ad sacramentum ; pariter non determinavit formam quoad materialem sonum verborum, quoad idioma vel elocutionem grammaticam, sed tantum, quoad essentialem significationem. Ergo non determinavit materiam et formam in individuo, sed solum quoad substantiam.

Probatur 2ª pars : Christus videtur non eodem modo determinasse materiam et formam in omnibus sacramentis :

1) perfectissime eas determinavit pro Eucharistia et Baptismo ;

2) minus perfecte pro Poenitentiae sacramento quod solum statuit exercendum per modum iudicii ; et pro Extrema Unctione, quam habemus insinuatam et adumbratam, Mc. VI, 13 ;

3) item pro Matrimonio, quod simpliciter elevavit ad dignitatem sacramenti, relinquens arbitrio Ecclesiae et contrahentium determinationem signorum quibus consensum exprimerent ;

4) probabiliter modo valde generali pro Confirmatione et praesertim pro Ordine : determinavit tantum, quod ab Ecclesia adhiberentur signa et verba idonea ad exprimendum characterem et gratiam propriam Confirmationis, vel potestatem Ordinis; Ecclesia vero signa determinavit diversa pro diversis temporibus et locis, et sic explicatur diversitas materiae et formae in ordinationibus validis Ecclesiae latinae et graecae. « Unde credimus, ait Innocentius IV, in c. *Presbyter, de sacr. iterandis*, quod, nisi essent formae postea inventae, sufficeret ordinatori dicere : « sis sacerdos », vel alia aequipollentia verba ; sed subsequentibus temporibus formas quae servantur *Ecclesia ordinavit* ». Et Conc. Flor. in decreto pro Armenis, aliam materiam et formam indicat Confirmationis et Ordinis ac primitus erant in usu [1].

1. Decretum illud, licet non sit documentum infallibile, non tamen est mere practicum seu disciplinare, ut quibusdam visum est ; sed decretum dogmaticum quod exponit doctrinam Ecclesiae romanae de Sacramentis, et nomine Concilii et Ecclesiae romanae Pontifex tradidit Ecclesiae Armenorum : in quo non facile admitti potest errorem irrepsisse.

Neque dicas : Conc. Trid. declaravit Ecclesiam mutare non posse sacramentorum *substantiam;* substantia autem constituitur elementis essentialibus, scil. materia et forma, sine quibus sacramentum esse non potest. — Responderi potest : in materia et forma sacramentorum sola substantialia, iuxta modum loquendi Concilii, sunt quae Christus instituit ; unde si generali modo quasdam materias et formas determinaverit, substantia horum sacramentorum non mutatur per maiorem determinationem specificam ab Ecclesia factam, dummodo generalis significatio a Christo definita retineatur.

Et sane : in sacramentis attendendum est id quod est potius et formale, scil. *significatio, qua aliquid formaliter constituitur ut signum,* quae est forma sacramenti metaphysica, atque *efficacia huius signi* ad gratiam specialem conferendam in ordine ad finem cuiusque sacramenti. Quod si id a Christo fuerit determinatum, vere dici poterit substantiam sacramenti instituisse ; nec plus requiritur a Concilio, ut constat ex sententia illorum qui concilio interfuerunt, uti Ruardi Tapper[1] et Ravesteyn[2] Lovaniensium.

Articulus II.

De Mutatione Materiae et Formae.

S. Th. III, q. 60, a. 7 et 8.

19. Notiones. — Praenotandum est

1) determinationem materiae et formae non esse relictam arbitrio hominum, uti patet ex art. praec., sed esse factam a Christo aut, forsan partialiter, ab Ecclesia, sed ita ut a ministro mutari non possint ;

2) in materia et forma distingui partem essentialem, sine qua essentia sacramenti non subsistit et sacramentum non est validum ; et partem perficientem seu mere integralem quae concurrit ad sacramentum constituendum, sine qua tamen est validum, sed imperfectum vel incompletum, v. g. satisfactio in re quoad Poenitentiam, unctio pedum in Extrema Unctione, verba: *in nomine Patris...* pro forma absolutionis.

20. Principia. — I. *Mutatio* a ministro de industria facta *ex intentione mutandi essentialia* ritus sacramentalis,

1. *Explicatio articulorum 20 venerabilis facultatis S. Theologiae Lovaniensis,* a. 1.
2. *Apologia decretorum Concilii Tridentini.*

reddit sacramentum invalidum, etiamsi maneat ritus legitimus, quia minister non videtur habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

II. Omnis *mutatio essentialis* in materia vel forma reddit sacramentum invalidum. Mutatio essentialis adest :

1. Quando materia quae adhibetur, iuxta usum communem et aestimationem hominum non convenit in eadem ratione et nomine cum materia essentiali quam adhibet Ecclesia, etsi forsan physice non differat, v. g. si vinum vel glacies sumatur loco aquae.

Fieri potest[1] a) *ob defectum complementi,* si materia nondum sit perfecta ad naturalem usum, v. g. panis crudus ;

b) *ob corruptionem,* si materia pristinam naturam amiserit, v. g. panis macidus vel acetum ;

c) *ob admixtionem* alterius materiae, ita ut ex ipsa rei natura vel ex hominum aestimatione nova quaedam, non vero prior materia habeatur, v. g. si tritico hordeum in magna quantitate admisceatur.

2. Quando ipse sensus formae corrumpitur.

Ita fit : a) si verba habeant sensum diversum a sensu intento ab Ecclesia, v. g. si quis diceret : *hic* (adverbialiter) *est corpus; baptizo in nomine matris;*

b) si magna cum interruptione pronuntientur, ita ut moraliter non videantur cohaerere : interruptio syllabarum longe facilius quam verborum interruptio sensum immutat, unde in praxi verbum inceptum est repetendum nisi agatur de interruptione modicissima ;

c) si pronuntientur divisim a pluribus, aut ab illo qui non ponit materiam quando haec est applicanda subiecto ;

d) si essentialia partialiter omittantur, v. g. pro Baptismo : *te, in nomine Patris.*

III. E contra *mutatio accidentalis* non reddit sacramentum invalidum. Accidentalis mutatio adest :

1. Quando materia, iuxta communem aestimationem, manet eadem, sed mutatur accidens eius contra praeceptum Ecclesiae vel reverentiam sacramenti, v. g. si quis sine necessitate baptizet in aqua non benedicta vel turbida.

2. Quando mutatio in forma relinquit debitum sensum.

Fit pluribus modis : a) *sola mutatione idiomatis* vel usu plurium idiomatum in eadem forma ;

1. De his cfr. Cappello, o. c. I, n. 22.

b) *transmutatione verborum* in verba ex usu communi *omnino* synonyma, v. g. : *ego te abluo, lavo;*

c) *mera transpositione verborum* seu ordinis interversione, v. g. : *ego baptizo te, hoc est meum corpus;*

d) *parva interruptione* in prolatione, dummodo forma maneat moraliter una, v. g. si quis dicit : *ego te baptizo, silete! in nomine...*, aut si per pauca momenta tussit aut sternit inter verba ;

e) *additione* quae non mutet sensum, v. g. : *in nomine Patris creatoris... ; commendo te B. M. V. et te baptizo... ;*

f) *subtractione* verbi vel syllabae quae non est de essentia : *ego, enim;*

g) *corruptione parva* aut mutilatione verbi ex praecipitatione aut balbutie, v. g. : *in nomine Patrias, et Filias..., copus, calis, e e ego.*

IV. Si forma sit ambigua vel aequivoca, ita ut, iuxta communem loquendi modum, duplicem sensum habeat, ab intentione ministri dependet an mutatio sit substantialis vel accidentalis, prout forma proferatur in sensu debito vel in sensu falso.

Ita v. g. : *In nomine Patris et Filiae* est valida forma si sic dicatur ex ignorantia linguae latinae, sed si dicatur ad introducendam haeresim est invalida ; — *in nomine Patris maioris et Filii minoris...* est valida in sensu catholico, invalida in sensu ariano ; — *ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus sancti*, si dicatur ad significandam non eamdem esse essentiam Patris, Filii et Spiritus sancti, est invalida; secus valida est ut apud quasdam sectas quae habent rectam intentionem illam proferendi (S. Off. 11 ian. 1882).

21. Corollaria. — Exinde sequuntur conclusiones [1] :

1. *Error ministri*, si sit mere *internus*, non irritat formam, modo intentio recta adsit ; si autem *exterius* manifestetur, videndum est, num verba essentialia formae integra maneant, necne : in primo casu sacramentum est validum, in altero invalidum.
2. *Prava intentio ministri* potest inducere mutationem formae substantialem, quando minister *consulto* verbis substantialiter erroneis aut aequivocis utitur.
3. Necesse non est, ut *verba* formae sensum *ex se ipsis* prae se ferant intentum a Christo ; requiritur et sufficit ut ex modo quo *hic et nunc* proferuntur, *communi accipiendi ratione*, eiusmodi sensum suggerant audientibus.
4. *Errores grammaticales*, generatim loquendo, mutationem substantialem formae non inducunt, nisi sensus plane diversus inde oriatur, seu nisi verba nedum corrupta, verum et omnino diversa resultent, ut si dicas : *ego baptizar in nomine...* Quod etiam valet de corruptione ob defectum linguae aut imperitiam vel praecipitationem.

1. Cappello, l. c.

22. Mutatio materiae vel formae sacramentorum est peccatum sacrilegii. — Nam includit irreverentiam in sacramenta ; et quidem :

1. *Mutatio essentialis* est peccatum *mortale ex genere toto*, quia a) gravem semper continet irreverentiam in sacramentum, cuius est simulatio et irrisio, et in Christum, in cuius nomine ageret sic ministrans et nihil faceret ; b) praeterea peccatum grave est contra charitatem proximi, quia hic fraudatur notabili bono spirituali ; et c) contra iustitiam, saltem si ministro incumbat administratio sacramenti ex officio, imo semper, quia eo ipso quod voluntarie in se suscipit sacramenti administrationem, ex tacito contractu se obligat ad illud, pro posse, valide et recte administrandum.

2. *Mutatio accidentalis*, extra casum necessitatis, est peccatum sacrilegii *mortale ex genere suo*, quia est in Ecclesia grave praeceptum, ex reverentia erga sacramenta latum, ministris impositum, ut sacramenta non ministrent nisi servatis solemnitate, idiomate, forma grammatica, caeremoniis ab Ecclesia institutis (c. Trid. sess., 7, can. 13) ; quod praeceptum tamen admittit levitatem materiae.

Hinc a) si mutatio sit notabilis, peccatum erit grave ; b) si mutatio sit levis, peccatum erit veniale, ut si quis sacerdos in Baptismo privato uteretur lingua vulgari, vel ex negligentia corrumperet aliquantulum formam ; nisi tamen ita ageret ex contemptu, cum periculo errandi in substantia aut cum gravi scandalo fidelium.

23. Regulae practicae. — I. *Extra necessitatem, nunquam licitum est uti materia vel forma dubia aut probabili, imo etiam probabilius valida.*

Valor enim sacramentorum pendet ab illo qui materiam et formam instituit vel determinavit ; atqui dubium aut probabilitas (etiam maior) opinionis nequit efficere ut materia et forma quae non fuerunt institutae sint institutae, ut materia et forma ineptae evadant aptae, ut v. g. id quod non sit aqua fiat aqua ; ergo qui illis utitur se exponit periculo non conficiendi sed simulandi sacramentum et simul detrimentum inferendi proximo. Unde sicut peccat mortaliter contra religionem et charitatem vel iustitiam ille qui facit sacramentum nullum, ita ille qui eodem periculo se exponit. Hinc damnata fuit ab Innoc. XI propositio quae asserebat

licitum esse in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de *valore* sacramenti, relicta tutiore [1].

II. *In casu urgentis necessitatis vel magnae utilitatis, quando aliter fieri nequit, licitum est uti materia vel forma dubia, saltem pro sacramento necessitatis.* Sic. v. g. infans in mortis periculo baptizari debet in materia dubia si alia non adsit; absolvendus est moribundus dubie dispositus [2].

Ratio est, quia in tali casu minister non se exponit periculo sed potius illud permittit, et proximo non facit iniuriam cum ipsi tribuat quod tribuere potest. In quo casu, ut reverentiae sacramenti *aliquo modo* consulatur, et irreverentia, *quantum possibile sit*, reparetur, ministrandum est sacramentum sub conditione: *si possum*, vel *si es capax;* quae conditio tunc sufficienter reparat irreverentiam sacramenti (cfr. n. 84, 3° A).

Dicimus: *aliquo modo, quantum possibile sit.* Apponendo enim conditionem, non valemus omnem ex periculo nullitatis *irreverentiam* etiam *materialem* a sacramento auferre; unde qui, in casu, sine sufficienti necessitate ministraret, aut temere iteraret sacramentum, sub conditione tamen, sine dubio gravem iniuriam ipsi irrogaret et mortaliter peccaret, sine ratione se exponens periculo nihil agendi et in re gravissima ludendi: si enim ratio insufficiens est, censetur non adesse, et conditio, si dubium inane est, pro non adiecta habetur. — At conditionem apponimus, ut declaremus nos non agere nisi necessitate coactos, ac melius ostendamus et protestemur nos non inferre sacramento *irreverentiam voluntariam:* « Ratio igitur, ait Lehmkul, Th. M. II, n. 37, cur conditio... exprimatur, potius est reverentia sacro ritui a Christo instituto debita, ita ut minister protestetur, sibi deficiente necessaria conditione, in animo non esse ipsum tentamen nomine Christi agendi facere; quo *magis* absit ab omni rei sacrae profanatione ».

24. Animadversio. — Regulae praedictae valent pro suscipiente sicuti pro ministrante; unde est illicitum recipere sacramentum dubium, praesertim quod saepius hoc modo suscipiens magnum damnum sibi inferat.

---

1. Prop. 1 inter damnatas: « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotii aut episcopalis ».

2. Excipe Eucharistiam, pro qua, ob idololatriae periculum, nunquam adhibere liceat materiam probabiliter invalidam; nisi forte ad sacrificium complendum.

SECUNDA PARS.

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM

QUAESTIO UNICA.

DE SACRAMENTIS DIVERSORUM TEMPORUM.

S. Th. III, q. 61.

25. *Principium I.* **Post peccatum originale sacramenta homini necessaria sunt ad salutem, necessitate convenientiae.** — Sacramenta quidem necessaria non sunt necessitate absoluta: Deus enim potest sanctificare hominem mediis quibus vult. At post peccatum originale necessaria fuerunt necessitate convenientiae propter triplicem conditionem humanae *naturae lapsae:*

1) *Quantum ad intellectum*, cuius est proprium in hoc statu ut *unice* per corporalia et sensibilia in spiritualia et intelligibilia deducatur [1]; ergo convenienter divina sapientia auxilia salutis, quibus homo de spiritualibus eruditur, confert sub corporalibus et sensibilibus signis.

2) *Quantum ad affectum:* homo enim peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus; ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi ubi patitur morbum; et ideo conveniens fuit ut Deus per quaedam corporalia signa homini spiritualem medicinam adhiberet, ut ipse, in humilitate, se corporalibus subiiciens, per ipsa ad Deum erigeretur. Ceterum si spiritualia nuda ei proponerentur, iis animus applicari non posset, corporalibus deditus.

3) *Quantum ad actionem:* est enim homo lapsus maxime propensus ad actiones exteriores et corporales; unde nimis durum esset ei totaliter abstinere in cultu divino a corporalibus actibus; et ideo convenienter instituta sunt corporalia exercitia in sacramentis ad evitanda quaecumque exercitia superstitiosa.

---

1. In statu innocentiae non accipiebat intellectus cognitionem ex sensibilibus sed ex influentia divini luminis. « Intellectio, ait Caietanus, in a. 2, ad 2, quia ex speciebus non acquisitis ex sensibus sed infusis a Deo procedebat, non dependebat a phantasmatibus sed utebatur illis ut inferioribus, sicut anima utebatur corpore subdito ». Magis scil. cognoscebat spiritualia ex influentia divini luminis.

« Sic igitur per sacramentorum institutionem homo convenienter suae naturae (lapsae et sibi relictae) eruditur per sensibilia ; humiliatur, se corporalibus subiectum agnoscens, dum sibi per corporalia subvenitur ; praeservatur etiam a noxiis actionibus per salubria exercitia sacramentorum » (a. 1). Addi potest id convenire naturae hominum sociali, ut colligantur sacris signis in unam fidem et unum religionis cultum, nam « necessarium est ad humanam salutem homines adunari in unum verae religionis nomen » (a. 1), ut notat Augustinus, c. Faust., l. 19, c. 11.

26. *Principium II.* **Ante peccatum originale non erat conveniens dari sacramenta.** — *Probatur :*

1) Medicina non est necessaria nisi aegroto ; sed sacramenta sunt quaedam spirituales medicinae, quae adhibentur contra vulnera peccati, ut dictum est n. praec. ; ergo non fuerunt necessaria ante peccatum.

2) In statu innocentiae superiora inferioribus dominabantur et nullo modo dependebant ab iis, nam sicut mens totaliter subdebatur Deo, ita et inferiores animae vires subdebantur menti, et corpus animae. Sed per sacramenta anima dependet a sensibilibus quantum ad instructionem et sanctificationem. Ergo sacramenta sunt contra ordinem status innocentiae.

3) Ceterum nascerentur homines gratia instructi ; haec ergo non debuit per sacramenta causari.

Unde « in statu innocentiae homo sacramentis non indigebat, non solum in quantum ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ordinantur ad animae perfectionem » (a. 2).

27. *Principium III.* **Naturae lapsae ante et post Christum sacramenta necessaria fuerunt valde diversa.** — *Probatur :*

Sacramenta necessaria sunt ad salutem ut signa rerum quibus homo sanctificatur. Sed post peccatum, nullus sanctificari potest nisi per Christum. Ergo ante ipsum necessaria erant signa quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu ; post ipsum signa quae ab ipso procedunt et vim habent, et quibus fidem nostram protestamur in Christum natum et passum, et in redemptionem impletam (a. 3 et 4).

28. Animadversiones. — 1. *Sacramenta diversa diversis temporibus congruunt.* Hinc a) ante legem mosaicam homines movebantur in Deum solo instinctu legis naturae et inspirationis divinae, nulla lege exterius data, unde non fuerunt sacramenta *determinata,* sed ex interiori instinctu determinabant homines quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur vel et fidem in redemptionem futuram significarent ; — b) decursu autem temporum, et propter obtenebrationem legis naturae ex peccatis hominum, et simul ut fides in Christum esset expressior, fuit data

lex determinata scripta, in qua etiam fuerunt quaedam sacramenta determinata (a. 3, ad 2).

2. In V. L. sacramenta proprie sunt illa quae in populo Dei dabantur sive ministris sive fidelibus ad quamdam consecrationem vel deputationem ad cultum Dei ; scil. a) institutio populi in statu colendi Deum quae fiebat per *circumcisionem ;* b) institutio sacerdotum in statu colendi Deum per consecrationem (Ex. XXIX ; Lev. VIII) ; c) usus eorum quae pertinent ad cultum, uti pro populo *esus agni paschalis* (Ex. XIII), pro sacerdotibus *esus panum propositionis* (Lev. XXIV, 9) ; d) remotio immunditiarum per quas aliqui impediuntur a cultu, quae fiebat per varias *expiationes* et *purificationes* (Lev. XIV ; Num. XIX). Haec omnia ordinabantur ad figurandum Christum (I-II, q. 102, a. 5).

3. Quaedam sacramenta N. L. habuerunt in V. L. sacramenta figuralia sibi correspondentia. Nam circumcisioni respondet Baptismus, convivio agni paschalis Eucharistia, omnibus purificationibus Poenitentia, consecrationi pontificis et sacerdotum Ordo. — Confirmationi autem quae est sacramentum plenitudinis gratiae ad robur non potest respondere in V. L. sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis ; similiter Extremae Unctioni quae est immediata praeparatio ad introitum gloriae, cuius aditus nondum patebat in V. L., pretio nondum soluto. Matrimonium denique fuit in V. L. prout erat in officium naturae, non autem prout est sacramentum coniunctionis Christi et Ecclesiae quae nondum erat facta (ad 3).

TERTIA PARS.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM.

CAPUT I.

DE EFFECTU PRINCIPALI : GRATIA.

29. Doctrina Ecclesiae duplicem sacramentis tribuit effectum : unum principalem qui ab omnibus confertur, scil. *gratia ;* alterum secundarium, qui in quibusdam invenitur : *character*. De gratia Conc. Trid. docet tria, quae in tribus quaestionibus sumus explicaturi :

1) *definit* sacramenta N. Legis vere *continere* gratiam quam significant et illam *conferre ex opere operato* (sess. 7, can. 6 et 8) ;

2) *docet* causalitatis *modum :* Baptismus (idem dic de aliis sacramentis) est *causa instrumentalis* iustificationis (sess. 6, c. 7) ;

3) *definit quando* sacramenta causant gratiam : scil. *non ponentibus obicem*, i. e. omnibus, quantum est ex parte Dei, si rite ea suscipiant (sess. 7, can. 6 et 7).

QUAESTIO PRIMA.

DE GRATIA CAUSATA.

Articulus I.

De Gratia gratum faciente a Sacramentis causata.

S. Th. III, q. 62, a. 1 ; in IV Sent., d. 1, q. 1, a. 4 ; Q. D. de Ver. 27, a. 4.

30. Notiones. — *Opus operatum* [1] est opus quod efficitur, et opponitur *operi operantis :* hoc est ipsa subiectiva operatio hominis prout ipsi est imputabilis et ab eo dignitatem, valorem, meritum habet ; illud non est ipsa operatio meritoria sed ipsum obiectivum opus editum, abstrahendo a valore personali et merito operantis.

In sacramentis opus operatum est ipsum signum sensibile ; hoc opus externum obiective spectatum

1° *positive :* secundum Conc. Trid. confert gratiam ;

2° *negative :* signum illud virtutem non habet ex dispositione subiectiva seu merito, sive ministri operantis positionem sacramenti, sive hominis operantis susceptionem, sed a Deo ;

3° unde subiectiva operatio, sive ministri sive suscipientis, sua virtute non est ullo modo *causa* illius gratiae quae per signum externum obiectivum confertur ;

4° est tamen ipsius *conditio sine qua non ;* nam sine opere ministrantis non haberetur opus externum operatum, et sine dispositione quae est opus suscipientis, in isto esset

1. Haec formula prius videtur usurpata fuisse a Petro Pictaviensi († 1205), in Lib. Sent. V, c. 6 ; adhibita fuit ab Innocentio III, *De S. Altaris mysterio*, l. III, c. 5 ; a Gulielmo Altissiodorensi, *Summa aurea*, in IV, d. 1, a. 2 et 3 ; a S. Alberto M., in IV Sent., d. 1, a. 5 ; refertur etiam a S. Thoma, in IV Sent., d. 1, q. 1, a. 5, qc. 1, et a S.Bonaventura, in IV, d. 1, a. 1, q. 5.

obstaculum, propter quod opus operatum gratiam conferre non posset [1].

31. *Thesis.* **Sacramenta N. Legis gratiam causant ex opere operato.** — Est *de fide* ex definitione Conc. Trid. sess. 7, can. 6-8, contra Protestantes.

Thesis adversatur :

1) Protestantibus, qui docent sacramenta esse symbola ordinata ad fidem excitandam, et signa promissionum divinarum, non conferentia sanctificationem nisi mediante fide suscipientis, uti dicunt generatim cum Luthero (cfr. can. 5 et 8) ; vel et Spiritum sanctum occasione sacramenti excitare fidem in praedestinatis, non in aliis, ut habet Confessio Augustana (cfr. can. 7) ; vel esse signa externa iustitiae per fidem acceptae, aut mera signa professionis christianae quibus fideles distinguuntur ab infidelibus, ut magis placet Zwinglio, Socinianis, Unitariis et Rationalistis (cfr. can. 6) ;

2) Modernistis quorum damnata fuit haec propositio (41) : « Sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam » ;

3) Donatistis etiam, Waldensibus et Wicleff, qui contendebant sacramenta non operari ex opere operato sed dependenter a virtute ministri, ideoque sacramenta a pravo ministro collata esse invalida (cfr. can. 8 et 12).

Probatur : 1° *Ex Scripturis* quae docent :

a) effectum sacramentorum non tam esse fidem quam gratiam quae sanctificat (Eph. V, 26 ; I Cor. VI, 11), spiritualiter emundat (Eph. V, 26), abluit vel remittit peccata (Act. II, 38 ; XXII, 16 ; I Cor. VI, 11 ; Ioh. XX, 22, 23 ; Iac. V, 14, 15), qua renascimur et renovamur spiritualiter (Ioh. III, 5 ; Tit. III, 5), quae consistit in collatione Spiritus Christi et salutis (Act. II, 38 ; VIII, 17, XIX, 6 ; Mc. XVI, 16 ; Gal. III, 27 ; I Petr. III, 21 ; Hebr. X, 22) ; porro haec omnia indicant gratiam habitualem gratum facientem ;

b) docent hunc effectum obtineri vi ipsius signi sensibilis, tamquam per causam : posito enim signo *statim* habetur effectus (Mc. XVI, 16 ; Act. VIII, 17 ; Gal. III, 27) ; obtinetur per signum externum : *per* lavacrum (Tit. III, 5) ; *lavacro* aquae in verbo vitae (Eph. V, 26) ;

1. « Non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare Baptismum, sed propria sanctitate atque veritate, propter eum a quo institutus est male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem » Aug., c. Cresc. IV, 19.

per impositionem manuum (II Tim. I, 6); *manducando* carnem Christi (Ioh. VI, 55); *ipsum* lavacrum regenerat et renovat (Tit. III, 5); imo causalitas tribuitur aquae *sicut* ipsi Spiritui sancto (Ioh. III, 5). Ergo ipsum signum sensibile est vera causa gratiae.

2° *Ex Traditione :* secundum Patres a) Spiritus sanctus et virtus seu omnipotentia divina elementis illabitur, et ita vis supernaturalis inest symbolis ad sanctificandum homines [1]; — b) comparant sacramenta causis naturalibus, et speciatim aquam Baptismi regenerantem cum utero materno ex quo generamur [2]; — c) explicite enuntiant finem et effectum signi externi esse gratiam in anima producendam [3]; et ideo virtutem symboli extollunt et mirantur [4]. Unde Symbola et Concilia confitentur unum Baptisma *in* remissionem peccatorum (C. Milev. can. 2; Const. I; Araus. II, can. 25; Flor. decr. pro Arm.).

3° *Ex praxi Ecclesiae*, quae ministrat sacramenta pueris, amentibus, sensibus destitutis; utitur in sacramentis lingua latina, graeca, etc.; praecipit omnibus receptionem sacramentorum. Atqui si sacramenta non conferrent gratiam ex opere operato, sed tantum excitarent fidem, sequeretur a) quod Baptismus collatus infantibus nullius esset efficaciae; b) quod sacramenta collata ei qui linguam non intelligeret, nihil efficerent; c) quod sacramenta gratiam tam conferrent adstantibus quam suscipientibus, quod tamen et ipsi Protestantes negant. Ergo praxis Ecclesiae est contra Protestantes.

32. Corollarium. — Ex dictis facile intelligitur verba sacramentorum non esse tantum *concionatoria* et *promissoria*, ut dicunt Protestantes, sed esse *consecratoria :* licet enim, quod non negamus, 1° ea adstantes instruere et ad fidem excitare possint, quia sunt reales praedicationes verbi divini; item 2° ipsa promissiones divinas contineant vel iam factas rememorent;

1. Tertullianus, de Bapt. 4; Cyr. Hier. cat. myst. 3, n. 3; Cyr. Al. in Ioh. III, 5; Ephraem, Adv. scrutat. serm. 40.
2. Cyprianus, ep. ad Don. n. 4; Cyr. Hier. cat. myst. 2, n. 4; Chrys. in Ioh. hom. 26, n. 1; Greg. Nys. or. in Bapt. Christi; Ephraem, Hymn. de Virgin. XXXVIII, 3; Leo, serm. 5 in Nat. D, 5.
3. Barn. ep. 11-12; Hermas, simil. IX, 36; Origenes, in Ioh. VI, 17; Tertull., De Carn. res. 8; De Bapt. 5 et 7; Opt. Milev., De Schismate V, 1; Aug., in Ioh. tr. 3, n. 5; in Ps. 83, 2.
4. Aug., in Ioh. tr. 80, n. 3 et plures sub a et b allegati.

attamen 3° *et praecipue* ordinantur immediate ad rei vel personae benedictionem, consecrationem aut sanctificationem, et nonnisi secundario et dependenter ab hoc fine principali, etiam sunt concionatoria et promissoria (C. Trid., sess. 7, can. 5 et 6). — Porro consecratoria sunt triplici modo : a) quantum ad materiam, quam determinant ad significationem sacramentalem (n. 12); b) quantum ad suscipientem, quatenus sunt pars signi ipsum sanctificantis ac consecrantis; c) quantum ad suam originem : sunt enim instituta a Christo et ita consecrata ad supernaturales effectus producendos.

Unde Hugo a S. Victore, De Sacramentis l. n. et scr. (P. L. CLXXVI, 35) : « Sacramenta gratiae per invocationem Trinitatis sanctificationem in se suscipiunt ac deinde sanctificationem conferunt, ut sint ex sanctificatione sanctificantia ».

33. Animadversio. — Protestantes obiiciunt textus Scripturae : a) affirmantes nos iustificari per fidem; et b) excludentes valorem operum distinctorum a fide.

Resp. Ad 1m : per fidem iustificamur, quia fides est una, imo prima, ex dispositionibus ad iustificationem requisitis, cum sit radix omnium aliarum; unde iustificamur per fidem sensu *affirmativo*, non *exclusivo :* Scripturae enim et alias dispositiones indicant aut exigunt (I Ioh. III, 3; Rom. VIII, 24; Lc. VII, 47; I Ioh. III, 14; Lc. XIII, 3; Act. II, 38; III, 19), imo non sufficere ipsam fidem affirmant (I Cor. XIII, 2; Iac. II, 24-26; Gal. V, 6).

Ad 2m : hinc excluduntur opera quae non nituntur in fide, ut opera legis mosaicae, aut mere naturalia, non autem opera quae ex ipsa fide oriuntur, cum et ista necessaria sint (Iac. II, 24-26; Mt. VII, 21; Rom. II, 6-13).

Quae latius explicari solent in tr. de Gratia.

Articulus II.

De Gratia speciali seu Sacramentali.

S. Th. III, q. 62, a. 2; in IV Sent., d. 1, q. 1, a. 5.

34. *Thesis.* **Sacramenta N. Legis singula causant gratiam specialem et sibi propriam.** — *Certum est.*

Sacramenta non tantum causant communem gratiam gratum facientem, cum virtutibus infusis et donis Spiritus sancti quae cum ipsa connectuntur velut proprietates; sed insuper gratiam specialem quae ipsi aliquid addit diversum in diversis sacramentis. Hinc gratia sacramentalis non est sola illa specialis, nec sola communis gratia gratum faciens, sed gratia gratum faciens prout quaedam gratia specialis eam comitatur atque afficit.

Probatur : 1) *ex documentis Ecclesiae :* Etenim sequitur ex doctrina C. Trid. asserentis, sess. 7, can. 6, sacramenta

continere et conferre *gratiam quam significant;* cum autem ipsorum significatio sit diversa, etiam gratia oportet sit diversa ; quae ceteroquin pro singulis indicatur a C. Flor., in decr. pro Armenis.

2) *ex ratione :* Sacramenta ordinantur ad *speciales* effectus in vita christiana, alias frustra essent sacramenta instituta, et instituta diversa. Unde producunt gratiam specialem, et quidem a) diversam ab illa quae extra sacramenta obtinetur, et b) diversam in unoquoque sacramento.

35. Formalis ratio gratiae sacramentalis. — Gratia sacramentalis est speciale auxilium ad consequendum proprium cuiuscumque sacramenti finem ; quod tamen diversimodo explicatur. Multi recentiores, post Caietanum et Suarez, tenent esse gratiam habitualem intrinsece unam et eamdem, quatenus inducit *ordinem* extrinsecum vel exigentiam ad gratias actuales speciales, fini cuiuscumque sacramenti correspondentes, et ideo tribuit ius ad illas gratias habendas in tempore opportuno. Probabilius tamen cum S. Thoma dicimus gratiam habitualem esse aliquo modo intrinsece diversam, seu gratiam gratum facientem quatenus vel intrinsece ipsi inest *modus* quidam aut *vigor* specialis [1], vel, quod aliis magis placet [2], ex ipsa fluit specialis *habitus :* contrarius illis defectibus ad quos reparandos singula sacramenta fuerunt instituta. Sicut enim originalis iustitia includebat vigorem aut habitum quo facultates inferiores perfecte subdebantur rationi, et quo concupiscentia erat totaliter ablata, ita gratia sacramentalis est vigor aut habitus imminuens concupiscentiam prout praecise fini sacramenti opponitur ; quia autem homo illum modum, vigorem, aut habitum recepit, ideo habet etiam ius ad gratias actuales tempore opportuno recipiendas.

Probatur : Deus non minus providet de ordine supernaturali ac de ordine naturali, et ideo ad actus supernaturales non tantum dat homini gratias actuales, sed principia habitualia et permanentia quibus habitualiter illos efficere possit (I, n. 618) ; ergo etiam ad effectus speciales sacramentorum non tantum dat gratias actuales, sed principia quibus habitualiter ad illos disponimur. Atqui sacramenta N. Legis sunt instituta contra vulnera peccati. Ergo dantur auxilia habitualia quibus vulnera peccati habitualiter quadamtenus ligantur.

36. Diversa est gratia sacramentalis in singulis sacramentis. — Etenim :

1° In Baptismo est habitualis gratia gratum faciens *regenerativa,*

1. Ita S. Thomam interpretantur Iohannes a S. Thoma, Cabrera, Contenson, Salmanticenses, Billuart, Tanquerey.
2. Ita Paludanus, Capreolus, et recenter Billot.

quatenus est plene renovans hominem, qui liberatur ab omni reatu peccati et regeneratur in novam vitam quae est per fidem Christi ; unde additur speciale auxilium contra obtenebrationem intellectus et tarditatem cordis ad credendum, quae directe impediunt fidem.

2° In Confirmatione est gratia *roborativa,*quatenus auget vitam fidei et illam ducit ad aetatem perfectam, cum speciali auxilio contra timorem et respectum mundanum.

3° In Eucharistia est gratia *nutritiva et unitiva,* quatenus spiritualiter transformat hominem in Christum per charitatem, cum speciali auxilio contra amorem proprium impedientem ne homo in amore Dei persistat.

4° In Poenitentia est gratia *sanativa* seu *reparativa,* quatenus formaliter remittens peccata actualia et ad Deum convertens, cum speciali auxilio contra vulnera peccati actualis.

5° In Extrema Unctione est gratia *plene sanativa* et *alleviativa,* quatenus est allevians animam aegroti et abstergens peccatorum reliquias, cum speciali auxilio contra oppressionem animi in ultimis vitae periculis.

6° In Ordine est gratia *ministrorum consecrativa,* quatenus est aptans ad sancte obeunda sacra officia, cum speciali auxilio contra infirmitatem quae ab his officiis retrahit.

7° In Matrimonio est gratia *animorum unitiva* et *concupiscentiae refrenativa,* quatenus est adiuvans ad sancte operanda coniugii officia, cum speciali auxilio contra concupiscentiam ut ab his officiis retrahit.

37. Animadversio. — Notentur verba S. Thomae, IV Sent., d. 1, q. 1, a. 4, qc. 5, ad 2 : « Gratia virtutum opponitur peccato secundum quod continet inordinationem actus ; sed gratia sacramentalis opponitur ei secundum quod vulnerat naturale bonum potentiarum animae ».

Articulus III.

De Inaequali Sacramentorum Gratia.

38. Notiones. — Quaedam sacramenta *per se* et *primario* sunt instituta ad causandam gratiam primam, quae scil. datur illi qui eam non habet, seu quae ex iniusto facit iustum. Vocantur sacramenta *mortuorum,* quia *possunt* suscipi in statu peccati mortalis, licet non debeant : sunt Baptismus et Poenitentia. Alia quinque *per se* et *directe* sunt instituta ad causandam gratiam secundam, quae scil. aliam supponit praeexistentem et illam auget, seu quae de iusto facit iustiorem. Vocantur sacramenta *vivorum,* quia in statu gratiae suscipi debent. Diversae ergo ad recipienda sacramenta per se requiruntur dispositiones.

Hinc quaeritur : 1) utrum sacramenta mortuorum quandoque per accidens producere possint gratiam secundam et sacramenta vivorum gratiam primam ;

2) utrum gratia producta proportionetur dispositionibus, ita ut, iisdem datis dispositionibus, aequalis conferatur gratia, aut e contra inaequalis.

39. *Thesis I.* **Sicuti sacramenta mortuorum causant gratiam secundam in illis qui gratiam iam habent, ita** ***a pari, per accidens,*** **fit quod sacramenta vivorum causant gratiam primam :** non quidem in illis qui sciunt se recipere sacramentum indigne, nam hi novum peccatum committunt nec contritionem habent, sed in illis qui bona fide existimantes se esse rite dispositos, inculpabiliter sacramentum in statu peccati recipiunt et *simul* attritionem de peccatis suis habent. — Prima pars est *certa ;* altera est sententia S. Thomae atque *communior* et *probabilior.*

Probatur : Conc. Trid. definit generali modo sacramenta, — ad normam causarum naturalium, — conferre gratiam non ponentibus obicem. Atqui iustus qui gratiam habet, certo non ponit obicem gratiae. Ergo etiam sacramenta mortuorum ipsi conferunt gratiam. — Pariter peccator bona fide accedens, qui habet contritionem imperfectam de peccato, non ponit obicem gratiae, uti patet ex illo qui suscipit Baptismum et Poenitentiam. Ergo etiam sacramenta vivorum ipsi conferunt gratiam. Quod est valde probabile de omnibus, at de Extrema Unctione est certissimum ex Iac. V, 15 (q. 72, a. 7, ad 3 ; q. 79, a. 3 ; suppl. q. 30, a. 1.)

Ob diversam causam evenire potest ut quis constitutus in peccato mortali recipiat bona fide sacramentum vivorum :

1) si invincibiliter ignoret se esse in statu peccati mortalis vel huius sit immemor ;

2) si falso existimet invincibiliter illud esse purgatum contritione, vel bona confessione aut valida absolutione, cum non sit;

3) si invincibiliter ignoret ad sacramenti receptionem requiri statum gratiae et putet attritionem sufficere.

40. *Thesis II.* **Sacramenta specie diversa causant de se seu in aequaliter dispositis gratiam inaequalem ; eadem specie sacramenta** ***de se*** **seu aequaliter dispositis conferunt aequalem gratiam, inaequalem vero inaequaliter dispositis.**

Probatur 1m : Sacramenta diversae speciei de se, i. e. supposita aequali dispositione, conferunt gratiam inaequalem. Causa enim nobilior et dignior de se nobiliorem seu maiorem producit effectum. Sacramenta autem alia sunt aliis perfectiora, ita ut omnibus praestet Eucharistia. Ergo de se producunt gratiam inaequalem, et Eucharistia de se confert gratiam omnibus aliis maiorem (q. 64, a. 3).

Probatur 2m : Sacramenta solo numero distincta de se, i. e. supposita aequali dispositione, conferunt gratiam aequalem, unde duo infantes recipiunt aequalem gratiam in Baptismo ; at, supposita inaequali dispositione, conferunt gratiam inaequalem, maiorem vel minorem, secundum quantitatem dispositionis, ut dicit Trid. de *omni* gratia iustificante, sess. 6, c. 7. Sacramenta enim operantur ad instar causarum naturalium, quae in subiectis aequaliter dispositis aequalem causant effectum, in magis dispositis maiorem, in minus dispositis minorem (q. 69, a. 8).

QUAESTIO SECUNDA.

DE MODO QUO SACRAMENTA GRATIAM CAUSANT.

41. **Notiones.** — *Causa* est principium influens in esse alterius. Causa extrinseca est duplex : vel enim influit agendo seu operando et tunc est *efficiens*, vel influit per modum obiecti, quatenus cognoscitur, et tunc est bonum movens agentem ut sui gratia aliquid faciat, et haec est *finalis*.

Causa efficiens dividitur :

a) *ex parte virtutis* qua agit, in *principalem* quae virtute sibi propria et completa operatur effectum sibi similem vel proportionatum ; et *instrumentalem* quae exercendo actionem propriam et producendo effectum sibi proportionatum, simul movetur ab agente principali, et sic cooperatur ipsius effectui : operatio securis est scindere, sed in quantum movetur ab artifice, scindit artificiose ;

b) *ex parte modi* quo attingit effectum, in *perficientem*

quae efficit ultimam rei perfectionem, sicut animal generat animal; et *disponentem* quae efficit aliquam dispositionem *exigentem* ab alio introductionem ultimae perfectionis: sic actio et semen patris non efficit animam humanam, sed dispositionem in materia quae exigit animae infusionem.

Causa *moralis* seu occasionalis est illa quae afferendo motivum, v. g. dignitate sua, excitat, allicit, et sic movet causam intelligentem ad producendum effectum; vocatur moralis quia, iuxta communem aestimationem, effectus causae intelligentis recte ipsi imputatur. A quibusdam dicitur causa efficiens, quia movet personam ad efficiendum; at nonnisi metaphorice et improprie dici potest efficiens, nam motivum movet, non quidem aliquid producendo, sed per modum obiecti, quatenus cognoscitur et eius gratia aliquis agit, et ideo potius reducitur ad causalitatem finis quam ad causalitatem efficientiae.

Iamvero quaeritur utrum sacramenta sint causae mere occasionales vel et morales, an potius vere efficientes instrumentales, vel et physicae, et quomodo causalitas eorum intelligi possit. Qua in quaestione erit difficile ad veram pervenire certitudinem; quapropter referendo aut opinando, magis quam disputando aut dirimendo, nobis loqui hac in re liceat.

Articulus I.

De Causalitate Sacramentorum proprie dicta et efficienti.

S.Th. III, q. 62, a. 1 et 3; in IV d. 1, q. 1, a. 4; Q. D. de Ver. 27, a. 4.

42. Status quaestionis. — A. Quidam dixerunt sacramenta non esse causas gratiae efficientes per se, quia aliquid operantur, sed causas *per accidens* quia Deus, sacramentis positis, operatur effectum.

Ita plures veteres, tempore S. Thomae, dein Scotus, Henricus Gandavensis, Durandus, G. Biel, Nominales aliique; favet etiam S. Bonaventura, quamvis tamen haesitanter loquatur. Quam opinionem impugnavit S. Thomas, eo quod sacramenta non essent verae et proprie dictae causae, sed tantum signa et conditiones sine quibus non produceretur gratia; quod videtur repugnare dictis S. Scripturae et praesertim SS. Patrum: « Quidam dicunt quod non sint causa gratiae aliquid operando, sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur; et ponunt exemplum de illo qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex regis ordinatione: non quod denarius ille aliquid operetur ad habendam praedictae pecuniae quantitatem; sed hoc operatur sola voluntas regis... Sed si quis recte consideret, iste modus non transcendit rationem signi; nam denarius plumbeus non est nisi quoddam signum regiae ordinationis de hoc quod pecunia recipiatur ab isto... Secundum hoc igitur sacramenta novae legis nihil plus essent quam signa gratiae; cum tamen ex multis Sanctorum auctoritatibus habeatur quod sacramenta novae legis non solum significant, sed causant gratiam » (q. 62, a. 1).

Licet haec sententia a Conciliis Florentino et Tridentino non fuerit expresse proscripta, horum tamen doctrinam, quae non est nisi vox traditionis: « sacramenta nempe N. Legis differre ab antiquis eo quod continent et conferunt gratiam, dum sacramenta V. Legis illam non causabant », *in sensu proprio* admittere nequit. Unde ab hoc tempore a theologis fuit derelicta.

B. Recentiores illam paulo mutaverunt: sacramenta ministrantur nomine Christi, ac proinde sunt moraliter actiones Christi, sicut actiones legati censentur magis actiones regis quam ipsius. Atqui actiones Christi habent meritum, obiectivam dignitatem infinitam. Ergo sacramenta hanc dignitatem participant, in quantum Christus in ipsa derivat merita et ea exhibet Deo ad sanctificationem nostram *impetrandam* et *exigendam*. Iamvero merita Christi dignitate sua habent vim movendi Deum ad gratiam largiendam. Ergo sacramenta tam bene sunt *causae morales* gratiae ac ipsa merita Christi: haec est sola differentia quod merita habent dignitatem propriam, sacramenta dignitatem ab ipsis derivatam; unde sacramenta sunt causae morales, non principales sed instrumentales.

Causalitatem moralem sacramentis tribuunt Melchior Canus, Molina, Becanus, Vasquez et alii multi e S. I.; praesertim Lugo, Franzelin, Pesch, qui eam melius proposuerunt.

43. Sacramenta suntne dicenda causae morales? — Hic modus dicendi minus probatur, propter varias rationes:

1° Si sacramenta essent tantum causae morales, non essent proprie dictae causae efficientes et instrumentales, et ideo non verificaretur in sensu proprio quod de ipsis asserunt SS. Patres et Concilia.

2° Dato quod essent instrumenta Christi hominis, non tamen essent instrumenta Dei quem movent et a quo non moventur ad gratiam impetrandam, nam secus Deus oraret seipsum.

3° Essent causae impetratoriae. Sed impetratio est causalitas propria sacrificio quod est signum orationis internae ; ratio autem sacrificii essentialiter differt a ratione sacramenti. Ergo causalitas impetrativa sacrificii non est sacramentis tribuenda.

4° Non essent verae causae sed tantum signa : a) Actiones sacramentales non sunt ab ipsa persona Christi sed tantum moraliter eius actiones censentur. Sed meritum est valor actionis personalis et ideo ab hac inseparabilis. Ergo sacramenta non habent intrinsece dignitatem meritorum Christi, sed tantum extrinsece censentur hanc dignitatem habere. — b) Quod in sacramentis causat gratiam, non tam est operatio ministri quam ipsum signum externum. Atqui hoc nequit habere dignitatem moralem, sed ad summum repraesentare merita tamquam pretium quo acquiritur gratia. Ergo non sunt nisi signa meritorum Christi et gratiae.

5° Unde haec causalitas moralis non satis ea distinguit a sacramentis V. Legis, quae etiam repraesentant merita Christi, ut dicetur a. 4 : quod enim merita sint praeterita vel futura, non mutat modum causalitatis.

44. Sacramenta suntne verae causae efficientes instrumentales? — Si sacramenta non sunt causae morales, sequitur quod sunt verae causae efficientes : non principales quidem, quia ex natura sua non habent virtutem supernaturalem, gratiae aut aliis effectibus supernaturalibus proportionatam ; unde effectus productus non ipsis assimilatur sed Deo ;— verum instrumentales, quae ex influxu Dei dicunt ordinem ad gratiam.

Hinc intelligitur quo sensu sacramenta dicuntur *continere* gratiam, non quasi sit in iis ut accidens in subiecto, res in loco vel liquor in vase, uti Protestantes catholicis imponunt ; sed ut in signo et in causa efficiente : effectum enim aliquo modo in virtute causae praecontineri necesse est.

Articulus II.

De Causalitate Sacramentorum instrumentali.

S. Th. III, q. 62, a. 1-4 ; q. 63, a. 6, ad 3 ; q. 66, a. 1 ; q. 68, a. 8 ; q. 73, a. 1 et 6 ; q. 84, a. 1 ; Suppl. q. 30, a. 3 ; q. 34, a. 2 ; q. 42, a. 1 et 3 ; IV Sent., d. 1, q. 1, a. 4 ; Q. D. de Ver. 27, a. 4.

45. Origo quaestionis est ordinis historici. In Commentario super Sententias S. Thomas proponit sacramenta esse causas instrumentales dispositivas gratiae, quatenus

causant in anima dispositionem (scil. characterem aut alium ornatum), quae est necessitas seu titulus postulans ut a Deo gratia causetur ; in Summa theologica vero huius non meminit sed simpliciter dicit sacramenta esse causas instrumentales gratiae. Hinc quaeritur utrum S. Thomas sententiam mutaverit et reliquerit causalitatem dispositivam, ut adstruit Caietanus; vel e contra in Summa eamdem sententiam teneat sed brevius exponat, non explicite memorando dispositionem, quia id sufficienter erat notum, dum omnes qui sua aetate veram causalitatem tribuebant sacramentis, intelligebant mere dispositivam : ita v. g. Gulielmus, S. Albertus Magnus, Innocentius V.

Antiquiores thomistae per tria fere saecula hoc ultimo modo interpretati sunt S. Thomam, uti Paludanus, Petrus de Tarentasia, Capreolus, Ferrariensis, Deza, Sylvester Prierias, Dionysius Carthusianus, imo ipse Caietanus iunior ita scripsit. At in Commentario Summae theologicae ponit Caietanus S. Thomam ibi novam exponere sententiam sibi propriam, nempe sacramenta esse instrumenta quibus sub motione Dei virtus physica tribuitur efficiendi ipsam gratiam ; et hoc modo dein thomistae sat generatim interpretati sunt s. Doctorem. Recentiore tempore Billot ad veteres rediit, et contendit S. Thomam nunquam mutasse sententiam sed constantem fuisse in asserenda causalitate mere dispositiva ; quam ipse tamen non intelligit physicam sed intentionalem, quae scil. producit aliquid ordinis moralis et iuridici, quod non existit nisi dependenter ab intentione et ordinatione intellectus practici, uti sunt ius, titulus, dignitas, potestas moralis, deputatio ad officium, etc. Plures secuti sunt Billot, dum quidam alii defenderunt causalitatem dispositivam physicam [1].

Animadvertunt : a) S. Thomam post commentarium super Sententias scripsisse Quaestiones disputatas de Veritate, et in q. 27, a. 4, exponere causalitatem sacramentorum respectu gratiae quin meminerit alicuius dispositionis ab ipsis causatae ; et nihilominus in resp. ad 3, hanc rursus indicari, atque iterum in Quaestione de Potentia 3, a. 4, ad 8, quae tamen est recentioris compositionis ; — b) ipsum nunquam explicite doctrinam de causalitate dispositiva retractasse ; — c) atque nec in Summa eam ullo modo confutasse, quod tamen eam neganti

---

1. De hac quaestione vide Billot, *De Ecclesiae Sacramentis*, I, th. 6 et 7 ; Pègues in *Revue Thomiste*, 1904 ; Hugon in opere dogmatico, et in opusc. *La causalité instrumentale en théologie;* Richard, *La causalité instrumentale*, in *Revue Néo-scolastique*, 1909 ; Leroux, *Les Sacrements causes dispositives intentionnelles de la grâce*, in *Rev. Eccl. de Liége*, 1914-15; Tuyaerts, *Utrum S. Thomas causalitatem Sacramentorum mere dispositivam unquam docuerit*, in *Angelicum*, 1931 ; Simonin et Meersseman, *De Sacramentorum efficientia apud Theologos Ord. Praed.*, 1936.

fuisset omnino necessarium, cum in Scholis tunc esset universaliter recepta.

Haec tamen argumenta minime sunt convincentia; et ideo generatim pergunt thomistae affirmare silentium S. Doctoris in Summa sufficienter manifestare relinquendam esse causalitatem dispositivam eamque satis confutari implicite, in responsis ad obiectiones

Hinc quaeritur : 1. utrum sacramenta sint aliquo sensu causae instrumentales dispositivae, efficientes scil. dispositionem ad gratiam ; 2. utrum, etiam hoc dato, insuper sint causae instrumentales perfectivae efficientes ipsam gratiam.

Utrumque potest admitti, nam etiam illi qui dicunt sacramenta effective et physice causare ipsam gratiam, admittere possunt ipsa praevie causare quamdam ad gratiam dispositionem [1].

46. Sacramenta suntne causae instrumentales dispositivae ad gratiam? — Ita videtur affirmandum : Sacramenta vere *producunt* aliquem effectum, v. g. characterem in Baptismo, qui effectus est dispositio, quae non tantum removet impedimenta gratiae : tunc non esset vera causa ; sed quae *exigit* a Deo gratiae infusionem.

Secundum modum loquendi S. Augustini distinguentis inter *sacramentum* seu signum et *rem* seu effectum sacramenti [2], tria sunt in sacramentis distinguenda [3] : 1° signum externum, compositum ex materia et forma, quod recte vocatur *sacramentum tantum*, quia significat et non significatur ; 2° gratia collata, quae vocatur *res sacramenti*, quia non significat sed tantum significatur ; 3° dispositio ad gratiam necessitans quae saltem natura gratiam praecedit, ut intermedium inter duo vocatur *res et sacramentum*, quia ex una parte est *res* significata a signo externo, et ex altera parte est *sacramentum* seu signum gratiam significans. Iamvero sacramenta vere efficiunt id quod est res et sacramentum, et hoc est dispositio seu titulus ad gratiae infusionem.

Probatur : Sacramenta efficiunt id quod figurant ut ab ipsis conferendum. Atqui directe et immediate significant

1. Id testatur Hugon, *Tract. Dogm.*, III, *de Sacramentis*, q. 3, a. 2, n. xx.
2. Quaest. in Hept., III, 84.
3. Distinctio iam in usu est saec. XII et invenitur apud Hugonem a S.Victore, Gul. Altissiodorensem, Mag. Sententiarum, et Innocentium III, c. 6, x, III, 41, de celeb. Missae, c. *cum Marthae.* A S. Thoma traditur q. 63, a. 6, ad 3; q. 66, a. 1; q. 73, a. 1 et 6 ; q.84 a. 1 ; suppl. q. 30, a. 9 ; q. 34, a. 2 ; q. 42, a. 1.

aliquem effectum a gratia distinctum, et nonnisi mediate et dependenter ab illo, ipsam gratiae collationem. Ergo sacramenta directe et immediate efficiunt dispositionem a qua dependet collatio gratiae.

Prob. minor : Verba formae a quibus pendet significatio materiae directe et immediate significant aliquid diversum a gratia :

1° In Eucharistia evidenter significant praesentium corporis et sanguinis Christi, et nonnisi mediate refectionem spiritualem animae quatenus corpus et sanguis Christi sumuntur.

2° In Matrimonio contractus significat vinculum coniugale, quod exigit gratiam quatenus repraesentat unionem Christi cum Ecclesia.

3° In Ordine significatur potestas sacra seu character, cuius officium nequit convenienter exerceri sine gratia.

4° Item in Confirmatione.

5° Item in Baptismo, in quo sensus formae est : ego sacramentum i. e. signum ablutionis tibi confero [1]. Baptismus enim potest esse validus et non producere gratiam propter obicem ; sed signum practicum quod non efficit id quod immediate significat est invalidum ; ergo Baptismus non immediate significat gratiam, sed characterem qui est signum internum ablutionis et renovationis interioris.

6° In Extrema Unctione, forma deprecativa significat infirmum committi in manus Dei, cuius indulgentia expectatur ; unde aegrotus recipit aliquid quo interne Deo devovetur et quo ius habet ad receptionem gratiae allevиantis.

7° Poenitentia est instituta per modum iudicii ; sed in iudicio humano, absolutio a carcere significat ius datum ad liberationem; ergo etiam verba : Ego te absolvo a peccatis, recte dicuntur significare : ego tibi do ius ad liberationem a peccatis. Unde res et sacramentum est interior contritio significata ab actibus poenitentis, quatenus per absolutionem fit titulus ad gratiam quae a peccatis liberat [2].

47. Animadversiones. — 1. Sacramentum, cum sit signum pro hominibus, necessario est externum ; unde dispositio seu titulus ad gratiam non proprie, sed analogice tantum vocatur sacramentum, quatenus est sensibilis per aliud ; ad quod requiritur quod *infallibiliter et necessario cum signo externo connectatur.*

2. Gratia licet sit radix et semen gloriae, nequit dici sacramentum gloriae, quia non connectitur infallibiliter cum signo externo.

3. Omnes fere theologi admittunt existentiam illius quod vocatur *res et sacramentum*, sed non concordant in illo assignando : pro Poenitentia quidam indicant pacem conscientiae et serenita-

1. Conformiter ad S. Thomam qui ita explicat formam Poenitentiae, q. 84, a. 3, ad 5.
2. Cfr. Iohannes a S. Thoma, *de Sacr.*, disp. 33, a. p. 5

tem animae, et pro Extrema Unctione alleviationem animae et confirmationem contra pericula mortis. Non recte tamen : a) quia non immediate significantur a signo externo ; b) quia producuntur mediante gratia et quia non connectuntur infallibiliter cum signo externo, nam sacramenta possunt esse valida et hos effectus non producere. Ergo sicut gratia nequit dici sacramentum, ita nec illa.

48. Sacramenta suntne etiam causae instrumentales perfectivae et physicae ipsam gratiam producentes ? — Sufficiat in hac quaestione scholastica, principaliora tradere quae ex utraque parte afferuntur argumenta.

A. Qui negant causalitatem physicam productivam gratiae, ita arguunt :

1. « Causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi in quantum per aliquod sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis : si enim nihil ibi ageret secundum illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum ; nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum » (I, q. 45, a. 5). Ergo sacramenta solum dispositive operantur, ad effectum principalis agentis Dei ; ac proinde non producunt nisi effectum praevium ad gratiam quae a Deo causatur.

2. Gratia proprie creatur vel saltem producitur actione quae creationi aequivalet, quia est participatio naturae divinae ad quam nulla creatura capacitatem positivam habet ; unde productio gratiae exigit potentiam infinitam quae nequit communicari creaturae. Ergo sicut nulla creatura potest esse instrumentum creationis, ita nec instrumentum ipsam gratiam attingens.

3. Instrumentum debet cooperari principali agenti : exercendo enim actionem propriam debet instrumentaliter agere, sicut securis scindendo lignum producit formam scamni. Unde actio instrumentalis debet esse in eadem linea ac actio instrumenti propria, cuius est modificatio et elevatio. Sed actio sacramentis propria est significare, actioni tamen significandi nulla competit causalitas physica, unde dicitur quod *significando causant*.

4. Sacramenta conferunt gratiam quando et ubi non existunt, nam quae cum obice recipiuntur, obice remoto conferunt gratiam (n. 57), et matrimonium valere potest etiam si per procuratorem ineatur aut consensus non renovetur. Atqui a) causa physica non agit nisi quando et ubi existit ; b) in praedictis casibus sacramenta non causant gratiam nisi dispositione in anima relicta ; ergo item in aliis casibus, quia SS. Patres eodem modo loquuntur de causalitate pro omnibus circumstantiis. Non ergo sunt sacramenta causae physicae ipsius gratiae.

5. Sacramenta eodem modo operantur ac Christus patrabat miracula. Atqui humanitas Christi solum signo vel gestu designabat quaedam imperio divino et ita producebat exigentiam ut in iis fierent miraculosa opera, divinitas ea physice efficiebat.

Ergo sacramenta non producunt nisi exigentiam in anima, ut in ea ipse Deus physice efficeret gratiam.

6. Patres comparant causalitatem sacramentorum generationi humanae. Sed parentes non faciunt nisi disponere materiam. Deus infundit principium vitae quod est anima. Ergo sacramenta non producunt nisi dispositionem ad principium vitae supernaturalis quod est gratia, Deus solus eam infundit.

Ita veteres supra citati ; recentius Billot eiusque discipuli, uti Van Noort, Hor. Mazzella, Richard, De Smet, Blondiaux, Leroux, Bittremieux, de la Taille qui tamen tenent causalitatem dispositivam intentionalem, dum alii adstruunt dispositivam physicam, ut Delval, De Bellevue et Gonthier.

B. Qui tenent sacramenta physice producere ipsam gratiam eamque directe et immediate attingere, ita respondent simul argumentando in contrarium :

1. Instrumenta dicuntur dispositive operari, sive ex parte rei operatae, in quantum efficiunt dispositionem praeviam, sive saltem ex parte modi operandi, modificando actionem principalis agentis ita ut non sint pura media sed vere agant ; unde non requiritur semper ut terminum distinctum ab effectu principali habeant.

2. Gratia proprie non creatur, sed educitur de potentia animae ; unde nihil impedit quod mediante instrumento causetur : efficere quidem gratiam virtute propria exigit potentiam divinam infinitam, non autem id facere potestate derivata et instrumentali.

3. In instrumentis creaturarum oportet ut actio accommodata sit effectui producendo, sed in instrumentis Dei actio non debet esse necessario accommodata, quia Deus actione cuiuscumque instrumenti potest quodcumque efficere. Et tamen exercendo actionem propriam, sacramenta agunt instrumentaliter : sicut dum aqua corpus tangit, simul cor abluit (q. 62, a. 1, ad 2).

4. In sacramentis divina virtus inest quae simul adest omnibus locis et temporibus ; insuper sacramenta valide recepta relinquunt in anima dispositionem aut vestigium, quo tamquam physico instrumento Deus uti potest ad gratiam postea conferendam[1].

5. Humanitas Christi physice cooperatur Verbo, et est instrumentum physicum in patrandis miraculis et producendis effectibus supernaturalibus. Ergo et sacramenta sunt physica instrumenta in productione gratiae.

6. SS. Patres, si eorum verba in sensu proprio et pleno sumantur, nequeunt intelligi nisi de vera virtute, efficacia, et causalitate physica. Quapropter haec causalitas omnino convenit excellentiae et dignitati Sacramentorum N. Legis qualis in Ecclesiae traditione celebratur.

Ita non solum Thomistae generatim post Caietanum, uti Iohannes a S. Thoma, Nugno Cabezudo, Sylvius, Salmanticenses,

---

1. Plures sunt modi reviviscentiae sacramentorum explicativi in sententia causalitatis physicae, ut videre est apud Billuart, Hugon, Marin-Sola, in *Divus Thomas*, 1925 ; Haynal, in *Angelicum*, 1927.

Gonet, Gotti, Billuart, sed etiam Suarez, S. Bellarminus, Valentia, Conimbricenses atque doctor sorbonicus Ysambertus ; novissime autem Oswald, Bucceroni, Matiussi, Hugon, Nepveu, Casajoana, Heinrich-Gutberlet et alii [1].

Ex quibus patet thomistas minime cogi ad relinquendam sententiam causalitatis physicae, sed eam ipsis videri posse probabiliorem, et quidem merito.

Articulus III.

De Sacramentorum Virtute causativa.

S. Th. III, q. 62, a. 4 et 5.

49. In sacramentis adest virtus instrumentalis divina ad producendos sacramentales effectus. — Virtus sacramentorum extollitur a Patribus ; et merito. Ad producendum enim effectum requiritur in omni causa quaedam virtus, quae in instrumento non est permanens sed communicatur ipsi per motum agentis principalis ; unde in sacramentis ad producendos spirituales effectus est virtus instrumentalis spiritualis, habens esse fluens, et transiens ex uno in aliud, et incompletum, sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens (a. 4).

Haec virtus diversimode intelligitur secundum diversum modum declarandi efficientiam sacramentorum. Ab aliquibus admittitur sola virtus ordinis intentionalis, quae tota dependet ab ordinatione intellectus, et inservit ad intentiones suas exterius manifestandas et deferendas sive speculativas sive practicas : sic verba, quibus lex promulgatur vel testamentum fit vel quis deputatur ad officium, sunt instrumenta quibus intellectus in alio causat obligationem, iura vel alias relationes morales. Iamvero talem virtutem aiunt sacramenta recipere participatam ab intellectu divino, ad causandum deputationem ad officia sacra, titulum vel ius quod gratiam exigit. — Ab aliis autem vis realis adstruitur ordinis physici, qui potius considerant virtutem intentionalem esse sacramentis extrinsecam atque insufficientem, cum ipsis videatur non transcendere rationem signi.

Ne autem existimetur virtutem spiritualem non posse inesse materiali signo : « Virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completae... Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scil. corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum ; sicut et in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum

1. Praesertim legi meretur Hugon in o. c., p. 47, nota 1.

hominis, in quantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem » (ad 1).

50. Sacramenta virtutem suam receperunt a Christo, et speciatim ab eius passione. — Duplex enim est instrumentum : unum separatum ut baculus, aliud coniunctum ut manus. Per instrumentum autem coniunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiae est Deus, ad quem cooperatur humanitas Christi sicut instrumentum coniunctum, sacramentum sicut instrumentum separatum. Et ideo oportet quod virtus salutifera a divinitate Christi per eius humanitatem in sacramenta derivetur (a. 5).

Sed liberatio a peccatis et sanctificatio quae fit per gratiam sunt ex meritis et satisfactionibus Christi ; ergo sacramenta specialiter habent virtutem ex passione Christi, et ideo ex latere Christi dicuntur fluxisse : aqua enim et sanguis repraesentant Baptismum et Eucharistiam, ad quae omnia sacramenta reducuntur (Cfr. Rom. VI, 3 ; Eph. V, 2 et 25-26).

51. Animadversio. — Virtus sacramentis conceditur

1° quodammodo *inchoative* et *in actu primo*, per institutionem Christi, et pro aliquibus per sanctificationem vel benedictionem materiae quae facta fuit a Christo, si ipsa sit usus, ut pro Baptismo, et Eucharistia, secus fit ab eius ministris, ut in Confirmatione et Extrema Unctione : hisce datur sacramentis quod possint sanctificare ;

2° *completive* seu *consummative* et *in actu secundo*, ex mandato Christi, quando nomine ipsius minister sacramenta applicat ad usum : tunc ipsis datur quod actu sanctificant.

52. Corollaria. — Ex praedictis intelligitur :

1° Sacramenta eodem modo causalitatis operari suos effectus ac humanitas Christi miracula patrabat vel peccata remittebat.

2° Protestantes nobis falso tribuere Deum non esse qui iustificat, sed sacramenta id facere propria virtute quam appellant *vim magicam*.

Articulus IV.

De Causalitate Sacramentorum V. Legis.

S. Th. III, q. 62, a. 6.

53. *Thesis I.* **Sacramenta V. Legis proprie non causabant gratiam.** — *Certum est.*

Probatur : 1° *Ex Scripturis.* Apostolus vocat ea *infirma et egena elementa* (Gal. IV, 9) : infirma quia mundare a peccato non poterant ; egena quia in se gratiam non continebant ; — non efficiunt nisi sanctitatem legalem, emundationem carnis, et nunquam valuerunt emundare conscientiam et perfectum facere servientem (Hebr. IX, 10-13) ; — quapropter iustificatio in V. T. data fuit vi fidei, sed nunquam vi legis i. e. vi operum, observantiarum, sacramentorum legis (Rom. III, 28), inter quae est ipsa circumcisio (IV, 9). Unde lex fuit reprobata propter infirmitatem eius et inutilitatem (Hebr. VII, 18).

2° *Ex Traditione :* Patres docent differentiam inter sacramenta V. et N. Legis, ut Augustinus, in Ps. 73, n. 2 : « Si discernimus duo Testamenta, Vetus et Novum, non sunt eadem sacramenta : N. L. sacramenta dant salutem, sacramenta V. L. praenuntiant salvatorem ». Quam differentiam postea declaravit C. Flor., decr. pro Arm. : « illa non causabant gratiam sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant » ; Trid. autem eam definit (sess. 7, can. 2), non tamen formaliter statuens in quonam praecise consistat.

3° *Ex ratione :* Sub V. Lege pretium gratiae nostrae, quod erat passio Christi, nondum erat solutum. Sed pretio nondum soluto, sacramenta in se virtutem ex passione Christi derivatam habere non poterant, sed solum erant signa passionis futurae, et sicut chirographus exhibens Christi meritorum promissionem. Ergo signa erant gratiae, non causae.

54. *Thesis II.* **In quibusdam sacramentis ante Christum conferebatur iustificatio et gratia a Deo.**

Probatur : a) Deus antecedenti voluntate sincera et operosa vult salutem omnium ; quae voluntas difficulter intelligeretur, nisi instituisset *remedium* seu ritum quo ante usum rationis iustificarentur parvuli a peccato originali. Quem ritum determinarunt homines interiori instinctu, Deo illum ratum habente ; at tempore Abrahae, pro masculis de ipsius genere institutum fuit sacramentum circumcisionis. b) Quod principium, prima occasione occurrente in controversia contra Pelagianos et Donatistas, explicite proposuerunt Augustinus et alii Patres post ipsum. Hinc c) multis iam saeculis id communi consensu admittitur in Schola, licet aliqui ut S. Bonaventura dixerint, extra casum circumcisionis, non requiri sacramentum externum sed sufficere fidem internam parentum. Unde d) Innocentius III, c. *Maiores* de Bapt., asserit originalem culpam remissam fuisse per [1] circumcisionis mysterium.

Atqui quod in voluntate Dei salvifica habet fundamentum, a SS. Patribus explicite fuit declaratum, ab omnibus theologis admissum et auctoritate S. Sedis firmatum, nequit negari sine temeritate. Ergo.

55. *Thesis III.* **In sacramentis V. Legis gratia conferri poterat mediante fide in futurum Redemptorem,**

1. Intellige tanquam per medium, non tanquam per causam.

cuius fidei erant signa protestativa. — Christus est caput populi redemptorum, unde omnes sanctificantur per eius influxum qui ad nos pervenit per sacramenta. In N. Lege per ipsa potest Christus operari sicut causa efficiens, quia ab ipso fuerunt instituta ; quod non potuit in V. Lege, quia causa efficiens nequit esse suo effectu posterior. Ergo non potuit influere Christus nisi per modum causae finalis quae praecognoscitur et desideratur ; et ideo sacramenta V. Legis non erant nisi *signa praefigurativa* passionis et redemptionis Christi, et *signa protestativa fidei* et spei in desideratum Redemptorem eiusque merita.

Et quidem :

1° Adulti aggregabantur populo Dei et sanctificabantur, vi meritorum Christi, *ex opere operantis* i. e. actibus fidei, spei et charitatis quos exercebant et manifestabant in sacramentis, et ad quos haec excitare poterant.

2° Parvuli autem, per actus aliorum sacramentum applicantium, et nomine ipsorum fidem confitentium, aggregabantur populo fideli, cuius fides ipsis applicabatur, ut iam inter fideles a Deo reputarentur. Haec *fides populi* in Christum erat medium quo unirentur meritis Christi, propter quae Deus ipsis gratiam dabat : sacramentum ergo non erat vera causa, sed mera conditio sine qua non dabatur iis gratia, et signum repraesentans merita Christi futura, propter quae gratia conferebatur a Deo. « Et ideo, ait S. Thomas, ad 3, in circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum passionis Christi futurae ». Hoc sensu ab aliquibus dicitur in circumcisione conferri gratiam *quasi ex opere operato*, scil. non active, sed *passive*.

QUAESTIO TERTIA.

DE TEMPORE QUO GRATIA CAUSATUR A SACRAMENTIS.

S. Th. III, q. 69, a. 10 ; suppl. q. 9, a. 1.

56. Notiones. — *Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem ;* quam formulam erronee explicant Protestantes, ac si catholici docerent ipsum opus externum iustificare absque fide aut bono motu interno seu dispositione operantis, dummodo in ipso non adsit actualis dispositio contraria, sed negative sese habeat. — At catholici omnes docent obicem non tantum esse actum contrarium, sed etiam statum habitualis adhaesionis ad peccatum, ad quem removendum requiruntur actus supernaturales fidei, spei et contritionis imperfectae, qui actus, *licet non sint causa gratiae* cum non influant in ipsius productionem, tamen *sunt conditio sine qua non* producere-

tur, quia removent id quod infusionem gratiae impediret. Imo quo maior est vel minor illa dispositio, eo maiorem vel minorem gratiam confert sacramentum (n. 40) : eodem modo ignis efficacius lignum comburit quod sit magis siccum, licet siccitas sit mera conditio removens prohibens, et non sit causa efficiens combustionis.

Ad quod bene intelligendum, definiendum est quid sint *fictio* et *obex* in sacramentis.

A. *Fictio* idem est ac simulatio : consistit in hoc quod aliquis dicto vel facto ostendit quod non est in rei veritate. Est duplex :

1° *essentialis*, quando aliquis fingit se velle suscipere sacramentum dum non vult : haec reddit sacramentum invalidum ;

2° *accidentalis*, quando aliquis recipit sacramentum sine debita dispositione sed cum obice : qui enim sacramentum recipit ostendit se velle percipere gratiam, unde si voluntas eius maneat peccato adhaerens, aliud ostendit quam sit in rei veritate, et sic est fictio qua fingit se ad effectum sacramenti esse dispositum dum non est : tunc sacramentum est validum, sed informe i. e. sine fructu seu forma gratiae.

B. *Obex* est duplex :

1° obex *positivus*, *contrarius* seu *formalis* est carentia, plene voluntaria et graviter culpabilis, dispositionis requisitae ad gratiam sacramenti, v. g. carentia fidei aut contritionis imperfectae; scil. peccatum indignae susceptionis sacramenti seu actus hic et nunc positus contrarius infusioni gratiae ;

2° obex *negativus* seu *materialis* est carentia inconscia dispositionis necessariae ad gratiam sacramenti, ex ignorantia vel oblivione non graviter culpabili, seu solus status adhaesionis ad peccatum.

Distingui quoque potest : *obex simpliciter*, qui, ut diximus, impedit effectum sacramenti principalem, ipsam gratiam ; et *obex secundum quid*, qui impedit solum effectum quemdam secundarium.

57. Principia. — I. *Sacramenta non operantur ex opere operato antequam realiter suscipiantur.* Causa enim efficiens non operatur antequam existat ; unde si quis cum contritione perfecta habet desiderium seu votum sacramenti, gratiam gratum facientem recipit ex opere operantis, non tamen id quod est res et sacramentum, nec gratiam sacramentalem.

II. *Sacramenta suscepta invalide propter fictionem essentialem nihil unquam producunt*, quia revera non sunt sacramenta.

III. *Sacramenta valide suscepta efficiunt :*

a) *id quod est res et sacramentum eo tempore quo suscipiuntur*, secus enim non haberent suam significationem ; excipitur Eucharistia in qua res et sacramentum, scil. Christus, existit praesens ante susceptionem.

b) *item gratiam gratum facientem et sacramentalem, si non adest obex ;*

c) *si obex adsit, dummodo et quamdiu manet res et sacramentum, conferunt hanc gratiam momento quo obex removetur, et quidem toties quoties peccator iustificatur.* Ratio est quia sacramenta operantur ad normam causarum naturalium, quae si impediuntur a producendo effectu propter obicem, statim remoto obice effectum consequuntur, dummodo in subiecto relicta sit dispositio ad illum. Atqui sacramenta transacta relinquunt in anima dispositionem quae exigit gratiam. Ergo remoto obice, gratiam conferunt quamdiu manet dispositio illam exigens ; et hoc appellant theologi *reviviscentiam sacramentorum.* Consistit ergo reviviscentia in eo quod sacramentum validum sed informe propter indispositionem subiecti, hac indispositione sublata, obtineat effectum suum, scil. gratiae, primarium vel secundarium.

Removetur obex : 1° *negativus*, *per se* dispositione cuius carentia obex fuit, i. e. sola contritione imperfecta, ut dictum est n. 39 ;

2° *per accidens* si superveniat peccatum mortale, removetur tantum contritione perfecta, vel contritione imperfecta cum novo sacramento : ratio est quia nullum sacramentum habet virtutem remittendi peccatum post ipsum commissum ;

3° *positivus seu contrarius* obex hoc etiam modo removetur, contritione scil. perfecta, vel imperfecta cum novo sacramento : fictio enim, quatenus impedit effectum sacramenti, est sacramento, sicut ipse effectus, natura posterior ; ergo hoc sacramento peccatum fictionis seu indignae susceptionis non remittitur.

58. Corollaria. — Ex principio posito sequitur :

1° Baptismum, Confirmationem et Ordinem reviviscere durante tota vita, quia relinquunt dispositionem permanentem in anima, characterem. Quod extra omne dubium est pro Baptismo, quia remotio originalis peccati est absolute necessaria ad salutem, et neque sacramento Poenitentiae, neque iterato Baptismo, neque ideo huius voto obtineri potest.

2° Eucharistiam non reviviscere, quia sacramento transacto, nihil remanet in anima; quodsi aliquis dolendo de peccatis antequam species corrumpantur, gratiam consequeretur, non esset reviviscentia quia sacramentum adhuc adest.

3° Extremam Unctionem et Matrimonium reviviscere durante eadem aegritudine vel eodem coniugio : tamdiu enim remanet res et sacramentum. Ita sententia longe communior.

4° Poenitentiam *probabiliter* reviviscere, casu, qui a pluribus theologis habetur ut possibilis, quo contritio habeatur sufficiens ut pars sacramenti, sed insufficiens ut dispositio ad gratiam : reviviscit quando dispositio sufficiens ad gratiam accedit, sed semel tantum, quia ita ius ad remissionem peccati absolutione concessum iam est exhaustum.

CAPUT II.

DE EFFECTU SECUNDARIO : CHARACTERE.

QUAESTIO PRIMA.

DE EXISTENTIA CHARACTERIS.

S. Th. III, q. 63, a. 1.

59. Character (a voce graeca χαρακτήρ[1] i. e. figura, signaculum, nota ; *merkteeken*) est spirituale signaculum, a ceteris distinctivum, indelebiliter animae impressum, quo homo deputatur et consignatur ad quaedam officia cultus christiani.

Dicitur : 1) *signaculum*, quod licet de se non sit sensibile, nobis tamen est signum ratione ritus externi quo confertur ;
2) *spirituale*, tum ratione potestatis quae traditur ad divina, tum ratione subiecti in quo recipitur ;
3) *indelebile :* est proprietas quae characteri convenit, quia est consecratio quaedam spiritualis quae tamdiu remanet quamdiu eius subiectum ;
4) *animae impressum :* non ipsum Dei Verbum, ut erronee dixit Rosmini[2], sed quid creatum in anima ; quod tamen non intelligendum de ipsa animae essentia sed de eius facultate ;
5) *quo homo deputatur ad officia cultus christiani :* continet character aptitudinem seu potestatem divina suscipiendi aut agendi ;
6) *a ceteris distinctivum :* cum sit signaculum, munus habet distinguendi coram Deo quidem et angelis, et etiam coram hominibus, ratione visibilis sacramenti quo imprimitur.

60. *Thesis.* **Quaedam sacramenta animae imprimunt characterem seu spirituale signaculum a gratia distinctum.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 7, can. 9 confirmante Conc. Flor., et sess. 23, c. 4 et can. 4, contra Wicleff qui aiebat characterem Scripturae et Patribus ignotum, et contra Protestantes qui dicunt Innocentium III illum excogitasse.

1. Patres graeci tamen non utuntur hac voce sed termino : σφραγίς, sigillum, a verbo σφραγίζειν, obsignare, sigillare, quod etiam adhibetur in Scripturis.
2. Prop. 28 damn.

Doctrina non clare eruitur ex Scripturis, quamvis affirment christianos *sigillari*, quod videtur de sacramentis intelligendum (II Cor. I, 21-22 ; Eph. I, 13 ; IV, 30); nec ex primitiva traditione ; quia omnes textus intelligi de gratia sacramentali stricte possent.
1) Patres ab initio agnoscunt sigillum impressum quod homines notat et distinguit coram Deo et angelis, quod comparant characteri quo notantur milites in corpore vel oves in dorso, cum obsignatione monetae, et annuli in cera, aut cum nota circumcisionis : per hoc sigillum signantur fideles ut pertinentes ad familiam et gregem Dei[1]. Attamen non semper sigillum Patres sufficienter distinguunt a gratia sacramenti, nec omnes habent illud ut inamissibile.
2) A saec. IV magis explicite illud explicant, atque indelebile dicunt, infragile, ac indissolubile quod nullo conatu frangi potest[2].
3) Denique aiunt illud esse separabile a gratia, nec in se mutari cum gratia amittitur[3]. Ita doctrina quae initio implicite latebat et obscure proferebatur, postea explicite et clare fuit proposita ; sed ab initio in ipsa Ecclesiae praxi erat certo contenta.

Probatur : 1° Ex praxi Ecclesiae : Quaedam sacramenta semel valide collata, semper ab initio Ecclesiae habita fuerunt ut initerabilia ; nulla autem huius rei ratio esse potest nisi quia characterem imprimunt indelebilem, ut argumentatur Augustinus, in Ps. 39.

Probante scil. tota Ecclesia, defendit contra Donatistas : a) sacramentorum validitatem non pendere a bonitate ministri, sed vera sacramenta dispensari ab haereticis et schismaticis ; b) quaedam sacramenta sine sacrilegio iterari non posse, etiam in iis qui ea ab haereticis acceperunt ; c) rationem initerabilitatis

1. Hermas, simil. VI, 3 ; IX, 16 ; 2ª Clem. VIII, 6 ; Tertull., de spectaculis, 24 ; de res. carn. 8 ; Cl. Alex., Quis dives salvetur, 42 ; Strom. II, 3 ; Hippol., de Christo et Antichristo, 6 ; Cypr. ep. 73 ; Cyr. Hier., Cat. I, 2-3 ; XVIII, 33 ; XXI, 7 ; XXII, 7 ; Chrys. in II Cor., l. III, n. 7 ; hom. 2 in Eph. n. 1 ; Ambr. de myst. 42 ; de Sp. s° 1. Ita pro Baptismo : Hermas., 2ª Clem., Cl. Alex., Tertul., Cypr., Bas., Cyr. Hier. ; pro Confirmatione : Cl. Alex., Tertul., Cypr., Cyr. Hier., Ambr. ; pro Ordine : Greg. Nys., in Bapt. Christi.
2. Bas. in S. Bapt. 4-5 ; Greg. Naz. or. in Bapt. ; Greg. Nys. or. in Bapt. 11 ; Cyr. Hier. procat. 16, 17 ; Const. apost., III, 16.
3. Ambr., de Sp. s. 1 ; Bas. et Greg. Naz., l. c., et praesertim Augustinus.

esse quod sacramenta habent effectum infrustrabilem, characterem indelebilem. In qua controversia Augustinus appellare potuit ad sensum totius Ecclesiae et ad consuetudinem universalem.

2° *Ratione convenientiae :* Sacramenta deputant homines ad aliquas functiones spirituales et sacras. Atqui ille qui ad aliquid deputatur, consuevit ad illud consignari, sicut milites solebant notis corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad militiam corporalem. Ergo conveniens est quod in sacramentis charactere spirituali insigniantur fideles.

Confirmatur : Sicut lex nova non tantum externe, sed participatione naturae divinae nos interne reddit sanctos et filios Dei adoptivos, ita ad eius perfectionem pertinet ut non tantum ordinatione extrinseca rationis, sed etiam intrinseca et inhaerente consecratione et obsignatione ad divina deputemur et participes simus divinae potestatis [1].

QUAESTIO SECUNDA.

DE ESSENTIA CHARACTERIS.

S. Th. III, q. 63, a. 2, 3, 4 et 5.

61. Character non est quid rationis, vel mera relatio, sed qualitas realis et absoluta, non quidem habitus sed potentia. — Etenim :

1° *Non est mera ordinatio seu relatio rationis*, sed etiam est aliquid physicum, uti constat a) ex Conciliis quae illum dicunt animae *inhaerentem* et *impressum;* b) ex SS. Patribus qui illum comparant notae seu characteri corporali, quem imprimebant corpori illorum qui adscribebantur militiae ; c) ex consensu omnium Theologorum, uno excepto Durando. Unde sine nota temeritatis non posset negari.

2° *Non est mera relatio :* licet enim realem relationem includat ut signum, distinctivum et configurativum Christo, harum relationum oportet esse reale fundamentum.

3° *Non est habitus*, quia habitu bono nullus potest male uti ; sed charactere potest quis male uti, sicut sacerdos dum sacrilege consecrat ; ergo character non est habitus.

4° *Est potentia*, qua aliquis fit capax ad officia divini cultus.

1. S. Thomas, in IV Sent., d. 4, q. 1, a. 2, qc. 2, ad 3.

Probatur : Charactere deputamur ad cultum divinum qui consistit in divina recipiendo et aliis tradendo. Sed ad utrumque requiritur potentia, sive receptiva sive activa. Ergo character est potentia.

62. Characteris potentia est ministerialis et instrumentalis. — Habere characterem competit ministris Christi ; sed minister se habet per modum instrumenti in quantum, *ut servus* domini, deputatur ad aliqua officia ; ergo potentia characteris est sicut virtus instrumentalis, non completa, sed participata. Cum autem character sit potentia ordinans ad actus cultus, S. Thomas concludit ipsum non residere in essentia animae, sed in potentia ; et quidem in intellectu practico, quia cultus est professio fidei.

Potentiam illam non uno modo theologi explicant, sed secundum diversas suas opiniones de causalitate sacramentorum. Qui defendunt causalitatem moralem aut intentionalem, dicunt in charactere tradi potentiam *moralem*, quae non confert simplex posse recipere vel tradere sacra, sed id *posse ex officio* et tamquam minister Christi ad hoc deputatus, licet illa deputatio quandoque sit conditio requisita ad validitatem ; haec tamen potentia non conceditur nisi cum signaculo spirituali quo anima physice ut minister Christi signatur. Unde duplex elementum in charactere admittunt realiter distinctum.— E contra qui tenent causalitatem physicam, docent characterem esse potentiam *physicam*, et praeterea nihil, quae dat *simplex posse, nempe sacra posse valide aut convenienter recipere vel conferre.*

63. Character importat triplicem relationem. —
1° Est *signum* gratiae cuius infusionem a Deo postulat : in N. Lege enim sine gratia nullus convenienter exercere potest officium cultus.

2° Est signum *distinctivum :* actiones characteris sunt exercendae in Ecclesia visibili ; unde debet innotescere fidelibus. Sed ex natura sua est invisibilis. Ergo non est signum distinctivum, nisi propter necessariam suam connexionem cum sacramento externo, quatenus hoc posito habetur character, et hic nequit haberi extra sacramentum.

3° Est signum *configurativum Christo :* sicut moneta configuratur regi cuius imaginem fert, ita character sacramentalis est *participatio potestatis sacerdotalis Christi*, qua

ipsi assimilamur et configuramur. Etenim character est participatio potestatis illius cuius auctoritate deputantur fideles ad officia sua ; sed hoc facit Christus in quantum habet plenitudinem sacerdotii, et est auctor et institutor totius cultus ; ergo.

Cum Christus non habeat participationem sed plenitudinem sacerdotii, in ipso non est character.

64. Character est indelebilis, non tantum in praesenti vita, quod est *de fide* ex *definitione* C. Trid., sess. 7, can. 9, et constat ex initerabilitate trium sacramentorum quae a Patribus per characterem explicatur ; sed etiam in futura vita, quod est communis doctrina quae videtur certa.

Probatur : Quod non habet causam corruptionis, a Deo conservatur in esse. Sed character nequit corrumpi, neque ex parte subiecti quia anima est immortalis ; neque ex parte causae principalis, quia Christus manet sacerdos in aeternum ; neque ex parte sui, quia non habet contrarium.

Confirmatur : Character est quaedam consecratio ; sed res Deo consecrata v. g. oleum, altare, etc. semper manet talis quamdiu existit integra ; ergo.

In beatis remanet ad gloriam, sed ordinatur ad alios actus coelesti hierarchiae proprios ; in damnatis remanet ad ignominiam : ex ipso enim iustior apparebit damnatio eorum qui tantum munus neglexerunt.

QUAESTIO TERTIA.

DE SACRAMENTIS QUAE CHARACTEREM IMPRIMUNT.

S. Th. III, q. 63, a. 6.

65. *Thesis.* **Tria sacramenta imprimunt characterem.** — Est *de fide* ex C. Trid. sess. 7, can. 9, definiente doctrinam iam explicite affirmatam a C. Flor., decr. pro Armenis.

Probatur : 1° *Ex Traditione* quae tantum Baptismum, Confirmationem et Ordinem omnino initerabilia agnoscit, quia haec sacramenta *in nobis haerent et manent;* atqui sacramentum externum non manet nec est in homine ;

ergo manet res et sacramentum. Sed res et sacramentum quod perpetuo hominem signat est character. Ergo.

2° *Ex ratione theologica :* Character imprimitur iis sacramentis quibus homo deputatur ad speciale officium cultus publici. Atqui hoc non fit per Poenitentiam et Extremam Unctionem, quae contra accidentalem defectum peccati instituuntur ; nec in Matrimonio quod deputat ad officium domesticum ; nec in Eucharistia quae non ordinat hominem ad aliquid perfectius, sed ipsa est omnium finis et consummatio. Ergo tantum in Baptismo, Confirmatione et Ordine, quibus homo deputatur ad divina ex officio vel recipienda, vel defendenda, vel ministranda.

66. Animadversio. — Per characterem Baptismi, homo consecratur *servus Christi* et membrum Ecclesiae, et accipit potestatem passivam recipiendi sacramentaliter quaecumque sacra.

Per characterem Confirmationis consecratur *miles Christi*, et accipit potestatem partim activam fidem Christi ex officio profitendi, partim passivam aptius recipiendi alia sacramenta et praecipue Ordinem.

Per characterem Ordinis consecratur *sacerdos Christi* et dux in Ecclesia, et accipit potestatem activam conficiendi et ministrandi sacramenta.

Unde, sicut Christus est rex, propheta et sacerdos, ita in Ecclesia Christi triplici potestate Christi dotata, per Baptismum configuramur Christo regi, quatenus efficimur eius servi ; per Confirmationem configuramur Christo magistro et prophetae, cum insigniamur milites fidei quam ipse docuit ; per Ordinem formaliter configuramur Christo sacerdoti et efficimur eius ministri et dispensatores mysteriorum Dei.

QUARTA PARS.

DE CAUSA SACRAMENTORUM.

67. Materia tractanda.— Causare sacramentum non est simpliciter determinare signum sacramentale seu materiam et formam, sed est ipsis dare virtutem significandi et efficiendi, quod potest fieri dupliciter : 1) *per auctoritatem* i. e. tamquam *causa efficiens principalis*, potestate propria ab alia superiore non derivata ; 2) *per ministerium* i. e.

tamquam *causa instrumentalis*, seu potestate a superiore derivata, quae est iterum duplex : a) *ministerialis principalis*, quae habet quamdam principalitatem respectu aliorum instrumentorum, et b) *simpliciter ministerialis*, quae est immediate ministrans.

Porro qualiscumque potestas considerari potest sive *in institutione*, sive *in dispensatione* sacramentorum. Praeterea ad existentiam sacramenti requiritur subiectum capax susceptione, quod est *causa materialis*. Hinc dicemus : 1. de causa instituente, 2. de causa ministrante, 3. de causa suscipiente.

QUAESTIO PRIMA.

DE CAUSA INSTITUENTE.

S. Th. III, q. 64, a. 1, 2, 3, 4.

68. *Principium I.* **Solus Deus est causa principalis, potestate auctoritatis tum instituens sacramenta, tum in ipsis operans.** — *Certum est.*

Probatur : Ille instituit aliquid quod dat ei robur et virtutem, sicut patet de institutionibus legum. Sed virtus sacramenti est a solo Deo. Ergo solus Deus potest instituere sacramentum. Prob. min. : Solus Deus potest operari in anima, et solus ut causa principalis potest conferre sive gratiam, quae est participatio eius naturae, vel ius ad illam, sive virtutem instrumentalem eam causandi. Unde solus Deus valet propria potestate instituere sacramentum, et virtutem illi communicare conferendi gratiam (a. 1 et 2).

69. *Principium II.* **Christus ut homo habet potestatem ministerialem principalem in sacramenta,** in quantum operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie et efficienter.

Probatur : Christus 1) ut caput totius humanitatis, ex plenitudine gratiae aliis meruit gratias salutis et ita contulit merita quae in sacramentis applicantur, et 2) unione hypostatica est instrumentum Deo coniunctum, dum alii ministri sunt instrumenta separata. Unde in genere causae

ministerialis habet quamdam principalitatem respectu aliorum ministrorum, quae vocatur *potestas excellentiae* (a. 3).

Haec consistit in quatuor : 1) in hoc quod meritum et virtus passionis Christi operatur in sacramentis (I Tim. II, 5, 6; Eph., V, 2), et ideo 2) sacramenta nomine eius ministrantur (Ioh. I, 33 ; Act. II, 38 ; I Cor. I, 13) ; unde 3) convenientissime ipsi relicta est potestas ea instituendi, et 4) ipse potuit effectum eorum etiam sine ipsis conferre (Lc. V, 20 ; VII, 48 ; XXII, 19 ; Mt. IX, 2).

70. *Principium III.* **Christus instituit omnia sacramenta N. Legis.**— Est *de fide* definitum a C. Trid., sess. 7, can. 1, contra Reformatores ; et constat etiam ex prop. damn. 39 et 40 Modernistarum.

Assertio intelligenda est de institutione saltem mediata, quia Concilium non plus intendebat definire, dum nolebat damnare theologos id defendentes [1].

At sufficienter *certum* est Christum immediate per seipsum instituisse omnia sacramenta nec apostolis contulisse, generali quodam mandato et indeterminate, potestatem ex propria auctoritate determinandi sacramenta pro libitu secundum speciem et numerum ; sed ipsum determinasse singula sacramenta, i.e. septem signa cum aliquali gratia speciali, et quidem ad proprium finem. Qui tamen diceret Christum non omnia sacramenta per seipsum revelasse apostolis, sed quaedam mediante Spiritu sancto post ascensionem, licet ista sententia nulli argumento nitatur solido, non tamen certo affirmaret aliquid quod iam ab Ecclesia iudicatur erroneum in sacra doctrina [2].

1. Constat ex historia Concilii et ex testimonio illorum qui interfuerunt Concilio, uti Ruardi Tapper et Dominici Soto. Cfr. De Baets, in *Revue Thomiste*, mars 1906.

Inter scholasticos citantur plures qui pro quibusdam sacramentis videntur admisisse institutionem mediatam, uti Hugo Victorinus, Mag. Sententiarum, Alexander Alensis et S. Bonaventura pro Extrema Unctione ; Gulielmus Altissiodorensis, Alexander Alensis et S. Bonaventura pro Poenitentia ; S. Bonaventura iterum et Alexander pro Confirmatione. Quidam tamen eos benigne intelligunt de revelatione seu manifestatione institutionis per Spiritum sanctum ; alii de ultima determinatione materiae et formae. Quod ita intelligi possint, non videtur certum, saltem pro omnibus.

2. Non tamen probandus est modus loquendi aliquorum modernorum asserentium Christum quaedam sacramenta solum instituisse in suis principiis. Modus dicendi est aequivocus; imo falsus, si intenderent ea *tantum* fuisse instituta *virtualiter*, quasi conclusiones quae solum postea e principiis noscuntur deducibiles et deducuntur. Tunc enim non essent formaliter revelata.

Probatur : 1) *Ex documentis revelationis :* Si Christus alicui dedisset potestatem sacramenta instituendi, id maxime fecisset Apostolis. Atqui hi declarant se esse tantum ministros et dispensatores mysteriorum (I Cor. I, 12 ; III, 5 ; IV, 1). Ergo. — Unde Ambrosius, de Sp. s°, I, prol., 18 : « Nostra enim sunt servitia, sed tua (Christe) sunt sacramenta ». Et Augustinus, in Ioh., tr. 5, ostendit sacramentum non pendere a dignitate ministri, quia est sacramentum Christi.

2) *Ex Conc. Trid.* quod Ecclesiae denegat potestatem mutandi sacramentorum substantiam (sess. 21, c. 2) ; huius autem nulla esset ratio, si apostolis aut Ecclesiae tradita fuisset a Christo potestas instituendi sacramenta.

3) *Ex ratione :* Sacramenta pertinent ad ipsam constitutionem Ecclesiae et sunt fundamenta N. Legis ; ergo institui debuerunt ab ipso fundatore et institutore N. Legis, Christo ; uti iam animadvertit Dionysius mysticus, in libris de coelesti Hierarchia, I et de Hierarchia ecclesiastica, I.

71. Christus sacramenta instituit variis in adiunctis et temporibus :

1° Eucharistiam et Ordinem in ultima coena.

2° Baptismum, dum in Iordane contactu suo aquas sanctificavit et virtutem sanctificandi ipsis contulit, unde etiam ipse postea baptizavit (Ioh. III, 22) ; at praeceptum Baptismi non imposuit nisi post resurrectionem (Mt. XXVIII, 19).

3° Poenitentiam in die resurrectionis (Ioh. XX, 23).

4° Matrimonium probabiliter dum benedixit nuptiis in Cana Galilaeae (Ioh. II), sed legem indissolubilitatis indicavit Mt. XIX, 6, 9.

5° Confirmationem et Extremam Unctionem non ministravit, quia plenitudo gratiae non erat concedenda ante adventum Spiritus sancti, nec immediata praeparatio ad introitum gloriae ante Christi ascensionem ; sed a) Confirmationem instituit promittendo Spiritum sanctum (Ioh. XIV, 17) ; b) Extremam Unctionem adumbrando futuram eius institutionem (Mc. VI, 13) et post resurrectionem cum apostolis loquens de regno Dei ad cuius constitutionem pertinent sacramenta (Act. I, 3) ; at c) promulgatae non fuerunt nisi per apostolos.

72. Animadversio. — Potuisset Christus potestatem excellentiae communicare ministris, nam potuisset mero homini tantam plenitudinem gratiae concedere ut meruisset de condigno pro omnibus aliis gratiam per sacramenta dispensandam, ut

docet S. Thomas, a. 4. At de facto illam sibi reservavit, « propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur, sicut apud illos qui dicebant : *Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephae* (I Cor. I, 12) » (ad 1).

QUAESTIO SECUNDA.

DE CAUSA MINISTRANTE.

Articulus I.

De Variis Sacramentorum Ministris.

S. Th. III, q. 64, a. 3 et 7.

73. **Christus ut homo est minister principalis conficiens et dispensans sacramenta,** non quidem per seipsum, sed per visibiles legatos qui, potestate ab ipso recepta, nomine eius visibilia sacramenta agunt. Constat ex variis locis Scripturae (Ioh. I, 33 ; Eph. V, 25 ; I Cor. I, 12 ; Mt. XXVIII, 19) et ex ipsa forma Eucharistiae.

Hinc non solum Christus et ipsa sacramenta, verum etiam ministri sunt verae causae instrumentales sanctificationis. Et ideo sicut ipsa signa sacramentalia, ita etiam potuit Christus determinare personam seu ministrum a quo signa efficerentur, et quidem ita ut hac persona ministri deficiente, signum non esset validum nec suos produceret effectus. Unde illi sunt ministri *secundarii* qui determinantur a Christo institutore.

74. **Ministri secundarii** de facto sunt :

1° Lege *ordinaria* homines *viatores*, utpote Christo simul et suscipientibus similes, ratione utentes, quos solos Christus alloquitur, dum in Evangelio de ministris agit (Cfr Mt. XXVIII, 19 pro Baptismo ; Lc. XXII, 19 pro Eucharistia ; Ioh. XX, 23 pro Poenitentia ; Iac. V, 14 pro extrema Unctione ; I Cor. IV, 1 sq. et Eph. IV, 8 sq. generatim) ; — non autem Angeli vel animae separatae, quamvis extraordinarie Christus ipsis hanc potestatem possit tribuere: non enim virtutem suam allegavit ministris vel signis.

2° *Non* tamen *omnes viatores*, sed ministri *ordinarii* et *solemnitatis*, ex officio agentes, sunt illi qui *specialiter* ad

hoc sunt *consecrati* per sacramentum Ordinis, ut definit C. Trid., sess. 7, can. 10 contra Protestantes (Eph. IV, 11). Excipitur Matrimonium, in quo sunt contrahentes.

3° Minister *extraordinarius* et *necessitatis* potest esse laicus in Baptismo et in distributione Eucharistiae.

Notetur neminem posse sibi ministrare sacramentum, excepta Eucharistia.

Articulus II.

De Fide et Sanctitate Ministri ad Licitam Ministrationem requisitis.

S. Th. III, q. 64, a. 5, 6, 9 et 10.

75. *Principium I.* **Ad** *validitatem* **sacramenti, in ministro non requiritur fides nec sanctitas.** — Hoc ultimum est *de fide*, ex Conc. Trid., sess. 7, can. 12; primum autem est de fide pro Baptismo ex Trid., sess. 7 de B., can. 4, pro aliis sacramentis est *theologice certum* ex communi consensu Ecclesiaeque praxi, et deducitur ex similibus argumentis ac pro Baptismo.

Probatur : 1) Si fides vel sanctitas requireretur, id esset vel ex natura sacramenti et potestatis ministerialis, vel ex positiva voluntate Christi. Atqui :

A. Non primum : Sacramenta non operantur ex virtute meritorum vel fidei ministri, sed virtute divina et ex meritis Christi (Ioh. I, 33 ; I Cor. III, 4, 5, 7 ; I, 13). Haec autem nequeunt impediri malitia hominis, etiam ministri. Ergo non requiritur ipsius fides vel sanctitas ex natura sacramenti vel potestatis ministerialis.

« Ministri, ait S. Thomas, instrumentaliter operantur in sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est ministri et instrumenti... Instrumentum non agit secundum propriam formam et virtutem, sed secundum virtutem eius quo movetur. Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, praeter id qoud exigitur ad rationem instrumenti ; sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum... Unde ministri Ecclesiae possunt sacramenta conferre, etiamsi sint mali » (a. 5). « Sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis charitas, ita et fides. Unde sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti quod minister sit in charitate..., ita non requiritur ad perfectionem sacramenti fides eius ; sed infidelis potest verum sacramentum praebere, dummodo cetera adsint quae sunt de necessitate sacramenti » (a. 9).

B. Nec requiritur positiva voluntate Christi, ut probatur ex perpetua traditione. Constat :

a) ex controversia disciplinari inter S. Cyprianum et S. Stephanum R. P. : ille, secundum consuetudinem introductam ab episcopo Agrippino, uno ex praedecessoribus, rebaptizabat baptizatos ab haereticis et schismaticis, quia haec sacramenta habebat ut invalida ; contra quem S. Stephanus, invocans usum communem Ecclesiae rebaptizare prohibuit, imo excommunicatione minatus est S. Cyprianum ;
b) ex controversia dogmatica, habita saeculo IV, inter S. Augustinum quem probavit tota Ecclesia, et Donatistas qui invalida habebant sacramenta collata a peccatoribus, saltem publicis ;
c) ex Conciliis Arel. (314) can. 8 ; Nic. I (325), can. 8 et 19 ; et Const. I (381), can. 7, quae aliquos haereticos admitti sine rebaptizatione *iubent;* ex C. Carth. I (348) et Laod., can. 78 ; Const. sess. 45, a. 4 Wicleff, et a. 22 prof. fid. pro Wicleffitis et Hussitis ; item decretis Innoc. III in prof. fidei pro Waldensibus ; Iohannis XXII contra Fratricellos ; Eugenii IV in decr. unionis.

2) Si nullus sine interiore fide et sanctitate valide conferret sacramenta, perpetua apud fideles esset incertitudo et anxietas salutis.

Notetur sacramentum Poenitentiae, extra articulum mortis, invalide ministrari a schismaticis et haereticis, non ex defectu fidei sed ex defectu iurisdictionis.

76. *Principium II.* **Ad** *liceitatem* **confectionis et ministrationis sacramenti, in ministro requiritur status gratiae,** imo peccatum mortale sacrilegii committit ille qui in statu peccati mortalis a) *ut minister*, b) *agens ex officio* ad quod consecratus fuit, c) ponit *actionem sacramentalem* qua ministerialiter sanctificat. — *Certum* est.

Probatur : 1) *Ex Rituali* romano, quod expresse id asserit, tit. I, n. 3 et 4 :

« Cum in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, Parochus vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni fere

temporis momento ad tam sanctae administrationis officium paratum esse oportere. Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat ; nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si sit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad Sacramentorum administrationem ne audeat accedere, nisi prius corde poeniteat ; sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri ».

2) *Ex ratione :* Gravis est irreverentia erga Deum et sacramenta, esse Deo instrumentum immundum ad sanctissimos effectus producendos, nam rectus ordo postulat ut minister deputatus, vi officii sui, conformetur tum Domino, iuxta Lev. XIX, 2 : Sancti estote, quoniam ego sanctus sum ; tum sanctitati rei quam perficit. Irreverentiam scil. committit qui nomine Christi cum Deo pro salute agit hominum, dum ipse Dei inimicus est.

Unde S. Thomas : « Non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte peccatoris, — licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint, — consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale [1] » (a. 6).

At deficiente una ex tribus conditionibus praedictis, non probatur *gravitas* peccati cum sufficiente certitudine ; est tamen veniale, quia sacrum officium exercere in statu peccati includit semper aliquam irreverentiam.

77. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

1. Minister in statu peccati a) solemniter baptizans sacrilegium mortale committit ; b) baptizans privatim, non probatur peccare mortaliter, quia non agit ex officio, ut minister, sed ut quivis christianus ; c) a fortiori si obstetrix vel laicus in casu necessitatis baptizaret.

2. Ministrans in statu peccati Poenitentiam, Extremam Unctionem, Confirmationem vel Ordinem, peccat mortaliter, quia semper se exhibet ut ministrum. Non peccaret tamen, si in casu improviso tempus non superesset eliciendi actum contritionis perfectae, vel confitendi antequam administret sacramentum

1. Quantum est ex parte ipsius ministri, ait Caietanus, maculatur actio illa, quoniam tractatur ut profana, non ut sacra. Manducans sacrilege corpus Domini non discernit ab aliis cibis sed sumit ipsum ut cibum profanum, ait Paulus ; idem accidit in ministrante indigne.

quod differri non potest. Quod est rarissimum, quia fere semper aliquod saltem momentum temporis superest.

3. Sacerdos qui conficit Eucharistiam in statu peccati mortalis peccat graviter ; at ille qui tantum distribuit, non probatur cum certitudine peccare mortaliter, quia distributio communionis non est actio sacramentalis gratiam causans et sanctificans, sed sacramentum mere applicans, nec actio stricte ministerialis, quia porrigens communionem non est stricto sensu minister ex intentione agens nomine Christi.

4. Parochus in statu peccati assistens matrimonio non peccat mortaliter, quia non est minister sacramenti. Contrahentes in statu peccati mortaliter peccant quatenus suscipiunt sacramentum indigne, non autem quatenus ministrant, quia non sunt ministri specialiter constituti.

5. Non probantur peccare mortaliter qui in statu peccati a) exercent diaconatum, subdiaconatum aut ordines minores ; vel b) sacramentalia aut benedictiones agunt ; vel c) chrisma Confirmationis aut oleum infirmorum conficiunt ; vel d) audiunt confessionem sed non absolvunt aut ante absolutionem conterunt ; vel e) S. Eucharistiam transferunt, aut de terra elevant, aut cum illa populum benedicant ; vel f) corporalia, calices, reliquias, etc. tangunt ; vel g) concionantur, nisi ratione scandali si sint publici peccatores. Ratio est quia omnes illae actiones non tendunt proxime ad sanctificationem animae.

78. Animadversiones. — 1. Qui in statu peccati plura sacramenta *absque interruptione* ministrat, *probabiliter* non facit tot peccata quot sacramenta, quia non constituunt nisi actionem moraliter unam, unam ministrationem.

2. Minister conscius peccati mortalis debet, antequam sacramentum ministret, se disponere ad gratiam, sive per confessionem, quod est consultius, sive per contritionem perfectam, ad quam eliciendam sufficit adhibere moralem diligentiam. At si agitur de conficienda Eucharistia, cum simul suscipi debeat, ex praecepto Ecclesiae tenetur prius confiteri, quantumvis sibi contritus videatur (C. Trid., sess. 13, c. 7, et C. I. C., can. 807).

3. Secundum Rituale romanum, l. c., parochus vel quivis alius sacerdos ad quem ex officio pertinet sacramentorum administratio, tenetur semper se habere paratum ad ea ministranda in gratia ; unde etiam si in casu necessitatis non peccet mortaliter, ministrando sacramentum, peccabit tamen quia non poenitendo, periculo se exponit ministrandi sacramenta indigne seu in statu peccati. Idem dicendum de sacerdotibus quibus occasiones ministrandi sunt obviae, uti sunt illi qui in *amplis* nosocomiis aut castris ministrent vel paroeciis. Idem dicendum de obstetricibus, sed sub veniali.

4. Praeter statum gratiae *regulariter* in ministro requiritur:

tum ut ipsi legitima facultas sit administrandi sacramentum, qua ab Ecclesia ad hoc deputatur, seu debita *iurisdictio* ordinaria aut delegata vel licentia, quia ministratio sacramentorum de se est munus pastoris ; tum ut ab hoc *non* specialiter *prohibeatur* ob censuram, irregularitatem, aut aliud impedimentum.

79. **Cooperatio ad illicitam ministrationem.** — Cum ad sacramenta licite ministranda requirantur bonae dispositiones in ministro, sequitur in suscipiente obligatio, ex charitate et religione, non recipiendi ea nisi a ministro digno, ut vitetur tum scandalum, petendo sacramentum, tum cooperatio ad irreverentem sacramenti ministrationem, illud recipiendo. — Et quidem graviter peccat :

1. Ille qui sacramentum petit vel recipit ab illo qui est illud invalide vel dubie ministraturus, quia est inducere directe vel cooperari ad actionem intrinsece malam.

2. Ille qui petit vel recipit a ministro haeretico aut schismatico, quia esset communicatio in divinis ; excipitur casus extremae necessitatis pro Baptismo et Poenitentia, et hac deficiente, pro Extrema Unctione, nisi tamen id haberetur ut professio haeresis vel schismatis (I, n. 755).

3. Ille qui petit vel recipit a ministro censurato vitando ; nisi in mortis periculo, et quidem pro omnibus sacramentis, si desint alii ministri (can. 2261, § 3).

4. Ille qui petit vel recipit a ministro malo, nisi sit rationabilis causa necessitatis vel utilitatis, et nisi agatur de S. Communione, quod non excedit veniale. — Petere autem a ministro tolerato, qui non est in statu peccati, non est peccatum.

Notetur : a) Non sufficere quod minister malus habeatur ex coniecturis vel vanis rumoribus ; sed debet de malitia moraliter certo constare ; quocirca non sufficit ut quis sciat eum peccavisse mortaliter v. g. heri, cum possit supponi hodie emendatus, nisi certo constet esse consuetudinarium aut versari in occasione proxima voluntaria.

b) Cum aliena malitia nemini in suo iure noceat, hinc a ministro malo sacramentum petere licitum est, et aliquando obligatorium, si adsit iusta causa, maxime si desit alius qui possit aut velit ministrare (can. 2261, § 2). Sufficit quaecumque causa rationabilis, etiam levis, si agitur de ministro tolerato qui *ex officio* tenetur ministrare, ut dum parochianus sacramenta pro more christiano suscipere velit (a. 6, ad 2) ; si de aliis ministris, requiritur causa aliquando gravior, qualis est secundum S. Alphonsum, Th. M., l. VI, n. 89 : 1° si urgeat praeceptum confessionis vel communionis ; 2° si ex dilatione susceptionis immineat periculum peccati ; 3° si alias permanere debeas in mortali ; 4° si occurrat iubilaeum lucrandum (aut indulgentia plenaria in loco ubi rarae essent) ; 5° si velis missam applicare pro amico defuncto ; 6° si alias diu carere debeas communione vel perito directore.

Articulus III.

De Intentione Ministri ad Validam Ministrationem requisita.

S. Th. III, q. 64, a. 8 et 10.

80. *Principium I.* **Ad** *validitatem* **sacramenti, in ministro, praeter potestatem, requiritur intentio seu deliberata voluntas conficiendi sacramentum.** — Est *de fide* ex C. Trid., sess. 7, can. 11, et can. 4 de Bapt., definitum contra Protestantes.

Probatur : 1° *Ex Traditione*, cuius testes sunt Innocentius III, prof. fid. pro Waldensibus ; Conc. Const[e], sess. ult., const. contra Wicleff, a. 22 ; Flor., decr. pro Arm. ; et Trid iam citatum.

2° *Ex Scripturis*, in quibus implicite adstruitur, I Cor. IV, 1 : Sacerdos, in ministratione sacramentorum est minister Christi ; atqui ut homo sit minister Christi debet velle agere nomine Christi et intendere quod Christus instituit ; ergo. Prob. minor :

a) Minister differt a caeco instrumento per hoc quod sit agens voluntarium ; unde debet *velle* uti sua potestate ministeriali, et sic per *voluntatem* seipsum subiicere agenti principali : actus enim humanus non operatur ultra intentionem agentis.

b) Similiter data fuit ministris non mera deputatio sed potestas (Mt. XXVIII, 18-19 ; Ioh. XX, 21 ; Lc. XXII, 19) ; sed qui habet potestatem potest ea uti vel non uti ; et ideo requiritur in ministris intentio utendi sua potestate seu agendi nomine Christi.

Ergo requiritur intentio *ex parte ministri.*

3° *Ratione :* Positio materiae et formae est actio indifferens quae varia potest significare et ad varios fines fieri : ablutio v. g. ad munditiem corporalem, ad sanitatem, ad

ludum, ad merum exercitium, ad solam repraesentationem ; oportet ergo determinetur ad unam significationem sacramentalem, quod non fiet nisi per intentionem ministri. Ergo etiam intentio requiritur *ex parte operis*.

Neque dicas : ritus externus determinatur per verba formae; ergo superflua est intentio. — Resp. : supposito quod verba proferuntur nomine Christi, in persona Christi ; secus non suam haberent significationem sacramentalem.

81. *Principium II*. **Intentio requisita est voluntas, saltem virtualis et implicita, absoluta vel huic aequivalens, determinata ad certam materiam et personam, faciendi ritum sacramentalem.** — Dicitur :

1° *Voluntas ;* hinc impotens ratione, perfecte ebrius, somnians, non conficit sacramentum, etiamsi hoc antea intenderit, quia non agit humano modo, ex intentione.

2° Ex parte subiecti : *saltem virtualis et implicita :* non enim sufficit intentio interpretativa quam quis habuisset, si ad hoc vel illud advertisset, nec mere habitualis i. e. olim habita et non retractata, nam hae non faciunt actum humanum (I, n. 55) nec influunt in constitutionem sacramenti. Nec requiritur actualis quam quis hic et nunc habet, quia non semper est in hominis morali potestate ; sed virtualis qua quis ex virtute seu influxu intentionis actualis praeteritae sacramentum ponit vel ponere pergit [1]. Item non requiritur explicita, qua quis dicit : intendo facere sacramentum, sed sufficit implicita, in alio actu contenta, ut si quis vocatus, ad ecclesiam vadit et omnia requisita ad Baptismum distractus peragit.

In praxi, qui actiones ponit de more et intentionem non excludit, habet intentionem implicitam ; a fortiori qui timet an habeat intentionem sufficientem, hoc ipso habet plus quam sufficientem.

3° Ex parte modi quo voluntas fertur in obiectum :

a) *Absoluta vel huic aequivalens* i. e. conditionata de

1. Apud veteres, intentio virtualis nonnunquam vocatur habitualis, ut apud S. Thomam, a. 8, ad 3 ; sed intelligit virtualem, nam subiungit : « *ex virtute* primae intentionis perficitur sacramentum ». Ad vitandas tamen aequivocationes, servanda est terminologia hodie recepta.

praeterito vel praesenti : si enim momento quo sacramentum fit, haec conditio verificatur, intentio transit in absolutam et valet sacramentum ; secus non perficitur ex defectu intentionis. At conditio de futuro contingenti (v.g. si restitues), et etiam de futuro necessario (v.g. si sol orietur) cum animo suspendendi sacramentum, reddit illud invalidum : impedit enim unionem inter intentionem ministri et applicationem materiae et formae, nam suspendit praesentem intentionem et facit ut minister non habeat voluntatem conficiendi sacramentum in praesenti ; verificata autem conditione etiam non est sacramentum, quia tunc non amplius existunt materia et forma.

Excipitur matrimonium, quod sequitur naturam contractus ; unde conditione verificata, si consensus perseveraverit, materia et forma matrimonii adsunt, nam cum intentione perseveranti coincidunt.

b) *Determinata ad certam materiam*, quia secus esset indifferens, v. g. si quis sciens esse 11 hostias, vellet consecrare 10 non indicans quasnam ; *et ad certam personam*, quia secus nulla fieret applicatio, v. g. si quis diceret : te absolvo, ad 2 personas.

Sufficit autem ut determinetur ad personam praesentem, quaecumque illa sit ; unde valide absolvitur vir qui existimatur femina, Petrus qui videtur Paulus. Error circa personam non invalidat, nisi minister intentionem alligaret personae determinatae ; in matrimonio tamen error personae est substantialis, quia persona est ipsum obiectum contractus.

4° Ex parte obiecti : *faciendi ritum sacramentalem*. Ritus enim de se est indifferens et poni potest ad diversum finem : tamquam sacer aut tamquam profanus, imo ludendo, aut fingendo, absque voluntate scil. conficiendi sacramentum ; ut ergo sit sacramentum, determinari debet per intentionem ritum faciendi ut sacramentalem seu *faciendi quod facit Ecclesia* [1], ut dicunt Concilia, seu quod fit in Ecclesia. Quod magis venit explicandum.

1. Primus qui formulam adhibuit, est Gulielmus Altissiodorensis, in IV Sent. De Bapt.

82. *Principium III.* **Ad validitatem sacramenti non sufficit intentio externa, i.e. tantum faciendi actum externum, sed implicite saltem requiritur interna, faciendi quod Christus instituit aut saltem quod Ecclesia facit.** — Non sufficit itaque intentio ponendi, etiam serio et in habitu ministri, sed *mere materialiter* actum externum (licet interius quis velit simulare); quam intentionem appellant *externam*, ex parte nempe obiecti, et quam aliqui dixerunt sufficere [1]; nam :

a) Qui habet solam intentionem externam, interne autem non habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, implicite intendit simulare sacramentum licet non aperte ; qui autem sacramentum simulat sive aperte sive occulte, nequit dici agere nomine Christi.

b) Actus externus, etiam in loco sacro a ministro vestibus sacris induto positus, fieri potest ad diversum finem : potest esse actio seria vel simulata, facta nomine Christi vel nomine proprio, profana repraesentatio aut exercitatio vel actio sacra. Non ergo determinabitur ad esse sacramentum nisi per intentionem *internam*, externo actui consonam, faciendi scil. actum *formaliter* ut sacrum, ut a Christo institutum et ab Ecclesia intentum.

Quae sententia *in praxi est omnino tenenda*, quia sacramenta sunt tutiori modo ministranda (n. 23) ; imo contraria videtur nec speculative tuta, quia ab Alex. VIII damnata fuit prop. 28 : « Valet Baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : non intendo quod facit Ecclesia ». Licet enim non explicite damnatus sit ille qui solum negative non dicit : intendo quod facit Ecclesia, sed positive non addit : non intendo quod facit Ecclesia ; quia tamen hoc implicite dicit, ideo cum Benedicto XIV [2] merito aestimatur, ex damnatione propositionis grave vulnus inflictum esse sententiae quae id sufficere asserit.

83. Corollaria. — Cum intentio implicita sufficiat, hinc :

1° Non requiritur explicita intentio illius quod intendit Ecclesia, scil. conficiendi aliquod sacrum, vel sacramentum, vel producendi eius effectum.

2° Nec requiritur fides in Christo, Ecclesia aut sacramento, sed quaecumque sit opinio ministri de Christo, de sacramento et eius efficacia, valide ministrat dummodo velit facere ritum quem facit Ecclesia, quique ab ea habetur pro sacro, etsi ipse illum reputet nihil esse : «quia enim Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere quamvis non explicite », ait S. Thomas, in IV Sent., d. 6, q. 1, a. 3, sol. 2, ad 1.

3° Neque requiritur intentio explicita faciendi quod facit Ecclesia Romana, sed generalis faciendi quod facit vera Ecclesia, quidquid de ista minister sentiat; unde haereticus, volendo quod facit sua Ecclesia quam falso reputat veram, implicite vult quod facit Ecclesia Christi et Romana.

4° Neque requiritur cogitatio expressa de Ecclesia, sed sufficit intentio faciendi aliquid quod identice facit Ecclesia, v. g. quod iubetur in Evangelio, quod Christiani faciunt, quod a postulante petitur : sic baptizati sacramentum matrimonii ministrant quod ignorant esse Ecclesiae sacramentum.

5° Imo etiamsi minister habeat duas intentiones contrarias, v. g. faciendi quod Christus instituit sed non quod Ecclesia facit, quod Ecclesia facit sed non quod Ecclesia romana, celebrandi matrimonium sed dissolubile vel non sacramentum, faciendi sacramentum sed non dandi gratiam : valet sacramentum, dummodo intentio generalis faciendi quod de facto facit Ecclesia sit praedominans et praevaleat intentioni provenienti ex errore, i. e. sit illa quam secundum actualem dispositionem minister eligeret si cognosceret utramque simul consistere non posse.

Quodsi utraque esset aequalis, nihil operaretur, nam altera alteram destrueret ; si autem de hoc dubitaretur, sacramentum esset dubium.

84. Graviter peccat ex defectu intentionis debitae:

1° Ille qui ministrat sacramentum *absque intentione*, vel *sub conditione de futuro suspensiva intentionis*, quia non est validum sacramentum, sed eius simulatio et irrisio.

2° Ille qui ministrat *sub conditione occulta*, *extrinseca sacramento*, sive sit humano modo incognoscibilis v. g. si es praedestinatus, si Deus videt te hoc anno moriturum, sive sit cognoscibilis v. g. si es ieiunus, si recitasti rosarium, quia ex ipsa positione conditionis oritur dubium circa validitatem sacramenti, et inde se exponit periculo nihil faciendi et frustrandi proximum effectu sacramentali ; et ex altera parte nulla potest esse ratio talis ministrationis. Imo nonnullis, inter quos S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 28, probabilius videtur sacramentum, sub occulta conditione humano modo incognoscibili confectum, esse *invalidum*, quia « cum Deus commiserit administrationem sacramentorum cognitioni et voluntati hominum, nequit

1. Tribuitur Alano ab Insulis ; formaliter propositum fuit a Catharino, Salmeron, Contenson, Juenin, Natali Alexander, Serry, Drouin et aliis.
2. De Syn. dioec., l. VII, 4, 8.

apponi conditio, quae non potest cadere sub humana cognitione ».

3° Ille qui *sine gravi causa* ministrat *sub conditione occulta* de praesenti vel de praeterito et *sacramento intrinseca*, seu ex natura sua *ad eius valorem requisita*, ita ut dubium de valore non oriatur ex ipsa positione conditionis : ludit enim in re gravissima et sanctissima, quia periculum incurrit faciendi sacramentum nullum, et sic Christo irreverentiam infert et proximum magno damno exponit.

E contra A. licitum est si adest causa sufficiens, qualis generatim habetur quando sacramentum hic et nunc est necessarium aut valde utile et *nequit haberi certo validum :*

a) si dubium serium oritur an sacramentum quod iterari nequit fuerit collatum aut valide collatum, vel an confessarius absolverit poenitentem ; tunc ministretur sacramentum sub conditione : *si nondum es baptizatus, absolutus*, etc. ;

b) si dubium est an habeatur subiectum capax, v. g. an puer confitens materiam peccati mortalis sit compos rationis, an sensibus destitutus velit recipere sacramentum vel adhuc vivat, an absolvendus poeniteat, an foetus sit homo ; tunc ministretur sacramentum, sub conditione : *si es capax;*

c) si dubium est de validitate materiae vel formae, v. g. an hoc sit aqua, aut de potestate ministri : dubium enim de potestate ministri, vel de eius iurisdictione pro sacramento Poenitentiae, reddit materias et formas dubias ; tunc ministretur sacramentum sub conditione : *si possum.*

B. Ponere conditionem apertam quam aliquis cognoscit de facto verificari, non videtur nisi veniale, quia nullum adest pro sacramento periculum nullitatis, sicut etiam sine ratione repetere syllabam aut verbum in pronuntiatione formae.

C. Denique matrimonium, cum sit contractus, valide et, si adsit causa gravis, etiam licite ministratur sub conditione *de futuro.*

85. Animadversiones. — 1. Cum parochus non sit minister matrimonii, nulla requiritur apud eum intentio, sed sufficit eius voluntaria assistentia ut testari possit contractum.

2. Ut quis licite ministret, etiam requiritur attentio ad actum externum seu applicatio mentis ad ea quae fiunt, cuius defectus tamen est tantum irreverentia levis, nisi adsit periculum errandi substantialiter.

3. Ecclesia in Ritualibus nullibi agnoscit ministrationem sub conditione : *si es dispositus;* unde ab ea videtur abstinendum. Forma enim conditionalis adhibenda est casu quo sit dubium *de validitate* sacramenti ne exponatur periculo nullitatis ; non autem si dubitetur de sola dispositione suscipientis, praesertim

quod talis ministratio impediat reviviscentiam sacramenti. Deficiente enim conditione, in casu dispositione, sacramentum esset invalidum et ideo reviviscere amplius non posset.

Neque dicas ministrum conditione : *si es dispositus*, intelligere capacitatem. — Id sane posset, si ita expresse intenderet. At non est sensus receptus : aliud enim est capacitas recipiendi sacramentum, aliud dispositio ad sacramenti fructum. Verba : si es capax, ego te baptizo vel absolvo, ex ipso contextu significant : si es capax baptismi vel absolutionis ; e contra verba : si es dispositus..., significant : si habes dispositiones requisitas ad bene recipiendum baptismum vel absolutionem, scil. cum fructu. Opportunum autem non est alium sensum suggerere, quia est aequivocationem ponere, et occasionem continuandi errorem illorum, qui putant etiam in dubio solius dispositionis esse ministrandum sub conditione.

4. Conditio non est voce exprimenda, nisi quandoque ut scandalum vitetur, vel si a rituali praescribatur, uti fit pro sacramentis quae solent publice ministrari, sicut pro Baptismo in casu reiterationis : *si nondum es baptizatus;* vel pro Extrema Unctione in dubio mortis : *si vivis.*

Articulus IV.

De iis quibus sacramenta sunt ministranda.

S. Th. III, q. 80, a. 6 ; q. 81, a. 2.

86. Officium ministrandi sacramenta in illo qui curam habet animarum. — Qui curam animarum habent i. e. qui ex officio seu titulo speciali iurisdictionis, sive ordinariae (episcopus, praelatus religionis, parochus et illi qui ad modum parochi sunt), sive delegatae (parochorum coadiutores et vicarii cooperatores, iuxta can. 476, § 6), aliquam *partem* ovilis Christi pascere debent, *sub gravi* tenentur *ex iustitia* ratione muneris, contractus, stipendii, etc. subditis ministrare sacramenta. In specie :

1° Sub gravi tenentur per seipsos regulariter sacramenta ministrare suis subditis, quoties rationabiliter petant etiam causa devotionis (can. 467, § 1 et 892, § 1) ; — nisi ipsi sint legitime impediti, vel possint, sine incommodo subditorum, per alios ea ministrare : aliquoties tamen ea negare *per se* non est mortale, quia *ordinarie* damnum reparari facile potest.

Hinc peccat graviter parochus qui *habitualiter* vel ex consuetudine : a) est morosus et difficilis ad audiendas confessiones, praesertim infirmorum ; vel b) aegre fert si quidam intra hebdo-

madam communicant, et diu eos expectare facit sicque eos communione avertit ; vel c) recusat Eucharistiam deferre ad aegrotos, etiam extra periculum mortis.

2° *In gravi necessitate*, et a fortiori in *extrema*, tenentur *cum evidenti vitae periculo* ministrare sacramenta necessaria scil. Baptismum et Poenitentiam (S. C. C. 12 oct. 1576), et, si eodem periculo possunt, Eucharistiam et Extremam Unctionem ; quodsi de Poenitentia non habeatur sufficiens certitudo, debent ministrare Extremam Unctionem quae per accidens necessaria foret.

Potest tamen parochus ministrationem aliis committere, nisi expresse et nominatim requiratur ; non autem a grege, tempore periculi communis v. g. pestis, discedere (S. C. C., 6 dec. 1576).

3° *In necessitate communi* tenentur Eucharistiam et Extremam Unctionem ministrare etiam *cum incommodo gravi*.

87. Obligatio ministrandi sacramenta in simplici sacerdote. — Alii sacerdotes, non ex iustitia, sed deficientibus illis qui curam animarum habent, *ex charitate* tenentur ministrare sacramenta. Et quidem :

1° *in communi necessitate*, sub levi, si id possunt sine incommodo ;

2° *in gravi necessitate* proximi, sub gravi, cum incommodo non valde magno ;

3° *in extrema necessitate* proximi, vel *gravi necessitate communitatis*, tenentur ministrare etiam cum periculo vitae, dummodo sit fundata spes iuvandi et non sit alius qui adiuvet.

Hinc non teneris, ad aliquem baptizandum vel absolvendum, exponere certo vitam tuam, si verisimiliter perire debeas antequam munus tuum exequi possis, ut si infantulus nondum baptizatus certo moraliter debeat in flammis suffocari antequam ad eum possis pervenire, quia nemo tenetur ad opus inutile, aut quod prudenter tale praesumitur, cum proprio gravi damno ; — vel si probabiliter praesumas illum esse baptizatum aut non versari in statu peccati, aut etiam posse facile sibi subvenire per actum contritionis ; — vel si tu, existens in mortali, dubites de propria contritione ; — vel te moriente plurium aliorum salus periclitaretur.

88. Obligatio denegandi sacramenta. — Cum ad sacramenta valide et licite recipienda requirantur conditiones et dispositiones, sequitur in ministro obligatio ea non ministrandi incapacibus vel indignis. Id enim *per se* est grave peccatum sacrilegii in quantum sacrum profanationi exponitur, secundum Mt. VII, 6 : Nolite dare sanctum canibus ; infidelitatis in quantum minister agit contra officium boni dispensatoris ; et scandali vel cooperationis ad peccatum grave. *Per accidens* tamen est licitum propter gravissimam causam, quia actione non mala licitum est cooperari peccato alterius, ad vitandum maius malum (I, n.489), scil. ad vitandum scandalum, vel iniustam diffamationem petentis, vel illegitimum usum notitiae in confessione sacramentali acquisitae.

Hinc oritur *obligatio aliquo modo cognoscendi statum suscipientis* ; et quidem :

1. Si agitur de sacramentis in quorum administratione sacerdos est veluti iudex, tenetur inquirere de suscipientis idoneitate et dignitate atque iudicare ex positivis indiciis. Ita speciatim :

a) in sacramento Poenitentiae prae ceteris maior requiritur certitudo dispositionum suscipientis, cum minister sit ibi vere iudex ;

b) in Ordine inquirendum de scientia et probitate suscipientis, quod maxime spectat ad bonum commune Ecclesiae ;

c) in Matrimonio parochus inquirere tenetur de impedimentis et de sufficienti instructione ;

d) in Baptismo adultorum inquirendum circa fidem et propositum vitae christianae.

2. Pro aliis sacramentis : Confirmatione, Eucharistia, Extrema Unctione, non tenetur sacerdos positive iudicare de suscipientis dispositione ; quilibet fidelis, ubi exterius reverenter petit, praesumitur dignus, nisi de contrario constet.

89. Regulae in denegatione sacramentorum servandae. — A. *Deneganda sunt generatim sacramenta :*

1° incapaci seu non apto, qui scil. valide non potest, vel adultus non vult ea recipere, quia in casu vera haberetur sacramenti simulatio, et ideo abusus rei sacrae intrinsece malus : ita si quis vellet Baptismum conferre iam baptizato aut illi qui baptizari non velit. Quodsi de capacitate dubitetur in casu necessitatis, ministretur sacramentum sub conditione ;

2° peccatori publico v.g. nominatim excommunicato vel notorie existenti in peccato mortali, sive publice sive occulte petat, nisi emendatus appareat cum debitis dispositionibus ; excipitur, pro sacramentis necessitatis, arti-

culus mortis si sit sensibus destitutus et quaedam saltem probabilitas sit debitae dispositionis ;

3° item peccatori occulto occulte petenti, modo minister peccatum cognoscat aliter quam ex confessione, nam secus nec moneri potest peccator extra confessionem.

B. *E contra* peccatori occulto publice petenti, vel publico petenti in loco ubi non agnoscitur talis nec praevideatur brevi agnoscendus, si sine scandalo vel diffamatione nequeat praeteriri, *concedenda sunt* Baptismus, Confirmatio, Eucharistia et Extrema Unctio [1] ; nisi velit Eucharistiam recipere ad positive eam inhonorandam : tunc enim repellendus est ut iniustus aggressor honoris sacramento debiti. Absolutio vero datur occulte et Ordo non datur omnibus, unde indispositis sunt neganda.

Quod si peccator petat, praesentibus tantum quibusdam puerulis vel iis qui peccatorem cognoscunt, censetur petere occulte, nisi sint rem evulgaturi.

Iuxta can. 2197, *publicum* est delictum, si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri, sive sit notorium *notorietate iuris* post sententiam iudicis competentis aut confessionem delinquentis in iudicio factam, sive *notorietate facti*, cum delictum publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit. Potest autem esse publicum sive absolute si satis communiter, sive relative si a multis et praesentibus aut a maiore parte delictum cognoscitur, quin ad communem vulgi notitiam adhuc pervenerit.

Ex can. 855, « publice indigni sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames » uti meretrices vel concubinarii publice noti, « nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint ». Hisce aequiparandi sunt haeretici et schismatici, etiam bona fide errantes, quibus, iuxta can. 732, « vetitum est sacramenta ministrare... nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint ».

In dubio de publicitate delicti potius dandum est sacramentum palam petenti ; in dubio de emendatione vel retractatione delicti certo publici aut de amoto scandalo, potius est differendum.

Ubi indignitas ex solo crimine oritur, secluso scandalo amovendo, sufficit peccatorem publice esse confessum, ita ut brevi eius poenitentia divulgetur. Si vero emendatio aut satisfactio vel retractatio sit facienda ad scandalum removendum, regulariter

1. Regulae praedictae traduntur in Codice iuris, pro Eucharistia, can. 855.

prius est removendum scandalum per remotionem occasionis vel retractationem publicam, aut saltem ita exhibitam ut brevi evulgari possit ; — nisi tamen occulte peccator petat, aut alia ratione scandalum praecaveri queat.

90. Animadversiones. — 1. Ad vitandum sacrilegium indignae susceptionis, licitum non est simulare sacramenti ministrationem, quod est maius peccatum, utpote purum mendacium sacrilegum. Simulare sacramentum est externe agere ac si esset sacramentum, ita quod absentia sacramenti innotescere non possit. Unde *simulatio* sacramenti est ficta positio ritus seu actionis apparenter sacramentalis, ita ut externe significetur sacramentum confici vel ministrari, quod tamen est invalidum propter occultum defectum ; quia in sacramento conficiendo vel ministrando, aliquod saltem essentiale mutatur vel omittitur, nimirum materia vel forma vel debita intentio. Ita v. g. ministrare materiam et formam sine intentione, aut ita pronuntiare verba absolutionis, celebrare missam consecrando aquam aut omittendo verba consecrationis, quod etiam includit periculum idololatriae materialis. Simulatio sacramenti nunquam licita est ; unde damnata fuit prop. 29 ab Inn. XI : « Urgens metus gravis est causa iusta sacramentorum administrationem simulandi. »

A simulatione sacramenti differt *dissimulatio* seu occultatio, non sacramenti quidem sed *denegati sacramenti*. Haec consistit in faciendo externe aliud ac sacramentum, quod cum ipso *quamdam* similitudinem habet ; unde est substitutio alius ritus ritui sacramentali seu positio actionis non sacramentalis, qua nec externa adsit species sacramenti nec videatur confici vel ministrari sacramentum, sed huius negatio tamen adstantibus occultari possit. Ita v. g. dare benedictionem loco absolutionis, saltem si poenitens inde non decipiatur ; dicere formulam communionis : corpus Domini etc. et praeterire peccatorem consentientem, adire confessarium aut ingredi confessionale. Iamvero aliquando, iusta accedente causa, licitum est dissimulare negationem sacramenti, non quidem directe ut proximus decipiatur, sed ut veritas occultetur.

Notetur matrimonium, quia sequitur naturam contractus, licitum esse ob metum gravem ficte contrahere : id non est simulatio sacramenti, quia matrimonium metu extortum non potest esse sacramentum validum ; imo nec est vera simulatio contractus, quia ex circumstantiis ab omnibus fictio intelligi potest. Unde non est nisi dissimulatio denegati consensus.

2. Sacramentum indigno ministrare, qui id postulet minando mortis aut mali aequivalentis, certo illicitum est si postuletur in odium fidei vel contemptum religionis ; ac etiam probabilius si ob aliam rationem : talis enim postulatio est positive iniuriosa sacramento atque veluti invasio honoris et reverentiae sacramento debitae, cui obsecundans minister proxime cooperaretur, ex quo malo solum mediate sequeretur effectus bonus nimirum evasio mortis.

QUAESTIO TERTIA.

DE CAUSA SUSCIPIENTE.

Articulus I.

De Conditionibus ad Validam Susceptionem requisitis.

91. Subiectum sacramenti est vera eius causa sed materialis. — Suscipiens non est, sicut minister, causa efficiens quae virtutem dat sacramentis, sed causa materialis, quatenus deficiente suscipiente vel quadam dispositione in ipso, non habetur subiectum capax recipiendi immediatum effectum sacramenti, ac proinde hoc non habet suam significationem et est invalidum.

Subiectum est homo viator qui solus est capax gratiae recipiendae per signum sensibile ; pro Baptismo est omnis huiusmodi homo, pro Confirmatione et Eucharistia baptizatus, pro Ordine baptizatus masculus, pro Matrimonio baptizatus qui habet usum rationis, pro Poenitentia baptizatus qui peccavit, pro Extrema Unctione baptizatus qui peccavit et infirmatur.

92. *Principium I.* **Ad** *validitatem* **sacramenti requiritur in adulto, praeter capacitatem, intentio suscipiendi sacramentum, vel quod Christus instituit et Ecclesia facit, aut quod Christiani recipiunt.** — Ratio est, quia sicut nullus adultus iustificatur et salvatur sine consensu proprio, ut ait C. Trid., sess. 6, c. 7, ita nec recipit media salutis, nec initiatur ad vitae novitatem aut consecratur Deo : oportet enim haec ab adulto recipiantur humano modo.

Ita Conc. Carth. III (a. 397) et Araus. I, can. 12 (a. 441) ; Innocentius III, l. 3, t. 42, cap. Mai. de Bapt. et dein omnes theologi ; Rituale Romanum ; Instr. S. C. P. F. 23 iun. 1830 ; et decr. S. O. 28 nov. 1900. In pueris haec intentio suppletur intentione Christi et Ecclesiae.

Neque obstat Conc. Flor. urgens tantum tria : materiam, formam et intentionem ministri ; Concilium enim 1° voluit tantum exprimere ea quae ad sacramenta perficienda *active* se habent ; — 2° agit de iis quae *omnibus* sacramentis sunt necessaria ; iamvero suscipiens non requiritur ad perficiendam Eucharistiam ; similiter intentio non requiritur in parvulis.

93. *Principium II.* **Intentio requisita est habitualis i. e. actualis non retractata, et quidem** *per se* **sufficit habitualis implicita suscipiendi sacramentum, seu quod Christus instituit et Ecclesia facit, aut quod Christiani recipiunt.** — In subiecto intentio recipiendi sacramentum seu consensus positivus voluntatis est *conditio* ut susceptio sacramenti sit voluntaria, ad eius valorem requisita ; unde :

A. *Ex parte actus seu subiecti* sufficit minor intentio quam in ministro :

1. Non requiritur intentio *actualis vel virtualis*, quae influit tamquam causa seu principium activum, et non ut mera conditio : suscipiens enim non est principium activum sacramenti sed subiectum passivum tantum ; unde in ipso non requiritur intentio quae sit humanae actionis principium.

2. Sed requiritur et sufficit intentio *habitualis implicita*, olim habita et in praesenti persistens, utpote non retractata.

3. At non sufficit *mere interpretativa*, quae nullo modo habetur sed quae tantum haberetur si cogitatio occurreret : qua scil. quis vellet sed nondum vult.

Quod si aliquando dicant quodammodo sufficere interpretativam, est lis de verbis : ita loquuntur improprie, et non intelligunt mere interpretativam de futuro, sed praesumptam de praesenti, qua aliquis, secundum habitualem notitiam et dispositionem praesentem christiane vivendi, explicite peteret sacramentum si ab ipso quaereretur ; — sed ista est habitualis implicita, quae ob coniecturalia signa praesentia adesse praesumitur.

Dicunt autem ad Poenitentiam et Matrimonium requiri virtualem, quia subiectum actus humanos ponere debet ; — sed ista non requiritur praecise in subiecto, ad recipienda illa sacramenta, sed ad ponendam partem signi sacramentalis, scil. materiam quam suscipiens praebere debet, et quidem momento quo praebet : consistit enim materia in actibus humanis ad quos ad minus requiritur intentio virtualis.

Eucharistia cum sit permanens est valida sine intentione suscipientis : haec tamen requiritur ad validam susceptionem *sacramentalem*.

B. *Ex parte obiecti* eadem intentio requiritur ac in ministro : idem enim quod ipse ministrat debet subiectum voluntarie suscipere. Est scil. voluntas, recipiendi sacra-

mentum seu ritum ut sacrum, saltem implicite, v. g. suscipiendi quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit, vel sicut Christiani aut Catholici recipiunt, aut vivendi vel moriendi more christiano ; — non autem sufficit sola intentio sese salvandi in contritione contenta, quidquid aliqui dixerint.

1° Haec enim intentio *non est sufficienter determinata :* non enim magis determinata est ad unum medium salutis, v. g. Baptismum vel Poenitentiam, quam ad alia v. g. ex opere operantis ; imo si sufficeret, omnis fere homo intentionem recipiendi Baptismum haberet : unusquisque enim etiam Mahumedanus vel Iudaeus, etiam ille qui de Baptismo nunquam audivit, talem intentionem habere potest, et tamen quis potest dicere illum habere voluntatem christianam religionem amplectendi ? Habet scil. iste voluntatem sese salvandi sed per religionem iudaicam vel mahumedanam, non autem per Ecclesiam et sacramenta Christi. Qui enim adhaeret alii religioni oppositae censeri non potest habere implicitam voluntatem per Baptismum amplectendi religionem Christi. Unde per saecula non fuit mos tales in extremis baptizandi, sicut nunc ab aliquibus introduci tentatur.

Similiter haereticus qui sacramentum Poenitentiae non admittit, imo positive recipere recusat, voluntatem sese salvandi habet ; quomodo cum aliqua probabilitate dici posset, hoc ipso illum velle recipere Poenitentiam ?

2° Talis intentio *non est absoluta, sed mere conditionata de futuro :* voluntas enim recipiendi sacramentum, puta Baptismum, nonnisi conditionate continetur in contritione. Haec est sola voluntas servandi praecepta, non autem est immediate voluntas Baptismi ; immediate est voluntas examinandi religionem Christi si proponitur, et, *si vera cognoscatur*, recipiendi Baptismum ; unde qui hanc voluntatem habet immediate intendit implere praecepta cognita, et *vellet* Baptismum, si huius obligatio cognosceretur, sed id non cognoscit et *non vult*. Ideo qui habet solam voluntatem salutis, valide recipere sacramenta non potest [1]. Cum hac voluntate quidem potest quis pertinere ad Ecclesiae animam per gratiam et charitatem, non autem ad corpus sociale Ecclesiae, nec proinde, recipere Baptismum et a fortiori alia sacramenta : haec enim sunt vincula socialia quibus coniungimur corpori.

Sicut ergo ad conferendum sacramentum non sufficit intentio quaedam generalis salvandi aut sanctificandi, sed requiritur determinata intentio sanctificandi per tale determinatum medium aut sacramentum, ita ad suscipiendum sacramentum non sufficit generalis voluntas salutis, sed exigitur determinata intentio sese salvandi per determinatum sacramentum.

3° Hinc in omnibus documentis ecclesiasticis constanter supponitur in suscipiente non sola voluntas salutis sed intentio recipiendi sacramentum. Sic Rituale, t. 2, c. 3, n. 1 : « nonnisi

1. Ita Suarez, Lugo, Noldin, Marc, Prümmer, Umberg.

sciens et volens baptizetur ; et in mortis periculo exigitur, si Baptismum petere nequeat, ut manifestaverit aliquo probabili modo *intentionem* Baptismum *suscipiendi* » ; quae verba repetit Codex, can. 752, qui et exigit ut adultus « suo quisque animi motu Baptismum *petat* » (can. 745). Eodem modo praescribit Rituale, t. 5, c. 1, n. 8 : « Extrema Unctio praeberi non potest nisi *fideli* » (can. 940), et n. 11 : « infirmis qui, cum suae mentis compotes essent, illud saltem implicite *petierunt* aut verisimiliter *petiissent* (can. 943) ». Et S. Off., ad quaestionem : « utrum missionarius conferre possit Baptismum in articulo mortis Mahumedano adulto qui in suis erroribus supponitur in bona fide (et ideo voluntatem sese salvandi habet), si iam advertentiam amiserit... », respondit 30 mart. 1898 : « De Mahumedanis moribundis et sensibus iam destitutis respondendum est ut in decr. S. Off. 18 sept. 1850: Si ante dederint signa *velle baptizari* vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eamdem dispositionem ostenderint, baptizari posse sub conditione, quatenus tamen missionarius cunctis rerum adiunctis inspectis, ita *prudenter* iudicaverit ». Ex quo responso patet S. Off. contrariam sententiam non aestimare ut probabilem, quoniam habetur ut non attendenda in praxi [1].

94. Conclusiones practicae. — In praxi, *habitualis* voluntas suscipiendi sacramentum *implicita* habetur :

1° pro Baptismo, in voluntate suscipiendi christianam religionem aut essendi christianum et vivendi christiane ;

2° pro Confirmatione, in voluntate essendi perfectum christianum aut sicut bonus christianus vivendi aut agendi ;

3° pro Viatico et Extrema Unctione, in voluntate moriendi more christiano aut non moriendi sine sacramentis ; atque id etiam sufficit pro Poenitentia, in articulo mortis, dum aliqualis confessio peccatorum vel manifestatio contritionis praecesserit.

At talis voluntas non sufficit, sed *explicita* requiritur :

a) ad S. Communionem in aliis adiunctis recipiendam, quia voluntas vivendi christiane non continet voluntatem toties et tali tempore sacramentum Eucharistiae recipiendi ;

b) ad Ordinem et Matrimonium, in quibus novus status cum novis officiis est suscipiendus.

95. Corollaria. — Ex dictis sequitur invalidum esse sacramentum

1° quod quis suscipit cum intentione neutrali, nec consentiens nec dissentiens sed negative se habens ;

2° quod quis suscipit simulate, cum fictione essentiali, v. g. iocose et irrisorie ;

3° quod per meram vim, animo repugnante, suscipitur.

E contra *valide* confertur dormientibus, ebriis, lapsis in amentiam, sensibus destitutis, qui antea habuerunt intentionem illa recipiendi ; sed est illicitum nisi in probabili periculo mortis, vel nisi impedimentum usus rationis sit perpetuum.

1. Hinc nequit dici cum Génicot a S. Off. quemdam modum agendi tantum commendari.

Articulus II.

De Requisitis ad Licitam Susceptionem.

96. *Principium I.* **Ad** *licitam* **sacramenti susceptionem in adulto requiruntur :** a) capacitas et intentio necessariae ad valorem ; — b) dispositio necessaria ad fructum seu effectum.

Ad fructuosam susceptionem *alia requiritur dispositio in sacramentis vivorum et mortuorum.* In his requiruntur fides, spes et attritio sine quibus nullus adultus iustificari potest ; non autem charitas. In illis requiritur *conscientia* status gratiae, i. e. illa qua non cognoscit se esse in statu peccati. Quodsi aliquis conscius sit peccati et Eucharistiam velit recipere, confiteri debet ex speciali praecepto ; pro aliis sacramentis vivorum etiam sufficit actus charitatis vel contritionis perfectae.

97. *Principium II.* **Grave peccatum sacrilegii committit qui sacramentum indigne suscipit ;** nimirum :

1° ille qui recipit sacramentum sine capacitate vel intentione, quia est simulatio et irrisio sacramenti. Ita femina qui accederet ad ordinationem, absolutionem postulans sine attritione, Confirmationem recipiens non baptizatus ;

2° qui recipit sacramentum sine dispositione requisita ad fructum, quia privat sacramentum principali suo effectu, nempe gratia, ad quam significandam et producendam est institutum ; unde reddit significationem sacramenti partialiter falsam et ipsius finem evacuat.

QUINTA PARS.

DE NUMERO SACRAMENTORUM.

QUAESTIO PRIMA.

DE NUMERO SEPTENARIO SACRAMENTORUM.

S. Th. q. 65, a. 1.

98. *Thesis.* **Septem sunt N. Legis sacramenta nec plura nec pauciora.** — Est *de fide* definitum in Conc. Trid., sess. 7, can. 1 contra Protestantes.

Probatur : 1° *Ex documentis revelationis :* a) Scriptura et Patres de quolibet sacramento mentionem faciunt, uti probatur in tractatibus specialibus de singulis sacramentis ; et praeter illa nulla alia proprie dicta agnoscunt. Unde b) Ecclesia semper damnavit eos qui aliquod ex ipsis septem recusarunt : ita saec. III Novatianos negantes Confirmationem, saec. IV Manichaeos de Matrimonio male sentientes, saec. XIV Wicleffitas Extremae Unctioni adversantes; saec. XVI Protestantes quorum alii tria, alii duo tantum sacramenta admittebant, in quo errore adhuc hodie perseverant, Ritualistis exceptis. Hinc c) in hac doctrina perpetuus est consensus inter Ecclesiam Latinam, Graecam et omnes sectas Orientales, uti constat ex Liturgiis et Ritualibus, et ex Conc. Lugd. II et Flor. ; quod ostendit ipsam doctrinam iam extitisse ante earum separationem ac inniti in communi traditione.

2° *Ex ratione convenientiae :* Sacramenta ordinantur *ad perficiendum hominem in vita spirituali,* quae concipienda est per similitudinem ad vitam corporalem. Atqui vita corporalis consideranda est 1. *quantum ad individuas personas* quae existunt ante societatem, et sic ad eam requiritur a) *per se* ut homo prius generetur et nascatur, deinde ut crescat ad aetatem perfectam et roboretur ad plenam vitam, denique ut in vita nutriatur et conservetur ; b) *per accidens* si infirmetur, ut prius ab infirmitate sanetur, et deinde ut plene convalescat ab infirmitatis reliquiis ; — 2. *quantum ad societatem* requiritur potestas et eam regendi, et eam conservandi, producendo nova membra. Ergo a pari in vita spirituali 1. considerata *quantum ad individuas personas,* requiritur a) *per se* ut homo illam acquirat per Baptismum ; deinde in ipsa crescat ad plenitudinem vitae et roboretur ad aetatem perfectam per Confirmationem ; denique illam conservet et nutriat per Eucharistiam ; b) *per accidens* autem si homo peccaverit, ut sanetur a morbo peccati per Poenitentiam, et plene liberetur a peccatorum reliquiis per Extremam Unctionem ;— 2. con-

siderata *quantum ad Ecclesiam*, requiritur tum potestas multitudinem regendi spiritualiter per Ordinem ; tum potestas eam propagandi et conservandi per Matrimonium. Numeratur autem Ordo ante Matrimonium, quia magis participat de ratione spiritualis vitae ad quam ordinantur sacramenta.

« Etiam patet sacramentorum numerus secundum quod ordinantur *contra defectum peccati*. Nam Baptismus ordinatur contra carentiam vitae spiritualis ; Confirmatio contra infirmitatem animi quae in nuper natis invenitur ; Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum ; Poenitentia contra actuale peccatum post Baptisma commissum ; Extrema Unctio contra reliquias peccatorum, quae scil. non sunt sufficienter sublatae, aut ex negligentia, aut ex ignorantia ; Ordo contra dissolutionem multitudinis, Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem et contra defectum multitudinis qui per mortem accidit »[1] (a. 1).

Notentur verba S. Thomae, ad 8 : « Ad deletionem peccati venialis non requiritur infusio gratiae. Unde cum in quolibet sacramento novae legis gratia infundatur, nullum sacramentum novae legis instituitur *directe* contra veniale ».

99. Animadversio. — Ante saeculum XII nunquam inveniuntur omnia septem sacramenta *simul* numerata. Patres enim a) non systematice tractant de sacramentis, et non indicant nisi ea quae necessaria sunt ad peculiarem scopum quem sibi proponunt, saepius practicum, uti v. g. instructionem neophytorum, atque, propter disciplinam arcani, nonnunquam parce loquuntur et non prolixe de sacramentis agunt. — b) Praeterea sacramenta, licet sub uno respectu quod gratiam causent sint similia, sub aliis respectibus sunt res maxime diversae ; unde Patres non enumerant simul nisi ea quae specialem similitudinem vel connexionem habent, uti v. g. sacramenta initiationis christianae quae simul conferebantur, scil. Baptismus, Confirmatio et Eucharistia ; — vel sacramenta consecratoria : Baptismus, Confirmatio et Ordo, quibus aliquando connumeratur Eucharistia ; — vel ea quae sunt specialiter medicinalia : Poenitentia Extrema Unctio et Matrimonium. — c) Hinc apud Patres et alios scriptores invenitur doctrina specialis de singulis sacramentis, non autem doctrina generalis sacramentorum ; nec erat possibile : cum enim significatio vocis « sacramentum » nondum erat perfecte determinata, quandoque sub hoc eodem nomine simul cum sacramentis proprie dictis enumerabant alia signa

1. Aliae convenientiae ab aliis traduntur. Ita S. Albertus M. in IV Sent., d. 2, a. 1, septem sacramenta opponit septem peccatis capitalibus ; S. Bonaventura, in Breviloquio VI, 3, ea ordinat ad septem principales virtutes.

sacra[1], aut etiam in signis sacris enumerandis quaedam sacramenta poterant omittere. — d) At saeculo XII, sensu vocis sacramentum iam perfecte determinato, quando synthesis theologica totius doctrinae christianae facta est, etiam ceperunt tractare de sacramentis in generali, et statim invenitur enumeratio eorum completa et exclusiva[2], in quam omnes dein unanimiter consentiunt.

QUAESTIO SECUNDA.

DE ORDINE SACRAMENTORUM.

S. Th. III, q. 65, a. 2, 3, 4.

100. Quadruplex distingui potest ordo seu comparatio inter sacramenta : ordo naturae, dignitatis, necessitatis, et prioritatis in usu.

Ordo naturae, qui servatur in ordinaria sacramentorum enumeratione, est ordo relationis ad perfectionem vitae spiritualis, qui iam fuit supra indicatus, n. 98.

101. Ordo dignitatis. — Eucharistia aliis omnibus est *simpliciter* dignior et perfectior :

1º In quantum est *signum* sanctificationis, tum a) rememorativum passionis Christi, quia perfectissime mortem Christi i. e. ipsam separationem corporis et sanguinis repraesentat (I Cor. XI, 24-25) ; tum b) demonstrativum gratiae, quia significat gratiam per modum nutritionis seu unionis animae ad Christum, et sic unionem animae ad alia membra Christo capiti unita, et unionem inter Ecclesiam, corpus Christi mysticum, et caput Christum ; tum c) prognosticum gloriae, quia continet ipsum beatitudinis obiectum.

2º In quantum est *causa* sanctificationis, quia in ipsa continetur Christus substantialiter, in aliis sacramentis

1. Ita Petrus Damianus enumerat duodecim sacramenta, Hildebertus novem, Bernardus ait esse multa, inter quae recenset lotionem pedum.
2. Enumerationem completam 7 sacramentorum iam tradit auctor *Sententiarum Divinitatis*, probabiliter circa 1147-1148 ; forsan antea S. Otto Bambergensis in sermone habito in initio saec. XII, at alii sermonem dicunt compositum a biographo, qui tamen scripsit circa 1150-1152. Eam adoptavit Petrus Lombardus et dein omnes. Qui usus communis constat ex prof. fidei Waldensibus imposita ab Innocentio III.

continetur tantum virtus instrumentalis a Christo participata.

3° In quantum est *actus religionis :* etenim ut sacrificium est actus principalis cultus externi, in quo ipse Christus perfectissime protestatur Dei excellentiam et nostram subiectionem.

Hinc alia sacramenta ad Eucharistiam ordinantur ut ad finem : Ordo ad eius confectionem, Matrimonium ad eius repraesentationem, alia ad eius receptionem saltem meliorem. Cfr. C. Trid., sess. 13, c. 3.

Post Eucharistiam reliqua veniunt ordine sequenti : Ordo, Confirmatio, Baptismus, Extrema Unctio, Poenitentia, Matrimonium, nam non esse inter se paria testatur C. Trid., sess. 7, can. 3 ; quae tamen possunt esse digniora *secundum quid :* Baptismus ratione necessitatis, Ordo et Confirmatio ratione ministerii quia non conferuntur nisi ab episcopo ; Matrimonium ratione significationis.

102. Ordo necessitatis. — Tria sacramenta sunt *simpliciter necessaria necessitate medii* ad vitam spiritualem : Baptismus absolute omnibus, Poenitentia sub conditione lapsis post Baptismum, Ordo Ecclesiae (Prov. XI, 14). Alia non sunt necessaria nisi necessitate convenientiae, quatenus sine ipsis non habetur vita spiritualis ita convenienter.

Necessitate praecepti necessaria sunt Baptismus et Eucharistia, Poenitentia vero sub conditione peccati post Baptismum commissi. De Ordine et Matrimonio non datur praeceptum, quia non spectant ad omnes. Item de Confirmatione et Extrema Unctione *probabiliter* non datur per se rigorosum praeceptum ; in praxi tamen qui ea, data opportunitate, negaret, facile peccaret per accidens, ex contemptu, vel negligentia tanti medii salutis, vel scandalo. Et in hoc sensu intelligendum putamus Codicem, can. 787 et 944.

103. Ordo prioritatis in usu. — Est duplex : Unus quoad valorem, et sic Baptismus praecedere debet alia sacramenta. Alius quoad liceitatem, et sic Confirmatio debet praecedere Ordinem, ordo inferior superiorem ; pariter supposito peccato, Poenitentia praemitti debet in re susceptioni Eucharistiae, et saltem in voto aliorum susceptioni sacramentorum vivorum.

APPENDIX.

DE CAEREMONIIS SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIBUS.

Articulus I.

De Caeremoniis Sacramentorum.

104. Caeremoniae sunt ritus accidentales in solemni sacramentorum administratione adhiberi soliti. Unde a sacramentis differunt, quia non sunt institutionis divinae sed ecclesiasticae ; et quia ad gratiam conferendam non directe ordinantur, sed ad venerationem erga sacramenta et devotionem promovendam.

Protestantes illas contemnunt ut superstitiosas. At inde ab initio semper quaedam caeremoniae in sacris ministrandis fuerunt adhibitae in Ecclesia, cui potestas data est instituendi omnia quae ad convenientiam cultus et sacramentorum ministrationis pertinent, ut docet C. Trid., sess. 22, c. 5. Unde sess. 7, can. 13 definit : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, a. s. ».

105. Caeremoniarum utilitas est multiplex : 1) conferunt ad ornatum et maiestatem divini cultus et reverentiam sacramentorum, ita quod sancta sancte tractentur, dum maiorem reverentiam in ministris, suscipientibus et adstantibus excitant ; 2) vivide declarant et veluti oculis visibilem reddunt mirabilem efficaciam sacramentorum, et intellectum quasi manuducunt ut doctrinam sacramentariam capiat atque sibi impressam retineat ; 3) ita mentem erigunt ad contemplationem divinorum, et fidem ac charitatem excitant ; 4) addi potest quod membra Ecclesiae discernunt ab haereticis qui has caeremonias non observant.

106. Obligatio servandi caeremonias ex genere suo gravis est, ita ut ministri in conscientia et sub peccato teneantur caeremonias servare, sive ab Ecclesia universali sive in particulari sua regione aut ordine vel ritu praescriptas ; nisi necessitas excuset. Quodsi res arbitrio relinqueretur ministrorum, maxima nasceretur difformitas et confusio.

Secluso etiam contemptu aut scandalo, peccant qui sine iusta ratione caeremonias omittunt aut mutant, graviter vel leviter secundum materiam ; haec eo facilius erit gravis quo caeremoniae sint altioris significationis, aut effectum habeant specialem, aut non serventur in maiori quantitate, aut exinde natum sit sequi maius fidelium scandalum.

Articulus II.

De Sacramentalibus.

107. Sacramentale etymologice est id quod ad sacramentum pertinet ; unde caeremoniae ritum essentialem sacramentorum concomitantes, ab antiquis theologis saepe vocantur sacramentalia. Usu tamen hodierno, sub hoc nomine veniunt ritus ecclesiastici qui peculiarem cum sacramentis similitudinem habent, et sunt quasi minora sacramenta [1].

1. Vox : sacramentalia, iam adhibetur a Petro Lombardo, in IV, d. 6, H.

Differentiam simul et analogiam habent cum sacramentis : signa practica sunt quae aliquatenus divino cultui deputant, et effectum habent sed gratia sacramentali inferiorem. Sunt enim res aut actiones quibus Ecclesia in aliquam sacramentorum imitationem uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales (can. 1144). Definiri possunt : ritus sensibiles et sacri ab Ecclesia instituti ad quosdam effectus tum spirituales tum temporales significandos et producendos. Dicuntur:

1) *ritus sensibiles:* sunt enim res uti aqua benedicta, agnus Dei, cereus paschalis, aut actiones uti benedictiones personarum vel rerum, signum crucis, oratio Confiteor ;

2) *ab Ecclesia instituti*, quae tamen potestatem ea instituendi ab ipso Christo receperit ; unde si quaedam independenter ab Ecclesia extiterint, tamen ab Ecclesia habent quod sacramentalia sint, stabiliter scil. instituta. Hinc can. 1145 : « nova sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica » ;

3) *ad quosdam effectus significandos et producendos tum praesertim spirituales tum temporales:* ex sua Ecclesiae impetratione scil. obtinendos.

Hinc distinguuntur a) *a meris sacramentorum caeremoniis*, ut vestis candida in Baptismo aut paramenta sacra, quae unice ad ornamentum cultus et reverentiam conciliandam sacramentis ordinantur et ad eorum efficaciam significandam ; b) *a sacramentis*, tum ratione originis, tum ratione effectus qui non est ipsa iustificatio et habitualis gratia aut eius augmentum, tum ratione modi operandi, quia non sunt causae efficientes ex opere operato, sed ut causae morales influunt ex opere operantis Ecclesiae et vi ipsius impetrationis.

108. Benedictiones sacramentalia plerumque constituunt vel et sacramentalia sunt. — Distinguuntur benedictiones:

1) *Constitutivae*, quibus res aut persona fit sacra i. e. divino cultui deputatur aut consecratur : ita benedictio ecclesiae, oratorii, campanae, vasorum, paramentorum ; consecratio templi, altaris, calicis ; benedictio abbatis aut virginis ; deputatio clerici ad ministerium divinum per tonsuram. Sunt *causa efficiens* rei sacrae, et per se sacramentalia proprie non sunt ; per accidens tamen possunt esse si ipsa benedictione vel usu rei benedictae bona nobis obvenienda impetrant tamquam *causa moralis*, ut v. g. rosarium aut scapulare benedictum.

2) *Invocativae*, quibus rei vel personae a Dei benignitate aliquod particulare beneficium impetratur. Sunt sacramentalia, ut *causae morales* effectum obtinentes : ita benedictio mulieris, infantis, infirmi, nuptiarum, agri, domus, mensae, alimentorum, animalium.

3) *Constitutivae et simul invocativae*, quibus res eo fine benedicuntur ut ex earum applicatione vel usu aliquod bonum permanenter in hominem redundet vel aliquod malum avertatur : ita panes benedicti aut cineres, palmae benedictae, numismata, agnus Dei, aqua lustralis, etc.

4) Ad has ultimas referuntur *exorcismi* ad repellendam actionem nocivam daemonis in personas aut res: in iis miscentur formulae invocativae et simul daemoni iubetur et constituitur necessitas ut ab actione nociva desistat.

Hinc ad tres species reducuntur sacramentalia : a) ad benedictiones Ecclesiae, b) ad rerum benedictarum usum, et c) ad exorcismos.

Olim solebant aliae tradi divisiones, sed nec erant scientificae nec sufficienter fundatae.

109. Efficacia sacramentalium ex hucusque expositis sat intelligitur. Obtinent scil. quatuor effectus :

1) *collationem gratiae actualis* ad officia specialia peragenda, ad opera salutaria, aut fervorem charitatis ;

2) *remissionem peccati venialis* vel et poenae temporalis, quatenus excitant motum contritionis, aut retractationem peccati saltem implicite continent vel satisfactionem ;

3) *cohibitionem et repulsionem daemonis ;*

4) *largitionem boni temporalis*, v. g. sanitatis, aut prosperitatis agrorum, in quantum utile esse possit ad salutem.

Obtinentur ex opere operantis Ecclesiae, non ex dispositionibus ministrantis aut suscipientis, licet in maiori aut minori gradu secundum dispositiones suscipientis a quibus pendent tamquam a conditione ; a dispositionibus vero ministrantis v. g. viri sanctissimi non pendent, sed ex ipsis addi potest alius effectus ex opere operantis ministri.

Non tamen obtinentur immediate, nec infallibiliter, quia deesse possunt conditiones requisitae ut oratio sit ineffabiliter efficax, et adesse obex ex parte rei petitae aut ex parte hominis ; at datis conditionibus requisitis, impetrationes Ecclesiae infallibiliter exaudiuntur.

110. Dispositiones iuris canonici. — A. *De ministro* statuuntur :

can. 1146 : « Legitimus sacramentalium minister est *clericus*, cui ad id potestas collata sit quique a competente auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus eamdem exercere », uti prohibetur excommunicatis et personaliter interdictis, etiam si requirantur post sententiam, nisi in mortis periculo (can. 2261 et 2275).

can. 1147 : « § 1. *Consecrationes* nemo qui charactere episcopali careat *valide* peragere potest, nisi qui vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur ».

§ 2. « *Benedictiones* autem impertire potest quilibet *presbyter*, exceptis iis quae Romano Pontifici aut Episcopo aliisve *reserventur* ». Pontifici reservantur pallium aut agnus Dei, parocho benedictio nuptialis et domorum sabbato sancto, episcopo benedictio Ecclesiae aut campanae solemnis.

§ 3. « Benedictio *reservata* quae a presbytero datur sine necessaria licentia *illicita* est, sed *valida*, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit ».

§ 4. « Diaconi et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur ».

B. *De ritu servando :*

can. 1148 : « § 1. In sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate serventur ritus ab Ecclesia probati.

§ 2. Consecrationes ac benedictiones sive constitutivae sive invocativae *invalidae* sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta ».

C. *De subiecto :*

can. 1149 : « Benedictiones, imprimis impertiendae *catholicis*, dari quoque possunt *catechumenis*, imo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam *acatholicis ad* obtinendum *fidei lumen* vel, *una cum illo*, corporis *sanitatem* ». Attamen ea recipere prohibentur excommunicati et personaliter interdicti post sententiam (can. 2260 et 2275), et qui matrimonium mixtum sine Ecclesiae dispensatione inire ausi sunt (can. 2375).

can. 1152 : « Exorcismi a legitimis ministris fieri possunt non solum in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos vel excommunicatos ».

TRACTATUS

DE BAPTISMO.

INTRODUCTIO.

111. Primum sacramentum est Baptismus, omnia alia ordine receptionis et necessitatis praecedens, utpote quo regeneramur in vitam spiritualem. Vocatur a voce graeca βαπτίζω quae proprie idem significat ac immergere, tingere, abluere (*plonger, laver; — dompelen, dopen*); unde significat *ablutionem*, et vario sensu usurpatur, etiam in Scripturis, sive pro lotione communi (Iudith, XII, 7), sive pro lotione legali et rituali (Neh. IV, 23; Mc. VII, 4; Hebr. IX, 10), sive pro baptismo Iohannis (Mt. III, 7, 11), sive denique pro baptismo christiano (Mt. XXVIII, 19; Mc. XVI, 16). Metaphorice autem pro ingenti afflictione, ut pro passione Christi (Lc. XII, 50; Mc. X, 38); et pro copiosa effusione gratiae Spiritus sancti (Act. I, 5).

Sensu autem strictiore et theologico sumitur pro sacramento regenerationis per lavacrum aquae et expressam SS. Trinitatis invocationem

112. Baptismus definitur : *Sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, in quo per ablutionem aquae sub invocatione SS. Trinitatis a ministro impertitam, homo viator regeneratur in vitam supernaturalem et divinam atque Ecclesiae aggregatur.* In qua definitione indicatur :

1° Genus ad quod Baptismus pertinet : *sacramentum N. Legis,*

2° Auctor Baptismi seu causa efficiens principalis : *a Christo Domino institutum,*

3° Materia : *in quo per ablutionem aquae,*

4° Forma : *sub invocatione SS. Trinitatis,*

5° Causa ministerialis : *a ministro impertitam,*

6° Subiectum : *homo viator,*

7° Effectus tum principalis seu gratia : *regeneratur in vitam supernaturalem et divinam,* tum secundarius seu character : *atque Ecclesiae aggregatur.*

113. Baptismus variis nominibus fuit designatus :

1) *A materia* dicitur lavacrum (λουτρόν) aquae (Eph. V, 26), sacramentum aquae, unda genitalis, fluvius aquae vitalis.

2) *A forma* sigillum (σφραγίς : II Cor. I, 22), signaculum vel obsignatio fidei, sacramentum fidei, signaculum SS. Trinitatis.

3) *Ab effectu :* lavacrum regenerationis et renovationis (Tit. III, 5; Herm. sim. IX, 16), ablutio peccatorum (Act. XXII, 16), et illuminatio (φωτισμός : II Cor. IV, 4, 6; Hebr. VI, 4) praesertim apud Graecos.

114. Divisio tractatus. — Tractatus dividitur in quinque quaestiones :

1° De ipso Baptismi sacramento : a) de eius institutione, b) de materia, c) de forma.

2° De effectibus Baptismi.

3° De necessitate Baptismi.

4° De ministro Baptismi.

5° De subiecto Baptismi, scil. de baptizandis a) adultis, b) pueris, c) filiis acatholicorum, d) nonnatis, e) abortivis, f) monstris, et g) rebaptizandis sub conditione.

Accedit appendix de caeremoniis Baptismi [1].

---

1. Praeter generalia de Sacramentis, specialia de Baptismate utiliter conferri possunt : S. Thomas, III, q. 66-71 cum comm. Caietani, Sylvii et Billuart ; — item Suarez ; — inter recentiores : Tanquerey in Th. dogmatica et morali ; De Smet, *De Sacramentis in genere, Baptismo et Confirmatione;* — dogmatici ut Billot, Van Noort et Hugon ; — historici et positivae scientiae cultores : Corblet, *Histoire dogmatique, liturgique, archéologique du Sacrement de Baptême;* Ermoni, *Le Baptême dans l'Église primitive;* Dict. de Théol., art. *Baptême; Imposition des mains;* Coppens, *L'Imposition des mains et les rites connexes;* d'Alès, *De Baptismo et Confirmatione;* pro quaestionibus practicis S. Alphonsus et manualia moderna omnibus nota ; inter canonistas Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis,* I ; Claeys-Bouaert et Simenon, *Manuale Iuris Canonici.*

QUAESTIO PRIMA.

DE IPSO BAPTISMI SACRAMENTO.

Articulus I.

De Baptismi Institutione.

S. Th. III, q. 66, a. 1 et 2.

115. Status quaestionis. — Reformatores admittebant Baptismum a Christo fuisse institutum, sed virtutem sacramenti negabant, cum dicerent solum valere ad excitandam fidem ac proinde baptismum Iohannis eamdem vim habuisse cum Baptismo Christi. Protestantes autem liberales et Modernistae negant Christum instituisse Baptismum.

Contendunt enim Christum fundasse religionem mere spiritualem absque ritibus externis, et christianos ritum Baptismi a Iudaeis aut Graecis esse mutuatos ; — aut asserunt Christum retinuisse baptismum Iohannis ut symbolum purificationis et poenitentiae, christianam vero communitatem primitivam baptismo rationem et necessitatem sacramenti adiunxisse. Hinc damnata fuit prop. 42 Modernistarum : « Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium eique professionis christianae obligationes adnectens ».

Contra quos catholici omnes ut dogma tenent sacramentum Baptismi fuisse ab ipso Christo institutum, licet de tempore institutionis diverse sentiant.

116. *Thesis.* **Baptismus est verum sacramentum a Christo institutum, a baptismo Iohannis essentialiter diversum.** — Est *de fide :* primum ex C. Trid., sess. 7, de Sacr., can. 1 confirmante C. Flor. ; alterum ex eadem sess., de Bapt., can. 1.

Probatur : 1) *Ex verbis Christi* qui omnia elementa sacramenti indicavit : a) vim regenerandi hominem Baptismo tribuit et aperiendi regnum Dei (Ioh. III, 5) ; b) determinavit materiam scil. ablutionem, et formam, invocationem SS. Trinitatis (Mt. XXVIII, 19) ; c) in perpetuum instituit (ib. 20) et legem statuit universalem necessario servandam ad obtentionem salutis (Ioh. III, 5 ; Mc. XVI, 16).

2) *Ex praxi Ecclesiae universalis* inde ab initio : ab ipso die Pentecostes Baptismi ritus adhibetur ab apostolis in remissionem

peccatorum (Act. II, 38, 41 ; VIII, 12, 38 ; XVI, 14-15, 33), quem in nomine seu auctoritate Iesu ministrant (II, 38 ; VIII, 16 ; XIX, 1-5) quique omnibus imponitur ut conditio aggregationis ad communitatem christianam, etiam Paulo qui a Christo missionem acceperat (IX, 18), Cornelio qui visibiliter recepit Spiritum sanctum (X, 44-48) et iis qui receperunt baptismum Iohannis (XIX, 1-5). Quem ritum Ecclesia semper ut necessarium retinuit, ut iam testantur Didachè VII ; ep. Barn. XI ; Hermas, simil. IX, 16 ; Iustinus, Ap. I, 61. Quae declarari nequeunt nisi Baptismus ab ipso Christo fuisset institutus ; quod ceteroquin Evangelistae aperte testantur (Mt. XXVIII, 19 ; Mc. XVI, 16 ; Ioh. III, 5).

117. Baptismus videtur fuisse institutus quando Christus a Iohanne fuit Baptizatus (Mt. III, 16 sq.).

Tunc enim, secundum S. Thomam, a. 2, aquae contulit suam significationem sacramentalem atque virtutem sanctificandi contactu carnis suae in praesentia manifestationis SS. Trinitatis ; efficaciam tamen definitivam morte sua et passione in cuius virtute sacramenta operantur ; denique praeceptivo mandato Baptismum omnibus imposuit ante ascensionem (Mt. XXVIII, 19).

Sunt tamen qui aliter sentiunt :

a) Quidam, ut Alexander Alensis, solum post Christi resurrectionem dicunt Baptismum institutum ; sed hoc non videtur admittendum, tum quia Christus et apostoli vivente Christo baptizaverunt (Ioh. III, 22 ; IV, 1-2), quod de baptismo Iohannis minus bene intelligeretur, tum quia apostoli recepissent Eucharistiam et Ordinem ante Baptismum, quod non videtur conveniens.

b) Alii, ut S. Bernardus et Estius, aiunt Christum instituisse Baptismum, dicendo ad Nicodemum : Nisi quis renatus fuerit ex aqua... (Ioh. III, 5) ; sed non videtur sacramentum instituisse in colloquio privato.

c) Denique alii, ut plures Scotistae, Suarez, Wirceburgenses, Pesch, tempus indicant quo Christus apostolos misit ad praedicandum (Mt. X, 1-10 ; Lc. IX, 1 sq. ; Mc. III, 15 ; VI, 7) ; sed huius assertionis nullum assignatur fundamentum positivum.

118. Animadversio. — « In sacramento Baptismi est tria considerare : aliquid scil. quod est sacramentum tantum ; aliquid autem quod est res et sacramentum ; aliquid vero quod est res tantum. *Sacramentum tantum* est aliquid visibile exterius existens, quod scil. est signum interioris effectus : hoc enim pertinet ad rationem sacramenti ; exterius autem suppositum sensui est ipsa aqua, et eius usus, qui est ablutio... facta sub forma praescripta verborum. *Res* autem *et sacramentum* est character baptismalis, qui est res significata per exteriorem ablutionem ; et est signum sacramentale interioris iustificationis quae est *res tantum* huius sacramenti, scil. significata, et non significans » (a. 1).

Articulus II.

De Materia Baptismi.

S. Th. III, q. 66, a. 3, 4, 7, 8.

119. Errores. — Circa materiam Baptismi plures erraverunt. Gnostici quidam et Manichaei, testibus Irenaeo, Tertulliano, Augustino, e collatione Baptismi excludebant aquam, quam dicebant ortam a principio malo ; asseclae Marci oleum aquae admiscebant ; discipuli Simonis magi et Cathari, ad litteram sumentes verba Mt. III, 11, ut materiam ponebant ignem, et ideo baptizabant in loco tenebroso medias inter lampades.

Luther et Deza contendebant quidquid balnei loco esse potest, deficiente aqua, aptum esse ad Baptismum. Calvinus, licet agnosceret aquam requiri in Baptismo, vocem « aqua » in textu Ioh. III, 5 intellexit metaphorice de aqua viva, seu Spiritu vivificante ad instar aquae. Quakeri Baptismum aquae ut ritum iudaicum repudiant, et nonnisi spiritualem Baptismum agnoscunt qui est in testimonio bonae conscientiae et Spiritus sancti receptione.

Baptistae et Anabaptistae, sicut plures Graeci schismatici cum Marco Ephesino, solum Baptismum admittunt per immersionem, modum in Ecclesia latina a saec. XIV communius usitatum habent invalidum vel et haereticum.

120. *Principium I.* **Materia Baptismi remota est omnis et sola aqua naturalis** (can. 737). — Est *de fide* definitum in Conc. Trid., sess. 7 de Bapt., can. 2 : « Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi (contra Luther), atque ideo verba illa D. N. I. C. : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s.* ad metaphoram aliquam detorserit (contra Calvinum), anathema sit ».

Probatur : 1) *Ex documentis revelationis.* Christus determinavit aquam (Ioh. III, 5 et 22-26), Apostoli nonnisi in aqua baptizant (Act. VIII, 27-39 ; X, 44-48). Unde Paulus Baptismum vocat *lavacrum aquae* (Eph. V, 26), et Petrus in 1ª ep. III, 20 : « Arca in qua... animae salvae factae per *aquam*, quod et vos *similis formae* salvos facit Baptisma ». Primitiva Ecclesia hanc praxim firmiter tenet, ut constat ex Didachè VII ; ep. Barn. XI ; Iust. ap. I, 61 ; Patres confutant haereticos qui aquam non adhibent ; Liturgiae omnes ab initio aquam praescribunt ; Innocentius III declarat aquam ad verum Baptismum necessariam. Quod Concilia confitentur : Lat. IV, c. 1 ; Vien., const. de fide cath. ; et Flor., pro Arm.

2) *Ex convenientia rationis :* « Ex institutione divina aqua est propria materia Baptismi ; et hoc convenienter... a) quantum ad effectus Baptismi, quibus competunt aquae proprietates quae sub humiditate lavat, ex quo conveniens est ad significandam et

causandam ablutionem peccatorum; sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis ; sua diaphaneitate est luminis susceptiva, unde competit Baptismo, in quantum est fidei sacramentum... ; — b) quia ratione suae communitatis et abundantiae est conveniens materia necessitatis huius sacramenti : potest enim ubique de facili haberi » (a. 3).

121. Ad validitatem Baptismi requiritur aqua naturalis seu elementaris in statu liquido, i. e. omne quod usu et nomine aquae venit apud homines.

Talis est aqua fluminum, pluviae, putei, fontis, stagnorum, cisternarum, balnei, paludis, lacuum, maris, sive amara sit aut venenata sive dulcis, sive calida et fervens sive frigida et gelida, sive benedicta sit sive non sit. Item aqua resoluta ex nive, gelu, grandine, rore, nebulis, vaporibus condensatis, vel fluens ex lapidibus (quod dicitur sudor pavimenti), foliis, aut parietibus nimboso vel hiberno tempore ; item aqua arte chemica aut *distillatione* alterius elementi *obtenta*, si ab elementis extraneis sit pura ; item aqua mixta cum materia extranea in parva quantitate, modo non tantum chemice sed *etiam secundum communem aestimationem* aqua sit certo praedominans et adhuc vocetur aqua, v. g. aqua putrida (S. Off. 17 apr. 1839), turbida aut parum lutosa, mineralis, sulphurea, ferruginea, etc.

Hinc 1) materia *invalida* sunt : vinum, oleum, ius carnis vel adipis, humores corporis animalis aut humani : lac, sanguis, urina, saliva, lacrymae, sudor, pituita, liquor amnii, sputum, phlegmata, etc ; — succus ex arboribus, fructibus (pomis, pyris, cerasis), floribus, herbis, radicibus, granis *expressus ;* — nix, glacies, grando, pruina, vapor et alia non resoluta quia non sunt apta ad ablutionem ; — aqua valde permixta ita ut plus habeat de aliena substantia quam de aqua, vel non sit amplius apta ablutioni, v. g. lutum, atramentum, cerevisia valde bona, bonum caffaeum, bona thea, bonum iusculum, lixivium. Haec enim omnia non sunt aqua ; vel si sunt, secundum communem aestimationem non habent usum nec nomen aquae.

2) Materia *dubia* sunt iusculum tenue, lixivium non nimis crassum, parva cerevisia, aqua theana vel caffaeana ordinaria, parvum atramentum, aqua ex sale resoluta, aqua artificialis *distillatione extracta* ex floribus vel herbis, v. g. rosacea, violacea, etc. aut *fluens* ex vite vel arboribus.

122. Ad liceitatem requiritur aqua pura ac munda ; in Baptismo autem solemni, aqua ad hoc specialiter consecrata. Baptismus autem solemnis est ille qui ministratur cum omnibus caeremoniis (can. 737, § 2) sicuti, extra periculum mortis, regulariter est conferendus (can. 759, § 2).

Graviter peccat, contra reverentiam sacramenti, ille qui *sine necessitate* adhibet aquam impuram, sordidam, turbidam, — vel qui in Baptismo *solemni* non utitur aqua consecrata (can. 757, § 1) : quodsi in casu necessitatis desit aqua consecrata, adhibeatur benedicta, secus naturalis (S. Off., 20 iun. 1883) ; extra casum necessitatis nova est benedicenda (17 apr. 1839).

In Baptismo *mere privato* seu non solemni, *melius* est uti aqua benedicta, — vel si baptizans sit sacerdos aut diaconus, etiam aqua consecrata ; alii aqua consecrata uti non possunt.

123. *Principium II.* **Materia Baptismi proxima est exterior corporis ablutio, — quae non solum per immersionem, sed etiam per infusionem aut aspersionem valida esse potest.** — Primum pertinet *ad fidem*, uti constat ex universali praedicatione et usu Ecclesiae, atque ipsa significatione nominis : Baptismus indicatur multisque locis Scripturae (Act. II, 38 ; XXII, 16 ; I Cor. VI, 11 ; Eph. V, 26 ; Tit. III, 5 ; Hebr. X, 22), et patet ex unanimi testimonio Patrum et Liturgiarum (can. 737).

Alterum est *certum* doctrina Ecclesiae quae ex ritualibus et ex praxi liturgiae constat, et in Codice iuris refertur, can. 758 ; ad quod etiam referri potest definitio C. Trid., sess. 7 de Bapt., can. 3.

Probatur : 1) Nomen : Baptismus, licet etymologice significet immersionem, usu tamen communi, etiam in Scripturis relato, significat omnem ablutionem (n. 111).

2) Ad essentiam Baptismi pertinet ablutio aquae per quam significatur interior ablutio peccatorum ; qua servata servatur essentia sacramenti. Atqui servatur non solum per immersionem, sed etiam per infusionem aut aspersionem quae, dummodo aqua fluat, vere abluit. Ergo non solum per immersionem, sed etiam per infusionem aut aspersionem servatur essentia ac proinde valor Baptismi.

3) Ab initio, usitatus aliquando fuit modus baptizandi per infusionem aut aspersionem, uti explicite testatur Didachè VII, 3. Ceterum ipsi apostoli videntur ita baptizasse in Pentecoste una die tria millia, altera vero quinque millia hominum (Act. II, 41), cum in his circumstantiis ritus immersionis vix fuerit possibilis ; item quando S. Paulus baptizavit custodem in carcere (XVI, 33). Et in Baptismo per immersionem, qui erat ritus ordinarius, immersio apud adultos non solebat esse totalis, sed aqua ascendebat usque ad genua vel medium corporis et simul effundebatur super caput. Insuper Baptismus clinicorum qui in lecto decumbentes baptizabantur habitus est ut validus ; atque martyres in carcere vel in ipso loco supplicii per effusionem baptizati sunt.

4) « Quandoque potest imminere necessitas (aliter baptizandi quam immersione) propter paucitatem aquae, vel propter debilitatem baptizandi, cui potest imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum est quod immersio non est de necessitate Baptismi » (a. 7).

Neque obstat sola immersione figurari nostram cum Christo in sepulchro repositionem (Rom. VI, 3). — Etenim « in immersione expressius repraesentatur figura sepulturae Christi..., sed in aliis modis baptizandi repraesentatur aliquo modo, licet non ita expresse : nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars eius aquae supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum » (ad 2). Ceteroquin haec figuralis significatio in Baptismo est mere secundaria.

124. **Ad validitatem Baptismi requiritur ablutio baptizandi a baptizante ;** secus enim non verificaretur sensus formae, et ceteroquin ita habet universalis traditio. Dicitur :

1) *Ablutio*, ad quam requiritur quod aqua corpus immediate et physice tangat et successive fluat ac decurrat per aliquam eius partem, ita ut censeatur lotum vel ablutum. Ad quod tamen parva quantitas sufficit ; nec est necesse ut sordes corporales abstergantur : Baptismatis enim ablutio ad solam emendationem spiritualem ordinatur. Fieri potest vel a) motu baptizandi in aqua, vel b) motu aquae in baptizandum ; nimirum :

a) *Per immersionem*, ad quam requiritur 1° ut quis *in vel sub aqua moveatur ;* unde invalidus esset Baptismus si quis teneretur immotus in aqua immota ; 2° et probabiliter iuxta quosdam, etiam ut *ex aqua extrahatur*.

Hinc dubie valida est ablutio occisiva qua aliquis *proiiceret* infantem in fluvium ; insuper est graviter illicita quia non sunt facienda mala ut eveniant bona : ipsa autem *proiectio* in locum e quo puer erui non potest iam de se mala est utpote tendens directe ad solam occisionem, nec immediate habet effectum bonum sicut ablutio, sed tantum mediate et per accidens, quia de facto terminatur potius ad aquam et ablutionem quam ad aliquid aliud. Ablutio scil. in casu est effectus proiectionis quae, etiam si non fieret in aquam, nihilominus mortem causaret[1]. — Est tamen

1. Billuart, *de Baptismo*, art. 3, § III

licitum *abluere* aqua gelida, alia deficiente, etiamsi timeretur mors aliquantulum acceleranda, quia haec actio per se et immediate tendit ad ablutionem et sanctificationem, non ad occisionem : unde mors eveniret per accidens et excellentiore bono compensaretur vitae aeternae.

b) Etiam *per infusionem* et *per aspersionem*, quamvis hic ultimus modus sit in praxi periculosus. Ad utramque requiritur aliquis *motus aquae*.

Unde materia invalida est solus tactus aquae sine fluxu, uti gutta vel sudarium madidum manens in fronte ; facile dubia est ablutio una vel altera gutta aut per modum unctionis peracta (S. Off. 14 dec. 1898) ; valida si quis *motu* digiti vel sudarii madefacti ablueret partem corporis.

2) Ablutio *baptizandi* i. e. a) *totius* corporis vel *partis praecipuae*, scil. capitis in quo vigent omnes sensus interiores et exteriores (a. 7, ad 3).

Validus est Baptismus si fiat super caput ulcerosa crusta opertum, quia crusta non est nisi cutis infantis ex morbo foede deturpata, et alias homo cuius totum caput variolis obductum esset, nec ablui nec baptizari posset ; — dubius est Baptismus si ablutio fiat in aliis membris quam capite, quia in nullo est integritas vitae sicut in capite ; et eo magis dubius quo fiat n membro minus notabili et a capite remotiore ; unde probabilius est validus si fiat in corde, pectore, collo, scapulis, humeris, magis dubius in brachio vel cruri, valde dubius in pede, manu, digito (can. 746, § 2 et 3).

b) *ipsius* corporis, quod debet physice et immediate tangi.

Hinc dubitatur de valore Baptismi collati in capillis etiam capitis, quia non certo sunt partes corporis [1] ; magis dubius est si in barba vel unguibus ; valde dubius si in funiculo umbilicali aut in una fiat ex duabus membranis quae immediate involvunt infantem in utero matris quaeque nascuntur ex ovo : quamvis

1. Quodsi caput sit crinibus coopertum, debet sacerdos, dum dextra manu aquam fundit super verticem capitis, sinistra crines discriminare vel curare ut aqua per tempora capitis decurrat vel, quod in praxi est facilius, conferre Baptismum in fronte quia in vertice esse abluendum nullibi praescribitur. (Cfr. Noldin, Th. M., III, n. 60). — Quidam, ut Lugo et Genicot, existimant Baptismum collatum in capillis esse aeque certum ac in cute, nam si crines animalis lavantur, animal dicitur ablutum Responderi tamen potest verum esse de animali quod aliter lavari non potest, non de homine qui natura sua crines ubique non habet, et ideo immediate valet ablui.

enim sint originis foetalis, non tamen sunt pars permanens infantis sed potius involucrum aut instrumentum transitorium ; fere certo invalidus si in tertia fiat membrana exteriore foetum involvente, quia haec oritur ex substantia matris ; invalidus si in vestibus vel corpore matris (S. Off. 21 maii 1671).

3) Ablutio *a baptizante* : si enim fieret a baptizato, vel a tertio, vel a sola causa naturali v. g. dum puer labitur in aquam, falsa forent verba : *ego* te baptizo. Unde invalidus est Baptismus in quo pronuntiatur forma sed non ab illo qui facit ablutionem (S. C. S., 17 nov. 1916).

Valet Baptismus si quis tenet infantem sub aqua cadentem sine alterius ope vel ab altero iam effusa, quia tenens est sola causa ablutionis ; quodsi alter intendat vel sciat se infundere aquam in infantem, Baptismus est dubius quia dubitatur an ille qui tenet vel ille cuius ope aqua descendit sit causa ablutionis.

125. **Ad liceitatem est ille modus ablutionis servandus qui in usu est apud singulas Ecclesias** (can. 758). — Graeci per trinam immersionem baptizant, quam etiam adhibere possunt dum apud Latinos commorantur ; at in Ecclesia latina generatim ablutio facienda est per infusionem trinam in modum crucis peragendam.

Graviter peccat qui, in Baptismo solemni, modum ablutionis usualem mutat, vel trinam infusionem non facit. Triplex ablutio in honorem SS. Trinitatis ab initio Ecclesiae fuit usitata, ut testatur Didachè, VII, 4.

Articulus III.

De Forma Baptismi.

S. Th. III, q. 66, a. 5 et 6.

126. *Principium.* **Forma Baptismi est :** *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, aut alia aequivalens (can. 737). — *Est certum.*

Probatur : 1) *Ex verbis Christi*, Mt. XXVIII, 19, ut intellecta fuerunt in constanti et perpetua traditione Ecclesiae.

2) *Ex praxi Ecclesiae* inde ab initio, ut constat ex testimoniis Didachè VII ; Iustini Apol. I, 61 ; Tertulliani, de Bapt. 13 ; adv. Prax. 26 ; Cypr. ep. 73 ; Ambrosii, de Myst. IV, 20 ; Augustini, c. Don. VI, 25 ; Const. Apost. VII, 22 ; Can. Ap. can. 49 ; Can. Hipp., can. 133 ; atque ritualium graecorum et latinorum ; item Conc. Lat. IV, c. 1 *Firmiter ;* C. Vien., const. de fide cath. ;

Flor., pro Arm., et Trid., sess. 7, de Bapt., can. 4, licet id non sit directe obiectum definitionis.

3) *Ratione convenientiae :* « Oportet quod in forma Baptismi exprimatur causa Baptismi. Est autem eius duplex causa : una quidem principalis, a qua virtutem habet, quae est sancta Trinitas ; alia autem instrumentalis scil. minister, qui tradit exterius sacramentum. Et ideo oportet in forma Baptismi de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur : *Ego te baptizo ;* causa principalis, cum dicitur : *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Unde haec est conveniens forma Baptismi » (a. 5). Quod certo convenit sacramento initiationis fidei, cuius praecipuum mysterium est SS. Trinitas.

127. Ad validitatem Baptismi, quinque in forma sunt exprimenda : persona baptizantis, — actus baptizandi in alterum exercitus, — persona baptizati, — unitas divinae essentiae, — trinitas personarum sub nominibus distinctis et, probabiliter, propriis [1].

1° *Persona baptizantis* est exprimenda sive explicite, ut in forma latina, sive implicite saltem, ut in forma graeca : *Baptizatur N. servus Christi, in nomine...,* in qua vox : *baptizatur* [2], ex adiunctis idem valet ac baptizatur a me, baptizatur hoc meo ministerio, ut explicat S. Thomas, a. 5, ad 1.

Hinc omissio pronominis *ego* non invalidaret Baptismum in lingua latina ; in linguis modernis autem videndum an adsit intentio recte pronuntiandi formam et an actio ministri sufficienter ex adiunctis indicetur ; unde in praxi saepe erit invalidus Baptismus [3].

2° *Actus baptizandi* quoque est exprimendus, secus

1. A modo loquendi recepto recedit De Smet, o. c., n. 233, dicens ad validitatem formae sufficere duo, nempe mentionem actionis baptismalis et invocationem *distinctam* SS. Trinitatis : non postulatur *mentio personae ministrantis (ego)* cum minister ipsa sacramentali operatione satis designatur ; nec *mentio personae subiecti (te)* quia in ipsa actione baptizandi certam personam afficiente, sufficienter determinatur subiectum, unde S. Off. validam decrevit formam Armeniorum in qua talis mentio desideratur : Baptizat (vel : baptizet) nunc manus mea in nomine...— Respondemus, cum S. Thoma, a. 5, ad 2, requiri saltem mentionem implicitam aequivalentem, non solum ex parte materiae sed et ex parte formae ; unde et in praedicta forma Armen orum verba : *nunc, manus mea* sufficienter indicant subiectum quod manus hic et nunc abluit.

2. Non : *baptizetur,* ut plures dixerunt, sed id ex confusione ortum est propter similitudinem cum βαπτίζεται

3. Ita S. C. C. 11 febr. 1797 validam declaravit, ex intentione proferentis sufficienter clara, formam : « Enfante, te baptise en nom... » (Aertnijs, Th. M., II, n. 49, 2°).

forma materiam non determinaret, cum infusio aquae ad varios fines posset fieri, ut animadvertit S. Thomas, ad 2, et certo constat ex damnatione prop. 27 ab Alex. VIII [1] ; — et quidem actus in praesenti exercitus, secus tempus praesens : *baptizo* non verificaretur.

Valet Baptismus si quis utatur voce synonyma : ego te abluo, lavo, mergo, tingo, intingo ; — non valet si exprimatur sola voluntas baptizandi : ego volo tibi ministrare sacramentum Baptismi (S. Off. 23 iun. 1840), vel si actio praesens non exprimatur : baptizatus est in nomine (S. C. P. F. 27 mart. 1631), vel si modus ablutionis non significetur sed alius modus vel solus effectus : ego te mundo, purgo, ungo, tibi ministro sacramentum remissionis peccatorum, etc. ; — dubius est si de hoc dubitetur : ego pono tibi (super te) aquam Dei (S. Off. 17 febr. 1897) ; ego te christianizo seu reddo christianum [2].

3° *Persona baptizati* est exprimenda, quia forma circa certam personam versari debet.

Exprimitur per verbum *te* vel aliud aequivalens (S. C. P. F. 5 iul. 1631), uti : baptizatur Paulus, meus hic, aut talis (N.) servus Christi, baptizo dominationem aut maiestatem vestram, vel : baptizo vos, si sint plures.

4° *Unitas divinae essentiae* exprimitur verbis : *in nomine.*

Hinc invalidus foret Baptismus si quis diceret : in nominibus, vel simpliciter : in... aut cum Patre..., aut ex parte Patris... ; — vel : in nomine Patris et Filii, et gratia Spiritus sancti ; — vel : in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto ; — dubius si : in virtute, maiestate, auctoritate Patris..., vel : in uno Deo Patre, Filio, Spiritu sancto ; — vel : nomine sine in [3]. Hisce in casibus, vel non sufficienter essentia Dei aut eius unitas exprimitur, vel saltem id incertum est

Ambiguae sunt formae : cum nomine, in nomen (*op den naam*) ;

1. « Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus : In nomine Patris... praetermissis : Ego te baptizo ». — Item Alex., III, c. 1, III, 42 : « Si quis puerum in aqua immerserit in nomine P... et non dixerit : ego te baptizo in nomine..., non est puer baptizatus ».

2. Per se significat effectum Baptismi, sed usu loquendi vox in quibusdam linguis significat actionem sacramentalem scil. ablutionem sacramentalem : baptizo. Ita pro lingua slavonica, uti scimus ex approbatione ritualis slavonici (anno 1894).

3. Hanc ultimam aliqui dixerunt ambiguam, propter decretum S. C. C., 12 sept. 1801, allegatum a *N. Revue Théol.,* XX (1868), p. 113. At animadvertit Lehmkuhl (Th. M., II, n. 89, nota 1) ita esse ex usu linguae italae vel etruscae, quo consueverunt supprimere litteram i ante m et n, ita ut n' nome omnino sit : in nome ; quare minime constat id etiam valere in latina aliave lingua.

Patris maioris, Filii minoris ; in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus sancti ; vel : ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus sancti ; unde eorum validitas pendet ex intentione proferentis, et sic intelligenda sunt decreta romana quae loquuntur de primo et ultimo casu[1]. Item locutiones aliquatenus corruptae, ut in nomine Patris et Filiae, in nomine Patrias et Filias, et forma : in nomine Dei Patris, et Dei Filii, et Dei Spiritus sancti, quam tamen aliqui ut dubiam habent. Similiter forma cui additur : et B. M. V., vel : in nomine B. M. V., quia ex intentione pendet, an ipsi B. Virgini idem nomen tribuatur ac Deo ; quodsi quis diceret : in nomine B. M. V., et Patris..., esset ad minus dubia, si non invalida.

5° *Trinitas personarum* est exprimenda
a) *sub nominibus distinctis.*

Hinc invalidus est Baptismus collatus in nomine Iesu, Dei, Dei unius et trini, SS. Trinitatis, trium personarum, in nomine Paternitatis, Filiationis et Spirationis, in nomine matris, filii... Omissio prioris verbi *et* non reddit formam invalidam (S. C. C. 12 sept. 1801) ; duplicis *et*, non repetito verbo : in nomine, reddit dubiam ; secundi verbi *et* reddit ambiguam, unde validitas pendet ex intentione proferentis (S. C. C. 12 maii 1753), at secundum alios tunc est dubia[1].

b) probabiliter etiam *sub nominibus propriis.*

Unde dubius erit Baptismus collatus in nomine genitoris vel ingeniti, geniti et procedentis, spirati vel doni ; — creatoris, redemptoris et sanctificatoris ; — omnipotentis, sapientis et boni ; — Patris, Christi Iesu et Spiritus sancti ; 1ae, 2ae, 3ae personae SS. Trinitatis ;— Patris et Filii et Spiritus, omittendo : sancti.

128. Ad liceitatem requiritur ut forma adhibeatur ut in rituali indicatur propriae Ecclesiae ; nam unusquisque ritum suum sequi debet (can. 733, § 2 ; Rit. rom tit. 2, c. 1, n. 9).

Iuxta rituale romanum forma est : *N. ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* omisso *Amen* (ita S. C. R. 9 iun. 1853), qua voce olim populus vel clerus praesens respondebat sacerdoti ministranti. Graeci e contra dicunt : *Baptizatur N. servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.*
Parva mutatio, transpositio, additio vel omissio, quae sensum

1. De sensu ultimi decreti non omnino concordant. Cfr. Lehmkuhl, l. c. nota 3.

relinquit, per se est peccatum veniale ; notabilis mutatio etiam relinquens sensum est peccatum grave, v. g. si sacerdos latinus uteretur forma graeca aut vice versa.

129. Animadversiones. — 1. Forma pronuntianda est *simul* cum infusione aquae, non solum moraliter, ita ut una alteri immediate succedat, sed etiam physice. Sic non solum ad liceitatem, sed etiam probabiliter ad validitatem, ita ut saltem partialiter pronuntietur forma durante ablutione. Quod in praxi omnino est tenendum, quia in dubio de *valore* sacramenti faciendum est id quod est tutius (n. 14).

2. Olim disputatum est de validitate Baptismi collati in nomine Iesu aut Christi, ob quasdam locutiones Scripturae (Rom. VI, 3 ; Act. II, 38; VIII, 12, 16 ; X, 48 ; XIX, 5). Quem plures, ut P. Lombardus et Caietanus existimarunt omnibus temporibus validum[1]; alii autem ut S. Bonaventura, S. Thomas, Scotus, dixerunt ex speciali dispensatione aut ex instinctu Spiritus sancti factum fuisse ut solo tempore apostolico ita posset valide conferri.

Prima sententia contradicit universae et antiquissimae traditioni, unde iussu Pii V fuit expuncta ex operibus Caietani. Altera sententia videtur improbabilis. Nunc enim meliores interpretes Scripturae putant verba « in nomine Iesu » non exprimere formulam liturgicam seu ritualem Baptismi, sed esse formulam iuridicam, quae indicat Baptismi indolem : illum scil. a Christo institutum et eius auctoritate ac potestate ministratum, ab aliis baptismatibus Iudaeorum et nominatim a baptismate Iohannis distinctum, quo homines Christo incorporantur et quem suscipiunt ad professionem nominis Iesu. Ipsae quoque Scripturae hanc interpretationem innuunt (Act. XIX, 2-3) : cum enim S.Paulus discipulos Ephesinos reperiit in ignorantia Spiritus sancti, ab ipsis quaerit : « in quo ergo baptizati estis ? », ita insinuans mentionem fieri de Spiritu sancto in ipsa collatione Baptismi.

3. Quidam auctores moderni Baptismum antiquitus quandoque absque forma ministratum fuisse opinati sunt, quia in pluribus Baptismi descriptionibus forma non memoratur. Sed argumentum negativum nihil probat, quia sufficientia sunt documenta et antiquissima in quibus explicita fit mentio verborum formae.

QUAESTIO SECUNDA.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

S. Th. III, q. 69, et q. 66, a. 9.

130. Effectus sacramenti Baptismi, etiam in infantibus, est regeneratio et renovatio in vita spirituali seu

1. Allegant responsum Nicolai I ad Bulgaros. At non agitur de actu infallibili, atque insuper de sensu illius disputatur. Cfr. Van Noort, o. c., n. 189.

nativitas ad novam vitam supernaturalem, qua homo configuratur morti et resurrectioni Christi, et ideo a) moritur peccato, et b) vivit Deo. Quod Scripturae praedicant : primum in Act. II, 38 ; XXII, 16 ; I Cor. VI, 9-11 ; Rom. VI, 3-6 ; alterum in Ioh. III, 5-6 ; Tit. III, 5 ; Rom. VI, 4-11 ; atque Patres id ab initio celebrant. Unde Baptismus :

A. negative : In omnibus non ponentibus obicem, *removet omne peccatum*, et ideo causat

1) remissionem peccati originalis, ad quod principaliter institutus est ;

2) remissionem omnis peccati actualis, si quid commiserint, sive mortalis sive etiam venialis ;

3) remissionem omnis poenae peccato debitae, non solum aeternae sed et temporalis, ita ut baptizatus statim post mortem intret in gloriam ;

4) consequenter apertionem ianuae regni coelestis, a quo impedimur reatu culpae et poenae.

Est *de fide* ex C. Trid., sess. 5, can. 5 et sess. 6, c. 7 et 14, quo confirmatur Flor., decr. pro Arm.

Quodsi aliquis ponat obicem, obice per poenitentiam remoto, effectus praedictos consequitur (q. 69, a. 10), ita quod Poenitentia prius agat ut removens prohibens, Baptismus prius ut causa gratiae (ad 2) ; et ideo si quis propter obicem nondum consecutus sit quemdam effectum, ut remissionem peccati venialis, vi Baptismi remittetur postea simul cum poena debita, quando scil. retractat culpam, sive in hac vita, sive saltem in primo instanti post mortem.

B. positive : Non ponentibus obicem *confert gratiam*, ut est *de fide* ex definitione C. Trid., sess. 5, can. 5 et sess. 7, can. 6 ; quod si obex adsit, Baptismus conferet gratiam eo momento quo obex postea per poenitentiam removebitur :

1) gratiam habitualem gratum facientem, sine qua, iuxta fidem, non habetur remissio peccati, ut scimus ex doctrina de iustificatione et gratia ;

2) omnes virtutes infusas et dona Spiritus sancti, quae secundum doctrinam certam simul infunduntur cum gratia ;

3) gratiam specialem sacramentalem, nempe ad exercendam fidem et ducendam vitam christianam, ut dictum est n. 36 ;

4) ius ad gratias actuales, ad hunc finem necessarias, durante vita consequendas.

C. denique : Omnes qui valide recipiunt, consecrat et signat *charactere indelebili*, quod fide est credendum ex C. Trid., sess. 7, can. 9 : ita homo incorporatur Christo et, saltem iure et debito, fit discipulus Christi ac membrum Ecclesiae (n. 66).

Hic effectus etiam producitur in illis qui ponunt obstaculum gratiae. Insuper facit ut baptizatus iurisdictioni Ecclesiae in perpetuum subiiciatur : ita Trid., sess. 7 de Bapt., can. 8 et 14, et Codex iuris, can. 87.

131. **Animadversio.** — Licet Baptismus non auferat statim poenalitates praesentis vitae, eius virtute tamen amittunt rationem poenae, atque auferentur a iustis in resurrectione. Ita S. Thomas, a. 3 :

« Baptismus habet virtutem auferendi poenalitates praesentis vitae, non tamen eas aufert in praesenti vita ; sed eius virtute auferentur a iustis in resurrectione... Et hoc rationabiliter : 1° quidem *quia per Baptismum homo incorporatur Christo* et efficitur membrum eius... Et ideo conveniens est ut id agatur in membro incorporato quod est actum in capite. Christus autem a principio suae conceptionis fuit plenus gratia et veritate ; habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde et christianus in Baptismo gratiam consequitur quantum ad animam ; habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati ; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam ; ut Apostolus dicit... (Rom. VIII, 11 et 17); 2° hoc est conveniens *propter spirituale exercitium*, ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo, victoriae coronam acciperet... 3° hoc fuit conveniens, *ne homines ad Baptismum accederent propter impassibilitatem praesentis vitae*, et non propter gloriam vitae aeternae... (I Cor. XV, 19) ».

132. **Corollarium : Sacramentum Baptismi iterari non potest ;** ut definivit C. Trid., sess. 7, De Sacr., can. 9, et De Bapt., can. 11 et 13. Quod quadruplici ratione ostendit S. Thomas, q. 66, a. 9 :

« 1° Quia Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, prout scil. aliquis moritur veteri vitae, et incipit novam vitam agere... Unius autem non est nisi una generatio. Et ideo non potest Baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio...

2° Quia in morte Christi baptizamur, per quam morimur peccato, et resurgimus in novitate vitae. Christus autem semel tantum mortuus est. Et ideo Baptismus iterari non debet...

3° Quia Baptismus imprimit characterem qui est indelebilis,

et cum quadam consecratione datur. Unde sicut aliae consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec Baptismus...

4° Quia Baptismus principaliter datur contra originale peccatum. Et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita nec etiam Baptismus... »

QUAESTIO TERTIA.

DE BAPTISMI NECESSITATE.

S. Th. III, q. 68, a. 1 et 2 ; q. 66, a. 11 et 12.

133. *Principium I.* **Post promulgatum Evangelium ex positiva Dei ordinatione Sacramentum Baptismi omnibus hominibus per se et ordinario necessarium est necessitate medii ad salutem**; adultis vero etiam necessarium est necessitate praecepti naturalis et divini, cum medium illud ab iis suscipi debeat voluntarie. — Est *de fide*.

Probatur : Pro adultis ex verbis Christi, Mt. XXVIII, 19 et Mc. XVI, 16 ; pro omnibus, etiam pueris, ex Ioh. III, 5-6 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto...*, quae verba affirmant Baptismum esse conditionem sine qua non vitae spiritualis ; quod ita esse, etiam pro pueris, intellexit Ecclesia. Uti constat ex perpetua traditione ; et ex C. Flor., decr. pro Arm. et pro Iac. ; et ex definitione Trid., sess. 7, can. 5, sess. 5, can. 5, et sess. 6, c. 4 (can. 737, § 1).

Necessitatem Baptismi tamquam medii negant Pelagiani peccatum reiicientes originale, et Protestantes tenentes solam fidem sufficere ; pro pueris Lutherani id dicunt necessarium, e contra Calvinistae, licet id habeant ut ritum introductionis in Ecclesiam ; Baptistae negant validitatem Baptismi in infantibus. Modernistae plures necessitatem Baptismi ortam dicunt ex lege ecclesiastica (prop. 42).

134. *Principium II.* **Sacramentum Baptismi extraordinarie aut per accidens suppleri potest per baptismum sanguinis seu martyrium, vel per baptismum flaminis seu actum charitatis vel contritionis perfectae cum voto saltem implicito ipsius sacramenti.** — *Certum est* ex traditione Ecclesiae.

Probatur : A. *Baptismus sanguinis* est martyrium, seu mors inflicta et tolerata pro Christo, pro vera fide aut alia virtute christiana.

Vices gerit sacramenti, uti constat ex verbis Christi, Mt. X, 32, 39 ; Lc. IX, 24 ; *etiam in pueris*, quod patet ex eo quod innocentes ab Herode occisos semper Ecclesia ut martyres coluit, « qui non loquendo sed moriendo confessi sunt ». Quod omnino est convenientissimum : cum enim sacramenta ex passione Christi eiusque meritis efficaciam habeant, oportet ut realis imitatio passionis Christi, qua homo maxime configuratur Christo, applicationem meritorum passionis et effectum sacramenti obtineat (q. 66, a. 11).

B. *Baptismus flaminis*[1] seu desiderii, qui ita non vocatur quia adest desiderium Baptismi, cum in aliis adultorum baptismis etiam adsit, sed quia Baptismi non adest nisi desiderium : est actus charitatis vel contritionis charitate *perfectae*, qui desiderium seu votum Baptismi saltem implicite includit, in voluntate faciendi omnia quae Deus sub gravi praecipit et adhibendi omnia media necessaria salutis, inter quae primum est Baptismus ; « in quantum, ait S. Thomas, q. 66, a. 11, alicuius cor per Spiritum sanctum movetur ad credendum et diligendum Deum, et poenitendum de peccatis ».

Vices gerit sacramenti in adultis, quia, cum sacramenta virtutem habeant a Spiritu sancto ut a causa prima, potest aliquis per virtutem Spiritus sancti consequi effectum, non solum sine Baptismo aquae sed etiam sine baptismo sanguinis. Uti constat assertis omnino generalibus de dilectione Dei (Ioh. XIV, 23) et de poenitentia (Ez. XVIII, 21), quae comprobantur facto Cornelii in quem, antequam baptizatus fuerit, visibiliter descendit Spiritus sanctus (Act. X, 33, 44) ; item ex C. Trid., sess. 6, c. 4, et ex doctrina de iustificatione ex opere operantis, i. e. actu charitatis et perfectae contritionis, quae demonstratur in tr. de gratia, et eruitur ex damn. prop. 30 Baii.

Cum autem *votum* sacramenti requiratur, sequitur illos qui baptismo flaminis aut sanguinis fuerunt iustificati, manere obligatos ad sacramentum Baptismi, data opportunitate, recipiendum ; unde esset baptizandus qui in odium fidei iam lethaliter vulneratus, aliquot adhuc instantibus vivere pergeret.

135. **Corollarium.** — *Triplex est Baptismus : fluminis, flaminis et sanguinis.*

1. *Baptismus fluminis* vel aquae, nempe sacramentum Baptismi est signum externum caeremoniale : ritus sacer a Christo institutus et nomine eius ministratus, ut sit eius instrumentum in remissionem peccatorum et insertionem in Ecclesia. Iustificat ex opere operato cum sola attritione, imprimit characterem et remittit omnes poenas peccatis debitas, ut supra explicatum est n. 130.

2. *Baptismus flaminis* vel desiderii : est actus charitatis vel contritionis charitate perfectae. Non est sacramentum, quia non est signum externum, nec proinde characterem imprimit ; unde post talem baptismum remanet obligatio recipiendi sacra-

---

1. Ista denominatio in usu est ab initio saec. XIII.

mentum Baptismi. Iustificat ex opere operantis, et ordinario non remittit omnes poenas.

3. *Baptismus sanguinis* seu martyrium. Non est sacramentum, quia non est signum caeremoniale sacrum seu ritus a Christo institutus, qui nomine eius ministratur ut sit eius instrumentum ad sanctificationem ; unde non imprimit characterem. Iustificat quasi ex opere operato, non active scil. sed passive, cum sola attritione, et in ipso remittuntur omnes poenae peccatis debitae. Praestat aliis propter maiorem et perfectiorem conformitatem cum Christo, et ideo maiorem gratiam in eo Deus largitur (q. 66, a. 12).

Ne existimes ad Baptismum sanguinis non sufficere attritionem, sed requiri dispositionem charitatis secundum illud I Cor. XIII, 3. — Nam a) martyrio in debita dispositione sine obice suscepto, eo ipso obtinetur charitas ; b) requiritur charitas ad hoc quod martyrium non solum sit medium iustificationis, sed etiam opus meritorium, et in hoc sensu videtur loqui apostolus.

QUAESTIO QUARTA.

DE MINISTRO BAPTISMI.

S. Th. III, q. 67.

136. Notiones. — Minister alius est *ordinarius* qui vi ordinis suscepti primario deputatur ad Baptismum conferendum, alius *extraordinarius* qui vi ordinis tantum ad id deputatur secundario, primario autem ad assistendum ministro ordinis altioris ; — alius *legitimus* qui ad baptizandum insuper habet debitam licentiam, alius *illegitimus* qui hanc licentiam non habet ; — alius est minister Baptismi *solemnis*, qui ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis quae in rituali praecipiuntur, alius minister Baptismi *non solemnis seu privati* qui sine omnibus caeremoniis confertur (can. 737, § 2).

137. *Principium I.* **Minister ordinarius Baptismi est omnis et solus sacerdos,** ut ait C. Flor., decr. pro Arm. Cum collatio Baptismi sit actus pastoris, atque ea baptizatus Ecclesiae etiam particulari aggregatur, aggregationem vero facere pertinet ad illum qui iurisdictionem in illa Ecclesia habet; hinc facultas baptizandi solemniter reservatur parocho et Ordinario loci, et alius sacerdos non potest sua

potestate legitime uti nisi licentiam obtinuerit a parocho vel loci Ordinario ; quae tamen licentia in casu necessitatis legitime praesumitur etiam pro Baptismo solemni (can. 738, § 1).

Hinc 1) Ordinarius loci et parochus ius reservatum habent baptizandi per se vel per delegatum omnes qui in suo territorio domicilium vel quasi-domicilium habent, atque etiam vagos, dum actu in territorio commorantur.

2) Peregrinos per se baptizare non possunt, quia isti non sunt subditi, et ideo ad propriam parochiam sunt deferendi ; nisi id facile et sine mora fieri non possit : tunc enim quilibet parochus in cuius paroecia sunt eos solemniter baptizare potest (can. 738, § 2) ; uti saepe accidere potest si mater in sanatorio parturit.

3) Extra territorium suum non possunt baptizare, ne suos quidem subditos, sine debita licentia parochi vel Ordinarii loci (can. 739).

4) Adultorum baptismus, ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si voluerit, solemnius conferatur (can. 744).

5) Peccant parentes qui, extra casum necessitatis vel sine licentia parochi, prolem deferunt ad alienos sacerdotes, quia ius proprii parochi violant ; item sacerdotes qui, extra casum necessitatis, eam baptizant sine facultate ordinaria vel delegata, et quidem *per se* graviter, licet saepius in diversis adiunctis gravis culpa abesse possit.

138. *Principium II.* **Minister extraordinarius Baptismi solemnis est diaconus ;** qui tamen sua potestate uti non potest sine licentia parochi vel Ordinarii loci, quae non est concedenda nisi iusta de causa. Causa sufficiens censetur si parochus abest vel aegrotat, vel si concione habenda aut audiendis confessionibus sit occupatus. Ubi necessitas urget, licentia legitime praesumitur (can. 741).

Diaconus solemniter baptizans : 1) omnes ritus et caeremonias adhibere potest ac debet ; 2) at salem et aquam benedicere nequit ; unde deficiente sale benedicto, omittat caeremoniam cum oratione adiuncta (S. R. C. 10 febr. 1888) ; 3) si sine parochi vel Ordinarii loci licentia baptizat, peccat et quidem per se graviter ; sed irregularitatem non contrahit, quia non usurpat ordinem.

139. *Principium III.* **Minister extraordinarius Baptismi privati est quilibet homo ratione utens,** sive vir, sive mulier, sive catholicus, sive haereticus aut schismaticus, sive fidelis, sive infidelis, qui semper valide, licite

vero in mortis periculo et deficiente ministro ordinario, baptizat (can. 742) ; uti certo constat ex doctrina et praxi Ecclesiae, imo est de fide ex C. Lat. IV, cap. *Firmiter;* C.Flor., et ex Trid., sess. 7, can. 4 definiente Baptismum ab haereticis debito modo collatum esse verum Baptismum.

De quo notetur :

1° Casus necessitatis est in solo periculo mortis ; non autem si sacerdos ob distantiam, intemperiem vel infirmitatem haberi non possit nisi post diuturnum tempus. Sufficit autem *probabile* periculum mortis, imo *fundatus* timor, qui in missionibus ob diversa adiuncta facilius admitti *potest* (S. R. C., 10 febr. 1888).

2° In Baptismo privato est ordo inter ministros servandus : « si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare, vel nisi femina noverit melius formam et modum baptizandi », ait Rituale, tit. 2, c. 1, n. 16, et firmatur can. 742, § 2. Quae regula intelligenda est de ministris catholicis, ita quod :

a) quilibet fidelis non excommunicatus praeferendus sit cuilibet haeretico etiam sacerdoti ;

b) fidelis etiam praeferendus sit clerico censurato post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (S. O., 20 aug. 1671) ;

c) femina extranea praeferatur patri infantis, nam, ait rituale, « patri aut matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius praesto non est qui baptizet » (can. 742, § 3) : ita ne duplex paternitas in eadem persona cumuletur.

3° Graviter peccat ille qui contra praedictum ordinem baptizat praesente sacerdote non prohibito ; nec potest sacerdos iure suo cedere nisi ratione decentiae v. g. ad baptizandum foetum in utero matris. Item grave erit si infidelis, haereticus, schismaticus, excommunicatus vitandus sine necessitate praeferatur catholico etiam laico. In aliis casibus hunc ordinem praetervertere, probabiliter est tantum veniale.

140. *Principium IV.* **Plures ministri, quorum singuli totum signum sacramentale ponunt independenter ab actione et intentione aliorum, baptizant valide, quamvis non licite.** Tunc enim singuli sunt causa totius sacramenti, ac proinde agunt ut ministri Christi qui singulis dedit potestatem totum sacramentum conficiendi independenter ab aliis ; — e contra si agerent ut causae partiales et inadaequatae quae vires ad invicem conferre debent et ab invicem sunt dependentes, quia sic non agerent ministrum Christi sed ut causa communis et simultanea.

Hinc dato quod duo baptizent :

1° Si uterque intendat baptizare non per seipsum solum sed coniunctim cum altero seu dependenter ab actione et intentione alterius, tunc neuter baptizat, quia non possunt plures ministri tamquam causae partiales ad sacramentum concurrere.

2° A fortiori si unus ablueret et alter formam proferret.

3° Si vero uterque intendat baptizare divisim seu independenter ab intentione alterius, tunc qui prius absolvit materiam et formam, valide baptizat, alter invalide ; — si uterque simul absolvat, uterque baptizat, at « non traderent aliud et aliud sacramentum, sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum conferret » (a. 6).

4° Si una simul dicant : *nos te baptizamus*, intelligendo se ut partiales causas convenire ad unum Baptismum conferendum, ut naturalior est sensus verborum, invalide baptizant quia essentialiter mutant sensum formae (a. 6) ; — e contra valide, si singuli id dicerent tamquam causae totales et independentes.

141. **Animadversiones.** — 1. In Baptismo necessitatis adhibeantur, quantum fieri potest, duo testes vel saltem unus, quibus Baptismi collatio probari possit (can. 742, § 1).

2. Curet parochus ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant (Rit. tit. 2, c. 1, n. 13 ; can. 743). Quae obligatio est gravis.

3. Cum parocho iudicandum occurrit de valore Baptismi privati, praestat prius personam baptizantem, deinde testes, separatim interrogare. Examinare autem oportet :

a) quis baptizaverit et in quibusnam adiunctis : si enim Baptismum contulit persona quae anxia, perturbata et perplexa esse solet, vel si Baptismus collatus fuit a prudenti, at in adiunctis difficilioribus, in quibus ob repentini casus periculum omnia festinanter et perturbate agenda erant, facilius est dubitandi locus ;

b) quam formam pronuntiaverit, an integre, an vocaliter et non solum mente ;

c) quam et quantam aquam et ubi effuderit ;

d) num simul formam protulerit et abluerit ;

e) quam intentionem habuerit : nonnunquam enim obstetrices quaedam sacramentum conferunt sub conditione de futuro : si morieris, si non poteris ad ecclesiam deferri, si non poteris nasci, etc., quae reddit sacramentum invalidum. Inquisitio tamen praecipue erit de materia et forma, quia recta intentio praesumitur nisi specialis sit ratio dubitandi.

Generatim expedit ut parochus, antequam ponat quaestiones determinatas, personam quae baptizavit inducat ad narrandum quomodo egerit.

QUAESTIO QUINTA.

DE SUBIECTO BAPTISMI.

S. Th. III, q. 68, a. 1.

142. Subiectum Baptismi est omnis et solus homo viator, nondum baptizatus, sive infans sive adultus (can. 745, § 1). — Dicitur :

1) *omnis homo*, quia Baptismus est necessarius omnibus hominibus necessitate medii ad salutem seu finem ultimum vitae aeternae (n. 133); unde omnis homo est baptizandus, etiam qui iam iustificatus sit ex opere operantis per Baptismum flaminis, aut miraculose formatus esset et peccatum originale non contraxisset ;

2) *solus homo viator*, quia sacramenta conveniunt hominibus viatoribus, non autem angelis aut animabus separatis (n. 91) ;

3) *nondum baptizatus*, quia Baptismus nec licite nec valide iterari potest, cum imprimat characterem indelebilem ;

4) *sive infans*, qui usum rationis nondum habet, *sive adultus*, qui usum rationis sufficientem adeptus est. Porro in adultis, ad validitatem requiritur intentio saltem habitualis et implicita, ad liceitatem insuper aliae plures dispositiones ; — in pueris vero nulla requiritur dispositio, et similiter in perpetuo amentibus qui nunquam rationis usum habuerunt, quia in eo aequiparantur pueris.

Hinc can. 745, § 2 : « 1° Parvulorum seu infantium nomine veniunt... qui nondum rationis usum adepti sunt, eisdemque accensentur amentes ab infantia, in quavis aetate constituti ;

2° Adulti autem censentur, qui rationis usu fruuntur, idque satis est ut suo quisque animi motu Baptismum petat et ad illum admittatur. »

In specie dicendum venit de baptizandis adultis, pueris, filiis acatholicorum, nonnatis, abortivis, monstris, atque dubie baptizatis rebaptizandis.

Articulus I.

De Baptizandis Adultis.

S. Th. III, q. 68, a. 3, 8 et 12.

143. *Principium I.* **Adulti tenentur Baptismum petere et recipere quamprimum possunt moraliter** i. e. digne et commode. — Homo enim tota vita debet se convertere et tendere ad Deum finem supernaturalem secundum modum a Deo praescriptum, i. e. in vera eius Ecclesia visibili. Atqui Baptismus est medium ordinarium per se necessarium ut homo se perfecte convertat ad Deum finem supernaturalem (n.133-134), estque medium omnino necessarium ut ingrediatur veram Ecclesiam. Ergo homo tenetur Baptismum recipere quamprimum moraliter possit, et non potest differre de die in diem (Cfr. C. Trid., sess. 7, can. 12).

Cum autem Baptismus quantum ad effectum principalem possit suppleri per votum, adultis non omnino statim est conferendus, sed oportet, probationis causa, « differre usque ad aliquod certum tempus, 1° quidem propter cautelam Ecclesiae ne decipiatur, sacramentum ficte accedentibus conferens ; 2° ad utilitatem eorum qui baptizantur, quia aliquo temporis spatio indigent, ad hoc quod plene instruantur de fide et exercitentur in his quae pertinent ad vitam christianam ; 3° ...ad quamdam reverentiam sacramenti, dum in solemnitatibus praecipuis, scil. Paschae et Pentecostes, homines ad Baptismum admittuntur, et ita devotius sacramentum suscipiunt ».

« Haec tamen dilatio est praetermittenda duplici ratione : 1° quidem quando illi qui sunt baptizandi apparent perfecte instructi in fide et ad Baptismum idonei, sicut Philippus statim baptizavit eunuchum (Act. VIII), et Petrus Cornelium et eos qui cum eo erant (Act. X) ; 2° propter infirmitatem aut aliquod periculum mortis... Peccat autem qui ultra tempus institutum ab Ecclesia differat accipere Baptismum, nisi ex causa necessaria, et licentia praelatorum Ecclesiae » (a. 3).

Peccatum est ex genere suo grave, et ideo peccat mortaliter non solum ille qui ex contemptu sed etiam qui ex negligentia differt sine rationabili causa ; non solum qui differt usque ad finem vitae, quod graviter reprehenderunt Patres, sed etiam qui per notabile tempus : ad quod prudenter aestimandum, in praxi attendenda sunt adiuncta, imprimis dilationis causa (Suppl. q. 6, a. 5).

Necessitas autem aliquantum differendi esse potest : instructio in religione perficienda, grave malum hic et nunc vitandum, gravissima persecutio timenda, ut si minorennis a patre e domo

eiiceretur et ita ad miseriam reduceretur. Attamen tunc fides et Baptismus flaminis statim suscipi debent.

144. *Principium II.* **In adultis, praeter voluntatem recipiendi Baptismum, regulariter requiritur debita instructio de mysteriis fidei atque dolor de peccatis.** — Ut dicit can. 752, § 1 : « Adultus, nisi sciens et volens probeque instructus, ne baptizetur ; insuper admonendus ut de peccatis suis doleat ».

Itaque : 1° Ad validitatem sacramenti et impressionem characteris, requiritur *intentio* seu positiva voluntas, saltem habitualis et implicita, recipiendi Baptismum (a. 7), et non sufficit generalis voluntas salutis (n. 93).

2° Ad liceitatem et ad consequendam sacramenti gratiam, requiruntur tamquam dispositiones (C. Trid., sess. 6, c. 6) :

a) *assensus fidei*, et ideo instructio in praecipuis mysteriis, etiam SS. Trinitatis et Incarnationis (S. O., 25 ian. et 10 maii 1703), et exercitatio in obligationibus vitae christianae ; sine qua fide ceteroquin impossibilis est dolor supernaturalis et remissio peccatorum (a. 8) ;

b) *motus spei* in vitam aeternam, atque in gratiam et remissionem peccatorum in Baptismo obtinendas ; sine qua spe nec possibilis est dolor de peccatis ;

c) vera et sincera *attritio supernaturalis* et appretiative summa de omnibus peccatis propriis, saltem mortalibus, ad minus habitualis i. e. habita et non retractata. Peccatoribus ergo qui habent propositum persistendi in peccato non est sacramentum conferendum : « 1° quia per Baptismum homines Christo incorporantur... ; quamdiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus... 2° quia in operibus Christi et Ecclesiae nihil debet fieri frustra ; frustra autem est quod non pertingit ad finem ad quem est ordinatum : nullus autem habens voluntatem peccandi simul potest a peccato mundari... 3° quia in sacramentalibus signis non debet esse aliqua falsitas : est signum falsum cui res significata non respondet ; ex hoc autem quod aliquis lavandum se praebet per Baptismum, significatur quod se disponit ad interiorem ablutionem, quod non contingit de eo qui habet propositum persistendi in peccato » (a. 4).

Non tamen imponenda sunt opera satisfactoria baptizandis, quia Baptismus liberat ab omni poena (a. 5) ; nec specialis confessio exterior peccatorum sacerdoti facienda, sed sufficit interior, et illa generalis quam faciunt abrenuntiando Satanae et omnibus eius pompis et operibus. « Si qui tamen baptizandi ex devotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda, non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitae traderetur » (a. 6).

145. *Principium III.* **In casu necessitatis sufficit in adulto ut aliquo modo ostendat praecipuis fidei mysteriis assensum praebere serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum ; — imo si in periculo mortis nec sacramentum petere queat, baptizandus est absolute si certo, sub conditione si aliquo probabili modo intentionem illud suscipiendi manifestaverit.** — Ita iuxta can. 752, § 2 et 3.

Si nullo modo manifestaverit voluntatem suscipiendi, Baptismus ipsi conferri non poterit. Si vero postea convaluerit, erit instructio eius complenda ; et si dubium de valore Baptismi collati maneat (ob intentionem v. g. mere praesumptam), sub conditione rursus erit baptizandus.

146. **Corollaria.** — 1. *Amentes et furiosi* non sunt baptizandi, nisi tales a nativitate vel ante adeptum rationis usum fuerint : tunc enim baptizandi sunt ut infantes (can. 754, § 1) quibus aequiparantur (can. 745, § 2).

Qui autem usum rationis habuerunt, tractandi sunt ut adulti (a. 12). Unde a) si lucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur si velint ; b) praeterea imminente mortis periculo baptizandi sunt, si, antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint (can. 754, § 2 et 3).

Quae etiam valent de iis qui lethargo aut phrenesi laborant : vigilantes tantum et volentes baptizandi sunt ; at si periculum mortis impendeat, baptizandi sunt si ante lethargiam aut phrenesin desiderium suscipiendi Baptismum habuerint (ib. § 4).

2. *Dubie amentes* et *dubie adulti* per se non sunt baptizandi, sed Baptismus differendus donec plenius sint evoluti ; in casu necessitatis si expectare sit impossibile, baptizentur, sub conditione (S. O. 18 iul. 1892).

Articulus II.

De Baptizandis Pueris.

S. Th. III, q. 68, a. 3 et 9.

147. *Principium I.* **Infantes capaces sunt Baptismi.** — Est *de fide* uti constat ex prof. fid. ab Innocentio III

imposita Waldensibus, ex C. Lat. IV, cap. *Firmiter*, Vien., et Trid., sess. 7 de Bapt., can. 13 contra Anabaptistas, et ex tota traditione et praxi Ecclesiae, inde ab initio.

Probatur : Pueros baptizari 1) est *necessarium*, quia nascuntur in peccato originali quod Baptismo purgatur ; 2) est *conveniens* « ut a pueritia nutriti in his quae sunt christianae vitae, firmius in ea perseverent » ; 3) est *fructuosum*, quia sacramenta in omnibus non ponentibus obicem producunt gratiam ; pueri autem obicem apponere non possunt (a. 9).

Neque dicas pueros fidem suscipere non posse, sed fide et intentione carere quibus adulti ad Baptismum ducuntur. Nam licet non suscipiant fidem actualem, recipiunt tamen habitum ; actuali vero dispositione aut intentione non indigent, sed fide et intentione Ecclesiae ducuntur ad Baptismum.

148. *Principium II.* **Fidelium pueri baptizandi sunt quamprimum.** — Praeceptum eos baptizandi est iuris divini (n. 133) ; baptizandi quamprimum, si non iuris divini, saltem est iuris ecclesiastici consuetudine introducti (can. 770).

Constat ex Siricio papa (384-398), ep. ad Himer., 2 ; ex Conc. Flor., decr. pro Iacobitis, quod « admonet, non esse per quadraginta aut octoginta dies seu aliud tempus iuxta quorumdam observantiam sacrum Baptisma differendum ; sed *quamprimum* commode fieri potest, debere conferri » ; ex C. Trid., sess. 7, can. 12, Baptistis anathema dicente qui aiebant « neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo » ; item ex Rit. rom., tit. II, c. 1, n. 39 ; ex Ben. XIV, Const. *Omnium sollicitudinum*, 12 sept. 1744 ; ex S. O. 11 ian. 1899 et ex Leone XIII, ep. 13 aug. 1899 qui consuetudinem differendi Baptismum infantium reprobat vehementissime, qua « nil... iniquius, nil ecclesiasticis sanctionibus magis contrarium... : detestabilem usum, in Deum simul impium ac in homines, ubicumque infeliciter invaluerit, ex animo improbemus et exsecremur ».

Rationem dat S. Thomas : « Si pueri sint baptizandi, non est differendum Baptisma : 1° quidem quia non expectatur in eis maior instructio, aut etiam plenior conversio ; 2° propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subveniri, nisi per sacramentum Baptismi » (a. 3).

Ex quibus patet Baptismum esse infantibus conferendum quamprimum moraliter i. e. commode fieri potest, v. g. intra tres dies ; atque grave peccatum esse diu differre. Et ideo graviter peccant parentes qui sine iusta ratione ex negligentia Baptismum infantium procrastinant per notabile tempus, v. g. per mensem aut forsan per 10-15 dies ; ac etiam per tempus brevius si adsit speciale infantis periculum, aut scandalum, aut particulare praeceptum regionis vel dioecesis.

Hinc : 1. « Infantes quamprimum baptizentur, et parochi ac concionatores frequenter fideles de hac *gravi* eorum obligatione commoneant » (can. 770).

2. Sustineri non potest quod aliquibus, ut Ballerini, Génicot et Noldin, placuit : dilationem scil. Baptismi etiam notabilem non esse grave peccatum ubi mortis periculum non sit timendum. Id scil. non est conforme verbis Ritualis, Codicis atque Leonis XIII. Unde in novis editionibus operis Noldin id a P. Schmitt fuit emendatum.

Articulus III.

De Baptizandis Acatholicorum Filiis.

S. Th. III, q. 68, a. 10 ; II-II, q. 10, a. 12.

149. *Principium I.* **Infantes Iudaeorum et infidelium, extra periculum mortis, non sunt baptizandi insciis aut invitis parentibus** (can. 750, § 1). — Licet enim baptizentur valide, ut tenendum est contra Durandum, non tamen licite, tum quia ita violatur ius naturale parentum, tum quia iniuria fit fidei et sacramento propter certum periculum defectionis, tum quia est contra consuetudinem et legem Ecclesiae : ita S. Thomas et Thomistae contra scholam Scoti quae id habebat licitum, nisi in casu quo maiora sequerentur incommoda. Quam S. Thomae doctrinam probavit Ecclesia, scil. Benedictus XIV in Const. *Postremo mense*, 28 febr. 1747, et Const. *Probe te meminisse*, 15 dec. 1751, atque Instr. S. C. P. F., 17 aug. 1777.

Probatur ex S. Thoma : « Pueri infidelium filii aut habent usum rationis aut non habent. Si autem habent, iam quantum ad ea quae sunt iuris divini et naturalis, incipiunt suae potestatis esse, et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt et induci ad suscipiendum Baptismum. — Si vero nondum habent usum liberi arbitrii :

1) Secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt... Et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur ; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus.

2) Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes.

3) Et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizarentur » (a. 10).

Dicitur : *extra periculum mortis ;* nam in periculo praevalet necessitas salutis infantis quae elidit ius parentum, nec tantum adest periculum perversionis.

150. Exceptionaliter infantes isti baptizari possunt in triplici casu :

1° Quando versantur in eo periculo mortis, ut prudenter praevideantur morituri antequam rationis usum attingant (S. O., 18 iul. 1892) ; periculum intelligendum est infanti *proprium*, non omnibus commune etiam saeviente lue (S. C. P. F., 17 aug. 1777).

2° Quando extra potestatem parentum (i. e. patris, matris, avi, aviae) vel tutorum positi possunt in catholica religione educari : tunc enim nec violatur ius parentum, nec adest periculum perversionis, uti si fuerint a parentibus expositi aut derelicti, aut si parentes et tutores omnino desint, aut ius in eos amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant (can. 750, § 2, 2°).

3° Si parentes ambo consentiunt in Baptismo, aut alteruter, vel tutores qui loco parentum exercent paternam auctoritatem, aut saltem unus ex illis, et *simul* sit spes christianae educationis (S. O., 13 febr. 1867 ; can. 750, § 2, 1°) vel et spes conversionis parentum : aequale enim naturale ius est in utroque parentum, quod in casu committitur Ecclesiae, et in favorem pueri exercitum praevalet perversae voluntati aliorum.

Non tamen baptizari *debent*, nisi in proximo mortis periculo ; — imo nec stante hoc periculo, si sacramentum conferri nequeat, quin infidelium odia et persecutiones in religionem christianam excitentur : bonum enim commune Ecclesiae bono privato unius praeferendum est (S. C. P. F., 17 aug. 1777).

151. *Principium II.* **Infantes duorum haereticorum aut schismaticorum, aut duorum catholicorum qui in apostasiam, haeresim vel schisma prolapsi sint, licet stricto iure baptizari possent, Ecclesia tamen statuit ut** *generatim* **servarentur eaedem normae ac pro infantibus infidelium** (can. 751).

Ecclesia enim a) per se baptizare potest infantes parentum baptizatorum, quia Baptismate isti legibus Ecclesiae subduntur ; unde per se ius Ecclesiae est observantiam urgendi divinae legis, atque illos parentes ad Baptismum filiorum cogendi aut filios invitis parentibus baptizandi.

b) Attamen, cum generatim spes non sit educationis catholicae, sed e contra magnum sit defectionis periculum, Ecclesia, prudentiae causa, non utitur iure suo, et servandas statuit normas supra traditas pro infantibus infidelium. Hinc baptizari non possunt, si parentes, deficiente v. g. ministro suae sectae, Baptismum postulent sed educationem catholicam promittere nolint (S. O., 26 aug. 1885); e contra si promittant et simul sit probabilis spes debitae educationis, etiam si unus tantum petat et promittat.

c) *Generatim* dicuntur istae normae servandae, quia specialia adiuncta possunt adesse, quae aliud suadeant.

152. Animadversio. — Eaedem normae non praescribuntur applicandae infantibus catholicorum qui, indifferentes facti, christiane non vivunt : illi enim infantes si offerantur ordinarie baptizari possunt, quia facile spes quaedam adest catholicae educationis. Idem valet si alteruter parentum est catholicus ; quo casu iste, pro posse, monere debet coniugem acatholicum de Baptismo collato (S. C. P. F., 20 nov. 1672).

Articulus IV.

De Baptizandis Nonnatis.

S. Th. III, q. 68, a. 11.

153. Status quaestionis. — Nonnati intelliguntur foetus in utero matris reconditi vel saltem nondum perfecte editi. Qui ob gravem infirmitatem aut statum matris vel propter partum difficilem periclitari possunt, ita ut necessarium esse possit eos ante nativitatem baptizare. Iamvero pro iis qui iam partim sunt editi, si caput emittant, Baptismus in ipso collatus est certo validus ; si emittant aliud membrum, Baptismus in eo collatus est dubius, iuxta dicta n. 124. De iis vero qui in utero sunt omnino reconditi, duplex datur theologorum opinio :

Prima sententia fere omnium veterum negat Baptismum ipsis valide posse conferri, tum quia nullus potest renasci antequam natus sit (Ioh. III, 5), tum quia baptizandus debet esse membrum distinctum societatis humanae ac proinde non sufficit abluere matrem ; ipse autem infans in utero est clausus, ut olim per saecula dicebat Rituale romanum, t. 2, c. 1, n. 16, post S. Thomam, q. 68, a. 11 et in IV Sent., d. 6, q. 1, a. 1. Haec ratio tamen non valet quia supponit infantem non posse directe et immediate attingi, quod hodie falsum est : plerumque enim attingi valet instrumento ; — prima ratio autem non habet nisi tenuem probabilitatem : homo enim iam dicitur natus in utero, uti legitur Mt. I, 20 : « Quod in ea *natum* est de Spiritu sancto est ».

Unde altera sententia, quae est paucorum antiquorum

sed iam moraliter omnium recentiorum, recte affirmat Baptismum valide infantibus in utero matris conferri : qui enim contraxit peccatum originale et homo est viator, capax est Baptismi (C. Trid., sess. 5, can. 4), dummodo attingi valeat.

154. Principia. — I. « Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis (in sensu proprio, scil. verisimilis) spes sit, ut rite editus baptizari possit » (can. 746, § 1).

Extra casum necessitatis enim in utero baptizare non decet, eo vel magis quod Baptismus, ob difficultatem certo abluendi caput infantis, facile sit dubius ; dubium autem sacramentum ministrare non est licitum extra necessitatem.

II. Deficiente probabili spe quod infans rite edi possit :

1) « Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite ; nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub conditione baptizandus.

2) « Si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub conditione (*si es capax*, vel *si possum*) ; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub conditione (*si nondum es baptizatus*) baptizandus » (can. 746, § 2 et 3).

Cum membrum principale scil. caput emiserit, iam censetur infans natus quia nata est pars praecipua, et ideo Baptismus certo est validus ; e contra si aliud membrum emiserit, Baptismus non est sufficienter certus. Hinc concludunt theologi : si membro quodam emisso et Baptismate in isto collato, mortis periculum perseveret, et aliud membrum *multo* nobilius vel capiti *valde* propinquius emittatur, rursus baptizetur sub conditione : *si es capax et nondum es baptizatus.*

III. Imminente omnino mortis periculo, infans in utero clausus, pro posse baptizandus est sub conditione.

In casu enim ante omnia curandum est de salute aeterna infantis. Ad quod disrumpenda sunt velamina in quibus reconditur infans, ut *immediate* aqua ablui valeat. Scissio velaminum instanti periculo mortis ope instrumenti facile fieri potest ultimis temporibus gestationis, quando foetus saltem probabiliter est vitalis ; in prioribus autem rarissime ob magnum periculum

quod ex velaminum destructione affertur partui, infanti, et matri ; unde non est tentanda nisi *certo* constet *et* foetum vivere *et* vita eius minui : tunc enim ante omnia salvanda videtur infantis anima.

Non obstat scissionem membranarum primis mensibus aequivalere occisioni directae, quae nunquam licita esse potest, nec ad Baptismum conferendum. *In casu* enim est actio quae immediate habet duplicem effectum : unum bonum, alterum malum. Nam ipsa *perforatio* membranarum aufert quidem elementum necessarium ad vitam temporalem infantis, scil. liquorem amnii cuius causat effusionem, sed *aeque immediate* confert elementum necessarium ad vitam spiritualem : possibilitatem attingendi infantem et conferendi Baptismum. Haec scil. possibilitas immediate contingit ex ipsa perforatione, et non mediante consequenti effusione liquoris, atque etiam eo non fuso subsisteret.

Aufert siquidem extremam necessitatem spiritualem, perforando membranam quae est obstaculum Baptismi, licet ita simul ponat infantem in extrema necessitate temporali, ex *consequenti* amissione liquoris [1].

IV. « Foetus in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione (*si nondum es baptizatus*) baptizari debet » (can. 746, § 5).

Ratio est, tum quia Baptismus est in se aliquatenus dubius, propter probabilitatem licet parvam sententiae asserentis neminem posse renasci antequam sit natus ; tum quia valde difficile est scire an quis caput sufficienter attigerit. Ita Benedictus XIV et S. C. C., 12 iul. 1794 et 16 mart. 1897.

155. Quaestio : An foetus extrahendus est ex utero matris ut baptizari possit ? — Ait S. Thomas, ad 3 : « Non sunt facienda mala ut eveniant bona, et ideo non debet homo occidere matrem ut baptizet puerum ». Unde sectio caesarea, seu incisio ventris et uteri materni ad extrahendum foetum vivum, est illicita si mortem matris quasi necessario inferat.

A. *Viva matre*, operatio licita est, et per se tenetur mater eam subire, his datis conditionibus : si 1) mater naturaliter parere non possit ; 2) salus matris et infantis ope sectionis prudenter sperari possit, nam non potest

1. Ne inde concludas scissionem membranarum etiam fieri posse ad salutem matris procurandam. Deest enim paritas ; quia possibilitas salvandi matrem non obtineretur immediate sed tantum mediante nocumento infantis, scil. mediante *effusione* liquoris.

occidi mater nec ipse foetus ut hic, antequam decedat, baptizetur ; et 3) iudicio periti non possit infans aliter baptizari. Tunc enim ex lege charitatis sub gravi tenetur mater praeferre salutem aeternam proximi, scil. infantis, incommodo et periculo propriae vitae temporalis.

Requiritur itaque ut 1) foetus pro adiunctis praesentibus sit vitalis, secus extractione ab utero materno occideretur ; 2) mater sit robusta ; 3) et peritus sit chirurgus : tunc enim ob progressum artis chirurgicae periculum mortis pro matre plerumque est satis remotum.

In praxi : a) Obligatio matris raro existit, quia saepius foetus supervivit matri defunctae vel seria adest spes quod supervivat, et quia generatim ope instrumenti in utero baptizari potest ; erroneum tamen esset dicere nunquam obligari matrem [1].

b) Etiam casu quo teneatur ad incisionem patiendam, generatim prudentia vetat matrem, *si in bona fide versetur*, monere de gravi obligatione, ob periculum ne forte, negando consensum, moriatur in statu peccati ; ad sectionem tamen hortari eam debent sacerdos, item medicus et propinqui.

c) Medicus ad sectionem faciendam tenetur, si ab ipso petatur, et tenetur hortari matrem ut illam patiatur, quia ex iustitia tenetur adhibere media tutiora ad servandam vitam matris et prolis ; unde ad hoc officium praestandum sacerdos medicum inducat.

d) Ab imperito, v. g. a sacerdote, viva matre sectio fieri non potest.

B. *Matre praegnante certo mortua*, statim post mortem facienda est operatio caesarea, uti praescribit Rituale, tit. 2, c. 1, n. 20 : « Si mater praegnans mortua fuerit, foetus ab iis quos spectat extractus, si certo vivat, baptizetur absolute ; si dubie, sub conditione » (can. 746, § 4).

Obligatio oritur ex gravi praecepto charitatis, qua tenemur aeternae salutis proximi, in casu infantis, consulere etiam cum maximis incommodis temporalibus ; et si foetus vitalis sit, accedit alia ratio conservandi eius vitam temporalem.

---

1. Obligationem quidam practice negant, vel de ea dubitant, uti Génicot, Th. M., II, n. 144 ; Noldin, Th. M., II, n. 344 ; Cappello, o. c., n. 165 ; quia certum deberet esse infantem alio modo salvari non posse, atque operatione certo salvari. — At 1) non requiritur hac in re certitudo absoluta sed sufficit id esse moraliter certum ; 2) etiam non requiritur ut operatione certo salvetur infans, sed ut huius adsit probabilis spes : ita secundum regulas traditas in tractatu de Charitate, ubi de auxilio ferendo in casu extremae necessitatis spiritualis. Unde P. Schmitt hac in re emendavit doctrinam in ed^e^ 20^a^ quam dedit operis Noldin.

Sectio facienda est dummodo tres adsint conditiones :

1) mater *moraliter* certo mortua sit, unde, in dubio, non est facienda nisi post testimonium periti de morte ;

2) probabile sit quod foetus vivat ; hinc nullus tenetur ad illam sub graviditatis exordiis, sex prioribus hebdomadibus, vel iuxta alios, secundo aut tertio mense, quia tunc foetus fere semper est mortuus, vel saltem valde incertum est an vivens evadet ; facienda tamen est quarto mense, praesertim si mulier subitanea vel celerrima morte perierit, nisi graves adsint rationes existimandi foetum ante matrem vel cum ipsa esse mortuum ;

3) idoneus adsit qui peritiam sufficientem habeat ut sectionem sine foetus periculo perficere possit ; nullus tamen tenetur artem aut modum addiscere, quia ad satisfaciendum praecepto nullus tenetur media adhibere remote, quando scil. praeceptum adhuc non urget.

Obligatio a) primo spectat *medicum* vel *chirurgum*, qui inducendus est ad illam faciendam etiamsi dicat prolem iam mortuam, quia hac in re solent levius procedere et ita loqui ne sectionem faciant ;

b) quodsi nolit vel adesse nequeat, accedat quicumque *alius* ad hoc *idoneus*, ut v. g. obstetrix : praeceptum enim charitatis in extrema necessitate de se obligat omnes ; de quo proinde sacerdos moneat, nisi gravissima timeantur incommoda ;

c) aliis vero, praesertim *cognatis*, incumbit curare ut sectio fiat ;

d) deficientibus aliis, ad sectionem faciendam *non certo* videtur teneri *sacerdos*, tum propter frequentem imperitiam, tum propter indecentiam, tum praesertim propter periculum scandali et maioris mali ex oblocutionibus, odio et calumniis inimicorum religionis : magis enim curandum est bonum commune et vitandum scandalum multorum quam procuranda salus unius infantis (S. Off., 13 dec. 1899) ; ob quam rationem a demandanda et peragenda sectione missionarii abstineant apud Sinenses (S. Off., 15 febr. 1780). Hae tamen rationes non valent pro omnibus circumstantiis, v. g. si familia catholica sit discreta, aut in missionibus, Sinensibus tamen exceptis ; unde, secundum plures, per se teneretur sacerdos : hoc quamvis verius videri possit, certum tamen dicere non audemus [1].

Notetur non esse dubium quod foetus per horam, imo per plures possit matri supervivere. Ut autem vita infantis facilius conservetur, uterus matris defunctae pannis tegendus est, quo calorem retineat ; os autem matris aperire, ne infans defectu respirationis pereat, nullius utilitatis est, quia non respirat per matrem.

156. Animadversiones. — 1. Baptismus in utero matris, praevie disruptis, si possibile sit, velaminibus, confertur ope

---

1. Sacerdotem teneri docent multi ut Cangiamila, Debreyne, Theologia Mechliniensis, Vering, Konings, Lehmkuhl ; negant tamen alii ut Bouvier, Gousset, Marres, Berardi. Modus faciendi operationem caesaream indicatur apud Dens, Theol. Mechl., Aertnijs, et apud Antonelli, *Medicina pastoralis*, I, n. 446.

alicuius instrumenti irrigatorii, v. g. syphunculi pleni aqua, vel cum aliqua spongia, sed altera manu inquirendum est an aqua partem infantis attingat ; — hisce autem mediis deficientibus confertur sola manu madefacta, quamvis iste modus facile sit dubius (S. Off., 14 dec. 1898). Adhibeatur aqua calida vel tepida, quia frigida noceret matri ; imo quando ex aqua pura *verum* mortis periculum in matre timendum sit, misceri potest cum hydrargyro bichlorato corrosivo, soluta una parte huius chlorati in mille partibus aquae, ut novimus ex resp. S. Off., 21 aug. 1901.

2. Ministerium ordinario a medico, vel, ipso deficiente, ab obstetrice servandum est quae a medico vel a parocho est educanda.

3. De Baptismo sic collato monendus est parochus (can. 778).

Articulus V.

De Baptizandis Foetibus Abortivis.

157. Status quaestionis. — Foetus immaturi seu abortivi sunt illi qui eiiciuntur ex utero matris non vitales, i. e. ante tempus quo extra uterum matris vivere in hic et nunc determinatis adiunctis possint. Hi, si vivant anima rationali, sunt homines ac proinde certo baptizandi ; at dubium est quonam momento foetus animatur anima humana : an solum post aliquod tempus, quando iam sufficienter apparet figura humana (quod nunc scimus accidere post tres circiter menses), uti docuerunt Aristoteles, S. Thomas et fere omnes veteres et rursus placet pluribus recentioribus ; — an e contra ab ipso initio conceptionis, ut nimis confidenter vel etiam absque ulla haesitatione sat generatim affirmant moderni [1]. Cum tamen in necessariis necessitate medii ad salutem, probabilibus aut dubiis sententiis practice inhaerere sit illicitum, sed tutius sit agendum, hinc in praxi omnes foetus vivi vel dubie vivi sunt baptizandi ; ex quo facile intelliguntur regulae sequentes.

158. Principia. — I. Foetus viventes, post tres circiter a conceptione menses, seu praebentes figuram sufficienter humanam, sunt absolute baptizandi.

1. De hac quaestione, sicut de tota materia huius atque praecedentis et sequentis articuli, cfr. nostras *Quaestiones de Embryologia et de Ministratione Baptismatis*, II, q. 3, 4 et 5, quae rem latius exponunt.

II. Foetus viventes, ante tres a conceptione menses, seu non praebentes figuram humanam, saltem sunt baptizandi sub conditione : *si es homo*, vel *si es capax*.

III. Foetus dubie viventes baptizandi sunt sub eadem conditione.

159. Corollaria practica. — 1. Examinanda sunt quae mulier *gravida* profudit in abortu vel fluxu sanguinis, etiam primis mensibus, ut si foetus detegatur baptizetur. Nec existimetur foetus eiectus cito mortuus : notare iuvat foetus minimos paucis diebus post eiectionem aliquando viventes inventos.

2. Cum tamen, ante sex menses, diu vivere non soleant, cito sunt baptizandi. Neque enim terendum est tempus in inquirendis signis vitae, sed si ovum apparet recens et foetus albus, non gilvus nec subfusus, statim est baptizandus. Signum tamen certum mortis est putrefactio ovi vel foetus non incipiens sed bene apparens, cuius signa sunt maculae et foetor [1].

3. Ante finem tertii mensis, signa vitae solent esse incerta, et difficulter observantur propter embryonis parvitatem [2] ; unde de facto, in praxi, coincidit tempus quo foetus certe sit homo et quo vita cum certitudine observari possit. Et ideo Codex Iuris canonici tamquam *generali* norma practica, quae valet *ordinario et in pluribus*, statuere potuit, can. 747 : « Curandum ut omnes foetus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant, baptizentur absolute ; si dubie, sub conditione ». *Regulariter* scil., nisi quid certo obstet, ita est faciendum. Codex loquitur secundum ordinaria contingentia et rarissimas potest negligere exceptiones [3]. Ceterum canon forsan intelligi potest de vita humana, ut opinatur Vermeersch.

4. Foetus qui ovo vel involucro involutus editur, consultius baptizatur per immersionem, tum quia est valde parvus, tum quia ita facile in liquore amnii natat ut incertum sit utrum aqua baptismali attingatur ; accedit quod secundum aliquos posset occidi contractu aëris [4].

Baptismus fit sequenti modo : sub aqua tepida velamina disrumpantur, ut liquor amnii effluat, quo facto statim forma

1. De aliis signis vitae aut mortis, dicitur in dicto nostro opusculo, q. 4, III et IV.

2. « Rarius contingit ante mensem tertium finitum vitam observari in embryone, saltem absque involucris suis e sinu materno eiecto ; sic autem eiici solet inde ab incepto tertio mense ». De Smet, o. c., n. 319.

3. Id valet etiam si redactores Codicis sententiam modernorum secuti sint de animatione inde a primo instanti conceptionis. Nam, ut notat Vermeersch, Th. M., III, n. 219, Codex sententiam « minime doctrinaliter proponit, sed mere tradit practicam normam ». Ceterum auctoritas Codicis hac in re non est irrefragabilis, sicut nec illa Ritualis romani. Unde sicut Rituale in praxi de Baptismo in utero matris vel de baptizandis monstris errare per plura saecula potuit, ita posset et in quaestione practica errare Codex ; de quo si constaret esset relinquendus.

4. Periculum tamen negat Capellmann, *Medicina pastoralis*, de Baptismo.

Baptismi pronuntietur : si es homo, ego..., dum materia ovi immergatur tota ; et ut sacramentum certo validum omnino sit, foetus etiam statim extrahatur.

Nec probari potest modus quem multi docuerunt auctores [1], foetum scil. prius esse baptizandum in membranis sub conditione : si possum vel si es capax ; et iterum ruptis velaminibus, sub conditione : si non es baptizatus. Neutrum enim Baptisma est certum : non primum, quia non fit in foetum ; nec secundum, quia, ut isti dicunt, forsan aëre occiditur foetus.

5. Non est conferendus Baptismus, si foetus certo sit mortuus, aut si ovum abortivum efficiat massam carnam quam *molam* vocant. Mola est fructus conceptionis vitiatus ita ut foetus totaliter resorbeatur aut solum eius vestigium reperiatur. De quo iam scribit Hieronymus Florentinius [2] : « Si involucrum illud effusum appareat membrana circumdatum quae sit subalbi coloris, similis intestinis, figurae ovalis, et quae digito tactu mollescat et cedat, signum est foetum esse, non molam : si vero... sit caro informis, nigris venis et sanguineis intexta, scabra, dura aut vario colore infecta, tunc mola iudicabitur, non foetus ».

160. Monitum. — A parocho, iuxta can. 743, et occasione data a confessario, caute et prudenter monendi sunt medici, obstetrices, et matres de obligatione baptizandi minimos etiam foetus abortivos, ne non baptizati proiiciantur. Optimum est, si medicus catholicus, vel ipso deficiente parochus, doceat obstetrices, et istae, vel parentes, iuniores doceant matres vel uxores.

Articulus VI.

De Baptizandis Monstris.

161. Status quaestionis. — *Monstrum* est foetus in quo species corporis humani totaliter aut notabiliter est deturpata ; *ostentum* proprie vocatur quod membra solum habet multiplicata aut diminuta aut aliter deformia, licet apud moralistas etiam sub generali nomine monstri comprehendatur. Monstra alia sunt *simplicia*, alia *geminata* (duplicia vel multiplicia), prout unum, aut duo vel forsan plura adsint individua ad invicem adhaerentia.

Monstra quae speciem humanam non praebent sed ferinam, olim putabantur ex congressu mulieris cum brutis oriri, et ideo non baptizabantur, aiente Rituali, tit. 2, c. 1, n. 19 : « monstrum quod humanam speciem non

1. Adhuc hodie ita dicunt : Theol. Mechl. ; Eschbach ; Mourreau et Lavrand *(Le médecin chrétien)* ; olim docuerunt Cangiamila et De Breyne.
2. *Dissertatio de Hominibus dubie baptizandis*, Lugduni, 1658.

prae se fert, baptizari non debet ». Hodie conceptionem ex coitu cum brutis physiologi omnino negant speciemque ferinam mulieris phantasiae vel conformationis defectui tribuunt ; hinc monstra viventia generatim censentur esse homines, et ideo sunt baptizandi, ut iam praescribit Rituale in nova editione, n. 22, post Codicem (can. 748). Baptizandi sunt absolute si certo vivant et speciem habeant humanam ; — si vero speciem ferant bestialem, saltem conditionate, quia ante finem tertii mensis deformari species forsan potuit, ita ut nunquam fuerit humana, nec proinde, iuxta sententiam animationis tardioris, anima rationalis unquam advenerit, sed sola adsit sensitiva.

162. Principia. — I. *Quoad monstra simplicia :* baptizanda sunt absolute si caput habeant humanum vel humano propius ; sub conditione : si es homo, si habeant caput ferinum.

II. *Quoad monstra geminata :* si monstrum plures homines distinctos efformet, omnes absolute baptizandi sunt ; in dubio vero utrum unus an plures sint homines, unus absolute, ceteri sub conditione baptizandi sunt.

Hinc : 1) Si duo (vel plura) distincta sint capita et pectora, ita ut sola trunci pars inferior sit communis, indubie, duo (vel plura) censentur individua adeoque singula seorsum sunt baptizanda.

2) E contra si monstrum duo habet pectora et caput unum, vel duo capita et unum pectus, vel duo capita et pectora non distincta, unum caput absolute baptizetur ; alterum caput aut, isto deficiente, pectus quod capiti non videtur respondere, vel utrumque si nullum respondeat capiti, sub conditione : si non es baptizatus.

3) Si unum habeatur caput unumque pectus, et sola membra inferiora multiplicentur, unicum reputatur vitae centrum unumque individuum semel dumtaxat abluendum.

163. Animadversiones. — 1. *Generali formula* ait Codex iuris, can. 748 : « Monstra et ostenta semper baptizentur saltem sub conditione ; in dubio autem unusve an plures sint homines, unus absolute baptizetur, ceteri sub conditione. » Quod valet per se et regulariter, dummodo sit possibilitas vitae humanae.

2. Nam baptizandum non est *acardiacum*, quod constat solo ventre et pedibus sine capite et pectore [1], ita ut etiam si cor adsit,

1. « Caput sine pectore aut pectus sine capite non inveniuntur » Capellmann, o. c. p. 111.

quod tamen raro accidit, illud sit rudimentale et atrophicum ; a fortiori baptizanda non est *mola* seu massa carnea informis, ut iam dictum est n. 159, 5. In utroque casu certo non est homo, utpote organis ad vitam humanam omnino necessariis carente.

3. Si vero dubitetur de praesentia capitis, sub conditione Baptismus conferatur.

4. In casu multiplicis monstri, si periculum mortis immineat tempusque non suppetat ut singula separatim baptizentur, poterit minister, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare dicendo : ego vos baptizo in nomine... Quod tamen extra periculum imminens non est licitum, cum tunc semper forma pro unoquoque sit repetenda.

Articulus VII.

De Rebaptizandis sub Conditione.

164. Principia. — *Baptismus potest et debet repeti sub conditione*, quoties adest aliquod dubium positivum serium, prudens et non spernendum de eius valore : dubium scil. non in meris scrupulis sed in rationibus alicuius gravitatis fundatum, ut semper fit quando Baptismus in utero fuit collatus capite nondum emisso (can. 746, § 5) ; — deficiente autem dubio positivo et serio, Baptismus iterari non potest absque peccato gravi.

In primo enim casu lex charitatis procurandi salutem aeternam praevalet legi religionis quae vetat sacramentum exponere nullitati ; in altero casu, sacrilegium est sacramentum ministrare incapaci.

Quae principia, propter practicum in sacro ministerio re momentum, variis occurrentibus casibus placeat applicare.

165. Pueri ab obstetricibus, medicis, laicis baptisati per se et indiscriminatim non sunt rebaptizandi ; — tt in praxi, quia generatim adest quaedam suspicio, saepius aunt rebaptizandi, nisi testimonium baptizatoris testimonio zestium excultorum confirmetur, etiam unius fide digni, aut nisi ipse sit omnino fide dignus.

Ubi ergo persona omnino seria, etiam mera obstetrix, quae sit fide digna, circumspecta, et in ritu baptizandi instructa, assereret infantem a se rite baptizatum esse, non esset cur de valore Baptismi serio dubitaretur ; non facile tamen fidendum declarationibus obstetricum, quia saepius non audent fateri se male baptizasse ne amittant fiduciam parentum, vel quia agitationis causa aut aliquando et ebrietatis compotes sui hoc momento non fuerunt.

De tali Baptismo est instituendum examen, nisi quis certus sit se ad certitudinem pervenire non posse, vel cognoscat modum agendi baptizatoris esse dubium, vel parochus qui rem examinavit aut alius fide dignus testetur Baptismata collata habenda esse dubia, etc. Examen instituatur iuxta normam supra indicatam n. 141, 3.

166. Pueri expositi sub conditione baptizandi sunt, etiam si apponatur schedula attestans ipsorum Baptisma, nisi certa notitia habeatur personae a qua schedula scripta sit, vel nisi indicet quisnam baptizaverit. Unde can. 749 : « Infantes expositi et inventi, nisi re diligenter investigata de eorum Baptismate constet, sub conditione baptizentur ».

167. Qui inter christianos educatus caret testimonio Baptismi scripto vel orali, censeri potest et praesumitur baptizatus in regione ubi omnes omnino baptizantur.

Si tamen serium dubium, ex positivis indiciis, ob aliquam circumstantiam oriatur, v. g. quia parentes indifferentes vel negligentes, vel vagabundam aut omnino turbatam duxerint vitam tempore nativitatis, etc., baptizetur sub conditione.

168. Baptismus ab haeretico vel schismatico collatus examini est subiiciendus ; quod examen instituendum est in singulis casibus, episcopo consulto.

1. *Si Baptismus iudicatus fuerit validus*, non renovatur ; sed recipitur abiuratio seu professio fidei coram duobus testibus, et insuper datur puberibus absolutio a censuris in foro externo ab episcopo vel a clerico ad hoc specialiter delegato, et ministratur sacramentum Poenitentiae.

2. *Si Baptismus fuerit invalidus*, rursus conferatur absolute [1], et nulla fit abiuratio, nec fit confessio, nec datur absolutio.

3. *Si Baptismus dubius sit*, vel si nulla inquisitio institui aut circa valorem sacramenti nihil resciri possit, est praesumendus dubius et iterandus sub conditione (S. Off., 20 nov. 1878).

---

1. Quod intelligendum est in ordine ad receptionem in Ecclesiam ; nam in casu matrimonii mixti Baptismus non repetitur sub conditione, si quis in haeresi manere vellet : in ordine ad matrimonium enim non requiritur certitudo de valore Baptismi suscepti (S. Off., 13 apr. 1878)

Quo casu hic ordo servetur :

1° abiuratio seu professio fidei, cum absolutione a censuris in foro externo (pro puberibus) ;

2° congruentius tunc auditio peccatorum et excitatio ad contritionem ;

3° Baptismus conditionatus ;

4° confessio peccatorum quae, si instituta fuerit ante Baptismum, summatim iteretur, et absolutio conditionata.

Ita conformiter ad Instr. S. Off., 20 iul. 1859 et 2 dec. 1874.

APPENDIX.

DE CAEREMONIIS BAPTISMI.

S. Th. III, q. 66, a. 10 ; q. 67, a. 7-8 ; q. 71.

169. Obligatio servandi ritus et caeremonias. — 1. Baptismus *per se* et extra casum necessitatis, *solemniter* conferri debet i. e. cum omnibus caeremoniis et ritibus in rituali praescriptis (can. 755, § 1). Quae obligatio est ex genere suo gravis, ex gravi praecepto Ecclesiae ob reverentiam erga sacramentum lato (n. 105) ; unde graviter peccat minister si absque iusta ratione omnes caeremonias omittat, vel notabilem earum partem, vel eas notabiliter mutet.

Ita si negligat unctionem olei vel chrismatis, insufflationem, salivae et salis impositionem, usum aquae consecratae, professionem fidei, vel etiam plures caeremonias minores. Item grave peccatum est uti veteribus oleis ultra annum, si nova haberi possint ; secus enim non esset hac de causa Baptismus differendus, sed ministrandus cum oleis anni praecedentis, quae ideo conservanda sunt donec nova advenerint. Mox deficiente oleo benedicto, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia (Rit. rom., tit. 2, c. 1, n. 47-49) ; eodem modo ac pro aqua benedicta faciendum est si in baptisterio sit imminuta (can. 757, § 2 ; Rit., n. 6).

Per accidens, in periculo mortis, Baptismus *privatim* conferri potest : tunc si conferatur a ministro qui nec sacerdos est nec diaconus, ea tantum ponantur, quae sunt ad Baptismi validitatem necessaria ; si a sacerdote vel diacono, serventur quoque, si tempus adsit, caeremoniae, quae Baptismum sequuntur (can. 759, § 1).

2. Totus *ritus* baptismalis in lingua ritualis peragendus est, i. e. latine in Ecclesia latina, etiam quoad interrogationes patrinis faciendas. Potest tamen minister interrogationes latine prolatas in lingua vernacula repetere et responsiones eadem lingua excipere ; imo aliquando a S. Sede conceditur indultum ut simpliciter fiant in hac lingua. Pariter patrini recitare possunt Pater et Credo lingua vernacula, dum sacerdos ea recitat latino sermone.

Proles catholicorum baptizanda est ritu parentum ; quodsi parentes sint diversi ritus, baptizetur ritu patris, nisi aliud iure speciali cautum sit. Si unus tantum parentum sit catholicus, huius ritu proles baptizanda est (can. 756). Obligatio certe gravis est.

Baptizatus pertinet ad eum ritum cuius caeremoniis baptizatus est, nisi fraus, vel necessitas, vel dispensatio apostolica intervenerit. Si autem, contra praescriptum can. 756, ad preces parentum a ministro alieni

ritus baptizatus sit, pertinet ad ritum in quo baptizari debuisset, ut declaravit Comm. interpr. Cod., 16 oct. 1919, nisi tamen legitima Ordinarii venia accesserit.

3. Quamvis non sit praeceptum, sed solum de consilio ut *nomen* christianum detur baptizando, curet tamen parochus ne obscena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum vel impiorum ethnicorum nomina imponantur (Rit., n. 54). Quod si id impediri nequeat, non ideo Baptismus differendus est sed puer baptizandus ; at nomini a parentibus imposito addatur, submissa voce, nomen alicuius sancti et in libro baptizatorum inscribatur utrumque (can. 761), ut scil. persona certo dignosci possit.

Ius eligendi nomen pertinet ad parentes, tunc ad patrinos ; his deficientibus parochus imponat. Nomen in Baptismate impositum, in Confirmatione mutari licite potest ; id tamen generatim non videtur opportunum, ne confusiones oriantur.

4. Caeremoniae pro *infantium* aut *adultorum* Baptismo *diversae* praescriptae sunt atque servandae. At loci Ordinarius, gravi et rationabili de causa, indulgere potest ut caeremoniae pro Baptismo infantium adhibeantur in Baptismo adultorum (can. 755, § 2). Si caeremoniae *praetermissae* quavis ratione fuerint, quamprimum in ecclesia *suppleantur* (can. 759, § 3), quae obligatio gravis est ; unde si in mortis periculo sacerdos privatim baptizavit etiam caeremonias addens Baptismum sequentes, cessante periculo ceterae postea supplendae sunt (Rit., c. 2, n. 29). Cum autem caeremoniae sequantur Baptismum, hinc :

a) Si Baptismus catholici certo valide fuerit collatus in infantili aetate, pro adulto supplendae sunt caeremoniae e ritu Baptismi infantium.

b) Si Baptismus catholici sub conditione iteratur, caeremoniae si quidem in priore Baptismo omissae fuerint, sunt supplendae ; si autem in priore Baptismo adhibitae sint, repeti in altero possunt aut omitti (can. 760). Idem videtur dicendum, si Baptismus fuerit certo invalidus.

c) Si Baptismus haeretici conditionate iteratur in adulta aetate, per se caeremoniae sunt supplendae ; attamen Ordinarius loci permittere potest ut omittantur (can. 759, § 2) ; si in infantili aetate, caeremoniae suppleantur secreto, nam hoc modo est Baptismus iterandus.

d) Si Baptismus haeretici est certo validus, iterari nequit et caeremoniae suppleri non solent. Rituale ait, c. 3, n. 12 : « suppleantur, nisi rationabili de causa aliter loci Ordinario videatur ».

170. Tempus et Locus Baptismi. — Notentur canones sequentes :

1. *De tempore :* Can. 770 : « Infantes quam primum baptizentur... » (n. 148).

Can. 771 : « Baptismus privatus, urgente necessitate, quovis tempore et loco administrandus est ».

Can. 772 : « Etiam solemnis Baptismus qualibet die administrari potest ; decet tamen adultorum Baptismum, secundum antiquissimum Ecclesiae ritum, conferri, si fieri commode queat, in pervigilio Paschatis et Pentecostes, praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis ».

Can. 753 : « § 1. Tam sacerdotem qui adultos baptizaturus est, quam ipsos adultos qui sani sint, decet esse ieiunos.

§ 2. Nisi graves urgentesque causae obsistant, adultus baptizatus statim Missae sacrificio assistat et s. communionem percipiat ».

2. *De loco :* Can. 773 : « Proprius Baptismi solemnis administrandi locus est Baptisterium in ecclesia vel oratorio publico », non in semipublico aut mere privato.

Can. 774 : « § 1. Quaelibet paroecialis ecclesia, revocato ac reprobato quovis contrario usu vel privilegio vel consuetudine, baptismalem habeat fontem, salvo legitimo iure cumulativo (sed non exclusivo) aliis ecclesiis iam quaesito » quod etiam subsistit, novis ecclesiis paroecialibus cum fonte erectis (C m. interpr. 12 nov. 1922).

« § 2. Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel iubere ut fons baptismalis ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines. »

Can. 775 : « Si ad ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure fontis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo accedere aut transferri nequeat, Baptismus solemnis a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec baptismali fonte careant. »

Quodsi nec hoc sit possibile, vel aliquo tempore expectari poterit usque dum baptizandus ad ecclesiam poterit deferri, vel extraordinarie ab Ordinario est licentia obtinenda Baptismum domi solemniter conferendi, de qua can. sequens.

Can. 776 : « § 1. In domibus autem privatis Baptismus solemnis administrari non debet, nisi hisce in adiunctis :

« 1º Si baptizandi sint filii aut nepotes eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint ;

« 2º Si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit », v. g. ob periculum permanens infamiae, vel si pater impius obstinate prohibeat infantem baptizare in ecclesia, vel si infirmus praevideatur ad ecclesiam non deferri, vel si consuetudo invaluerit pro infantibus nobilium (Cfr. S. Congr. Sacr., 22 iul. 1925).

« § 2. In memoratis casibus Baptismus conferendus est in sacello domus aut saltem in alio decenti loco, et aqua baptismali de more benedicta ».

Ergo solemniter baptizare in sacristia non est licitum, nisi in iis adiunctis quibus domi permitti potest, ac proinde solum ob rationabilem causam ex Ordinarii licentia in singulis casibus concedenda.

171. De patrinis. —Patrini seu susceptores dicuntur illi qui baptizatum de sacro fonte suscipiunt. Quo pacto fiunt quasi-pa entes spirituales, eo quod sub tutela et cura suscipiunt baptizatum, quia est veluti parvulus nuper genitus qui nutrice et paedagogo indiget a quibus instruatur in fide et vita christiana. Hanc scil. specialem curam assumunt patrini (q. 67, a. 7).

De patrinis attendendae veniunt plures determinationes iuris :

1. Ex can. 762 et 763, requiritur patrinus a) sub gravi quidem in Baptismo *solemni*, « quatenus fieri potest » i. e. nisi gravis et rationabilis causa excuset ; unde Baptismus solemnis diu differri non debet eo quod patrinus inveniri non possit, ut in locis missionum facilius contingit ;

b) etiam in Baptismo *privato*, si facile haberi queat ; quod si non interfuerit, adhibeatur in *supplendis caeremoniis*, quo tamen casu nullam contrahit spiritualem cognationem ;

c) cum Baptismus *iteratur sub conditione :* idem scil. tunc patrinus, quatenus fieri potest, adhibeatur qui in priore Baptismo adfuit ; extra hunc casum in Baptismo conditionato patrinus non est necessarius, sed licite adhiberi potest.

2. *Unus* patrinus tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum *unus* et *una* adhibeantur (can. 764). Hinc axioma : *Sufficit unus patrinus, permittuntur duo, prohibentur tres vel plures.* Obligatio gravis est, quia Ecclesia impedire voluit ne multiplicentur cognationes

(C. Trid., sess. 24, cap. 2, de ref.). Grave peccatum est adhibere tres vel plures ; adhibere duos patrinos eiusdem sexus reputatur tantum veniale, si patrini sunt eiusdem cum baptizato sexus ; si sint diversi sexus a pluribus cum S. Alphonso, Th. M., l. VI, n. 155, dicitur mortale, quia eo casu multiplicantur impedimenta matrimonii. Si plures patrini accedant a parentibus designati, parochus potest permittere ut omnes testes sint, imo ut tangant, modo externe designet unum et unam, quibus solis tradat infantem atque moneat eos tantum esse veros patrinos, eosque solos adnotet tamquam tales. Ita S. Alphonsus, n. 154.

3. Ut quis *valide* sit patrinus, ex can. 765 oportet : « 1º Sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi ; — 2º Ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus;— 3º Nec sit pater vel mater vel coniux baptizandi ;— 4º Ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus, aut his deficientibus, a ministro, sit designatus ; — 5º Baptizandum in actu Baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis ».

Hinc : a) Patrini non sunt illi qui tangunt infantem sed a parentibus vel a parocho non sunt designati, aut qui designati sunt sed infantem non tangunt.

b) E contra qui a parentibus designati, si a parocho repellantur sed nihilominus infantem teneant ; — nisi repellantur ob defectum conditionis *requisitae ad validitatem.*

c) Nemo per procuratum munus patrini suscipit, nisi huic consentiat. Ut autem certo de hoc constet, reprobanda est consuetudo qua mandatum expressum non datur, sed solum a parentibus procurator constituitur (S. C. Sacr., 24 iul. 1925).

4. Ut quis *licite* patrinus admittatur, ex can. 766 : « 1º Decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur ; — 2º Non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis (can. 2256, § 2) vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel informis infamia facti ; — 3º Fidei rudimenta noverit ; — 4º In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia superioris saltem localis ; — 5º In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia ».

Baptizans ipse non excluditur expresse ; in casu adhiberi debet procurator (Cfr. S. C. R., 14 iun. 1873).

5. *Effectus* validae susceptionis sunt : A. *Obligatio* in patrinis « spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis quae ad christianae vitae institutionem spectant, curare diligenter ut ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse solemni caeremonia spoponderunt » (can. 769). Quare curare tenentur ut filii sibi commendati catechetica institutione erudiantur (can. 1335).

Obligatio gravis est cum sit de re gravi ; sed solum urget in casu necessitatis quando baptizatus cura patrini et instructione indiget, ut si inter infideles aut haereticos nutriatur, vel parentes habeat infideles, aut haereticos, aut in instructione filii omnino negligentes. Quodsi puer inter catholicos nutriatur, praesumi potest sufficienter a parentibus instrui, donec contrarium constet (q. 67, a. 8).

B. *Cognatio spiritualis* inter patrinum et baptizatum, eodem modo ac inter baptizantem et baptizatum, non autem inter patrinum et parentes (can. 768). Ex qua cognatione oritur impedimentum dirimens matrimonii (can. 1079), et reatus incestus spiritualis casu quo inter se carnaliter peccent.

Spiritualem cognationem non contrahit : a) qui tantum procuratorem egit nomine veri patrini, cum hic solus spiritualiter fiat cognatus ; b) qui patrinus non fuit in Baptismo, sed solum in supplendis caeremoniis (can. 762, § 2) ; c) qui tantum patrinus fuit in Baptismo sub conditione iterato : hoc enim in casu neque patrinus qui priori Baptismo adfuit, neque qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque Baptismo adhibitus fuerit (can. 763, § 2) : tunc enim solum constat patrinum fuisse in valido Baptismo.

6. *Munus pastoris* in admittendis, designandis, repellendis patrinis est *prudentiae*. Speciatim :

a) In dubio, utrum quis valide vel licite admitti possit necne ad patrini munus, parochus, si tempus suppetat, consulat Ordinarium (can. 767). Secus, ait Vermeersch, Th. M., III, n. 234, « dubium patrinum potius arceat ; si sine serio incommodo id facere nequeat, adiungat alium certe idoneum », si scil. secundus iam non esset designatus.

b) « In reiiciendis indignis a munere patrini parochus utatur omni prudentia et benignitate, ne alios offendat neve noceat bono religionis. Hinc nunquam utatur verbis duris et iniuriosis, sed suavi modo dicat, se unice ex praescriptis Ecclesiae agere atque non posse admittere talem personam ut patrinum », notat Prummer, Th. M., III, n. 147.

c) « Quando infans annuntiatur baptizandus, sacerdos iam statim inquirat de qualitate patrinorum, et non expectet, donec omnes parati sunt in ecclesia. Statim tunc moneat, ut alius patrinus designetur » (ibid.).

d) Si ex recusatione patrini indigni orirentur valde magna incommoda, curet ne patrinus tangat baptizandum in actu Baptismi ; et si ne hoc quidem possibile est, potest, si exinde grave non oriatur scandalum, tolerare patrinum indignum, quia lex de patrinis indignis reiiciendis est positiva ecclesiastica quae non obligat cum tam magno incommodo. Et idem valet in casu de patrino tolerando haeretico aut schismatico, cum ipse tamen ex can. 765 vere patrinus non esset.

e) Ex praescripto Ritualis, tit. 2, c.2, n. 31 : « Admonendi sunt susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato ; quae cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit ».

172. Animadversiones de Baptismi adnotatione et probatione. — 1. « Parochi debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati Baptismi, in baptismali libro sedulo et sine ulla mora referre » (can. 777, § 1). Obligatio per se gravis est ; inscriptio personaliter incumbit parocho, nisi sit ratio excusans ; quo casu eam saltem confirmet subsignatione.

2. « Ubi vero de illegitimis filiis agatur, matris nomen est inserendum si publice eius maternitas constet, vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat ; item nomen patris, dummodo ipse sponte sua a parocho vel scripto vel coram duobus testibus id requirat, vel ex publico authentico documento sit notus ; in ceteris casibus inscribatur natus tamquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum » (can. 777, § 2). Nomen parentum ita inscribendum est ut omnis infamiae vitetur occasio ; si infamia praevideatur, in casibus particularibus recurrendum est ad S. Congr. Concilii (Com. interpr. 14 iul. 1922).

3. « Si Baptismus nec a proprio parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister de ipso collato quamprimum proprium ratione domicilii parochum certiorem reddat » (can. 778). Si baptizatus domicilio careat, parochus quasi-domicilii, si vagus sit, parochus loci certior est reddendus.

4. « Ad collatum Baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in adulta aetate Baptismum receperit » (can. 779). Si autem probatio alicuius iuri noceat, plenior requiritur, ut si nullitas matrimonii ab ea pendeat : tunc tamen sufficeret testis qualificatus, e. g. parochus qui deponat de rebus a se ex officio gestis (can. 1791, § 1).

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE.

INTRODUCTIO.

173. Secundum sacramentum est Confirmatio. — « In vita spirituali, ait S. Thomas, C. G. IV, 60, primum est spiritualis generatio per Baptismum ; secundum est spirituale augmentum perducens ad robur perfectum per sacramentum Confirmationis ». Nomen desumptum est ab effectu : *confirmatio* (*vormsel*, olim *vroomsel*) enim dicitur a verbo *confirmare* (i. e. confortare, firmum reddere ; *vromen*); hoc sacramentum autem in vita spirituali confortat, roborat et quasi ad quamdam adultam aetatem perducit.

Denominatio fundamentum habet in Scripturis, II Cor. I, 21 ; sed prius videtur adhibita fuisse saec. IV a S. Ambrosio, de Mysteriis, VII, 42, certissime autem a Conc. Araus. I (a.441), can.2.

Aliis quoque nominibus vocatum fuit :

a) *a materia remota* dicitur chrisma salutis, sacramentum chrismatis, unguenti mysterium ; graece : χρίσμα, vel τό μυρον i. e. unguentum, quod est nomen a Graecis recentioribus adhiberi solitum ;

b) *a materia proxima :* signaculum seu σφραγίς, consignatio, unctio, impositio manus seu χειροθεσία;

c) *ab effectu :* donum Spiritus sancti ; sacramentum plenitudinis ; perfectio et consummatio seu τελείωσις et βεβαίωσις.

174. Confirmatio definitur : *Sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, in quo manus impositione et chrismatis unctione sub praescripta verborum forma baptizatis confertur Spiritus sanctus ad fidem strenue profitendam.*

In qua definitione indicatur :

1° Genus ad quod Confirmatio pertinet : *sacramentum N. Legis.*

2° Auctor Confirmationis : *a Christo Domino institutum.*

3° Materia : *in quo manus impositione et chrismatis unctione.*

4° Forma : *sub praescripta verborum forma.*

5° Subiectum : *baptizatis.*

6° Effectus : *confertur Spiritus sanctus ad fidem strenue profitendam.*

175. Divisio tractatus.— Tractatus dividitur in quatuor quaestiones :

1° De ipso Confirmationis sacramento : a) de eius institutione ; b) de eius partibus constitutivis seu materia et forma.

2° De effectibus Confirmationis.

3° De ministro Confirmationis.

4° De Confirmationis subiecto [1].

Accedit appendix de caeremoniis Confirmationis.

QUAESTIO PRIMA.

DE IPSO CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

Articulus I.

De Institutione Confirmationis.

S. Th. III, q. 72, a. 1.

176. Status quaestionis. — Reformatores Confirmationi denegarunt dignitatem sacramenti ; et hodie Protestantes omnes, Ritualistis exceptis, hoc sacramentum negant.

Iam olim Novatiani, Waldenses et Albigenses videntur hoc sacramentum negasse aut saltem neglexisse ut ritum inutilem. Lutherus autem primus fuit qui sacramentum expresse negavit, et asseruit meram esse caeremoniam ecclesiasticam. Calvinus

1. De Confirmatione conferri possunt S. Thomas III, q. 72 cum comm. Caietani et Billuart ; S.Bellarminus, *Controv., de Confirmatione;* Witasse, *Tractatus de Confirmatione;* Van Noort, Tanquerey, De Smet, Hugon in suis operibus de Sacramentis ; Chardon, *Histoire des Sacrements;* Nepefny, *Die Firmung;* Heimbucher, *Die H. Firmung;* L. Janssens, *La Confirmation;* Bickell, *Die Firmung bei den Nestorianern;* Dölger, *Das Sakrament der Firmung historisch-dogmatisch dargestellt;* Dict. de Théol., art. *Chrême* et *Confirmation;* Coppens, *L'Imposition des mains et les rites connexes;* d'Alès, *De Baptismo et Confirmatione.*

docuit Dominum voluisse ut Apostoli manuum impositione charismata Spiritus sancti seu gratias gratis datas fidelibus communicarent ; at cessantibus charismatibus et ritus cessare debuit. Sed Ecclesia eum retinuit ut solemnitate quadam catechesis absolveretur qua adolescentes fidei suae rationem coram episcopo exponebant. Fuit itaque ab episcopis invecta caeremonia ut suam auctoritatem super fideles assererent ; posterior autem aetas eam ut sacramentum posuit et ita dimidiam efficaciam a Baptismo abstulit [1].

Hodiernis temporibus Modernistae quidam statuebant : « Nihil probat ritum sacramenti Confirmationis usurpatum fuisse ab apostolis : formalis autem distinctio duorum sacramentorum, Baptismi scil. et Confirmationis, haud spectat ad historiam Christianismi primitivi » (prop. 44). Quod fuit ab Ecclesia reprobatum.

177. *Thesis.* **Confirmatio est verum N. L. sacramentum a Christo institutum et a Baptismo distinctum.** — Est *de fide* ex Conc. Lugd. II, prof. fid. Mich. Palaeologi; Flor., decr. pro Arm. ; et Trid., sess. 7, de Sacr., can. 1, et de Conf., can. 1, cuius prima pars est contra Lutherum, altera contra Calvinum.

Probatur : 1) *Ex Scripturis :* Act. VIII, 12-18 et XIX, 1-6, ex quibus constat Apostolos imposuisse manus fidelibus baptizatis ut acciperent Spiritum sanctum.

Ubi omnia inveniuntur elementa essentialia sacramenti :

a) *signum sensibile :* impositio manuum ;

b) *gratiam conferens ex opere operato*, quia manibus impositis statim datur Spiritus sanctus ; hic autem, testante Scriptura (Ioh. VII, 37-39 ; Rom. V, 5 ; I Cor. II, 12 ; III, 16 ; Gal. V, 22 ; I Thes. IV, 8), non datur sine gratia ; in casu autem gratia confert virtutem et robur ad confitendam fidem (Act. I, 8) ;

c) *distinctum a Baptismo*, quia manus imponuntur super antea baptizatos, et hoc competit solis apostolis, non diaconis ; item *ab Ordine*, quia impositio fiebat super omnes et tam mulieres quam viros ;

d) *permanenter institutum :* adhibetur enim non semel, sed communiter, non ab uno apostolo quidem, sed ab omnibus ; et quidem ut impletio promissionum Christi qui Spiritum sanctum omnibus promisit fidelibus. Unde refertur tamquam pertinens « ad inchoationem Christi » (Hebr. VI, 1-4) i. e. ad initiationem christianorum. Quod ceteroquin ex universali patet Traditione.

2) *Ex Traditione.* Initio non sunt testimonia directa et formalia, quia scriptores sunt pauci et non intendunt

1. Van Noort, o. c., n. 242.

expositionem completam facere doctrinae aut praxeos Ecclesiae aut etiam rituum initiationis ; at plures sunt allusiones incidentes. A saeculo III testimonia explicita habentur de Confirmatione ut distincta a Baptismo, ac tamquam pertinente ad primitivam disciplinam et continuante apostolorum praxim. Saeculo IV communis est doctrina. Unde Innocentius I saec. V eam recolit ut universaliter notam et usitatam.

Allusiones et insinuationes habent Clem. Rom. II, 2 ; Hermas, Simil. IX ; Iren., adv. Haer. I, 23, 31 ; Clem. Al., Quis dives salvetur, 42 ; Origenes, de Princ. I, 3. Testimonia explicita exhibent Tertull., De Baptismo VI et VIII ; de carn.res. 8 ; de praescr. 36 ; Cypr. ep. 73, n. 9, et 74, n. 7 ; Firmil. ep. ad Cypr. n. 7 (75 inter ep. Cypr.) ; opus anonymum De Rebaptizante, n. 3 ; Cornelius, ep. ad Fab. (H. E. VI, 43) ; Didascalia III, 12 ; Conc. Elib. (a. 306), can. 38 ; Cyr. Hier., cat. myst. III, 3 ; Greg. Naz., or. XL, 15 ; Hilar., in Mt. IV, 27 ; X, 2 ; XIX, 12 ; Ambr., de myst. VI, 29 ; VII, 42 ; Chrys., in Act. hom. XVIII, 3 ; Hieron., adv. Lucif. 9 ; Pacian., ad Sympr. I, 6 ; Opt. mil, de schism. Don. II, 42 ; IV, 7 ; Aug., c. 2 ep. Pel. II, 104 ; de Trin. XV, 26 ; Leo, serm. de nat. IV, 6.

3) *Ex ratione convenientiae* quam exponit S. Thomas, a. 1 :

Ubi occurrit specialis effectus gratiae, ibi oportet speciale sit sacramentum. Atqui, sicut in vita corporali alia specialis perfectio est generari ad vitam, et alia pervenire ad perfectam aetatem, ita in vita spirituali aliud est spiritualiter regenerari, et aliud accipere quasi perfectam huius vitae aetatem. Ergo sicut est speciale sacramentum, nempe Baptismus, quo regeneramur ad vitam gratiae, ita oportet esse speciale sacramentum quo adipiscimur perfectam huius vitae aetatem, et hoc est Confirmatio. Unde Confirmatio est speciale sacramentum.

178. Animadversio. — De modo et tempore quo sacramentum illud institutum fuit, multiplex fuit opinio. Melius dicitur cum S. Thoma, ad 1 : « Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo (Ioh. XVI, 7) », quatenus voluntate sua statuit esse conferendum, ipse autem non ministravit quia « in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem (Ioh. VII, 39) ».

Articulus II.

De Partibus Confirmationis constitutivis.

S. Th. III, q. 72, a. 2, 3, 4 et 9.

179. Status quaestionis. — Magna fuit incertitudo et opinionum diversitas de partibus constitutivis seu de materia et forma Confirmationis. In Scripturis dicuntur apostoli Spiritum sanctum contulisse impositione manuum (Act. VIII, 17 ; XIX, 6), quin ulla mentio fiat alicuius unctionis, vel etiam clare indicetur prolatio verborum formae. Nunc autem, praemissa quadam manuum impositione in generali facta super omnes simul confirmandos, — quae caeremonia in quibusdam Ecclesiis etiam omittitur, — sacramentum singulis confertur unctione chrismatis facta in fronte : quae, cum fiat manu, hac ratione quaedam specialis impositio manus dici posset.

Hinc quaerunt quaenam elementa in Confirmatione fuerunt ab ipso Christo determinata ac proin immutabilia sunt, et quaenam fuerunt determinata ab Ecclesia ; — item quid nunc sit materia sacramenti et forma, aut etiam variis temporibus fuerit.

180. Opiniones diversae. — Ad praedictas quaestiones solvendas multiplex pronuntiata fuit sententia :

1ª quam tenent Aureolus, Sirmondus, Sᵉ-Beuve, essentialia sacramenti ponit in sola impositione manuum versus omnes confirmandos et oratione correspondente. At certo falsa est, tum quia contradicit Conc. Flor., decr. pro Arm., et omnibus ritualibus quae materiam ponunt unctionem, tum quia S. C. P. F. declaravit, 6 aug. 1840, non esse repetendam Confirmationem in qua praetermissa fuerit ista generalis impositio manuum, tum quia haec apud Graecos deest. Ceterum non bene componitur cum can. 2, Conc. Trid., sess. 7, de Conf. : « Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui sancto eos qui sacro Confirmationis chrismati *virtutem* aliquam tribuunt, a. s. ».

2ª est Maldonati et Sylvii, qui ponunt solam unctionem ut materiam sacramenti, quae sola est in usu apud Graecos. At in Scripturis commemoratur manuum impositio, atque traditio semper retinuit mentionem manus impositionis. Ita Innocentius III, a. 1204 : « Per frontis chrismationem manus impositio designatur quae alio nomine dicitur Confirmatio » ; et prof. fid. Mich. Palaeologi in Conc. Lugd. II : « Sacramentum Confirmationis quod per manuum impositionem episcopi conferunt

chrismando renatos »; recentissime Codex iuris, can. 780: « Sacramentum Confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta. » Unde dicendum videtur non solam chrismationem sufficere sed saltem requiri impositionem manus concomitantem, quatenus chrismatio non quidem mediante instrumento, sed immediate manus contactu imposito sit facienda.

3ª ambas impositiones requirit et unctionem: ita Tournely, Habert, Gotti, Concina. At falsum est primam requiri impositionem, uti constat ex Const. Benedicti XIV *Ex quo primum* 1 mart. 1756 declarantis primam impositionem esse meram caeremoniam atque valide conferri Confirmationem a Graecis qui illam omittunt; item ex decr. S. Off., 17 apr. 1872 et 22 mart. 1892.

4ª quae est multorum, inter quos S. Bellarminus, S. Alphonsus, Billuart, ait materiam semper fuisse in chrismatione cum concomitante manus impositione. Sed mentio unctionis distinctae ab unctione in Baptismo adhibita et Confirmationi propriae nullibi occurrit in Ecclesia primitiva; atque ipsi Apostoli non dicuntur usi fuisse nisi manuum impositione, imo non videtur ipsis fuisse tanta olei copia ad inungendas turbas. Quod si dicatur apostolos ex speciali privilegio potuisse sacramentum conferre sola manuum impositione, aut id aliquando ita fecisse per miraculum, secus autem adhibuisse unctionem quando solam gratiam sine donis exterius apparentibus communicabant, haec sunt coniecturae sine sufficienti fundamento.

5ª quam tenuerunt Ruardus Tapper, Morinus, Estius, Mayer, ait tum impositionem manuum tum chrismationem sufficere. Haec sententia, quatenus affirmaret etiam hodie alterutram materiam sufficere et episcopum inter utrumque ritum posse eligere, certo falsa est, uti constat ex declaratione Benedicti XIV. Si autem affirmet pro diversitate temporum et locorum diversam fuisse materiam secundum diversam determinationem Ecclesiae, probabilis est sed coincidit cum sententia sequente.

6ª denique tenet Confirmationem primitus collatam fuisse impositione manuum, nunc autem conferri unctione chrismatis manu imposita facta. Christus scil. non omnino determinavit signum sacramentale, sed ultimam determinationem reliquit Ecclesiae quae pro diversis temporibus et locis aliter determinare id potuit. De facto historia primaeva testatur solam manuum impositionem; in fine saec. II addita fuit ut ritus secundarius consignatio in fronte, absque unctione, quae saltem in Occidente ante saec. IV non obtinuit. Saec. IV, ob praxim introductam seiungendi Confirmationem a Baptismo, invaluit unctio chrismatis seu consignatio cum chrismate cui accessit forma propria. Decursu vero saeculorum paulatim factum est, consuetudine scil. ab Ecclesia probata, ut unctio manu imposita praevaluerit et considerata fuerit ut ritus essentialis, dum e contra generalis impositio manus quae originarie erat ritus essentialis, facta sit mera caeremonia accidentalis. Ita plures moderni, ut Billot, Tanquerey, Galtier, De Smet, Hugon; et revera sic melius dicitur spectatis

documentis historicis, atque verificatur quod iam innuit C. Flor. dicens: « Loco illius (apostolorum) manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio ».

181. **Materia remota** est sacrum chrisma, i. e. oleum olivarum admixtum balsamo atque speciali benedictione consecratum ab Episcopo. Ita ex Ritualibus et ex decretis Clementis VI, Eugenii IV in Conc. Flor., Clementis VIII et Benedicti XIV.

Dicitur: 1° *Oleum olivarum*, quod omnino requiritur ad valorem sacramenti, nam:

« Proprie dicitur oleum, et maxime habetur in usu ubi haberi potest; quilibet autem alius liquor ex similitudine huius oleum nominatur; nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos quibus deest oleum olivarum ». Ita S. Thomas, a. 2, ad 3. Unde invalidum esset sacramentum, si ex petroleo, oleo nucum vel amygdalum conficeretur.

Oleum significat tum nitorem conscientiae, ut ait C. Flor., decr. pro Arm., tum plenitudinem Spiritus sancti ad robur spirituale, ut ait S. Thomas, a. 2, sicut pugiles ex olei inunctione corpori agilitatem dabant et robur ad pugnam.

2° *Admixtum balsamo*, uti iam ab antiquis factum est temporibus et probabilius ad valorem requiritur.

Sufficit autem balsamum cuiusque regionis, dummodo sit in ea quantitate ut det sui odorem. Apud Graecos plura alia aromata solent adiungi, sed non exigitur ad validitatem.

Balsamum significat odorem bonae famae, ut ait C. Flor., l. c., seu suavitatem virtutum et incorruptionem fidei (a. 2).

3° *Benedictum*, quod est de valore sacramenti, ut docent communissime.

In sacramentis quibus usus est ipse Christus, non requiritur benedictio sed ex ipso usu Christi materia aptitudinem recepit signi sacramentalis. At in sacramentis quibus Christus non est usus, specialis requiritur consecratio qua apta fiat materia ut sit gratiae instrumentum (a. 3).

4° *Ab Episcopo* qui gerit personam Christi (a. 3, ad 3), quod etiam ad valorem requiritur ex Conc. Flor.

Quamvis tamen quidam aliter sentiant aut putent ex commissione S. Pontificis sacerdotem delegari posse ad consecrandum chrisma; quae delegatio tamen nunquam conceditur (can. 781, § 1) etiam in Ecclesia graeca, nec olim concessa certo noscitur.

5° *Speciali benedictione*, quod etiam probabilius requiritur ad valorem, at non est omnino certum.

Hinc S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 163, dicit in articulo mortis, sub conditione conferri posse sacramentum ex solo oleo ab episcopo benedicto, propter magnam utilitatem sacramenti; at valde dubitare licet an Confirmatio unquam possit dubie valida ministrari, cum non sit sacramentum necessitatis.

Ad liceitatem et quidem sub gravi requiritur chrisma recens. In casu tamen necessitatis dum deficit recens, aut ex speciali S. Pontificis dispensatione, cum vetere confirmare est licitum.

182. Materia proxima est unctio chrismatis in fronte per modum crucis immediate facta per manus impositionem. Constat ex Pontif. Rom. et ex can. 780 et 781, § 2.

Dicitur : 1) *Unctio*, quae ad valorem sacramenti est necessaria, ut constat ex decretis et praxi Ecclesiae.

2) *Chrismatis*, scil. ex oleo et balsamo specialiter compositi et benedicti ab episcopo, ut explicatum fuit supra.

Quantitas adhiberi debet ad unguendum frontem in forma crucis sufficiens.

3) *In fronte*, ut significetur confirmandum, Christum erubescere non debere. Quod valde probabiliter ad valorem requiritur, quia sic est antiquus et universalis Ecclesiarum usus.

Hinc si fieret unctio in alia corporis parte, ut in maxilla aut pectore, dubium esset sacramentum, et sub conditione iterandum. In quibusdam Ecclesiis orientalibus non tantum in fronte sed etiam in pluribus aliis partibus fiunt unctiones, at istae non sunt essentiales sed solum integrales sacramenti partes.

4) *Per modum crucis facta*, ut sic confirmandus accipiat signum Christi cuius miles efficitur; quod etiam necessario requiritur secundum communiorem sententiam, et postulatur ab ipsa sacramenti forma qualis adhibetur in Ecclesia latina.

Rationes consignationis cruce factae in fronte exponit S. Thomas, a. 9 : « In hoc sacramento homo accipit Spiritum sanctum ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter, etiam inter adversarios fidei, Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte propter duo : 1° quidem quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quae quasi nunquam obtegitur ; et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse christianum, sicut et apostoli post acceptum Spiritum sanctum se manifestaverunt, qui prius in coenaculo latebant ; 2° quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scil. propter timorem, et propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte,... unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt... Et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri praetermittat ». Idem tradit Conc. Florentinum.

5) *Immediate :* non mediante instrumento, sed ipsa manu imposita.

Ita S. Off., 14 ian. 1885 ; et can. 781, § 2 ; — secus enim vera non adesset manus impositio et deesset conditio sequens.

6) *Per manus impositionem*, quatenus tamen ab ipsa unctione manu facta non distinguitur sed in ea necessario includitur.

Prima impositio manuum super omnes confirmandos facta quae praemittitur unctioni, non pertinet ad ipsum sacramentale signum, sed est mera caeremonia, ita ut ea omissa, confirmatis sacramentum non sit repetendum, nec requiratur ut omnes confirmandi ipsi intersint.

Ad liceitatem requiritur ut unctio fiat pollice dextero, reliqua manu super caput imposita; quod si absque iusta ratione fieret alio digito aut manu sinistra, esset peccatum : grave esse non constat.

183. Forma est : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Haec est hodie praescripta a Rituali et traditur a Conc. Flor. ; sed plures antea subiit mutationes. In Ecclesia graeca est alia, quoad sensum substantialiter aequivalens et ibi certo valida : *Signaculum doni Spiritus sancti :* Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου.

Convenientiam formae ostendit S. Thomas, a. 4 :

« Forma sacramenti continere debet quidquid pertinet ad speciem sacramenti... In hoc sacramento datur Spiritus sanctus ad robur spiritualis pugnae. Et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quae continentur in forma praedicta; quorum 1^m^ est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est sancta Trinitas, quae exprimitur cum dicitur : *In nomine Patris...* ; — 2^m^ est ipsum robur spirituale quod homini confertur per sacramentum materiae visibilis ad salutem, quod quidem tangitur cum dicitur : *Confirmo te chrismate salutis;* — 3^m^ est signum

quod pugnatori datur, sicut et in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur, et quantum ad hoc dicitur : *Consigno te signo crucis*, in quo scil. rex noster triumphavit ».

Ad validitatem requiruntur :

1) *Signo te*, scil. nota et charactere militis Christi ; cui correspondet in graeco : *signaculum* seu sigillum ;

2) *confirmo te chrismate salutis*, in gratia accepta per unctionem Spiritus sancti ; quod in graeco dicitur : *doni Spiritus sancti.* Sigillare enim donum, i. e. gratiam, Spiritus sancti, est eam habenti confirmare, firmiorem et stabiliorem reddere ;

3) etiam probabiliter : *in nomine Patris...* ; non tamen certum est, quia deest in graeco, nisi dicatur tota Trinitas implicite indicari nomine Spiritus sancti. Ceteroquin nihil impedit Ecclesiam diversam determinasse formam pro Ecclesia latina et graeca. Unde practice sacramentum non erit certum, nisi omnia dicantur.

Accidentalis mutatio esset, si quis diceret : *corroboro* pro confirmo ; aut *sanctificationis* loco salutis.

QUAESTIO SECUNDA.

DE EFFECTIBUS CONFIRMATIONIS.

S. Th. III, q. 72, a. 5 et 7.

184. Effectus sacramenti Confirmationis, etiam in infantibus, est roboratio in vita spirituali seu confortatio et augmentum vitae supernaturalis, ita ut homo in ea adducatur quasi ad aetatem perfectam. Id explicite docet Conc. Flor., et ceteroquin constat modo loquendi a Scripturis et Patribus adhibito, iuxta quem in Confirmatione ipse Spiritus sanctus infunditur et confertur simpliciter [1], i. e. plene cum omnibus donis, ad robur et firmitatem iustitiae, et ad plenam eorum effusionem ac ubertatem, dum in Baptismate iam contulit renascentiam et remissionem peccatorum [2]. Et quidem :

1. Act. VIII, 15-16 ; XIX, 5-6.
2. Act. II, 38 ; XXII, 16 ; Hebr. X, 22 ; Ioh. III, 5 ; Eph. V, 26.

A. Non ponentibus obicem confert *gratiam*, quod est de fide ex C. Trid., sess. 7, can. 1 : per se gratiam secundam, quia confortatio et augmentum in vita spirituali hanc de se supponit ; per accidens probabiliter gratiam primam, si quis bona fide in peccato accedat de ipso attritus (a. 7, ad 2).

Hinc a) per accidens remittit peccatum mortale ; b) etiam remittit venialia, mediante fervore seu exercitio charitatis prout et in quantum hoc illorum retractationem saltem implicite contineat ; c) quodsi quis ponat obicem, obice per poenitentiam remoto, gratiam sacramenti obtinebit.

Confert autem sacramentum :

1) gratiam habitualem gratum facientem, quam auget, ut diximus : non enim datur Spiritus sanctus nisi cum gratia gratum faciente (a. 7) ;

2) omnes virtutes infusas et dona Spiritus sancti, quae simul cum gratia infunduntur et cum ea proportionaliter augentur ;

3) gratiam specialem sacramentalem confortantem (ad 3), scil. ad strenue et audacter confitendum publice fidem coram hominibus eamque defendendum et pro ea pugnandum ; ut constat ex effectu producto in apostolis ;

4) ius ad gratias actuales, ad hunc finem necessarias, per totam vitam opportuno tempore consequendas.

B. Omnes qui valide recipiunt consecrat et signat *charactere indelebili*, ut de fide est ex Trid., sess. 7, can. 9, quo homo baptizatus fit miles Christi, potestatem accipiens ex officio fidem publice profitendi et pugnandi atque sacra congruentius recipiendi. Quod ita ostendit S. Thomas, a. 5 :

« Character est quaedam spiritualis potestas ad aliquas actiones sacras ordinata.. Dictum est autem supra, quod sicut Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio in vitam christianam, ita etiam Confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem aetatem perfectam. Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati, et alia quae competit ei, cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo per sacramentum Confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, praeter illas ad quas datur ei potestas in Baptismo. Nam in Baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinent

salutem, prout scil. secundum seipsum vivit; sed in Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, sicut patet exemplo apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in coenaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi non verebantur publice fateri etiam coram inimicis fidem christianam. Et ideo manifestum est quod in sacramento Confirmationis imprimitur character ».

« Et ideo character Confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his quibus dicitur, I Petr. II, 2: Sicut modo geniti infantes.. » (ad 1).

Hic effectus etiam producitur in illis qui ponunt obstaculum gratiae; et est titulus permanens ob quem, remoto obice, gratia sacramenti confertur et sacramentum semper reviviscit.

185. Corollaria.— 1. Character Confirmationis ex necessitate praesupponit characterem baptismalem, quia nemo potest promoveri in aetatem perfectam nisi prius fuerit natus; unde si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet (a. 6).

2. Sacramentum Confirmationis est initerabile, quia imprimit characterem indelebilem; nec unquam in Ecclesia fuit iteratum id quod valide putabatur ministratum. Quod si quandoque legatur confirmatis in haeresi manus fuisse impositas cum invocatione Spiritus sancti vel ad accipiendum Spiritum sanctum, id intelligendum est vel de ritu poenitentiali; vel de gratia confirmationis quae, ob remotionem obicis per poenitentiam, eo momento largitur; aut etiam, in *quibusdam* Ecclesiis, de reiteratione Confirmationis, quia eam ab haereticis ministratam habebant invalidam, dum conditionem *validitatis* ab Ecclesia positam putabant esse veram fidem ministri circa SS. Trinitatem.

QUAESTIO TERTIA.

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO.

S. Th. III, q. 72, a. 11.

186. Minister ordinarius Confirmationis est solus episcopus (can. 782, § 1), quia vi sui ordinis et muneris sine speciali commissione S. Pontificis sacramentum *valide* ministrare potest. — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 7, de Conf., can. 3, et sess 23, can. 7, confirmante doctrinam et decisiones Innoc. I, Gelasii, Innoc. III, et Conc. Flor. Innuitur in Scripturis, Act. VIII, 12-17, constat ex antiquissima traditione et praxi, cuius convenientiam ostendit S. Thomas, a. 11:

« In quolibet opere ultima consummatio supremae arti aut virtuti reservatur, sicut praeparatio materiae pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam..; unde epistola, quae a notario scribitur, a domino signatur. Fideles autem Christi sunt quodammodo divinum opus, secundum illud I Cor. III, 9: *Dei aedificatio estis;* sunt etiam quasi quaedam *epistola Spiritu Dei scripta,* sicut dicitur II Cor. III, 3. Hoc autem Confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti Baptismi, ita scil. quod per Baptismum aedificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur quasi quaedam spiritualis epistola; sed per sacramentum Confirmationis, quasi domus aedificata dedicatur in templum Spiritus sancti, et quasi epistola conscripta signatur signo crucis. Et ideo collatio huius sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia, sicut et in primitiva Ecclesia per impositionem manuum apostolorum, quorum vices gerunt episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur ».

Ut autem *licite* episcopus confirmet, requiritur iurisdictio ordinaria, aut licentia saltem rationabiliter praesumpta ab eo qui talem iurisdictionem habet. Hinc can. 783:

§ 1. « Episcopus in sua dioecesi hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstet expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio ». Quod valet etiam de locis exemptis iuxta can. 792.

§ 2. « In aliena dioecesi indiget licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis quibus Confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra ».

Obligatio est de se gravis, et ideo graviter peccaret episcopus qui auderet has praescriptiones transgredi in aliquo puncto.

187. Minister extraordinarius Confirmationis est presbyter cui vel ex iure communi vel ex peculiari vel ex generali Sedis apostolicae indulto facultas concessa sit (can. 782, § 2). — *Certum est* ex C. Flor. et ex perpetuo Ecclesiae usu.

An autem episcopus de se posset presbytero hanc facultatem conferre, est dubium, quia talis delegatio simplicis sacerdotis non refertur ad potestatem ordinis sed ad potestatem iurisdictionis. Hinc si olim id factum est, cum tacito consensu Sedis Apostolicae factum dici potest, dum nunc lege canonica cautum est ne fiat: in praesenti enim ius illud S. Pontifici est reservatum, nec sine eius licentia, ex iure aut indulto concessa valide exercetur.

De hac facultate sacerdotibus commissa notentur sequentes dispositiones:

1. Hac facultate ipso iure gaudent, praeter S. R. E. Cardinales quibus competit ubique terrarum, Abbas vel Praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus apostolicus, qui tamen ea *valide* uti ne-

queunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum (can. 782, § 3).

2. Secundum jus commune presbyter ritus latini cui, *vi indulti* (et non ex iure communi), haec facultas competat, Confirmationem *valide* confert *solis* fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit (can. 782, § 4). — Decreto diei 1 maii 1948 concessum est ut, quoties latini ritus presbyteri, vi legitimi indulti, Confirmationis sacramentum valide et licite administrari possunt fidelibus proprii ritus, idem — dummodo constet ipsum immediate post Baptismum, uti mos est, jam non fuisse collatum — conferre valeant fidelibus quoque rituum orientalium quorum spiritualis cura ipsis commissa permaneat. Haec valent etiam quoties sacramentum conferri potest ad normam decreti « De confirmatione administranda iis qui, ex gravi morbo, in mortis periculo sunt constituti » (Cfr infra n. 5).

3. Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent Confirmationem una cum Baptismo infantibus sui ritus conferendi, eamdem ministrare infantibus latini ritus (can. 782, § 5).

Hac facultate, quibusdam exceptis ut Maronitis et Italo-Graecis, gaudent generatim vi consuetudinis immemorabilis ; unde administratio Confirmationis infanti latino, quamvis illicita, tamen potius videtur valida, licet quidam de hoc dubitent.

4. Presbytero quoque licet, si apostolico *locali* (non mere personali) privilegio sit munitus, in designato sibi territorio confirmare etiam extraneos, nisi id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint (can. 784).

5. Per decretum *Spiritus Sancti Munera* Sacrae Congreg. de Discipl. Sacram. generali indulto omnibus parochis proprio territorio gaudentibus, quasi-parochis, vicariis perpetuis, vicariis oeconomis ac sacerdotibus quibus exclusive et stabiliter commissa est in certo territorio et cum determinata ecclesia plena animarum cura cum omnibus parochorum juribus et officiis, facultas conceditur ut, per semetipsos, sacramentum Confirmationis administrent, in proprio territorio, iis personis qui ibidem degunt (non exceptis peregrinis nec commorantibus in locis a paroeciali jurisdictione subductis) ac ex gravi morbo in vero mortis periculo sunt constituti, sive sint infantes sive sint adulti. — Requiritur tamen ut Episcopus dioecesanus haberi non possit vel sit impeditus, nec alius praesto sit Episcopus catholicus, licet titularis tantum, qui sine gravi incommodo ipsi sufficere queat. — Si moribundi adhuc hujus sunt capaces oportet ad fructuosam hujus sacramenti receptionem quantum possibile praeparentur ; ac, si forte convaluerint, plenius instruantur.

Insuper serventur normae quas idem decretum praecipit « Confirmatio conferatur servata disciplina per C. I. C. inducta et ad rem accommodata, nec non ritu adhibito ex Rituali Romano excerpto, quae fuse et ex integro infra transcribuntur : *gratis vero quovis titulo est conferenda.* »

« Ad normam canonis 798, collati sacramenti adnotationem

minister extraordinarius in paroeciali confirmatorum libro peragat, ibidem inscribendo nomen suum ac nomina confirmati (et si eius subditus non sit, etiam illius dioecesis et paroeciae), parentum et patrini, diem et locum, adiectis demum verbis : « confirmatio collata est ex Apostolico indulto, urgente mortis periculo, ob gravem confirmati morbum ». Adnotatio facienda est etiam in libro baptizatorum ad normam can. 470, § 2.

Si confirmatus sit alienae paroeciae, quamprimum minister ipse de collato sacramento parochum confirmati proprium certiorem reddat per authenticum documentum, quod omnes notitias complectatur, de quibus supra. »

« Ministri extraordinarii tenentur praeterea singulis vicibus statim ad Ordinarium dioecesanum proprium authenticum nuntium mittere collatae a se Confirmationis, additis adjunctis omnibus in casu concurrentibus[1]. »

188. Obligatio ministrandi Confirmationem. — Episcopus tenetur sacramentum Confirmationis *subditis* ministrare rite et rationabiliter petentibus, praesertim tempore visitationis dioecesis (can. 785, § 1), quae singulis quinquenniis absolvi debet (can. 343, § 1) ; non autem cum periculo mortis, quia non est sacramentum necessitatis : nisi forsan in casu quo ex non ministratione oriretur scandalum. Eadem obligatione tenetur presbyter, privilegio apostolico donatus, erga illos quorum in favorem est concessa facultas (can. 785, § 2).

Obligatio ex natura sua gravis est, nisi gravis ratio excuset. Unde Ordinarius legitima causa impeditus aut potestate confirmandi carens, debet, quoad fieri possit, saltem intra quodlibet quinquennium providere ut suis subditis hoc sacramentum administretur (§ 3).

Si autem graviter neglexerit sacramentum Confirmationis suis subditis per se vel per alium ministrare, Metropolita debet eum S. Sedi denuntiare (§ 4 et can. 274, 4°).

Presbyter qui nec a iure nec ex Romani Pontificis concessione

---

1. Decretum exstat *A.A.S.*, t. 38 (1946), pp. 349-358. — In omnibus fere periodicis de re theologica aut canonica tractantibus, huiusce decreti prodiere commentaria.

Per decretum S. Congr. de Prop. Fide, diei 18 dec. 1947, insuper conceditur Ordinariis locorum a S. Congr. de Prop. Fide dependentibus, potestas tribuendi « omnibus sacerdotibus sibi subditis curamque animarum gerentibus, facultatem sacram Confirmationem fidelibus sive adultis sive infantibus, infra fines missionalis circumscriptionis exstantibus et in mortis periculo constitutis, valide ministrandi ; necnon licite in ipso loco residentiae Episcopi, absente tamen quolibet Episcopo vel legitime impedito ; servataque formula a Rituali Romano statuta » (*A.A.S.*, t. 40 (1948), p. 41).

facultatem habens sacramentum Confirmationis ministrare ausus fuerit, suspendatur ; si vero facultatis factae limites praetergredi praesumpserit, eadem facultate eo ipso privatus existat (can. 2365).

189. Animadversio. — Theologi non concordant in declarando modo quo simplex sacerdos obtineat potestatem Confirmationem ministrandi. Melius videtur dicendum ad hoc sacramentum conferendum requiri dignitatem excellentem, quae episcopis plene competit ex proprio suo charactere, sacerdotibus non absolute et plene, sed solum radicaliter et inchoative ; unde indigent extrinseco augmento dignitatis quo character ipsorum ordinetur ad novum effectum, scil. collationem Confirmationis. Hoc autem supplementum dignitatis ipsis confertur speciali deputatione Pontificis, ita ut potestas eorum inchoata accedente delegatione extendatur et compleatur. Pontifex scil. qui habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, valet infima superioris muneris episcopalis quae respiciunt corpus Christi mysticum, qualis est potestas confirmandi, committere iis qui iam habent potestatem summam circa corpus Christi verum, nempe sacerdotibus [1].

QUAESTIO QUARTA.

DE SUBIECTO CONFIRMATIONIS.

S. Th. III, q. 72, a. 6 et 8.

190. Subiectum capax Confirmationis est omnis et solus homo baptizatus et nondum confirmatus (can. 786). Unde *valide* confertur pueris et perpetuo amentibus, qui licet nullos hostes spirituales impugnandos habeant, robur spirituale et augmentum gratiae accipere possunt ; adultis vero, dummodo intentionem habeant saltem habitualem et implicitam recipiendi sacramentum (n. 92-93).

Ut autem *licite et fructuose* recipiatur, debet suscipiens esse in statu gratiae constitutus, cum agatur de sacramento vivorum et, si usu rationis polleat, sufficienter instructus (can. 786), tum scil. de necessariis cognitu necessitate medii et praecepti, tum de iis quae spectant ad sacramentum suscipiendum, ut exponit Instructio S. C. P. F. anni 1774.

1. Cfr. S. Thomas, a. 11, ad 1 ; et IV Sent., d. 7, q. 3, a. 1, qc. 3 ; Billuart, art. 7, obi. 2 ; Billot, o. c. th. 36 ; Hugon, *Tract. Dogm.* III, de Conf., a. 5. — Aliam opinionem proponit De Smet, o. c. n. 401

191. Speciale praeceptum recipiendi Confirmationem per se non datur, quia sacramentum non est necessarium ad salutem sed ad perfectionem salutis (a. 1, ad 3). Hinc :

a) Qui illud non recipiunt per se non peccant graviter.
b) At praetermittere tam magnum medium salutis regulariter et secluso sat magno incommodo non fit ex rationabili motivo, ac proinde solet includere culpam levem,unde can. 787 : « Quamquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, *oblata occasione, illud negligere...* ».
c) Per accidens potest adesse grave peccatum ratione scandali, aut contemptus, aut specialis necessitatis ob peculiare periculum amittendae fidei.

192. Confirmatio omni aetati convenit et est de se omnibus exhibenda. — Nam, sicut de intentione naturae est ut omnis qui corporaliter nascitur ad perfectam aetatem perveniat, licet hoc interdum impediatur, propter corruptibilitatem corporis, quod morte praevenitur, ita et multo magis de intentione Dei est ut qui nascitur spiritualiter in perfectam aetatem perveniat vitae supernaturalis. Sed anima, ad quam pertinet et spiritualis nativitas, et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est, et potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore iuventutis vel pueritiae consequi perfectam aetatem ; quia huiusmodi corporales aetates animae non praeiudicant. Ergo potest omni aetati conferri Confirmatio et per se debet omnibus exhiberi (a. 8).

Hinc « etiam in puerili aetate homo potest consequi perfectionem spiritualem aetatis... ; et inde est quod multi in puerili aetate propter robur Spiritus sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo » (ad 2). Et etiam morituris hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant... Unde « et pueri confirmati decedentes et maiorem gloriam consequuntur, sicut et hic maiorem obtinent gratiam » (ad 4).

Primis saeculis Confirmatio dabatur statim post Baptismum. A saec. V, propter multiplicationem fidelium in ecclesia latina collatio Confirmationis, utpote episcopo reservata, cepit separari a ministratione Baptismi; et ita paulatim mos invaluit eam differendi ad annos discretionis, excepta tamen Hispania, ubi consue-

tudo antiqua sicut apud Graecos servata fuit usque ad hodiernum diem.

Iamvero praesens consuetudo Ecclesiae latinae est convenientior, tum ob maiorem reverentiam tanti sacramenti, tum ob spem uberioris fructus in suscipientibus conscie. Iuxta hodiernam disciplinam can. 788 consecratam 1) regulariter differenda est Confirmatio usque ad, nec ordinario ministranda ante usum rationis ; 2) *potest* tamen antea conferri, si infans in periculo mortis sit constitutus *vel* ministro id expedire ob iustas et *graves* causas videatur ; 3) non tamen diutius est differenda, sed convenienter datur ad septimum *circiter* aetatis annum.

APPENDIX.

DE CONFIRMATIONIS CAEREMONIIS.

S. Th. III, q. 72, a. 10 et 12.

193. Caeremoniae accidentales ab episcopo in Confirmationis collatione adhibendae indicantur in Pontificali romano ; per se obligant sub gravi, licet quaedam minoris momenti sub levi tantum praescribantur (n. 106). Notandae veniunt :

1. *Impositio et extensio manuum* in principio super omnes confirmandos, cui, licet mera sit caeremonia ad validitatem non requisita, omnes tamen adesse tenentur (can. 789).

2. *Alapa*, super genam data, ut confirmatus meminerit se tamquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa pro Christi nomine ferenda, ut nunc symbolice explicant [1]; antiquitus tamen videtur fuisse osculum pacis, cui, decursu temporis, ratione decentiae respectu mulierum successit levis tactus [2]. Ceteroquin censetur caeremonia levioris momenti quae solum sub levi obligat.

3. *Benedictio communis* quae datur in fine, et cui omnes interesse debent (can. 789).

4. *Caeremonia cerei* non est in Pontificali praescripta sed solo usu introducta.

5. *Fascia* seu vitta linea qua frons confirmati est ligandus, ex consuetudine iam non obligat, dummodo pars inuncta diligenter abstergatur, ne chrisma defluat.

6. *Ieiunium*, quod confirmandis mandatur in Pontificali, est tantum de consilio ; unde consuetudo invaluit ut sacramentum non ieiunis, imo post prandium, ministretur.

7. Aliud *nomen*, praeter baptismale, ab episcopo imponi potest, non debet (S. C. R., 20 sept. 1749).

8. *Vestes sacrae* praescribuntur ab episcopo induendae ; ex qualibet tamen iusta causa potest administrare sine mitra et baculo, adhibito rochetto et stola, imo privatim etiam cum sola stola (S. Off., 12 febr. 1851 ; can. 783, § 2).

Modus quo simplex sacerdos ex delegatione S. Sedis ministrare debet indicatur in Instr. S. C. P. F., 4 maii 1774 (S. Off., iul. 1888), in appendice ad Rit. rom. posita, et in recenti Instr. S. C. de Sacr., 20 maii 1934 ;

1. Cat. rom., 2 p., c. 3, n. 26.
2. Dölger, o. c., p. 155.

non potest insignia pontificalia assumere, sed uti superpelliceo et stola, vel et pluviali ; atque delegationem suam populo praelegere ac explicare tenetur.

194. Tempus et locus Confirmationis. — 1. Confirmatio quovis tempore conferri potest, maxime autem decet illam administrari in hebdomada Pentecostes (can. 790). Olim praesertim conferebatur sicut Baptismus, in vigiliis Paschae et Pentecostes.

2. Proprius Confirmationis administrandae locus est ecclesia ; nihilominus ex causa, quam minister iustam ac rationabilem iudicaverit, potest hoc sacramentum in quolibet alio loco decenti conferri (can. 791). Ministrare in loco indecenti, nisi gravi de causa, esset peccatum grave.

3. Episcopo ius est intra fines suae dioecesis Confirmationem administrandi in locis quoque exemptis (can. 792).

195. Patrinus ex vetustissimo Ecclesiae more, ut in Baptismo, sic in Confirmatione adhibendus est, si haberi potest (can. 793). Quae obligatio de se gravis est (S. Off., 5 sept. 1877).

Rationem affert S. Thomas, a. 10 : « Hoc sacramentum exhibetur homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quae pertinent ad conservationem vitae..., ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his quae pertinent ad modum certaminis... Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. — Similiter etiam quia per hoc sacramentum confertur homini perfectio spiritualis aetatis..., et ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis et puer ».

Unus tantum sit patrinus, vel una, pro singulis confirmandis (can. 794, § 2) ; nec permittuntur ut in Baptismo unus et una. Patrinus autem *unum* tantum confirmandum *aut duos* praesentet, nisi aliud iusta de causa videatur (can. 794, § 1). Unde, si adsit iusta causa, minister permittere potest ut unus tantum sit patrinus pro omnibus masculis, et una pro omnibus feminis (S. C. C., 14 iun. et 12 iul. 1823), ut in pluribus locis fieri solet.

Ut quis *valide* sit patrinus, requiruntur conditiones similes ac pro patrinis Baptismi, scil. ex can. 795 :

1° Sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi ;

2° Nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus aut degradatus ;

3° Non sit pater, mater, coniux confirmandi ;

4° A confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus ;

5° Confirmandum in ipso Confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat. Ad quod sufficit ut manum dexteram super dextrum humerum confirmandi ponat.

Conditiones obligant sub gravi.

Ut quis *licite* ad patrini munus admittatur, oportet ex can. 796 :

1° Sit alius a patrino Baptismi, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post Baptismum legitime Confirmatio conferatur ;

2° Sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur ;

3° Ut adsint omnia quae pro Baptismi patrino requiruntur (n. 171,4).

Effectus muneris patrini talis est ut, sicut ex Baptismo, ita etiam ex valida Confirmatione oriatur inter confirmatum et patrinum cognatio

spiritualis, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi (can. 797), si nempe confirmatus egeat et alius desit ; non tamen impedimentum oritur matrimonium dirimens.

196. Animadversiones. — 1. Parochus *in peculiari libro* inscribat nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem ac locum confirmationis ; atque in *libro baptizatorum* adnotationem scribat collatae confirmationis (can. 798 et 470, § 2).

2. Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, de collata Confirmatione minister vel per se ipse vel per alium quamprimum eumdem certiorem faciat (can. 799) ; quod onus etiam incumbit ipsis Cardinalibus (can. 239, § 1— n. 23).

3. Ad collatam Confirmationem probandam, modo nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius confirmati iusiurandum, nisi confirmatus fuerit in infantili aetate (can. 800).

TRACTATUS

DE SS. EUCHARISTIA.

INTRODUCTIO.

S. Th. III, q. 73, a. 4 et 6.

197. Tertium sacramentum est SS. Eucharistia. — Sicut enim prius in Baptismate debemus renasci ad vitam spiritualem et divinam, dein in ea per Confirmationem roborari et quasi crescere usque ad perfectam aetatem ; ita per totam vitam nutriri in vita divina debemus, quod fit per S. Eucharistiam.

198. Eucharistia est sacramentum omnium perfectissimum, ut supra declaratum fuit, n. 101, ita quod alia sacramenta ad eam ordinentur ut ad finem. Hinc *per excellentiam vocatur sanctissimum, venerabile sacramentum, sacramentum sacramentorum*, vel simpliciter *sanctissimum ;* item *donum, sancta dona, mysteria tremenda*, etc. ; **et ideo etiam multis nominibus consuevit appellari.** Tanta scil. est huius sacramenti dignitas et perfectio ut uno nomine exprimi nequeat, unde pluribus vocabulis eam exprimere conati sunt. Etenim :

A. Omne sacramentum est signum rememorativum passionis Christi, demonstrativum gratiae et prognosticum futurae gloriae. Iamvero Eucharistia 1° *ut signum rememorativum* passionis Christi vocatur sacrificium, hostia, sacramentum pretii nostri, novum testamentum, memoriale redemptionis, holocaustum salutis, etc. ; 2° *ut demonstrativum* unionis animae cum Christo et membrorum Ecclesiae inter se vocatur communio, synaxis, mysterium pacis et unitatis, sacramentum amoris, etc. ; 3° *ut prognosticum* fruitionis Dei in patria dicitur viaticum, quia hic praebet nobis viam illuc perveniendi ; item pignus haereditatis aeternae. — *Generaliter* dicitur *Eucharistia* i. e. est bona gratia, quia Christus in ipsius institutione gratias egit et optima est gratiarum actio quotidie Deo oblata, et quia est bona gratia per excellentiam utpote Christum tamquam fontem omnis gratiae, charitatis et vitae

aeternae continens[1]. Quod nomen est praecipuum et antiquissimum[2].

B. Pariter, sicut in omni sacramento, ita in Eucharistia distinguuntur tria : sacramentum tantum seu signum externum, quod tantum significat et non significatur ; res et sacramentum, quod significatur et simul significat ; res tantum seu effectus gratiae, quae significatur et non significat. Sacramentum tantum sunt species panis et vini consecratae seu species informatae verbis consecrationis, quae significant corpus et sanguinem Christi praesentia in ratione cibi et potus ; res et sacramentum sunt corpus et sanguis Christi, quae praesentia significantur per species et significant spiritualem animae refectionem ; res est ipsa spiritualis animae refectio per gratiam divinam[3]. Iamvero 1° *ratione signi externi quod est sacramentum tantum* dicitur panis vitae, panis sanctus, angelorum, supersubstantialis, qui de coelo descendit, — vinum germinans virgines, calix benedictionis, eulogia mystica seu benedictio et consecratio ; 2° *ratione rei contentae quae simul est sacramentum :* corpus, caro, sanguis Christi, sacramentum corporis et sanguinis Domini, sancta, sancta sanctorum, sanctum Domini, ipsum bonum (τὸ ἀγαθόν), ipsum perfectum (τὸ τέλειον) ; 3° *ratione effectuum qui sunt res sacramenti :* sacramentum gratiae, gratia salutaris, vita, cibus animarum, aeternae vitae cibarium, alimonia, pharmacum et poculum immortalitatis, etc.

C. Denique *ratione circumstantiarum* in quibus fuit instituta vel ministratur, Eucharistia dicitur coena sacra, coena Domini, mensa Domini, coelestis, mystica, sacrum convivium, agapae, metalepsis (i. e. assumptio), sacramentum altaris, epulae divinae, fractio panis.

Dicitur quoque *mysterium fidei*, quia est maximum mysterium sola fide tenendum, et quia praecipua divina mysteria in uno compendio Eucharistia simul complectitur.

199. Multiplex excellentia Eucharistiae etiam variis figuris fuit praenuntiata. — Etenim :

1° Quantum ad id quod est *sacramentum tantum*, potissima figura fuit oblatio Melchisedech qui obtulit panem et vinum (Gen. XIV, 18) ; etiam panes primitiarum (Lev. XXIII, 10) et propositionis (XXIV, 5), ac multiplicatio panum a Christo facta (Ioh. VI ; Mc. VI et VIII).

1. Unde S. Bonaventura, de inst. novit. : « hoc sacramentum memoriale est totius dilectionis suae et quasi compendium quoddam omnium beneficiorum suorum ».

2. Ita iam in Didachè et apud S. Iustinum.

3. Notissima sunt verba Innocentii III, Decr. l. 3, tit. 41, c. 6 : « Distinguendum est utiliter inter tria, quae sunt in hoc sacramento discreta, videlicet formam sensibilem, veritatem corporis, et virtutem specialem. Forma est panis et vini, veritas carnis et sanguinis, virtus unitatis et charitatis. Primum est sacramentum et non res, secundum est sacramentum et res, tertium est res et non sacramentum ».

2° Quantum ad Christum passum qui in sacramento continetur, et ita est *res et sacramentum*, figurae sunt omnia sacrificia V. L., praecipue sacrificium expiationis (Lev. XVI) et sanguis testamenti (Ex. XXIV, 8).

3° Quantum ad effectum seu *rem sacramenti*, praecipua eius figura fuit manna quod in se habebat omne delectamentum et saporis suavitatem (Ex. XVI, 13 ; Num. XI, 7) ; item lignum vitae (Gen. II, 9), panis subcinericius Eliae (Iud. VII, 13 ; III Reg. XIX, 6, 8), hydria farinae quae non exhauriebatur (III Reg. XVII, 16).

At *praecipua figura* est Agnus paschalis, qui eam praefigurabat quantum ad haec tria : quantum ad 1[m], quia manducabatur cum panibus azymis ; quantum ad 2[m], quia immolabatur a toto populo Israel, tempore Paschatis, quod est figura immolationis Christi in cruce ; quantum ad 3[m], quia per sanguinem Agni paschalis protecti sunt filii Israel ab Angelo devastante et educti de servitute aegyptiaca.

200. Duplex est aspectus Eucharistiae, quia sacramentum est simul et sacrificium. — Potest considerari Eucharistia, vel respective ad homines quos sanctificat et sub hac ratione est sacramentum, vel respective ad Deum quem honorat seu ad eius cultum et sic est sacrificium. Unde tractatus dividitur in duas sectiones, quarum altera de ipso sacramento, altera de sacrificio agit, in qua etiam de eius ministro et ritu dicetur.

Sectio A.

DE IPSO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

201. Sacramentum Eucharistiae definiri solet : *Sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, quod sub speciebus panis et vini consecratis, continet corpus et sanguinem Christi, ad spiritualem hominis refectionem.*

In qua definitione indicatur :

1° Genus ad quod Eucharistia pertinet : *Sacramentum N. Legis ;*

2° Auctor Eucharistiae : *a Christo Domino institutum ;*

3° Signum externum quod est sacramentum tantum, constans simul materia : *quod sub speciebus panis et vini*, et forma : *consecratis* per ipsa verba Christi quae nunc a sacerdote nomine eius proferuntur ;

4° Res et sacramentum : *continet corpus et sanguinem Christi ;*

5° Res seu effectus proprius sacramenti : *ad spiritualem hominis refectionem,* quibus indicatur et subiectum qui est homo baptizatus : ipse enim solus qui Baptismate ad vitam spiritualem est natus, spiritualiter refici potest.

202. Divisio tractationis. — Secundum datam definitionem, cuius veritas ostendetur toto decursu tractatus, hic dividitur in tres partes :

Prima agit de sacramento externo : 1° de ipso sacramento in se, scil. de eius existentia, essentia et institutione ; — 2° de materia : a) de materia in generali, b) de pane, c) de vino ; — 3° de forma : a) de forma in generali, b) de forma consecrationis panis, c) de forma consecrationis vini.

Secunda agit de corpore et sanguine Christi, quae sunt res et sacramentum : 1° de actione qua Christus fit praesens: a) de reali praesentia Christi, b) de desitione et conversione panis et vini, c) de accidentibus remanentibus ; — 2° de modo quo Christus est praesens ; — 3° de speciebus sub quibus Christus est praesens.

Tertia agit de effectibus qui sunt res sacramenti : 1° de ipsis effectibus secundum se ; — 2° de usu Eucharistiae ad effectus obtinendos, i. e. a) de dispositionibus animae, b) de dispositionibus corporis, c) de frequentia communionis, et d) de communionis necessitate [1].

---

1. De Sacramento Eucharistiae conferri possunt : S. Albertus M., *De Sacrosancto Corporis Domini Sacramento* ; S. Thomas, *C. Gent.* IV, 61 sq., et III, q. 73-80, cum comm. Caietani, Iohannis a S. Thoma, Salmanticensium et Billuart ; — item Suarez, in IIIm pm ; S. Bellarminus, *Controv. : de Sacramento Eucharistiae;* Lugo, *De Venerabili Sacramento Eucharistiae;* Du Perron, *Traité du Sacrement de l'Eucharistie;* Franzelin, *Tractatus de SS. Eucharistiae Sacramento et Sacrificio;* Scheeben, *Die Mysterien des Christentums,* Billot, Van Noort, Tanquerey et Hugon in operibus dogmaticis ; Labauche, *Leçons de Théologie Dogmatique,* IV ; de la Taille, *Mysterium Fidei ;* A. Van Hove, *de SSa Eucharistia ;* — Béguinot, *La très sainte Eucharistie, exposé de la Foi des 12 premiers siècles ;* Corblet, *Histoire dogmatique, liturgique, archéologique du sacrement de l'Eucharistie ;* Chardon, *Histoire des Sacrements ;* Ermoni, *L'Eucharistie dans l'Église primitive ;* Rauschen, *Eucharistie und Buszsakrament* (gall. vers.) ; Battifol, *L'Eucharistie* (ed. 5a) ; Dict. de Théol., art. *Eucharistie ;* Struckmann, *Die Gegenwart Christi in die H. Eucharistie nach den Schrift. Quellen der Vor-Nicaenischen Zeit ;* d'Alès, *Prima Linteamina tractatus dogmatici de SS. Eucharistia ;* Goossens, *Les Origines de l'Eucharistie ;* Janssens, *De H. Eucharistie ;* — pro parte practica S. Alphonsus in Th. M., et alii auctores moderni ut Aertnijs-Damen et Marc-Gestermann-Rausch, Ballerini, Lehmkuhl, Noldin-Schmitt et Génicot-Salsmans, Prümmer, Vermeersch ; — pro parte canonica : Gasparri, *Tractatus canonicus de SS. Eucharistia ;* et Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis,* I ; — inter oratores : Monsabré, *L'Eucharistie.*

PRIMA PARS.

DE SACRAMENTO EXTERNO.

QUAESTIO PRIMA.

DE IPSO SACRAMENTO SEU SIGNO.

Articulus I.

De Existentia Sacramenti Eucharistiae.

S. Th. III, q. 73, a. 1.

203. *Thesis.* **Eucharistia est verum et proprie dictum N. L. sacramentum.** — Ita declaratur a Conc. Lat. IV, c. 1, et Flor., decr. pro Arm.; ac definitur a Trid., sess. 7, can. 1 ; nec a Protestantibus, paucis exceptis, negatur [1].

Probatur : 1° Ex eo quod Eucharistiae convenit definitio sacramenti. Est enim a) *signum* sensibile per species panis et vini et verba consecrationis ; b) *rei sacrae :* species enim iam non significant substantiam panis et vini sed corpus et sanguinem Christi ; c) *in quantum est sanctificans homines :* corpus enim et sanguis Christi ordinantur ad spiritualem animae refectionem, secundum Ioh.VI , 48-59 : Qui manducat hunc panem vivet in aeternum ; unde est signum practicum sanctificationis ; d) *a Christo N. L. legislatore institutum in perpetuum* (Lc. XXII, 19).

2° Ex perpetua traditione quae constat ex Ritualibus, Patribus et praxi Ecclesiae.

3° Ratione convenientiae : Sicut ad vitam corporalem requiritur generatio per quam homo vitam accipit, et augmentum quo perducitur ad perfectionem vitae, ita requiritur etiam alimentum quo conservatur in vita ; et

---

1. Negant Quakeri et Unitarii : hi dicunt esse meram commemorationem coenae.

ideo sicut ad vitam spiritualem oportet esse Baptismum qui est spiritualis generatio, et Confirmationem quae est spirituale augmentum, ita sacramentum Eucharistiae quae est spirituale alimentum.

Articulus II.

De Essentia Sacramenti Eucharistiae.

S. Th. III, q. 73, a. 1, ad 3, et a. 2.

204. *Thesis.* **Eucharistia continet corpus et sanguinem Domini non tantum in usu, dum sumitur, sed a momento consecrationis**; *unde sacramentum consistit in re permanente, non autem in sumptione transeunte.* — Ita docent Conc. Lat. IV, c. 1, et Flor. pro Arm.; definit Trid., sess. 13, c. 3 et 6, et can. 4 contra Protestantes, nominatim contra Lutherum.

Probatur : 1° Ex perpetua fide et perantiqua praxi Ecclesiae, sive domi sive in templis Eucharistiam asservantis, adorantis, et ad infirmos et alios absentes deferentis.

2° Ratione : Ad essentiam sacramenti non requiritur ut de facto hic et nunc conferatur gratia, sed ut habeatur effectus quem immediate significat, scil. res et sacramentum (n. 46). Atqui in Eucharistia immediatus effectus obtinetur ante sumptionem, statim ac verba consecrationis proferuntur. Ergo sacramentum Eucharistiae habetur a momento consecrationis, et non tantum in usu, dum sumitur. Prob. min. : Verba consecrationis hic et nunc, independenter ab usu, significant Christi praesentiam; ergo dum pronuntiantur, fit Christus praesens, secus ipsius verba forent falsa.

205. Quibus essentialiter componitur sacramentum permanens Eucharistiae?

Quidam theologi asserunt quod, ad differentiam aliorum sacramentorum quae non sunt permanentia sed transeuntia, in Eucharistia aliud est *fieri* et aliud *esse* seu factum esse : in fieri componitur materia et forma, scil. substantia panis et vini, et verbis consecrationis ; in facto esse loco materiae et formae habentur species et corpus vel sanguis Christi.

Immerito tamen. Nam a) si nomine *fieri* intelligant successivam positionem materiae et pronuntiationem formae, nomine *esse* autem materiam totaliter positam et formam totaliter pronuntiatam, tunc etiam in aliis sacramentis distinguitur fieri et esse ; — at quando agitur de materia et forma, non quaeritur ex quibusnam sacramentum efficitur seu quaenam illud producunt quando non adhuc est, sed ex quibus constituitur seu quaenam illud componunt quando vere est sacramentum ; sacramentum autem non est nisi momento quo omnia verba fuerunt pronuntiata et totum signum fuit positum. — b) Si autem nomine *fieri* intelligant primum momentum quo totum existit sacramentum, non debet distingui ab esse, quia primo momento quando totum fit, signum iisdem componitur ac momentis subsequentibus quando iam totum factum est.

Dicendum est itaque :

1. *Verba consecrationis sunt pars essentialis et intrinsece constitutiva sacramenti*, quia species sine verbis non significant Christum : non enim possumus cognoscere corpus Christi per illas species, nisi quatenus cognoscimus illas per verba consecratas ; unde verba speciebus dant suam significationem et sic sunt pars componens signum sacramentale. Et ita de omnibus sacramentis verum est dicere cum Conc. Flor., quod perficiuntur rebus *tamquam materia* et verbis *tamquam forma* [1].

2. Hinc *materia permanens* Eucharistiae *sunt species* panis et vini ; *forma permanens verba* consecrationis *quatenus permanenti modo afficiunt et determinant species* ad significandum Christum, et sic moraliter et in virtute significandi perseverant. Sacramentum enim non est compositum physicum cuius forma debet physice conservari, sed est morale compositum, ad quod sufficit ut forma maneat virtute : unum signum cuius forma semel prolata maneat speciebus quasi affixa et ab intellectu perceptibilis. Eodem modo benedictio transiens manet in aqua benedicta.

206. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

A. *Differre Eucharistiam et alia sacramenta :* 1° Continet enim aliquid absolute sacrum, scil. Christum, alia autem aliquid sacrum in ordine ad aliud, scil. virtutem sanctificandi. Unde 2° Eucharistia perficitur in consecratione materiae, alia vero

1. Optime Mannens, Th. Dogm. III, de Euch. : « Verba consecrationis sensibiliter prolata virtualiter perseverant et determinant species ad significandum et continendum corpus Christi, quod non significant et continent nisi quatenus consecratae sunt, seu quatenus apprehenduntur una cum verbis ; concurrunt ergo verba per modum formae ad intrinsece constituendum signum sacramentale ».

in applicatione ad hominem sanctificandum. Hinc 3° in Eucharistia res et sacramentum est in ipsa materia et res sacramenti seu gratia est in suscipiente ; in aliis sacramentis utrumque est in suscipiente.

B. *Appellationem : sacramentum Eucharistiae vario modo sumi posse :* 1° proprie pro solo signo externo quod est sacramentum tantum, et tunc sunt solae species panis et vini et verba consecrationis, quae scil. simul significant corpus et sanguinem Christi ; ita dicitur : sacramentum Eucharistiae continet Christum ; — 2° minus proprie pro eo quod est res et sacramentum, et tunc est corpus et sanguis Christi ; quo sensu dicitur : sacramentum Eucharistiae est sub speciebus, adoratur, aut offertur ; — 3° complete pro signo externo practico simul cum suo effectu immediato sine quo non esset validum, et sic sunt species consecratae quatenus Christum continent ; hoc sensu dicitur : sacramentum Eucharistiae duobus constat, vel sanctificat.

C. *Ea quae mere transeunt non constituere essentiam Eucharistiae ut sacramenti permanentis.* Ita 1° consecratio, quae non est nisi actio ipsum conficiens ; 2° substantia panis et vini, quae non est materia intrinseca et proxima ex qua constituitur, sed tantum materia extrinseca et remota ex qua fit sacramentum et *circa quam* versatur actio sacramentalis ; 3° sumptio, quae non est nisi conditio necessaria ut sacramentum iam in se perfectum operetur gratiam : distributio enim non fieri debet a ministro cum intentione agendi nomine Christi et faciendi quod facit Ecclesia, sed valide fieret a puero vel amente, et ideo non est actio stricte sacramentalis.

207. Eucharistia est sacramentum formaliter unum, licet ex duabus partibus materialiter integratum. — Licet physice et materialiter diversae sint species panis et vini, est tamen Eucharistia formaliter et moraliter *unum in specie.*

Probatur : Unum dicitur non tantum quod est indivisibile vel continuum, sed etiam aliquid perfectum quod ex diversis partibus constat quae in uno conveniunt : ita partes domus constituunt perfectam domum ; hoc quoque modo sacramentum est unum in quantum plura, scil. materia et forma, uniuntur ad unum significandum. At fieri potest ut perfecta significatio non habeatur nisi pluribus materiis et formis, uti v. g. in Extrema Unctione : tunc illae omnes non constituunt nisi unum sacramentum. Sed a) corpus et sanguis Domini, quae praecise ut in morte separatae sunt causa nostrae salutis, non distincte et perfecte significantur nisi per duas species separatim consecratas ; — pariter b) refectio corporalis non fit per solum cibum sed etiam per potum, et ideo refectio spiritualis non sat expresse et perfecte significatur per solum cibum. Unde species panis et vini sese mutuo complent in ordine ad aliquid unum significandum. Ubi autem una est significatio, ibi est sacramentum formaliter unum [1]. — Quodsi essent duo, octo essent in Ecclesia sacramenta, quod est contra Conc. Lat., Flor. et Trid.

Ex dictis tamen immerito concluderetur : 1. unamquamque speciem non esse sacramentum, sicut unaquaeque unctio forsan non est sacramentum infirmorum ; in unaquaque enim specie continetur res et sacramentum, scil. Christus (C. Trid., sess. 21, c. 3 et can. 3) ; — 2. Eucharistiam sub una specie sumptam non conferre totam gratiam sacramenti : una enim species dicit ordinem ad alteram, et sumitur ut pars totius sacrificii et convivii, et sic participat vim significandi totius, imo continet totum Christum; unde qui unam sumit, totum effectum sacramenti recipit [2].

208. Animadversio. — Cum sacramentum sit ens morale, non sunt tot sacramenta *numero* distincta, quot sunt species physice distinctae, sed tot sunt quot species moraliter separatae, i. e. quae non dicunt ordinem ad aliquid unum, v. g. ad unam celebrationem, refectionem aut distributionem. Unde si decem homines sumunt species, tot sunt sacramenta, vel si in diversis altaribus ponuntur ; — e contra duae species panis et vini in eadem missa, vel species in uno ciborio contentae non sunt nisi unum sacramentum, et qui plures particulas simul, aut etiam post breve intervallum suscipit, unicum recipit sacramentum ad unam refectionem in uno convivio.

Articulus III.

De Eucharistiae Institutione.

S. Th. III, q. 73, a. 5.

209. Eucharistia instituta fuit in ultima coena, uti referunt tres Evangelistae : Mt. XXVI, Mc. XIV, et Lc. XXII, et Apostolus, I ad Cor. XI, et definit Conc. Trid., sess. 13, c. 1.

Quod factum fuit convenientissime : a) Christus continetur in hoc sacramento, unde seipsum relinquere debebat in specie sacramenti quando in propria specie erat discessurus. — b) Eu-

1. Hinc dicendum est cum thomistis esse sacramentum unum ex unitate finis et significationis.
2. Ita et in V. L. minima manducatio erat participatio totius sacrificii.

charistia repraesentat passionem Christi et succedebat sacrificiis V. L., unde instituenda erat imminente passione qua vetera sacrificia ipsius repraesentativa cessare debebant. — c) Quae ab amicis discedentibus ultimo exhibentur solent esse maxima dilectionis signa, et quae ultimo dicuntur magis retinentur et profundius animae imprimuntur ; unde hoc potissimum donum maximo affectu retinendum, instituendum erat immediate ante Christi mortem.

210. De die qua Christus coenam habuit, controvertitur. — Latini sat communiter docuerunt habitam fuisse die qua Iudaei manducare debebant agnum paschalem cum panibus azymis, scil. vespere diei 14 mensis Nisan (Mt. XXVI, 17, 20 ; Mc. XIV, 12, 17 ; Lc. XXII, 7), et consequenter dicunt in tali pane Christum consecrasse, atque Christum passum esse ipso die festi Paschatis.

E contra Graeci et quidam critici moderni tenent Christum passum esse ipsa die ad festum Paschae praeparatoria, ad cuius vesperam Pascha erat manducandum (Ioh. XIII, 1, 29 ; XVIII, 28 ; XIX, 14, 31, 42 ; I Cor. V, 7), et consequenter docent pridie scil. die 13 institutam esse Eucharistiam atque Christum celebrationem Paschae anticipasse. Quod vario modo explicant, sive dicendo anticipationem illam factam ad morem Galilaeorum ; sive asserendo hoc anno mortis Christi dubium fuisse de novilunio ac proinde de die Paschae ; aut forsan de datatione commune extitisse dubium atque Pharisaeos manducasse Pascha ad vesperam feriae 5^{ae} i. e. initio feriae 6^{ae}, secundum quam datationem loquuntur Synoptici ; e contra Sadducaeos celebrasse ad vesperam feriae 6^{ae} (quam ipsi dicebant 14^{am} Nisan) seu ineunte sabbato, ad quem modum loquitur Iohannes [1].

Hinc concludunt Graeci pane fermentato, quo et ipsi utuntur, Christum usum esse ; immerito tamen, quia a vespere diei 13^{ae} quae est initium diei 14^{ae} Iudaei debebant omnem panem fermentatum e domo removere, et quia Agnus paschalis a Christo anticipatus non manducabatur nisi cum azymo.

QUAESTIO SECUNDA.

DE MATERIA EUCHARISTIAE.

Articulus I.

De Materia in generali.

S. Th. III, q. 74, a. 1 et 2 ; q. 78, a. 6.

211. *Principium I.* **Materia remota Eucharistiae est panis et vinum** (can. 814).—Est *de fide*. Licet enim primis temporibus quidam veteres haeretici circa hoc erraverint, catholici tamen per saecula in eo conveniunt, atque ita tradunt Conc. Lat. IV, c. 1 ; Flor. ; ac Trid., sess. 13, variis in capitibus.

1. De hoc cfr. Lagrange, *S. Marc*, p. 318 sq. ; Vosté, *Studia Ioannea*, VIII ; iterum Lagrange in *Rev. Bibl.*, 1930, p. 287.

Probatur : a) Ex Traditione unanimi Ecclesiae graecae et latinae quae usum contrarium semper damnavit.

b) Ex Scripturis : Mt. XXVI, 26, 27, 29 et Lc. XXII, 19.

c) Ratione : Convenit enim 1° quantum ad usum sacramenti qui est manducatio : sicut aqua recte assumitur in Baptismo, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita in Eucharistia panis et vinum quibus homines communius reficiuntur : refectio enim completa est ex cibo et potu ; 2° quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est a corpore separatus, et ideo in hoc sacramento quod est memoriale passionis, seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis et vinum ut sacramentum sanguinis ; 3° quantum ad effectum... qui est unio fidelium cum Christo et inter se in unum corpus mysticum : hoc enim constituitur ex diversis fidelibus sicut panis conficitur ex diversis granis et vinum fluit ex diversis uvis. Ita S. Thomas, q. 74, a. 1 et ad 1. — Addit Catechismus C. Trid. id convenire quantum ad fidem nostram : « cum panem et vinum in humanam carnem et sanguinem vi naturae quotidie immutari advertimus, facilius adduci possumus hac similitudine ut credamus panis et vini substantiam in veram Christi carnem verumque eius sanguinem caelesti benedictione converti ».

212. *Principium II.* **Ad validitatem sacramenti requiritur ut materia sit ministro praesens et demonstrabilis ac intentione eius in individuo determinata.**

1° Debet esse *praesens physice et moraliter*, ita ut per pronomina *hoc* et *hic*, secundum modum loquendi hominum possit sensibiliter designari, secus non verificarentur verba demonstrativa : hoc, hic.

Hinc invalide consecraretur : a) materia posita retro altare, post parietem, post tergum sacerdotis, nisi *forte* teneatur manu (quo casu consecratio esset dubia) ; b) materia *longe* distans, etsi videri possit : demonstranda enim non esset per verbum : hoc, sed per verbum : illud ; quanta propinquitas requiratur ad praesentiam moralem, iudicio prudentum est relinquendum, attentis usu hominum, praxi Ecclesiae, materiae situ, magnitudine, parvitate, etc. ; c) materia *ita modica* ut sensu percipi non possit : haec enim nec designari nec signum sensibile esse potest.

2° Debet esse materia *demonstrabilis*, quin necessarium sit ut actu percipiatur, seu ut videatur vel tangatur aut

sono verborum quasi feriatur (unde improbanda est indecora praxis eorum qui os proxime admovent ut halitum in calicem et panem inspirent); sed sufficit ut per pronomina hoc et hic sit *demonstrabilis* sive in se, sive in alio tamquam in suo toto vel continente vel vase ad illam continendam destinato.

Sic valide consecratur : a) in tenebris vel a caeco sacerdote ; b) in ciborio, pyxide, calice, dolio, vase cooperto ; c) hostia sub aliis latens : magna enim quantitas valori non obstat dummodo sit tota praesens ministro. — E contra dubie consecrantur hostiae collocatae sub mappa, corporali, cussino, pede calicis, in foliis missalis, vel in tabernaculo clausae, quia disputari potest an sufficienter demonstrari possint.

3° Debet esse per intentionem ministri *in individuo determinata*, quia pronomina hoc et hic designant materiam determinatam, et quia actiones sunt circa singularia et determinata. Sicut enim non consecrat minister nisi consecrare intendat, ita nec hanc materiam consecrat nisi eam determinate intendat consecrare.

Unde invalide quis vellet consecrare plurium aut unius hostiae partem non designans quamnam, vel hostias quas Deus elegerit aut alter designaverit, si designationem nesciat : tunc enim materia manet indeterminata pro ministro. E contra valide quis vellet consecrare omnes hostias praeter infimam et supremam ; vel omnes pares si sint ordine collocatae et determinetur initium unde sint numerandae, qui lusus tamen esset graviter illicitus. Sufficit quoque materiam determinare in globo, intentione v. g. consecrandi omnes hostias praesentes, licet numerus ignoretur vel circa illum erretur ; quae intentio commendatur a Missali romano.

Ob hanc intentionem, dum adsit :

a) Si sacerdos in manibus inscienter habeat duas maiores hostias, sunt ambae consecratae, et secundum Missale sumendae : vult enim consecrare totum quod manibus tenet.

b) E contra non consecrantur hostiae positae in altari, inscio sacerdote : voluntas enim non fertur in incognitum. Nec obstat quod olim formaverit intentionem, semel pro semper, consecrandi totam materiam quae est in corporali ; nam intentio ista mere habitualis non sufficit ad conficiendum sacramentum, quia hic et nunc non virtualiter influit [1] : ad conficiendum enim sacramentum requiritur actus humanus qui exigit intentionem actualem aut virtualem (n. 81 ; I, n. 55).

c) Secus vero si sacerdos ipse vel alter, ipso iubente vel advertente, eas consecrandas ad altare antea detulerit, licet tempore consecrationis ad eas non attendat, dummodo sint in corporali repositae : certo sunt consecratae, quia intentio eas consecrandi virtualiter perdurat.

d) Quodsi in corporali non reponerentur, probabiliter sunt consecratae, quia intentio videtur perdurare ; plures tamen auctores cum S. Alphonso, Th. M., l. VI, n. 217, contrarium tenent, quia nullus censetur velle consecrare extra corporale, cum id obiective sit mortale peccatum ; vel etiam quia, antequam super corporali fuerint repositae, dici possit in ipso solum adfuisse propositum eas ibi reponendi ad consecrationem, nondum consecrandi. Unde in praxi, cum agatur de valore sacramenti, tutius est agendum ; ac proinde hostiae sumantur (si paucae sint) post sanguinem, vel in alia missa sub conditione consecrentur.

Nec sufficit dicere totum pendere ab intentione sacerdotis. Sane si sacerdos explicite diceret se velle consecrare etiam extra corporale (quod esset graviter malum), sine dubio essent hostiae consecratae, sicut certo non essent, si explicite intenderet nolle consecrare extra corporale ; sed quaestio est an intentio consecrandi potest praesumi adesse implicite, si nihil explicite intenderit sacerdos. Id autem potest videri dubium pro istis hostiis quarum consecratio non est necessaria ad ipsam essentiam sacrificii.

e) Consecrato calice non consecrantur guttae exterius adhaerentes, nisi hoc expresse intenderetur, quod esset graviter illicitum.

f) De guttis calici interius adhaerentibus, si desit specialis intentio, an sint consecratae disputatur : *probabile* est consecrari proximiores fundo, sicut etiam verisimile est pro micis adhaerentibus hostiae.

213. *Principium III.* **Ad liceitatem consecrationis requiritur,** praeter hoc quod usus Ecclesiae et ritus iure ecclesiastico praescripti serventur, **ut utraque materia, panis scil. et vinum, simul consecretur, et quidem ex iure divino.**

Probatur : a) Sacramentum est institutum a Christo per

1. Talem intentionem generalem semel pro semper elicitam sufficere affirmant pauci recentiores. Ita Cappello, o. c., n. 302, et P. Castillon in *N. R. Th.*, 1920 : hic ultimus tamen in nota 4 cum quadam dubitatione loquitur ; Noldin-Schmitt, n. 115 nota et Génicot-Salsmans, n. 174, videntur approbare, sed haec sententia nullam pro se habet antiquitatem. Non invenitur expresse enuntiata apud S. Alphonsum aut ante ipsum ; nec eam inveni apud Lehmkuhl, D'Annibale, Marc, Aertnijs-Damen, aut Tanquerey. Ballerini, n. 56, solum ponit quaestionem de hostiis inscienter allatis : quare consecratae non essent si omnes praesentes sacerdos consecrare vellet ? sed quaestionem non resolvit, et loquitur de intentione in praesenti elicita. Nec Vermeersch, n. 348, audet dicere intentionem securam, nisi saepius repetatur ; sed tunc iam est virtualis. Atque etiam tunc dubitari potest an influat in materiam cuius praesentiam nec suspicatur sacerdos.

modum convivii spiritualis ; atqui ad convivium requiritur cibus et potus ; ergo.

b) Christus praecepit ut hoc sacramentum non conficeretur nisi simul Deo offeratur sacrificium, imo non dedit sacerdotibus potestatem consecrandi nisi per modum sacrificii, ut patet tum ex C. Trid. quod sic explicat verba : *Hoc facite in meam commemorationem* (sess. 22, c. 1 et can. 2), tum ex forma ordinationis : *Accipe potestatem offerendi sacrificium.* Unde non potest separari sacramentum a ratione sacrificii. Atqui sacrificium non habetur nisi consecratione duplicis speciei ; sine qua non repraesentaretur mystice separatio sanguinis a corpore Christi [1]. Ergo iure divino simul requiritur utraque consecratio. — Ex quo sequitur, si aliquis voluntate praedominante sacrificium *omnino* nollet vel excluderet, consecrationem fore invalidam.

Consecratio tamen unius materiae sine altera est valida, non tantum si casu accidat, sed etiam si fiat ex intentione et de industria, quia in omnibus sacramentis quando proferuntur verba super materiam, statim habetur effectus, nec pendet ab eventu futuro [2] : verba enim efficiunt quod significant, ideoque consecrato pane et non calice proponitur corpus Christi fidelibus adorandum. — Neque obstat ministrum de industria consecrantem unam materiam non habere intentionem sacrificandi : licet enim non intendat complere sacrificium, potest tamen habere intentionem illud inchoandi seu ponendi eius partem et sic intentionem sacrificii non omnino excludit ; quodsi etiam hoc omnino excluderet, consecratio esset invalida.

214. Quaestio : Utrum ad praebendum viaticum moribundo, licitum sit consecrare intentionaliter unam materiam ? — Iuxta Rubricas Missalis romani et Codicem iuris, can. 817, est omnino illicitum. Ratio est

1. Ne dicatur : in consecratione panis vi verborum ponitur corpus sine sanguine ; ergo in sola consecratione panis vi verborum significatur separatio corporis a sanguine. — Resp. Billuart, diss. 3, a. 5 : « In sola consecratione panis ponitur vi verborum corpus sine sanguine, praecise et formaliter vi verborum solius consecrationis panis, nego : adiuncta consecratione calicis, conc. Si enim dicam praecise : *Hoc est corpus meum*, non significatur formaliter corpus meum esse separatum a sanguine ; bene vero cum addo : *Hic est sanguis meus*. Aperte enim tunc significatur vi verborum meum corpus poni seorsum a sanguine vi verborum ».

2. S. Th. in IV Sent., d. 11, q. 2, a. 1, qc. 1, ad 4 ; d. 8, q. 2, a. 4 ; III, q. 78, a. 6. Aliquando citatur Lugo pro sententia opposita ; non recte tamen, uti constat ex de Euch., disp. 19, sect. 8, n. 102 et 104.

a) quia irrisorium est nomine Christi incipere sacrificium quod quis scit non posse compleri ; b) quia ex una parte sacramentum non est necessarium et ex altera parte praeceptum Christi strictissimum (n. 213), nec in eo unquam fuit dispensatum vel dispensari potest, cum circa substantiam sacramentorum (quae etiam integritatem complectitur) Ecclesia nullam habeat potestatem (C. Trid., sess. 21, c. 2).

Per accidens tamen et *praeter intentionem* una materia consecratur absque altera sine peccato, ob impossibilitatem physicam vel moralem : a) si quis aquam vel alium liquorem pro vino consecrasset, neque defectum intelligeret nisi diu post ; aut postquam advertisset, non posset haberi vinum, vel non posset illo uti sine gravi scandalo vel irreverentia (ut si tantum in sacristia) aut sine vitae periculo (ut si vinum foret venenatum) ; b) si consecrata hostia, immineret mortis periculum, v. g. ex incendio, ruina templi, hostium invasione ; secluso tamen scandalo et contemptu fidei, v. g. si ab hoste exigeretur ; c) si sacerdos, consecrata hostia, continuare non posset ut si moreretur, loquelam amitteret, in amentiam incideret, nec esset alius qui posset sacrificium perficere ; quodsi alius supplere et sacerdos infirmus communionem suscipere potest, debet hostia dividi eique pars dari.

215. Animadversiones. — 1. Ad vitandum periculum corruptionis pro speciebus, non maior quantitas consecretur quam tempore opportuno possit assumi.

2. Si misceantur hostiae non consecratae cum consecratis, totus cumulus deferatur ad altare et *totus* consecretur sub conditione, in quantum est necessarium : hoc modo scil. faciendum est ut sic pars non consecrata certo sufficienter demonstretur. Ita S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 216

3. Guttulae exterius adhaerentes calici non sunt consecrandae nec praesumuntur consecratae. Guttulas interius adhaerentes convenit abstergere purificatorio ante calicis oblationem (S. C. R., 7 sept. 1816), non autem ante consecrationem. Porro de illis, sicut nec de micis, non tenetur quis intentionem elicere ; quodsi velit, melius eliciet semel pro semper intentionem non consecrandi, nisi id quod se habet per modum unius continui : magis enim praecavenda irreverentia sacramenti quam laesio ieiunii. Micae vero quae sunt in ciborio convenientius consecrantur, quia abest periculum illas perdendi.

4. Ob idololatriae materialis et nullitatis sacrificii periculum, nunquam licitum est adhibere materiam (vel formam) probabiliter invalidam, neque ut infirmus viaticum recipiat, neque ut populus die festo audiat missam ; sed forte tantum ad sacrificium complendum.

5. Si minores hostiae pro communicando populo, paulo post oblationem, afferantur sacerdoti, suppleta mentaliter oblatione, licitum est eas consecrare ; imo etiamsi offerantur incepto iam canone, quando plures secus sine communione remanerent, aut etiam unus qui secus diu expectare deberet communionem : quo casu quidam commendant huic dare partem hostiae maioris. Nunquam autem licitum est eas post consecrationem peractam consecrare, quia esset incipere alterum sacrificium hocque facere incompletum, unde id esset sacrilegium. Noldin id licitum dixerat, sed in hoc fuit generaliter improbatus.

Articulus II.

De Pane in speciali.

S. Th. III, q. 74, a. 3 et 4.

216. *Principium I.* **Ad validitatem sacramenti requiritur panis triticeus usualis.** — *Probatur :*

1. Ex praxi Ecclesiae, quae iam indicatur in Didachè IX, 3-4 ; S. Iust., apol. I, 65-66; dial. 41 et 117 ; S. Iren., adv. haer. IV, 17-18 ; Tertull., ad ux. II, 5 ; adv. Marc. I, 14 ; Cypr., de laps. 25 ; ep. 63 ; Clem. Alex., Strom. I, 9; Paed. 11; Orig., hom. 19 in Ier., 4, 18 ; c. Cels. VIII, 33.

2. Ex declaratione Conc. Flor., Missalis, et can. 815;

3. Ratione convenientiae.

Ita convenit, tum a) quia panis triticeus communius apud homines est in usu, nam alii panes videntur introducti in huius defectum, tum b) quia magis confortat et ita convenientius significat effectum huius sacramenti.

217. *Principium II.* **Ad panem triticeum requiruntur quatuor: 1. ut sit ex grano tritici, 2. aqua naturali confectus, 3. igne coctus, et 4. substantialiter incorruptus.** — Debet esse :

1. *Ex grano tritici*, quod non est frumentum quodcumque sed nobilissimum.

Hinc : a) Materia insufficiens est panis confectus ex hordeo, avena, panico, maizio seu tritico turcico, oryza, milio, vel ex fabis, pisis, castaneis, amygdalis, pomis terrestribus vel aliis leguminibus et arborum fructibus : communi enim aestimatione a tritico distinguuntur, nec ipsis utuntur homines ad faciendum panem usualem nisi ob defectum tritici. — b) Dubie sufficiens est panis ex farre, spelta [1], secali seu siligine [2], amydo (quod fit ex tritico corrupto), glutine. — c) Quodsi cum tritico misceantur alia grana in parva quantitate, licet id per se sit graviter illicitum, remaneret materia sufficiens et tota transiret in corpus Christi, quia tota morali aestimatione est panis triticeus ; si vero magna esset permixtio, v. g. ex aequo vel quasi ex aequo, esset materia insufficiens ; unde hostiae vario colore tinctae, quibus solent obsignari litterae, sunt materia inepta vel saltem dubia, quia per mixtionem sunt notabiliter alteratae nec panis usualis.

2. *Aqua naturali confectus :* granum scil. in farinam redactum vel saltem contritum et compressum [3], cum aqua naturali est praeparandum, quia generatim usu communi ita panis usualis conficitur.

Unde : a) Non est materia apta panis subactus lacte, ovis, oleo, butyro, etiamsi alicubi fieri ita soleat, nisi horum sit exigua quantitas et aqua sit pars potissima in massa efformanda. — b) Dubia est panis aqua rosacea vel alterius distillationis confectus, aut etiam aqua marina, quia forte non est panis usualis.

3. *Igne coctus :* massa scil. debet esse igne tosta sive in clibano sive in ferro calido.

Hinc non sufficit farina cruda etiam aqua subacta, aut elixa ad modum placentae vel libi, aut sole torrida.

4. *Substantialiter incorruptus* (can. 815) : si enim tanta est corruptio quod solvitur species panis, ut si sapor et color et alia accidentia mutantur, ex tali materia non potest confici corpus Christi.

Aliquando vero non est tanta corruptio quae speciem solvat sed est aliqua dispositio ad corruptionem, quod declarat aliqualis mutatio saporis, et ex tali pane potest valide confici corpus Christi ; sed peccat conficiens propter irreverentiam sacramenti, nisi necessitas urgeat. Quod peccatum est mortale ex genere suo.

218. *Principium III.* **Ad liceitatem requiritur ut**

1. *Spelta* apud quosdam videtur significare speciem frumenti, scil. suevicum ; quo casu esset materia valida.

2. *Siligo* significatione classica est praestantissima species veri frumenti ; sed apud S. Thomam et alios videtur idem esse ac secale, vel quaedam species frumenti imperfecta, quo casu est materia dubia.

3. Iuxta decr. S. Off., 23 iun. 1852, ad validitatem non requiritur quod panis sit ex farina molita confectus ; sed ex granis contritis et compressis usque ad materiam albam validus est, et aliquando licitus. At curandum est, si fieri possit, « ut frumentum non contundatur solummodo sed apto instrumento in farinam redigatur, quae cribro exacte purgetur ».

hostia sit 1. recenter confecta, 2. munda, integra et pura, et 3. figurae et qualitatis determinatae iuxta ritum et consuetudinem Ecclesiarum. — Debet esse hostia panis :

1. *Recenter confecta*, ita ut nullum sit periculum corruptionis (can. 815 et 1272).

Uti pane aliquatenus mucido per se est grave peccatum ; si tamen vera adesset necessitas, non esset illicitum.

2. *Munda, integra et omnino pura :* ita ut panis sit *mere* triticeus (can. 815)

Secluso semper scandalo, videtur solum veniale sine causa rationabili consecrare hostiam fractam vel maculatam, et nullum est peccatum, si deprehendatur post oblationem.

3. In Ecclesia latina debet esse *figurae orbicularis*, et pro celebrante : *maior*, in qua imago crucifixi sit expressa secundum constantem consuetudinem quae servanda est (S. C. R. 26 apr. 1834) ; atque *confecta ex pane azymo*.

Si maior hostia desit, potest sacerdos, etiam solius devotionis causa, celebrare cum hostia minore, modo absit scandalum, quod praecaveri generatim potest monendo populum de defectu hostiae maioris.

Graeci adhibent hostiam quadratam, et pro particulis distribuendis, triangulares, et utuntur pane fermentato, quod etiam faciunt plures Orientales.

219. Consuetudo diversa utendi pane azymo vel fermentato pro diversis Ecclesiis, est antiquissima[1] et C. Flor. firmata.

Consuetudo Ecclesiae latinae est rationabilior : 1° quia Christus hoc sacramentum instituit quando nihil fermentatum in domibus Iudaeorum esse debebat ; 2° quia panis est proprie sacramentum corporis Christi quod sine corruptione conceptum est ; 3° quia magis significat puritatem et integritatem cordis cum qua sumi debet (I Cor. V, 7, 8) ; 4° quia species facilius servantur incorruptae. — Habet tamen consuetudo Graecorum aliquam rationem 1° propter significationem : a) quia Verbum indutum est carne sicut fermentum miscetur pani ; b) quia Christus suscepit nostra peccata sicut panis corruptionem frumenti ; c) quia fermentum habet vim penetrantem et efficit panem sapidiorem, et ideo congruenter designat charitatis fervorem et suavitatem hoc sacramento datam ; 2° in detestationem haeresis Nazaraeorum qui ritus Iudaeorum Evangelio miscebant.

1. A sæc. VI historice constat usus panis fermentati ; pro Ecclesia latina testimonia de azymo assurgunt ad saec. VIII.

Definitum est in Conc. Flor., decr. unionis, non referre ad valorem sacramenti sive consecretur panis fermentatus sive azymus : uterque enim est panis triticeus usualis, nec Christus determinavit materiam in individuo sed quoad substantiam tantum. Tenetur tamen unusquisque sacerdos *in missae celebratione* servare ritum suae Ecclesiae, et quidem « ubicumque Sacrum litet », ut iam omnino certum est ex can. 816. Quod praeceptum propter reverentiam erga sacramentum in hoc ritu antiquissimo servando quod toti Ecclesiae est utilissimum, consuetudo ecclesiastica adeo urget ut nec ad communicandum infirmum nec ut populus die festo audiat missam licitum sit hunc ritum mutare, sed in solo casu integrandi sacrificium, nempe si sacerdos post secundam consecrationem deprehendat panem esse defectuosum nec possit praescriptum habere.

Iuxta novam Codicis disciplinam, ex can. 851 : « Sacerdos sacram communionem *distribuat* azymo pane vel fermentato, secundum proprium ritum. Ubi vero necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licet sacerdoti orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo ministrare in fermentato ; at suum quisque ritum ministrandi servare debet » (Cfr. can. 733, § 2). Fideles per se etiam tenentur in communione servare ritum suae ecclesiae ; at ex recentiore concessione (S. C. P. F., 18 aug. 1893 ; 30 nov. 1894), si commode nequeant proprio ritu communicare, iam ipsis datur facultas ut, pietatis causa, sacramentum quolibet ritu suscipiant. Quod iam consecratur can. 866 ; at *suadet* codex ut praecepto communionis paschalis suo quisque ritu satisfaciat ; id vero *praecipit* pro viatico : « Sanctum Viaticum moribundis proprio ritu accipiendum est, sed, urgente necessitate, fas est quolibet ritu illud accipere ».

Articulus III.

De Vino in speciali.

S. Th. III, q. 74, a. 5-8.

220. *Principium I.* **Ad validitatem sacramenti requiritur vinum de vite.** — *Probatur :*

1. Ex institutione Christi dicentis Mt. XXVI, 29 : Non bibam amodo de hoc genimine vitis...

2. Ex perpetua traditione, quae constat ex Didachè IX, 2.

3. Ex declaratione Conc. Flor., decr. pro Arm., Missalis romani, et can. 815.

4. Ratione convenientiae.

Ita convenit a) quia solum vinum de vite proprie et communiter habetur ut vinum, nam alii liquores vina dicuntur secundum quamdam similitudinem ad vinum vitis ; b) quia magis significat effectum huius sacramenti qui est spiritualis laetitia.

221. *Principium II.* **Ad vinum de vite usuale seu potabile requiritur et sufficit succus, ex uvis maturis expressus, non corruptus.**— Omnis scil. species vini est materia valida, cuiusvis sit coloris, regionis, conditionis, aetatis, et ex quibuscumque uvis maturis expressum, etiam ex uvis passis, dummodo ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum (S. Off., 22 iul. 1706 ; 7 maii 1879 ; 10 apr. 1889).

Hinc materia invalida sunt :

1° Liquores seu vina artificialia ex granis, pomis, pyris, moris, malogranatis, vel aliis fructibus aut herbis expressa, uti sicera, cerevisia, rythmum, licet cum vino magnam habeant similitudinem.

2° Vinum chemice compositum, quamvis omnia vini elementa contineat.

3° Ea quae sunt a vite sed quae non sunt vinum, uti a) succus in uvis adhuc inclusus, quia non est potus sed cibus, nec proprie vinum, nec satis demonstrari potest verbis : hic calix ; — b) vinum in offa panis imbibitum, quia non solum est vinum sed simul etiam panis, nec potus sed cibus ; — c) agresta seu omphacium (*verjus*) i. e. liquor ex uvis immaturis expressus, quia est via ad vinum sed nondum habet speciem vini ; — d) acetum quod est vinum corruptum, quia mutatio substantialis facta est chemica combinatione inter alcool et oxygenium aëris ; — e) vappa seu vinum perfecte evanidum, e quo scil. alcool quod est elementum vini essentiale evanuerit et vinum factum penitus putridum ; — f) spiritus vini seu vinum adustum, etc.

4° Lora (*piquette*) quae fit aqua in magna copia superfusa acinis iam expressis ; nisi tamen multus succus adhuc in ipsis uvis remaneret, quo casu hoc secundum vinum esset materia valida vel dubie valida, sed graviter illicita.

5° Sapa seu defrutum i. e. mustum seu vinum recens nondum defoecatum, sed ad 1/2ᵐ vel 1/3ᵐ partem decoctum, quia in communi aestimatione non est amplius vinum nec potus, sed cibus.

6° Vinum permixtum in magna quantitate cum aromate vel cum alio liquore : si permiscetur liquor in tanta quantitate quod possit perfundi per totum vinum, totum fieret permixtum et solveretur species vini ac esset liquor alterius speciei ; si vero liquor adiunctus esset tam parvae quantitatis quod non posset perfundi per totum, non fieret totum permixtum sed aliqua pars eius, et liquor additus transiret in speciem vini et vini species remaneret.

222. *Principium III.* **Ad liceitatem requiritur ut vinum sit 1. perfectum, 2. purum, 3. liquidum seu non congelatum, 4. aqua naturali modicissima mixtum.** — Debet esse :

1. *Perfectum* ex facta fermentatione, ob reverentiam scil. sacramenti.

Mustum (*moût*) i. e. vinum recens nondum perfecte fermentatum et defoecatum, habens proinde admixtas foeces non consecrabiles, est materia de se graviter illicita, nisi adsit necessitas, alio vino deficiente.

2. *Purum*, i. e. non mixtum, nec acescens aut putrescens, ea acescentia quae inceptam corruptionem indicat.

Hisce uti est peccatum mortale ex genere suo, nisi adsit necessitas alio vino deficiente ; at veniale est ob parvitatem materiae, si esset v. g. vinum paulo impurum aut omnino parum acescens. Imo licitum esse potest in modica quantitate addere materiam alienam, puta aquam, spiritum vini, saccharum, si sit necessarium v. g. ad vinum conservandum vel emendandum. Ita iuxta decl. S. Off., 30 iul. 1890 licitum est adhibere vinum album cui miscetur quantitas spiritus vini dummodo spiritus extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoolica addita cum ea quam vinum naturaliter continet, non excedat proportionem 12 pro centum, et admixtio fiat quando vinum est valde recens, i.e. quando fermentatio tumultuosa decrescit. Imo, si vinum naturaliter iam contineat plus quam 12 % spiritus, licite additur usque ad 18 %, si necessarium sit ad conservandum vinum quod exportetur (5 aug. 1906). Attamen ad vini corruptionis periculum praecavendum praeferri debet ut ebulliatur vinum ad 65 altitudinis gradus, *potius* quam parva addatur quantitas liquoris « eau de vie » (8 maii 1887) ;— item spiritus alcoolicus, quia est de vite, *potius* addendus quam saccharum (5 aug. 1896) ; — nec expedit uti chemico processu ad vini acredinem naturalem corrigendam (27 apr. 1892).

3. *Liquidum seu non congelatum*, et quidem sub gravi, quia debet esse potabile.

Est tamen validum, quia retinet substantiam et denominationem vini, manetque ex natura sua potabile sicut panis induratus est comestibilis, licet non proxime ; ceterum post consecrationem Christus manet praesens si species vini congelatur, uti constat ex Missali.

4. *Aqua naturali modicissima mixtum* (can. 814), quod in celebratione sacrificii requiritur sub gravi ex praecepto ecclesiastico.

Aqua requiritur *naturalis;* unde uti aqua rosacea vel alterius distillationis esset grave peccatum. Quantitas requiritur sensibilis, sed sufficit una gutta ; nunquam excedat octavam vel quintam partem vini, vel forte tertiam secundum diversam vini generositatem.

223. Commixtio aquae et vini 1° *non est de necessitate sacramenti,* uti constat ex missali praescribente esse omittendam post consecrationem, de def. c. X, n. 7, et ex modo loquendi Conciliorum quae indicant esse consuetudinem ac praeceptum, nunquam necessitatem essentialem ; — 2° *nec est de praecepto divino :* licet enim Christus aqua usus sit, non tamen omnes circumstantias ultimae coenae, v. g. colorem vini, servandas praecepit, sed tantum actionis substantiam ; — 3° *sed est de iure ecclesiastico,* uti constat ex C. Flor., decr. pro Arm., et Trid., sess. 22, c. 7, can. 9.

Est autem *praeceptum grave,* licet res sit in se levis, quia multum conducit ad finem gravem, significationem magni momenti : fit enim a) propter institutionem, quia creditur quod Dominus ad morem Iudaeorum aquam cum vino miscuit ; b) quia convenit repraesentationi passionis : aqua enim fluxit cum sanguine e latere Christi ; c) quia convenit ad significandum effectum sacramenti, qui est unio populi fidelis cum capite Christo, cuius unionis exemplar est unio humanae naturae cum Verbo : sicut enim aqua in vinum convertitur, ita unitur humana natura Verbo et populus Christo, et sic vitam divinam participant (C. Trid., l. c., c. 7).

Aqua illa miscetur vino, et cum vinum non sit nisi mixtio plurium substantiarum inter quas est aqua, hinc modica aqua addita in vinum transit, et sic mediate convertitur in sanguinem Christi.

QUAESTIO TERTIA.

DE FORMA EUCHARISTIAE.

Articulus I.

De Forma in generali.

S. Th. III, q. 78, a. 1 et 4.

224. *Principium I.* **Forma Eucharistiae sunt verba Christi, non autem preces sive praecedentes apud Latinos, sive sequentes apud Graecos.** — Propositio est *theologice certa* ex Conc. Flor. dicente : « Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit sacramentum », et ex Trid., sess. 13, c. 3 et 1.

Ita contra Graecos schismaticos recentes, qui praeter verba Christi insuper requirunt *epiclesim* i. e. invocationem Spiritus sancti, quae consecrationem subsequitur et qua rogatur ad panem et vinum immutanda ; — et contra Catharinum qui tamquam conditionem sine qua non exigebat orationem : *Quam oblationem...,* quae in ritu romano consecrationem praecedit[1].

Probatur : 1° *Ex praecepto Christi :* Sacerdos eodem modo consecrat ac Christus, secundum praeceptum : *Hoc facite in meam commemorationem;* quod non esset nisi ab utroque fieret per sola verba : *Hoc..., Hic...;* uti ceteroquin docent Conc. Trid. et Patres. Porro sacerdos in persona Christi dicens : *Hoc..., Hic...,* dicit verum. Ergo vi horum verborum, independenter a praecedentibus et subsequentibus, adest corpus et sanguis Christi. In his solis verbis scil. loquitur sacerdos in persona Christi ; in aliis orationibus solum in persona Ecclesiae.

2° *Ex traditione* cuius testes sunt Liturgiae et Patres[2], quam Graeci, Marco Ephesino excepto, in Conc. Flor. confessi sunt ; quamque istud Concilium ad Armenos declaravit. Ceterum haec sola verba sunt eadem apud omnes.

3° *Ratione convenientiae :* Eucharistia est sacramentum excellentissimum ; convenit ergo ut verba proferantur, non ex persona ministri in propria persona loquentis, sed quasi loquentis ex persona Christi, i. e. quod minister non solum loquatur ut minister (Ego baptizo, absolvo...) sed etiam personam Christi quasi induat.

---

1. Est etiam contra Gnosticos, qui non habent formam sed orationem, quia similitudinem cum coena tollunt et rememorationem passionis, sed unice considerant donum immortalitatis. — Contra Graecos schismaticos hac in re pluries animadvertit Ecclesia : Benedictus XII, a. 1341 inter errores Armenorum notatos ; — Clemens VI, a. 1351 ad Armenos ; — Benedictus XIII 8 iul. 1729 ; — Pius VII, 8 maii 1822 ; — Pius X, 26 dec. 1910 in epistola contra Max de Saxonia.

2. Iust. ap. I, 66 ; Iren. adv. haer. IV, 18 ; Tertul. adv. Marc. IV, 40 ; Cypr. ep. 63, c. 14 ; Origenes, in Matt. hom. XI, 14 ; c. Cels. VIII, 33 ; Euseb. de laud. Const. 16 ; Cyr. Hier. cat. XIX, 7 ; XXI, 3; XXVI, 4 ; Greg. Nys. or. cat. 37 ; Chrys. hom. 1 de prod. Iud. ; Ambr. de myst. IX, 32 ; auctor l. de Sacr. IV, c. 4, n. 14 ; Aug. serm. 227. Cfr. Missale rom., *de def.*, V, 1.

« Quia forma debet esse conveniens rei, ideo forma huius sacramenti differt a formis aliorum sacramentorum in duobus : 1° quidem, quia formae aliorum sacramentorum important usum materiae, puta baptizationem vel consignationem ; sed forma huius sacramenti importat solam consecrationem materiae, quae in transsubstantiatione consistit ; puta cum dicitur : *Hoc est corpus meum*, vel : *Hic est calix sanguinis mei ;* — 2° quia formae aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri : sive per modum exercentis actum, sicut cum dicitur : *Ego te baptizo...*; sive per modum imperantis, sicut in sacramento ordinis dicitur : *Accipe potestatem...*; sive per modum deprecantis, sicut cum in sacramento extremae unctionis dicitur : *Per istam unctionem et nostram intercessionem...* Sed forma huius sacramenti profertur ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi quod minister in perfectione huius sacramenti nihil agit nisi quod profert verba Christi » (a. 1).

Subsequenti autem Spiritus sancti invocatione Graeci, sicut Latini oratione praecedenti, non tam rogant ut fiat corpus Christi, sed potius ut fiat salutare fidelibus : « ut *nobis* fiat corpus et sanguis dilectissimi Filii tui D. N. I. C.[1] ». Imo etiam dicendum videtur aliquando orationes liturgicas successive explicare quod in instanti peragitur, et ideo referendas esse non ad tempus quo dicuntur sed ad tempus pro quo dicuntur : ita post consecrationem invocari Spiritus sanctus ad faciendum quod in ipsa consecratione peragitur. Quodsi Patres quandoque dicant transsubstantiationem fieri invocatione SS. Trinitatis vel Spiritus supervenientis, non intelligenda est specialis invocatio epiclesis, sed ipsa verba consecrationis quae sunt oratio liturgica et practica invocatio Spiritus sancti, nam virtute divina fit transsubstantiatio, quae per appropriationem, utpote opus sanctificationis, tribuitur Spiritui sancto.

225. *Principium II.* **Verba :** *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei,* **sunt** *probabiliter* **sola essentialia, ita ut verba subsequentia in consecratione calicis pertineant tantum ad integritatem.** — *Probatur :*

a) Illa sola verba sunt essentialia quae significant id quod efficitur ; atqui verba praedicta, omissis omnibus aliis, significant conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

b) Quidam Patres : Iust., ap. 2 ; Damasc., IV de Fide orth. 14; Innoc. III, l. 4 de Missa, c. 6, aiunt consecrationem confici his verbis : *Hic est sanguis meus.*

c) Unde Graeci et Orientales quaedam ex aliis aut etiam omnia omittunt, sicut Latini in consecratione panis

1. Quidam censent epiclesim post consecrationem olim extitisse etiam in multis liturgiis latinis. — De epiclesi consuli potest *Dictionnaire de Théologie catholique*, art. *Épiclèse.*

non habent verba : *quod pro vobis tradetur*, quae pronuntiantur in diversis Ecclesiis orientalibus.

Hinc : 1° Verba quae adduntur in consecratione calicis : *novi...* non videntur esse de essentia ; sunt tamen de integritate quia declarant virtutem sanguinis Christi in passione effusi vel in sacramento oblati ; determinationes autem praedicati sunt de integritate locutionis. Quidam tamen illa ut essentialia habent, etiam invocantes testimonium S. Thomae (q. 78, a. 3 ; IV Sent., d. 8, q. 2, a. 2, qc. 1), cuius verba tamen ab aliis intelliguntur de sola integritate. Unde *in praxi* illicitum est verba illa omittere, quia est sacramentum exponere periculo nullitatis ; — et si omissa fuerint, forma sub conditione erit repetenda, ut praescribit Missale, de def. tit. 10, n. 3.

2° Verba praecedentia : *Qui pridie... Simili modo...* non sunt de essentia nec de integritate. Secundum Scotum (IV Sent., d. 8, q. 2, n. 4) tamen, *conditio* necessaria sunt ut sacerdos loquatur non in propria persona de proprio corpore, sed in persona Christi de ipsius corpore Salvatoris. Sed hoc caret omni solido fundamento : loqui enim vel non loqui in persona Christi pendet ex sola intentione ministri, uti patet ex eo quod minister proferens sine intentione verba : *Qui pridie..., hoc est...*, non tamen personam Christi sed tantum personam narrantis ageret. *In praxi* nihilominus dicenda sunt *ex gravi praecepto* Ecclesiae.

3° Similiter verbum : *enim*, non est nisi particula coniunctiva cum praecedentibus ; illud omittere probabiliter est tantum culpa levis, nisi fiat ex contemptu.

226. Animadversio. — Verba consecrationis proferenda sunt non tantum *historice, narrative* et *recitative* quasi a Christo dicta, ex intentione nempe narrandi quae Christus fecit : hoc enim facit minister in propria persona nec est necessarium ad valorem sacramenti, uti patet ex dictis, nam qui omitteret verba : *Qui pridie,* non historice loqueretur ; — sed etiam dicenda sunt *assertive* seu *significative* ex intentione imitandi Christum et applicandi verba materiae praesenti : non enim applicat formam materiae quae Christo fuit praesens, sed in ipsius Christi persona loquens imitatur eum intendens applicare verba materiae praesenti, ac si Christus per os suum ea diceret ; item *effective* et *practice* : vult enim facere quod verba significant ac si Christus sacramentum faceret. In praxi qui habet intentionem celebrandi missam aut offerendi, hanc quoque habet intentionem.

In illis verbis, secundum Patres, sicut in aliis sacramentis, inest virtus instrumentalis ad faciendam transsubstantiationem. Quod diversimode explicant in diverso systemate causalitatis sacramentorum. In transsubstantiatione consideranda sunt duo : recessus panis et vini, et accessus corporis et sanguinis Christi. Iamvero qui adstruunt causalitatem mere dispositivam, dicunt illam virtutem attingere solum panem et vinum iisque necessitatem imponere recedendi in ordine ad praesentiam Christi ; quae necessitas est dispositio exigens a Deo ut transsubstantia-

tionem perficiat atque praesentiam Christi. Qui vero tenent causalitatem physicam perficientem, dicunt virtutem pertingere ad ipsam praesentiam Christi, licet tantum immediate attingat panem et vinum quae convertit, solum mediate ipsum Christum.

Articulus II.

De Forma Consecrationis Panis.

S. Th. III, q. 78, a. 2 et 5.

227. Sensus formae consecrantis panem. — In verbis : *Hoc est corpus meum*, quibus consecratur panis :

1° *Hoc* non *significat* formaliter rem determinatam, secus dicendo : hoc est liber, significaremus : liber est liber, quod est tautologia ; sed significat indeterminate id quod est coram me, quod teneo manibus, quod est contentum sub his speciebus.

2° *Est* sumitur, non metaphorice et figuraliter pro significat, sed proprie et substantive : indicat identitatem inter subiectum et praedicatum.

3° *Corpus* est, non sola caro, sed compositum materiale ex carne, ossibus, nervis etc., abstrahendo tamen a sanguine et anima.

4° *Meum* determinat vocem corpus ad significandum corpus Christi ; denotat verba proferri a sacerdote in persona Christi.

Ideo verbum : hoc a) non significat *panem* nec eius species : falsum est enim quod panis aut eius accidentia sint corpus Christi ; — b) nec significat *corpus Christi*, secus sensus esset : corpus meum est corpus meum ; — c) nec indicat *significatum per hoc :* tunc enim Christus non esset ibi secundum veritatem ; — sed d) significat aliquid commune pani et corpori scil. substantiam in communi, i. e. rem praesentem, praescindendo a determinatione suae naturae, id quod est contentum sub speciebus non indicando quid sit. *En significatum formale.* Unde sensus est : quod continetur sub his speciebus vere est corpus meum, scil. Christi.

Quia autem de facto nihil indeterminatum existit, hinc *demonstratur* aliqua res determinata, licet non formaliter ut talis significetur : illa res est *significatum materiale.* Circa quod est

differentia inter propositionem speculativam et practicam : illa enuntiat id quod est et illud non facit ; haec facit verum esse illud quod enuntiat. Hinc in propositione speculativa praesupponitur identitas inter subiectum et praedicatum ; unde res demonstrata seu significatum materiale subiecti : hoc, est idem in initio et in fine propositionis, ut in ista : hoc est liber ; — in practica identitas illa efficitur, unde res demonstrata a subiecto seu significatum materiale subiecti : hoc, in fine propositionis est saltem aliquo modo aliud ac in initio. Unde pro verbis consecrationis, significatum materiale seu id quod demonstratur in initio est substantia panis, in fine est corpus Christi. Significatio autem ac proinde veritas vel falsitas propositionis non habetur nisi quando tota est enuntiata. Sensus ergo non est : hoc quod (nunc i. e. initio) est panis, est corpus meum ; sed : hoc quod teneo manibus et est contentum sub speciebus (quod erat panis initio locutionis) est (consequenter ad enuntiationem) corpus meum seu verum corpus mei, i. e. Christi.

228. Forma consecrationis panis est convenientissima. — Forma significare debet id quod sacramento efficitur, scil. conversionem panis in corpus Christi. Sed conversio considerari potest in fieri et in facto esse. Haec autem conversio non debuit significari in fieri sed in facto esse : a) quia non est successiva sed instantanea ; unde in ipsa non est nisi factum esse ; b) quia in sacramentis praecipue intenditur non fieri sed res facta. Porro in facto esse non manet panis secundum substantiam sed tantum secundum accidentia, unde convenienter designatur modo indeterminato secundum sola accidentia per verbum hoc : id quod est sub accidentibus ; — at adest corpus Christi, et ideo convenienter enuntiatur determinate et expresse designatur. Unde forma conveniens est : hoc est corpus meum.

229. Applicationes practicae.— I. *Invalida* foret consecratio si mutaretur sensus formae :

a) Si loco *hoc* diceretur *illud* quod designat rem absentem vel remotam ; aut hic adverbialiter (non masculine per errorem grammaticum), aut : ecce corpus meum, hic ponitur corpus meum, quia non significatur conversio.

b) Si omitteretur verbum *est*, quia nulla adiuncta indicant illud subaudiri ; aut si eius loco poneretur : erit, fit, fiat, sit, aut diceretur: hic panis convertitur in corpus meum, quia non significaretur conversio iam facta.

c) Si minister diceret : hoc est corpus Christi, quia sic loqueretur in propria persona tantum.

d) Si diceret : hoc est substantia mea, hoc est corpus meum figuratum.

II. *Dubia* est forma :

a) Si loco *hoc* poneretur *istud*, quia dubitatur an sufficienter demonstratur res praesens.

b) Si loco *corpus* diceretur *caro*, quia ex una parte corpus plus dicit quam caro, ex altera in Scriptura corpus aliquando caro dicitur.

III. *Ambigua* videtur forma : hoc corpus est meum. Potest enim corpus tam bene pertinere ad praedicatum quam ad subiectum · sed a pluribus habetur ut invalida, unde practice est dubia.

IV. *Valida* sed graviter *illicita* esset forma : hic cibus, haec res contentum sub speciebus est corpus meum ; hoc est meum corpus ; hoc meum est corpus, hoc est corpus meum reale, quod de Virgine suscepi ; hoc est colpus meus..., quia idem est sensus. Veniale solum esset si ex negligentia in pronuntiatione parva induceretur corruptio.

Articulus III.

De Forma Consecrationis Vini.

S. Th. III, q. 78, a. 3.

230. Sensus formae consecrantis vinum.—In verbis : *Hic est calix sanguinis mei...* quibus consecratur vinum :

1° *Hic* non est sumendum adverbialiter, sed idem sonat ac hoc ; sicut idem est dicere : istud est panis vel iste est panis.

2° *Calix* sanguinis mei est locutio figurativa secundum metonymiam, qua ponitur continens pro contento, ut sit sensus : Hic est sanguis meus contentus in calice. Sanguis enim Christi in sacramento continetur quatenus est potus fidelium, quod oportuit designari per vas huic accommodatum.

3° *Sanguinis mei:* est humor praecipuus corporis, abstrahendo ab hoc quod sit in corpore contentus vel ab eo separatus.

4° *Testamenti* sumitur sive a) pro promissione, pacto, foedere, sive b) pro signo a promittente relicto. Iamvero :

a) In V. L. foedus erat circa promissiones terrenas, in N. L. est promissio haereditatis coelestis a Christo facta nobis peccatoribus, quae non valet nisi ipsius Christi morte in remissionem peccatorum oblata. Sanguis ergo Christi est pars promissionis seu foederis novi.

b) Sanguis in cruce effusus, et etiam sanguis in calice fusus qui effusionem crucis repraesentat, est signum authenticum a Christo relictum, in confirmationem promissionis, atque instrumentum quo foedus sancitur ; et hoc modo calix non tantum dicitur continere sanguinem quo N. T. sancitur, sed etiam, ut Paulus et Lucas dicunt, est ipsum Novum Testamentum. Eodem modo in V. T. foedus sancitum fuit sanguine animalium a Moyse dum populum aspersit, dicens Ex. XXIV, 8 : Hic est sanguis foederis quod Dominus pepigit vobiscum.

5° *Novi*, tum quia nunc exhibetur, tum ut contra vetus distinguatur ; *et aeterni*, tum quia ab aeterno foedus fuit praeordinatum, tum quia est de bonis aeternae haereditatis, tum quia durat in aeternum.

6° *Mysterium fidei*, quia sanguis Christi est occulto modo in sacramento, fideque sola cognosci potest, atque passio Christi per fidem iustificat.

7° *Qui pro vobis*, sumentibus, et *pro multis*, i. e. omnibus quantum ad sufficientiam, *effundetur* in Cruce et, durante tota N. Lege, in hoc sacramento, vel secundum textum graecum : *effunditur* i. e. nunc in coena et brevi post in passione ; *in remissionem peccatorum*, quae est effectus passionis Christi aeque ac huius sacrificii.

231. Forma consecrationis vini est conveniens. — Convenit

a) *quoad conversionem*, quae significatur eodem modo ac in forma panis ;

b) *quoad verba addita*, quibus designatur virtus sanguinis. Haec enim ordinatur ad tria : 1° et principaliter ad aeternam haereditatem (Hebr. X, 19) ad quam designandam dicitur : *Novi et aeterni testamenti;* 2° ad iustitiam gratiae quae est per fidem (Rom. III, 25) et ideo dicitur : *Mysterium fidei;* 3° ad removenda peccata quae sunt impedimenta duorum praedictorum (Hebr. IX, 14) et quantum ad hoc subditur : *Qui...*

Porro sanguis seorsum consecratus expressius passionem Christi repraesentat, et ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de passione et de fructu operis quam in consecratione corporis, quod est passionis subiectum, ut etiam designatur per verba : *quod pro vobis tradetur* i. e. passioni subiicitur.

232. Animadversiones practicae. — 1. De formis invalidis et dubiis iudicetur eodem modo ac pro forma panis.

2. Valida sed graviter illicita esset forma : hic calix, hic potus est sanguis meus ; — hic est calix novum testamentum in meo sanguine (ut habet Lucas) ; — hic est sanguis meus infiniti valoris ; — hic est meus sanguis ; — item in Ecclesia latina : hic (non adverbialiter sed masculine) vel hoc est sanguis meus.

3. Omissio verbi : *novi*, aut *aeterni*, et *mysterium fidei* non reddit formam invalidam, quia implicite dicuntur in aliis[1].

1. Cfr. Salmanticenses morales, tr. 4, c. 5, puncto 2, n. 39.

SECUNDA PARS.

DE CORPORE ET SANGUINE CHRISTI

QUAE SUNT RES ET SACRAMENTUM.

QUAESTIO PRIMA.

DE ACTIONE QUA CHRISTUS FIT PRAESENS.

233. **Doctrina catholica.** — Secundum doctrinam catholicam, verbis consecrationis efficiuntur tria maxime admiranda, tribus in articulis explicanda :

1º Christi corpus et sanguinem hoc sacramento vere contineri,

2º nullam in eo elementorum, i. e. panis et vini, substantiam permanere,

3º accidentia quae sensibus percipiuntur in nulla re esse subiecta.

Articulus I.

De Reali Praesentia Christi.

S. Th. III, q. 75, a. 1.

234. *Thesis.* **In sacramento Eucharistiae continetur Christus vere, realiter et substantialiter, et non tantum in signo, vel figura, aut virtute.** — Ita definivit Conc. Trid., sess. 13, c. 1 et can. 1 contra Sacramentarios, uti sunt Zwinglius, Carlostadius, Oecolampadius, post Conc. Lat. IV, c. 1 contra Albigenses, et Conc. Flor., decr. unionis [1].

Continetur Christus 1º *vere*, i. e. non tantum repraesentative in signo : quod praecipue est contra Zwinglium ;

2º *realiter*, i. e. non tantum in figura seu similitudine expressa, vel obiective quatenus per fidem apprehenditur et per contemplationem fidei praesens figuratur id quod in coelo est : quod magis videtur contra Oecolampadium ;

3º *substantialiter*, i. e. non tantum secundum effectum, operationem et virtutem : quod est directe contra Calvinum et multos anglicanos.

1. Idem docetur in prof. fid. pro Waldensibus ab Inn. III praescripta ; ac damnatione prop. Wicleff in C. Const[1], sess. 8 et 13.

235. **Doctrina probatur 1º ex verbis promissionis.** — Christus promisit, Ioh. VI, panem vitae aeternae, qui de coelo descendit : carnem suam manducandam in verum cibum. Atqui, licet panis a. v. 27 ad 47 forte intelligendus sit sensu figurato et translato de spirituali per fidem manducatione, seu de fide in Christum aut de gratia, verba tamen a. v. 48 ad 59 sensu proprio et immediato intelligenda sunt de propria Christi carne realiter manducanda. Ergo Christus promisit carnem suam realiter manducandam, quae promissio non verificaretur nisi in Eucharistia vere esset praesens. — Similiter promisit suum sanguinem bibendum.

Probatur : a) Christus si vellet loqui sensu proprio, non posset loqui nec in ultima coena locutus est clarius et apertius : panis enim manducandus est *eadem caro quam dabit pro mundi vita* (v. 52) i. e. caro sua pro salute mundi immolata, ubi manducatio proponitur ut participatio immolationis. Sed participatio sacrificii cruenti ubique terrarum fit per realem manducationem victimae. Ergo agitur de vera carne realiter manducanda, quae ideo *vere est cibus* (v. 56). — Si autem Christus loqui vellet sensu figurato, non posset loqui obscurius.

b) Etenim locutionis *bibere sanguinem* apud Iudaeos a sanguine abhorrentes nullus est sensus metaphoricus ; locutio autem *manducare carnem alicuius* in hebraica aliisque orientalibus linguis sensu translato sumitur in malam partem de calumniis, iniuriis, persecutionibus contra aliquem [1]. Atqui ille sensus hic est impossibilis : quomodo enim Christus praeciperet et praemio donaret calumnias in se directas ? (v. 52, 54, 55, 57).

c) Quapropter auditores verba Christi intellexerunt in sensu proprio de carne vere et realiter manducanda, et ideo hanc rem ut impossibilem existimant (v. 53, 61). Atqui si ex ignorantia male intellexissent, Christus errorem correxisset ut facere solebat [2] ; non autem correxit, imo sexies confirmavit, exigendo fidem in verba sua ut a Iudaeis fuerant intellecta (v. 54-59).

d) Imo cum propter sensum proprium multi discipuli abierint, Christus eos abire sinit ; quod non fecisset si male intellexissent, cum simplicissima explicatione eorum apostasiam impedire potuisset. At etiam apostolos abire permisisset, si verbis suis non credidissent (v. 68).

e) Hinc de sensu proprio intellexit tota traditio catholica : Patres, et Concilia Eph., Nic. II, et Trid., sess. 13, c. 2 ; sess. 21, c. 1, licet id non definiat.

1. Ps. XIII, 4 ; XXVI, 2 ; Iob XXXI, 31 ; Mich. III, 3 ; Eccle. IV, 5 ; Zach. XI, 9 ; Ezech. XXXIX, 17, 18 ; Gal. V, 15.

2. Christus corrigit Ioh. III, 5 ; IV, 32-34 ; VI, 32-36 ; VIII, 21-23 ; 32-34 ; 40-44 ; XI, 14 ; Mt. XVI, 6-11 ; XIX, 24-26 ; Mc. VIII, 15-21 ; — contra confirmat Ioh. V, 41-51; VIII, 56-58; X, 30-38; Mt. IX, 2-6.

Neque dicatur Christus errorem correxisse et sensum spiritualem indicasse, dicendo : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba quae ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt* (v. 64). — Non correxit enim, uti probat recessus discipulorum, et praeterea verba illa non opponenda sunt praecedentibus sed cum ipsis componenda ; nec idem profecto est dicere : verba mea spiritus et vita sunt, ac dicere : verba mea metaphorica sunt. Est ergo sensus : *caro non prodest quidquam* ad intelligenda spiritualia i. e. homo animalis ea non percipit, sed *spiritus vivificat* i. e. homo spiritualis gratia Dei adiutus ea percipit. Unde caro Christi non est mere materialiter manducanda sicut cibus corporalis, sed spirituali et sacramentali modo, ac cum debita dispositione. Iamvero *verba quae locutus sum vobis spiritus et vita sunt* i. e. sunt de re spirituali. Sed quidam inter vos sunt homines carnales et ideo non credunt [1]. Ita iam Chrysostomus.

236. Doctrina probatur 2° ex verbis institutionis. — In ultima coena Christus, designans id quod continetur sub speciebus panis et vini, dicit esse corpus et sanguinem suum (Mt. XXVI, 26-29 ; Mc. XIV, 22-25 ; Lc. XXII, 19-20 ; I Cor. XI, 23 sq). Atqui haec verba sunt sumenda sensu proprio et immediato, non autem sensu translato. Ergo corpus et sanguis Christi vere continentur sub speciebus panis et vini.

Probatur : a) Christus si vellet loqui in sensu figurato, locutus esset maxima obscuritate, ut ex hoc solum patet quod iam anno 1577 plus quam 200 interpretationes diversas verborum Christi invenerint Protestantes ; si autem sensu proprio, non posset loqui clarius. Qui sensus adhuc expressius significatur graece per emphasim : Hoc quod do vobis manducandum (manducate : hoc est *enim*) est ipsum corpus meum, ipsum quod pro vobis traditur ; id quod porrigo bibendum est ipse sanguis meus, ipse N[i] T[i], ipse qui pro multis effunditur. Corpus autem tradendum est verum corpus ; sanguis in sacrificium effundendus N. T. sanciens, verus sanguis sicut V. T. vero sanguine fuit sancitum.

b) Et sane Christus statuebat foedus, condebat testamentum, instituebat sacramentum, ferebat legem, dogma tradebat credendum, et amicos instanti morte alloquebatur ; quae omnia fieri solent propria et clara locutione, non autem verbis metaphoricis, saltem aequivocis et obscuris, ac captu difficilibus.

c) Imo sensu figurato Christus loqui non potuit : Apostoli enim erant viri simplicissimi, miraculis assueti, nihil impossibile reputantes ; unde sensum metaphoricum nullo modo manifestum

1. Alii aliter interpretantur : caro mea a divinitate Verbi, spiritu vivificante, seiuncta nihil prodest ; prodest autem unita spiritui vivificanti i. e. cum divinitate. Sed interpretatio non videtur cohaerere textui nec est conformis menti audientium.

ac captu difficilem nec suspicari poterant [1]. Christus ergo qui est Deus apostolos decepisset, et per eos Ecclesiam in errorem perniciosissimum iniecisset quem sciebat per 20 saecula duraturum.

d) Unde apostoli verba Christi in sensu proprio intellexerunt : cum enim figuras minus obscuras declarare soleant [2], hic nec unus eorum sensum figuralem insinuat etiam verbulo. Imo Paulus, I ad Cor. XI, 27, ex ipsis concludit : *Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini ;* sed Christo non praesente, reus non esset ipsius corporis sed huius symboli ; e contra : *qui manducat indigne iudicium sibi manducat, non diudicans corpus Domini,* i.e. quia non discernit illud a pane vulgari, aut quia practice actione sua rem quam suscipit non aestimat ut corpus Christi.

e) Et ita intellexit communis interpretatio Patrum, quam definivit credendam Conc. Trid., sess. 13, c. 1.

237. Doctrina probatur 3° ex Traditione et perpetua fide Ecclesiae. — Constat variis modis :

A. *Ex Patribus*, quorum testimonia sunt indubia inde ab aetate apostolica, et in omni regione : Ignatius, qui Docetas reprehendit « eo quod non confitentur Eucharistiam carnem esse Salvatoris... quae pro nobis passa est », ad Smyrn. VII, 1 ; Iustinus qui loquitur secundum doctrinam receptam, quam probat per ipsa verbaChristi ex evangeliis desumpta, apol. I, 65-67 ; dial. 41, 70, 117 ; Abercius in epit., referens factum universale ; Irenaeus qui dicit Eucharistiam institutam a Christo et Ecclesiae traditam ab apostolis et acceptam in universo mundo, atque constare duplici elemento, terrestri scil. et coelesti (i. e. corpore Christi et spiritu divinitatis), adv. haer. IV, 17, 18 ; V, 2, 3 ; Clem. Alex., Paedag. I, 5, 6; Origenes, hom. 9 in Lev. 10 ; hom. 13 in Ex. 3 ; Tertull. adv. Marc. IV, 22 ; de carn. res. 8 ; Cypr. de laps. 16 ; ep. 57 et 63 ; Dion. Alex. ap. Euseb. H. E. VI, 44 ; VII, 9 ; Athan. fragm. VII ; Cyr. Hier., cat. XX, 1, 3 ; XXII, 1-2 ; XXIII, 20-22 ; Chrys. hom. 46 in Ioh. 3 ; hom. 82 in Mt. 4 ; Bas. ep. 93 ;

1. Sic Mt. XVI, 11 ; Ioh. XI, 12 ; IV, 32 ; Lc. XXII, 36-38 ; Ioh. XIV, 7-9, apostoli intelligunt proprie.

2. Declarant v. g. sensum metaphoricum : Ioh. II, 19-21 ; III, 3-5 ; IV, 32-34 ; VII, 38-39 ; VIII, 32-34 ; XXI, 19-23 ; Mt. XVI, 6, 12 ; XVII, 12, 13 ; Ioh. XII, 4 cum Mt. XXVI, 8 et Mc. XIV, 4 ; Lc. XXII, 39 ; Mt. XXVII, 44 et Mc. XV 32.

Greg. Naz. or. 45, n. 19; Greg. Nys. or. cat. 37; Aphraates dem. III, 2; Ephrem, hymn. de Virg. XXXVII; Hilar., de Trin. VIII, 14; Ambr. de myst. 8-9; Lib. de Sacr[s] IV, 16; Hier. ep. 14, n. 8; Aug., serm. 71 et 272; inter ined. 6; in Ioh. XXVII, 11; XLVII, 2; in Ps. XCVIII, 9; XXXIII, 2; Cyr. Alex., in Luc. XXII, 19; in Mt. XXVI, 27; Ioh. Damasc., de fide orth. IV, 13[1].

Patres 1° provocant ad Christi verba promissionis et institutionis ut realem praesentiam probent;

2° docent corpus quod manducamus esse ipsum corpus Christi quod natum est de Virgine, passum in cruce, resuscitatum sedens ad dexteram Patris;

3° non esse meram figuram aut imaginem sed verum corpus et sanguinem Christi;

4° Christum non sumi sola fide vel mere spiritualiter, sed vere, physice et corporaliter;

5° hoc sacramentum confici per veram conversionem panis in corpus Christi;

6° esse maximum mysterium, stupendum miraculorum compendium, omnem sensum ac rationem superare;

7° utuntur praesentia reali ut principio demonstrationis contra Gnosticos, Docetas, Monophysitas, Nestorianos, Arianos, Macedonianos, etc.

8° dicunt Eucharistiam adorandam et summa cum reverentia tractandam.

B. *Ex Liturgiis* etiam antiquissimis.

Tales sunt: forma antiquissima liturgiae romanae quam refert Hippolytus, apost. trad. (s. II); ea quae legitur in Constitutionibus apostolicis, VIII, 12 (s. IV), et in essentialibus concordat cum iis quae referuntur a Clemente romano; ea quae in Aegypto adhibebatur iuxta Sacramentarium Serapionis (fin. s. III); similiter liturgia alexandrina, et ea quae refertur a Cyrillo Hierosolymitano (s. IV); item chaldaica, etc.

C. *Ex Conciliis* Nic. I, Eph., Nic. II, Turonensi, Romano II, Vien., Lat. IV, Const[l]., Flor. et Trid.

D. *Ex Ecclesiae magisterio*, quod semper reprobavit minimum errorem contra veritatem Eucharistiae.

1. De doctrina Patrum conferri possunt: Nicole et Arnauld, *La perpétuité de la Foi de l'Église catholique touchant l'Eucharistie;* Bellarminus, *Controv : de sacr. Eucharistiae ;* Billuart, Franzelin, Van Noort, Tanquerey, Hugon in tr. theol.; Wiseman, *Lectures on the Real presence; Dictionnaire de Théologie*, art. *Eucharistie;* Mgr Besson, *La présence réelle de N. S. J. C. dans le sacrement de l'Eucharistie ;* Battifol, *L'Eucharistie*, ed. 5[a]; d'Alès, *De Sanctissima Eucharistia.*

Ita S. Ignatius Antiochenus iam carpit Docetas qui ab Eucharistia abstinent, quia est caro Salvatoris. Origenes, de or. V, 1 et Epiphanius, haer. LX, 11, testantur quosdam *haereticos* non uti Eucharistia vel eam abiicere. Nestoriani non negabant quidem praesentiam realem, sed errabant quia Christi carnem dicebant non unitam Verbo, sicut e contra Monophysitae illi qui non admittebant carnem in Christo.

Saec. XI Berengarius qui transsubstantiationem prius negavit, postea etiam praesentiam realem, a Conc. Romano coactus fuit ad retractationem. Item saec. XII ut haereticus habitus est Tanchelinus qui negabat praesentiam realem; et Petrus de Bruis qui dicebat sacerdotes non habere potestatem consecrandi; saec. XIII Waldenses transsubstantiationem negantes, et Albigenses quidam etiam realem praesentiam, quibus praescripta fuit professio fidei ab Inn. III; saec. XIV Wicleff qui erravit saltem circa transsubstantionem, qua occasione etiam damnata fuit in Conc. Const[l] haec propositio 3[a]: Christus non est in eodem sacramento identice et realiter propria praesentia corporali (cfr. interrog. pro Wicleffitis et Hussitis 16 et 17); saec. XV Pius II reprobavit errorem Zanini de Solcia: In hostia consecrata Christum non quoad humanitatem sed divinitatem dumtaxat existere; saec. XVI damnati Protestantes; saec. XIX Modernistae qui historicitatem negant institutionis, sed secundum fidem aiunt oportere ut noster agendi modus sit ac si essemus coram Christo.

E. *Argumento praescriptionis*. Saeculo XI, quando audita fuit prima negatio realis praesentiae a Berengario, in illam universa Ecclesia possidebat fidem possessione tranquilla et immemoriali, uti patet ex ipsa confessione Berengarii et ex oppositione universali contra eius affirmationes. Haec autem possessio probat originem apostolicam huius doctrinae; ergo.

Etenim: a) doctrina tam magni momenti introducta fuisset vel simultanee, de consensu omnium, quod factum tam illustre constaret historice; vel paulatim et successive, et hoc non fuisset factum sine contradictione et oppositione, quod etiam historia narraret; b) talis introductio eo magis improbabilis est quod eadem doctrina apud omnes sectas invenitur orientales, primis saeculis ab Ecclesia seiunctas; c) introductio rei non revelatae ut dogma in tota Ecclesia esset contra promissionem infallibilitatis ipsi factam a Christo.

Obiiciunt quasdam locutiones aequivocas quandoque a Patribus adhibitas; ad quas intelligendas valere possunt sequentes regulae:

1° Eucharistiam vocant figuram, similitudinem, typum, imaginem, signum corporis Christi, quia ratione specierum est signum et sacramentum, tum corporis non quidem absentis sed praesentis, tum corporis in cruce immolati, cuius immolatio hic adumbratur,

tum corporis mystici seu Ecclesiae, cuius unitas per panem ex multis granis confectum repraesentatur.

2° Sacramentum Eucharistiae dicitur *panis*, tum ratione accidentium quae remanent, tum ratione materiae quae conversa est in corpus Christi.

3° In Eucharistia dici potest non esse idem corpus quod de Virgine est natum et in cruce passum, quoad modum scil. essendi, quamvis idem credendum sit quoad substantiam.

4° Manducationem spiritualem commendant ut solam veram, hoc sensu quod sumptio externa et realis absque spirituali nihil prosit.

5° Dicunt panem benedictum non esse corpus Christi, intelligendo panem ante consecrationem, vel eulogias seu panem benedictum qui non communicantibus dabatur in signum unionis.

6° Dicitur corpore Christi corpus nostrum nutriri et augeri, tum ratione specierum quibus continetur, tum ratione incorruptionis et immortalitatis quod nostris corporibus tribuit.

7° Si antiquiores minus accurate aut obscure scripserint, non est tribuendum errori in fide, sed vel terminologiae defectuosae nondum scientifice definitae, vel simplicitati quia sciebant se a fidelibus recto sensu intelligi, vel quandoque disciplinae arcani.

Speciatim S. Augustinus, qui pluribus in locis indubie asserit praesentiam realem, in aliis locis primo intuitu aequivoce et obscure loquitur. Nec tamen Augustinus Augustino est opponendus sed cum seipso conciliandus, qui a sententia sui in Christo patris S. Ambrosii et ab universali fide sui temporis non putandus est recessisse.

In specie : a) saepius dicit Christum dedisse *signum corporis sui*, illud signum dici *posse* ipsum corpus Christi, fideles corpus Christi edere in signo. Quod non intelligendum est nudum signum, sed sacramentum, scil. signum practicum vere continens Dominum; porro sacramentum seu ipsae species consecratae possunt dici corpus Christi quatenus illud continent ; atque fideles illud sumunt in sacramento, non in propria specie, sed sub figura panis, non visibiliter sed invisibiliter.

b) *Carnalem manducationem reiicit et spiritualem adstruit.* Reiicit scil. manducationem in propria specie, qualem intelligebant Capharnaïtae, non vero sacramentalem ; haec tamen manducatio vere spiritualis non est, si caro Christi mere materialiter et externe sumatur in sacramento, nec etiam spiritui Christi seu divinitati communicetur.

c) Unde dum ait : *manducare illam escam et illum bibere potum est in Christo manere et illum manentem in se habere*, quod fit per charitatem ; non negat sacramentalem manducationem realis corporis Christi, sed haec vere manducatio non est, nisi sit cum fructu atque anima reficiatur et nutriatur, i. e. nisi fiat simul cum dispositione et adsit coniunctio cum Christo per spiritum.

S. Augustinus scil. ingenio suo synthetico varios aspectus sacramenti successive aperit, atque plus quam praedecessores ipsi *rei* sacramenti insistit atque eius effectibus spiritualibus.

238. Doctrina confirmatur ratione convenientiae. — Ita S. Thomas, a. 1 : Christum esse vere praesentem conveniens est propter tria :

1° *perfectioni N. L.*, cuius sacrificium debebat continere Christum passum, non tantum in figura, ut iam fiebat in V. L., sed in veritate ;

2° *charitati Christi :* proprium enim amicitiae est convivere amicis ; unde Christus per essentiam in sacramento est praesens ut sit, in hac via, perfecta coniunctio capitis ad membra, et sic maximae charitatis sit signum, et nostrae spei sublevatio ex tam familiari coniunctione cum Christo ;

3° *perfectioni fidei :* sicut enim divinitatem suam exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo.

239. Obiiciunt : A. Protestantes :

1° Locutiones similes verbis Christi saepe esse figuratas, unde in ipsis subintelligendum est : in figura vel in signo, v. g. dum quis statuam indicans dicit : Hic est Carolus Magnus i. e. in imagine, vel quando Scriptura dicit : septem spicae plenae vel septem boves pulchrae ubertatis anni sunt (Gen. XLI, 26), ager est mundus (Mt. XIII, 38), Sara et Agar duo testamenta sunt (Gal. IV, 24), petra erat Christus (I Cor. X, 4), semen est verbum Dei (Lc. VIII, 11), ego sum ostium, vitis vera, panis (Ioh. X, 2, 7 ; XV, 1 ; VI, 35). Unde et verba Christi significare possunt : hoc est corpus meum in figura.

Resp. : In istis locutionibus, vel a) praedicatum enuntiat proprietatem subiecti per similitudinem, et sic est figura subiecti, v. g. ego sum vitis vera, ostium, Alexander est leo ; sed tunc non sunt similes verbis eucharisticis, in quibus subiectum est indeterminatum et praedicatum determinatum, e contra in illis ; — vel b) subiectum est figura praedicati, sed tunc requiritur ut ex natura sua (v. g. statua), vel ex usu loquendi recepto (v. g. ramus olivae), vel ex nota iam institutione (v. g. typi V. T.), vel ex contextu appareat esse signum. Sed hic panis et hoc vinum designata, nec ex se, nec ex usu recepto, nec ex Christi monitione aut aliis adiunctis spectari possunt ut signa corporis et sanguinis ; unde verba sunt absolute intelligenda, non de eo quod res significat sed de eo quod est. Et sane, licet figuraliter quis dicere possit : Alexander est leo, nullus tamen dicet : hic leo est Alexander ; — simili modo : caro mea est cibus vel panis, non autem : hic panis est caro mea.

2° Verbum *est* aliquando sumitur pro significat. Ita Gen. XVII, 10, de circumcisione dicitur : Hoc est pactum meum ; sicut Ex. XII, 11 de agno paschali : Est enim phase i. e. transitus Domini. Quod maxime verum est in lingua aramaica seu syro-chaldaica quae caret verbo significat.

Resp. : a) Locutiones non sunt similes : in illis enim subiectum est quaedam caeremonia (circumcisio, agnus paschalis) quae ex natura sua est signum, et praedicatum non est quaedam substantia ; praeterea b) ita exponi possunt ut verbum est suam significationem conservet : circumcisio enim *est* pars foederis, unde dicitur hebr. pactum meum observandum ; ac nomen phase impositum fuit ipsi ritui agni paschalis, ergo hoc sensu ipse *est* id quod vocatur phase seu transitus Domini ; c) ceterum in casu sensus locutionum clarus est, nec potest ansam praebere deceptioni. d) Verba Christi autem non syriace sed graece nobis relata sunt in Scripturis iuxta sensum ab apostolis intellectum qui non est figuratus, atque Syri, etsi vocabulo careant, plus quam 40 modos habent ad exprimendum signum ; ceteroquin Christus usus est dialecto hierosolymitana quae talibus locutionibus abundat.

3° Christus in sui memoriam instituit sacramentum ; atqui sacramentum ex natura sua est signum, memoria non est rei praesentis sed absentis ; ergo ex adiunctis apostoli intelligere debebant Christum non esse praesentem nisi ut in signo.

Resp. : Christus non prius indicavit se instituere sacramentum, ut exinde apostoli recte intelligerent verba mox pronuntianda ; sed prius intellexerunt verba, et exinde intellexerunt species continentes Christum esse signa sacra. Deinde Christus ipse non fecit sacramentum in sui memoriam, sed voluit ut postea fieret in memoriam suiipsius ut passi et gloriam manifestantis in coelo : hac autem ratione non est praesens. Denique memoria non opponitur praesentiae sed oblivioni, unde aliquid fit in memoriam rei praesentis sed invisibilis.

B. Critici liberales et modernistae :

Narrationem institutionis dicunt non esse historicam et Christum non instituisse sacramentum ; unde verba : Hoc facite in meam commemorationem, non leguntur apud Matthaeum et Marcum, et Evangelium Iohannis nec institutionis meminit. Christus scil. cum apostolis celebravit quamdam vulgarem coenam iudaicam seu convivium fraternum, ut aiunt J. Réville, Loisy, Harnack, vel ipsis proposuit parabolam aut symbolum memorativum suae passionis, ut dicunt Weiszaecker et Jülicher ; id autem paulatim apud christianos evolvit in coenam Domini ad commemorandam eius mortem, tunc in sacramentum, demum in ipsum corpus Domini manducandum.

Resp. a) Epistola Pauli ad Cor. scripta est circa a. 55 et est antiquior evangeliis Matthaei et Marci ; in ea non imponit apostolus aliquid ex se sed narrat quod ipsi traditum est (XI, v. 23), id supponit Corinthiis notum nec ipsis directe inculcat sed mere occasionaliter meminit, occasione abusuum qui in celebratione Eucharistiae irrepserant. Affirmat etiam a Christo praeceptam fuisse hanc celebrationem in commemorationem suae passionis (v. 24) ; quod etiam refert Lucas, qui tamen in scribendo libro Actuum ac proinde etiam in Evangelio noscitur ab epistolis paulinis esse independens. Unde narratio Pauli valorem habet historicum, quem merum silentium Matthaei et Marci non potest auferre

nec ipsi omnino silent, cum relatione inter coenam et agnum paschalem innuant novum pascha a Christo instituendum.

b) Iohannes de institutione silet, quia sufficienter eam annuntiaverat eamque universaliter notam sciebat; ex altera parte narratio huius facti non postulabatur indole speciali sui evangelii, quod est potius doctrinale quam biographicum.

c) Adversarii explicare nequeunt haec tria : 1. quomodo apostoli et christiani in ideam devenerunt renovandae coenae, vulgarem coenam habuerunt ut coenam Domini, atque putaverunt praeceptam eius reiterationem dum praecepta non fuit ; quodsi dicatur esse parabola Domini : aliae sunt parabolae aut eventus in vita Christi qui magis debuerunt afficere discipulos ; si ergo coena non sit nisi parabola et fractio panis, cur una coena reiteratur ? — 2. quomodo benedictio mensae usualis effecta est sacramentum ; — 3. quomodo panis usualis habitus est ut factus corpus Christi. Non explicant scil. quomodo tam *modico* spatio 25 annorum *tanta* evolutio, absque controversia et reclamatione, invalescere potuit *universalis* in communitate quae a novitate potius abhorrebat : est enim factum quod conscientia primitivae Ecclesiae credit in sacramento. Ad tantam evolutionem tempus sufficiens defuit.

240. Corollarium. — Cum in Eucharistia Christus sit vere praesens, sequitur hoc sacramentum esse adorandum. Christus adoratur ut obiectum principale, sed coadorantur ut obiectum secundarium et cultu relativo species, quatenus coniunguntur corpori Christi, sicut purpura regis simul honoratur cum rege. Cfr. C. Trid., sess. 13, c. 5, can. 6.

Articulus II.

De Desitione et Conversione Panis et Vini.

S. Th. III, q. 75, a. 2, 3, 4, 6, 7, 8.

241. *Thesis.* **Verbis consecrationis 1° desinit tota substantia panis et vini, 2° totaque substantia panis convertitur in corpus et tota substantia vini in sanguinem Christi; qua conversione Christus fit praesens.** — Propositio est *de fide* quoad utramque partem, ex Conc. Lat. IV, c. 1 ; et ex Trid., sess. 13, c. 4 et can. 2 contra Protestantes, qui universaliter omnes conversionem reiiciunt.

Conversio illa aptissime appellata fuit *transsubstantiatio* [1], i. e. mutatio *totius* et *solius* substantiae in totam et solam substantiam, et a Conc. Trid. definitur : mirabilis et singularis conversio totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini (can. 2).

Probatur 1° *Ex Scripturis :* a) Verbum *hoc* indicat substantiam immediate contentam sub his accidentibus ; si ergo substantia panis remaneret, accidentia necessario indicarent substantiam suam propriam et sensus formae esset : hic panis est corpus meum, qui sensus est falsus.

Neque dicas per metonymiam saepe continens exhiberi pro contento, ut si quis, designando calicem dicat : hoc est vinum ; ita enim dici potest si aliquid usu communi ad aliud continendum destinatur, sed quando Christus est locutus, panis non destinabatur ad continendum suum corpus. Sicut nullus dicit de pane continente aurum : hoc est aurum, sed hic (adverbialiter) est aurum, ita si panis mansisset Christus non : *Hoc*, sed : *Hic* dicere debuisset.

b) Porro substantia panis non cessat, vel annihilatione, vel alia actione (v. g. resolutione in materiam) diversa ab illa qua Christus fit praesens : verba enim efficiunt tantum id quod significant ; sed non significant nisi actionem qua Christus fit praesens ; ergo oportet panem desinere eadem actione propter praesentiam Christi. Sed actio qua unum desinit et alterum accedit est conversio unius in alterum. Ergo substantia panis desinit conversione in Christum.

2° *Ex Traditione* quae constat ex Liturgiis antiquissimis, Patribus, Conciliis Lat. IV, Lugd. II in decl. fid. Graec., Const[1], Flor. in decr. pro Arm., Trid.; atque S. Pontificum decretis, nominatim professione fidei imposita Berengario in Conc. Rom. II, atque bulla dogmatica *Auctorem Fidei* contra syn. Pistor. a Pio VI edita, qua sub n. 29 damnatur doctrinam transsubstantiationis esse quaestionem mere

1. Stephanus de Balziaco Augustodunensis ep. († 1139-40) videtur primus fuisse qui scripserit *transsubstantiari;* Rolandus Bandinelli (Alexander III) habet *transsubstantiationem;* quae vox recognita fuit a Conc. Lat. IV. A S. Thoma (a. 4) dicitur quod *proprio nomine* vocari potest transsubstantiatio.

scholasticam ; insuper ex doctrina sectarum orientalium ab Ecclesia primis iam saeculis separatarum.

Non semper eodem modo hoc dogma fuit enuntiatum :

1° Initio, tribus Iis saeculis id solum implicite et aequivalenter docent : Eucharistiam nempe non esse panem et potum communem, sed esse corpus et sanguinem Christi. Ita Ignatius, ad Smyrn. VII, 1 ; Iustinus, ap. I, 66 ; Irenaeus, adv. haer. IV, 17 ; V, 2.

2° A saec. IV explicite praedicatur : a) quantum ad terminum a quo, dicunt non amplius esse panem et vinum. Ita Cyril. Hier., cat. XXIII, 7, et Ephraem, de Fide hymni, 1 ; b) quantum ad terminum ad quem, aiunt panem fieri et effici corpus Domini. Ita Ephraem, l. c. et hymn. de sacerdotio; lib. de Sacr. IV, c. 4 ; Aug. serm. 227 ; c) quantum ad actionem conversionis, docent materiam transmutari in corpus Domini, esse transelementationem, transformationem, conversionem. Ita Chrys., hom. 1 de prod. Iud., n. 6 ; Greg. Nys., or. cat., c. 37 ; Ambr. de Fide IV, c. 10 ; lib. de Sacr. IV, c. 4 et 5 ; Theod. Mops. in Mt. XXVI, 26 ; Cyr. Alex. in Mt. XXVI, 27 ; in Lc. XXII, 19 ; Caes. Arel., hom. 5 de Paschate ; Ioh. Dam., de Fide orth. IV, c. 13.

3° Dogma explicant ex analogiis cum conversionibus naturalibus aut miraculosis. Ita Cyr. Hier., c. XXII, 2 ; Greg. Nys., or. cat. c. 37 ; Ambr., de myst. 19 ; lib. de Sacr. IV, c. 4.

3° *Ratione :* Christus in sacramento nequit fieri substantialiter praesens, nisi a) per actionem quae realiter mutat ipsum, vel substantialiter, quod esset creatio vel reproductio; vel accidentaliter in ipso producendo accidens scil. novum ubi, quod esset adductio vel introductio sub speciebus ; — aut b) per actionem quae realiter mutat aliud, et haec esset conversio alterius in Christum. Atqui Christus non fit praesens per productionem, quia non producitur nec esse acquirit quod iam est ; nec per adductionem, quia corpus eius gloriosum est impassibile et immutabile ; quae infra magis probantur. Ergo per conversionem.

242. Doctrinae damnatae. — Ex praedictis sequitur :

1° Corpus Christi non tantum coniungi localiter pani, — aut in ipso esse inclusum (*unio sacramentalis*) sicut aqua in vase, — aut ipsi uniri sacramentaliter quatenus est *in*, *sub* et *cum* pane, quia est ubi est Verbum quod in sumptione panis operatur dum sumitur, ut dicebat Lutherus (*consubstantiatio*) : etiam si non repugnaret corpus Christi esse ubicumque sit Verbum, in hisce tamen nulla est conversio.

2. Christum non assumpsisse panem et vinum personaliter, ut docuit Osiander (*impanatio*): non enim esset veri nominis

conversio, nec corpus carneum de Virgine formatum, nec sanguis; vinum enim assumptum non est sanguis.

3. Panem non converti in corpus Christi, quatenus desineret esse in se et ideo esse substantiam, sed esset in alio ut in subiecto et sustentaretur a corpore Christi ut a subiecto, quod damnatum est in Bayma (S. Off., 7 iul. 1875), — vel informaretur anima Christi rationabili aut sensitiva, quod reprobatum in Rosmini (prop. 29 damn. a S.Off., 14 dec. 1887) [1]: non enim esset conversio haec singularis, nec totius substantiae, nec panis in verum corpus natum de Virgine et in cruce oblatum.

243. Natura transsubstantiationis. — Conversio est transitus unius rei in aliam, secundum aliquam rationem entis vel substantialem vel accidentalem ; hinc ad eam requiritur :

1° *Duplex terminus : unus a quo qui desinit, alter ad quem qui accedit.* Deficiente termino a quo, habetur creatio ex nihilo ; deficiente termino ad quem, habetur annihilatio. In Eucharistia terminus a quo est substantia panis et vini, terminus ad quem substantia corporis et sanguinis Christi.

2° Ut sit *nexus intrinsecus inter desitionem unius et successionem alterius,* ita ut unius desitio ordinetur ad successionem alterius et haec successio exigat desitionem prioris. Non sufficit mera concomitantia vel successio, seu nexus mere extrinsecus ex sola voluntate Dei, qua una res desineret eodem tempore ac loco ac altera inciperet : tunc enim essent duae actiones per accidens se concomitantes, quarum una annihilatio, altera creatio dici deberet ; sed oportet haec fiant *eadem actione* et nectantur ex natura rei, ita ut ipsa actio qua desinit unum sit etiam actio qua fit alterum, a. v. ut recessus unius sit accessus alterius. Hinc in Eucharistia non habetur, uti dixerunt Scotus et Nominales, annihilatio cuius terminus est nihil : panis enim non desinit in nihil, sed ut sit aliquid aliud, scil. corpus Christi ; non desinit cessatione conservationis divinae, sed ipsa actione positiva qua ponitur corpus Christi (Cfr. bulla Pii VI, *Auct. fidei,* prop. 29).

3° In conversionibus naturalibus praeterea requiritur ut *utriusque termini sit aliquid commune tertium,* quod est subiectum conversionis : creatura enim non agit nisi

1. Hisce aliquatenus iam praeiverat Cartesius, sed non aperte sententiam proponebat.

praesupposito subiecto quod mutat, seu materia quam transformat. At si Deus conversionem faciat, id non probatur necessarium, quia non tantum ens secundum aliquam rationem vel formam, sed secundum omnem rationem attingit et ideo totaliter convertere potest, ita ut hoc totum ens fiat totum illud. Attamen in Eucharistia manent accidentia communia, non quidem ut elementum et subiectum conversionis : haec enim est *solius* substantiae in substantiam ; sed ut conditio sine qua Christus non fieret praesens.

Haec perfecte verificantur in sententia Magnorum Scholasticorum, imprimis S. Thomae [1], quae adstruit *veram et formalem conversionem,* scil. unam simplicem actionem qua Deus, ut auctor entis, quidquid entitatis est in substantia panis immediate mutat in id quod est entitatis in substantia corporis Christi (materiam in materiam, formam in formam), ita ut id quod nunc est panis sit corpus Christi, et corpus Christi praeexistens [2] sit id quod erat panis. Qua actione corpus Christi nullo modo mutatur intrinsece, sed solus panis in Christum ; etiam panis non annihilatur, sed actione divinae omnipotentiae quidquid est entis in pane desinit in corpus Christi praeexistens et immutatum. Quapropter vere dici potest : ex pane fit corpus Christi.

Id bene intelligere non valemus, sed admittimus quia non est nisi enuntiatio magis explicita, sine ullo addito, mysterii revelati in Conc. Trid. definiti ; atque expositio praedicta sola videtur conformis modo loquendi Conciliorum.

244. Sententiae non probandae. — Ad explicandam actionem transsubstantiationis, praeter modum expositum, triplex praecipue datur sententia :

1ª tenet corpus Christi *adduci.* Haec a pluribus proposita fuit iam tempore S. Thomae, qui eam confutat, a. 2, soletque tribui Scoto. — Adductio autem fit per motum localem ; unde in hac explicatione sequeretur a) quod Christus desineret esse in coelo,

1. Ita etiam Alexander Alensis, S. Albertus M., S. Bonaventura, Aegidius rom., Dionysius Carth., Caietanus, Iohannes a S. Thoma, Nugno Cabezudo, Billot, Hugon, Van Noort, de la Taille. Legi meretur Cachia, *De Natura transsubstantiationis iuxta S. Thomam et Scotum.*

2. Si non praeexisteret, non esset conversio quia fieret ex nihilo subiecti.

b) quod pertransiret omnia loca intermedia, c) quod non esset in diversis locis : nihil enim ad diversa loca simul movetur.

2ª est Suarezii, quae tenet corpus Christi *reproduci*. Ita etiam Lessius, Franzelin, imo aliquatenus Billuart. — At a) non intelligitur quod producatur ex nihilo sui et esse acquirat illud quod iam existit : quodsi novum esse ipsi non detur, productio non esset, et iam non esset ratio cur Christus fieret praesens ; quodsi detur, praesens non esset corpus Christi illud antea existens quod in cruce fuit oblatum. Praeterea b) idem ens secundum unum esse substantiale posset conservari, vivere, velle bonum, etc., et simul secundum aliud esse annihilari, mori, velle malum, etc., quod videtur contradictorium.

3ª est Card. de Lugo, quem sequuntur Sylv. Maurus, Lahousse, Desan : tenet corpus Christi non tam adduci sed potius *introduci vel constitui sub speciebus*, quia recipit *novum ubi*, quod secundum ipsum, est speciale accidens enti *intrinsecum*, quo fit praesens huic vel illi parti spatii imaginarii. — At a) esse locatum hic vel illic, sicut esse vestitum, non videtur esse accidens intrinsecum, sed est extrinseca relatio ad dimensiones aliorum corporum ; b) multilocatio videtur impossibilis : ens enim unum est in se et indivisum ; multilocatione autem a seipso dividitur et locorum distantiis separatur ; c) conversio substantialis non potest terminari ad solum esse accidentale : ubi ; accidens scil. non potest habere vim multiplicandi substantiam ; nec conversio eucharistica potest exerceri circa ipsum corpus Christi, quod, cum sit impassibile, secundum se converti nequit.

Praeterea : 1º In sententiis praedictis non verificatur quod una et eadem actione Christus fiat praesens et panis desinat ; unde affirmant panis conversionem et annihilationem negant nominetenus, re autem admittunt unam actionem qua Christus fit praesens, et alteram annihilationi similem qua panis desinit.

2º Deinde actio immediate versatur circa Christum, dum omnis conversio immediate versatur circa id quod convertitur.

3º Denique, cum Christus reproduci vel adduci posset etiamsi panis maneret, conversio panis non esset necessaria ad Christi praesentiam, nec conversio ut talis esset mirabilis, sed alia actio illa quae posset esse eadem, etiamsi panis maneret ; quod videtur esse contra modum loquendi Conciliorum.

245. Corollaria. — 1. In conversionibus naturalibus compositum transit in compositum, sed materia non transit in materiam, nec forma in formam : agens enim naturale non potest attingere principia entis secundum se. Hic autem et totum convertitur in totum, et partes convertuntur, quia materia panis fit materia corporis Christi et forma panis fit forma corporis Christi.

2. Conversio illa fit in instanti : 1º quia terminus ad quem est substantia et ideo non suscipit maius et minus : non enim magis vel minus aliquid potest esse corpus Christi ; 2º quia non datur subiectum conversionis quod successive praeparatur ; 3º quia fit virtute infinita quae operatur solo imperio.

Articulus III.

De Accidentibus remanentibus.

S. Th. III, q. 75, a. 5.

246. *Thesis.* **Species seu accidentia panis et vini, peracta consecratione, remanent, et quidem secundum esse obiectivum et reale.**

Species panis et vini sunt accidentia illa quae sensibilia sunt, ut quantitas, figura, color, sapor, etc., et relationem ad perceptionem dicunt. Post consecrationem illas manere sensibiliter constat testimonio sensuum et doctrina Conciliorum. Porro illae species non sunt pure intentionales seu merae apparentiae, ut quidam dixerunt, quatenus virtute divina, sive in sensibus nostris eaedem sensationes [1], sive in aëre vel aethere eaedem vibrationes producerentur ac produceret panis et vinum [2], sed sunt aliquod obiectivum et reale.

Propositio est ad minus *theologice certa*, quia Concilia Lat. IV, Constᵉ, Flor. et Trid. illam manifeste supponunt.

Licet non explicite definiatur, in connexione tamen cum dogmate enuntiatur in Conciliis : a) opponunt enim totam substantiam panis et vini quae convertitur, speciebus quae *manent*, cuius sensus obvius est : aliquid obiectivum quod fuit panis et vini transire, et aliud obiectivum quod fuit panis et vini non transire sed manere et idem esse ac antea ; praesertim b) quod tempore Conciliorum nomine specierum omnes intelligebant aliquid obiectivum. Deinde c) in Conc. Const[l] damnata est propositio 2ª Wicleff : *Accidentia* panis non manent sine subiecto ; unde vera est contradictoria, quod sine subiecto manent ; sed solae apparentiae non recte dicuntur *accidentia* panis, et sunt in subiecto ; ergo. — Neque dicas Concilium damnasse propositionem ad sensum Wicleff qui intelligebat ea non manere sine subiecto panis : tunc enim nulla esset differentia cum propositione 1ª, in qua iam damnatur substantiam panis et vini manere. Ceterum coaetanei narrant Wicleff in tribus errasse, et errorem fundamentalem qui originem aliis dedit, fuisse accidentia non manere sine subiecto etiam per potentiam Dei ; porro Concilium illos tres errores in tribus propositionibus voluisse damnare. Unde ante exortam philosophiam Cartesianam theologi omnes doctrinam ut certam habebant.

1. Ita Maignan, Saguens, et aliquo modo Drouin et Wittasse.
2. Ita Tongiorgi, Palmieri, etiam aliquatenus Franzelin, quorum explicationes non in omnibus concordant.

247. Doctrina traditionalis probatur :

1° *Ex Traditione* quae constat ex doctrina Patrum, Conciliorum et Theologorum, ut iam dictum est.

Patres prius implicite id exprimunt, dicentes Eucharistiam esse escam seu panem, et potum, sed non communem : Iust., ap. I, 65 ; Iren., adv. haer. IV, 18 ; — aiunt eam constare duplici elemento : terreno, sensibili, visibili, i.e. speciebus, atque coelesti, intelligibili, invisibili, scil. Christo : Orig., hom. 13 in Ex., 34; Cyr. Hier., cat. XXIII, n. 20; Chrys., hom. 82 in Mt. 4; Aug. de Trin. III, 10 ; serm. 272 ; — elementum visibile dicunt esse figuram, antetypum, similitudinem, signum corporis Christi : Tert., adv. Marc. IV, 40; Cyr. Hier., cat. XXII, 9; XXIII, 20; Aug., c. Adimant. XII, 3; enarr, in Ps. III, 1; — dicunt illud esse qualitates, permanentem naturae proprietatem, imo naturam sensibilem, aut manere quoad apparentias, quoad phenomena, quae distinguunt ab illo quod revera est : Cyr. H., cat. XXII, 4 sq. ; Greg. Nys., or. cat. 37; Cyr. Al., in Luc. XXII, 19; Gelas. (?), l. de 2 naturis in Christo, 14; — imo ex obiectiva eorum realitate arguunt contra quosdam Monophysitas : sicut manent accidentia, ita revera manet corpus Christi eiusque natura humana in incarnatione, quamvis aliqui hac in re excesserint, verbotenus saltem admittentes permanentiam substantiae panis et vini.

2° *Ex verbis institutionis.* Ut vera sit propositio : hoc est corpus meum, requiritur ut invariata maneat formalis significatio subiecti : hoc, licet res demonstrata mutetur ; hoc autem significat id quod est sub his accidentibus. Atqui si transirent accidentia sub quibus designatur res demonstrata, non invariata remaneret significatio subiecti. Ergo accidentia manent.— A. v : ut *hoc* sit corpus meum, hoc debet manere.

3° *Ratione :* a) Eucharistia per species est signum sensibile et visibile ; illae species dicuntur frangi, separari, circumferri, corrumpi. Atqui sensu obvio haec omnes intelligunt de re aliqua obiectiva sensibili, non autem de modificatione in nostris sensibus vel obiectis circumpositis.

b) Deus nequit esse auctor deceptionis. Atqui si desinente pane, procuraret *constanter* et *universaliter* apparentiam obiecti non existentis, deciperet ; si autem accidentia remanent, nulla est deceptio in sensibus, quia accidens quod est obiectum proprium sensus manet, intellectus vero cuius obiectum proprium est substantia, per fidem a deceptione praeservatur.

c) Imo permanentia specierum videtur esse conditio essentialiter requisita ut Christus sit realiter praesens. Nulla enim substantia est alicubi praesens ut contenta sub determinatis dimensionibus, nisi per relationem ad reales dimensiones et spatium ; unde etiamsi panis convertatur in corpus Christi, hoc non fieret praesens ubi est panis, nisi quatenus dimensiones panis, quae in spatio continebant substantiam panis, *remaneant* et iam determinentur ad continendum Christi corpus, quod ideo cum ipsis et spatio relationem habet.

Aliis verbis : in accidentibus est realis relatio continentiae quae terminabatur ad substantiam panis ; per conversionem in corpus Christi terminus huius relationis non est amplius panis sed corpus Christi, quod proinde *sine ulla sui mutatione* fit praesens sub speciebus.

248. Animadversio.— Accidentia remanere, rationabiliter per divinam providentiam fit : 1° quia non est consuetum hominibus sed horribile carnem hominis comedere et sanguinem bibere ; 2° ne hoc sacramentum ab infidelibus irrideretur si sub specie propria Dominum manducaremus ; 3° ut dum invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei (a. 5).

QUAESTIO SECUNDA.

DE MODO QUO CHRISTUS EST PRAESENS.

S. Th. III, q. 76 et q. 81, a. 3 et 4.

249. *Thesis I.* **In Eucharistia totus Christus praesens est sub unaquaque specie.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 13, c. 3, can. 3.

Probatur : 1° *Ex Scripturis.* Ioh. VI, 58 dixit Christus : Qui manducat *me* et ipse vivet propter me. Verbum : *me* significat totum Christum ; ergo totus sumitur ac proinde praesens est sub specie panis, sub qua sola manducatur. Unde Ap. ad Cor. XI, 27, dicit reum esse corporis *et* sanguinis Domini, illum qui manducaverit panem consecratum *vel* biberit calicem Domini.

2° *Ex Traditione* quae constat ex Liturgiis, Patribus, et Conciliis Flor., Const[1], sess. 8, art. 17, et Trid., l. c.

Liturgiae et Patres dicunt in sacramento esse Christum *vivum, integrum, ut in coelis est, Deum*. Praxis est adorandi etiam unam speciem, in qua proinde saltem adest quoque divinitas ; item praxis est communicandi sub una specie, in qua proinde Christus est totus, nam dicitur *Christus* manducari.

3° *Ratione :* a) Quod alicubi *continetur*, ibi est totaliter cum omnibus quae, tamquam partes hic et nunc inseparabiles, ipsi uniuntur in unitate individui, secus enim a seipso esset divisus ; ergo totus Christus est praesens sub unaquaque specie.

b) Absurdum foret quod corpus Christi gloriosum esset alicubi mutilatum vel sine sanguine aut anima ; nam « Christus resurgens ex mortuis iam non moritur » Rom. VI, 9.

250. *Thesis II.* **In Eucharistia sub speciebus, aliud continetur per se i. e. vi sacramenti seu vi verborum consecrationis, aliud per accidens seu per realem concomitantiam.** — Est doctrina communis et *certa*, etiam a Conciliis consecrata, Flor., et Trid., sess. 13, c. 3.

Probatur : Verba per se efficiunt quod formaliter significant : efficiunt enim in quantum significant ; ergo vi sacramenti seu vi verborum fit praesens id quod significant scil. corpus et sanguis Christi.E contra per concomitantiam adest quod de facto alteri realiter unitur ; ergo per concomitantiam naturalem aut supernaturalem in sacramento praesens est quidquid naturaliter vel supernaturaliter corpori aut sanguini Christi est unitum.

Itaque : 1° *Vi verborum et per se* continetur id ad quod directe et per se terminatur conversio quae fit virtute verborum, seu in quod convertitur panis et vinum, scil. sola substantia corporis sub specie panis, et sola substantia sanguinis sub specie vini. Quod enim sub specie panis per verba : *Hoc est corpus meum* contineri significatur, est substantia corporis Christi, praescindendo a sua propria specie connaturali et ab accidentibus, a sanguine, ab anima, et a divinitate.

Nam corpus meum significat solam *substantiam* quae habet esse corporis, abstrahendo ab omni alio esse addito substantiali vel accidentali, abstrahendo an illud esse recipiat ab anima vel ab alia forma, abstrahendo ab hoc quod adhuc sit Filio Dei et divinitati unitum vel non ; cum non sit essentiale corpori quod taliter vel taliter se habeat. — Simili modo argumentari potest pro specie vini.

2° *Per accidens et naturalem concomitantiam* adest illud quod de facto cum termino conversionis naturaliter unitur ; cum corpore autem naturaliter unitur sanguis et cum sanguine corpus, et cum utroque anima et omnia accidentia propria.

3° *Per accidens et supernaturalem concomitantiam* sub utraque specie adest divinitas Filii propter indissolubilem cum corpore, sanguine et anima Christi unionem hypostaticam (Conc. Trid., sess. 13, c. 3).

Per circuminsessionem etiam praesentes ibi sunt Pater et Spiritus sanctus, ubi est Filius ; sed quia non sunt uniti corpori et sanguini, proprie non sunt ibi per concomitantiam.

Hinc a) nunc adest corpus, sanguis, anima, et quidem in statu glorioso, sub unaquaque specie : in Christo enim immortali haec omnia inseparabiliter uniuntur ;

b) in ultima coena non fuerunt sanguis et anima a corpore separata : aderat enim corpus vivum, sed adhuc passibile, mortale, non gloriosum ;

c) si in triduo mortis Christi facta fuisset consecratio, solum corpus fuisset sub specie panis, solus sanguis sub specie vini, anima nullibi, divinitas sub utraque specie, quia quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit ;

d) si autem sacramentum conservatum fuisset, mortuo Christo, cessasset praesentia sanguinis et animae sub specie panis, corporis et animae sub specie vini, quia non amplius fuissent vere unita ; — resuscitato Christo rursus accessissent in statu glorioso.

251. *Thesis III.* **Totus Christus existit sub tota specie, et totus sub singulis eius partibus post earum separationem ; — imo etiam iam ante separationem.** — Primum est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 13, can. 3 ; alterum est *theologice certum* ex eodem Conc., sess. 13, c. 3 et ex universali theologorum consensu.

Probatur 1ª pars : a) Ex universali praxi Ecclesiae, frangendi hostiam consecratam et distribuendi particulas tam panis quam vini consecrati.

b) Apostoli ex uno calice biberunt (Mc. XIV, 23). Atqui unusquisque bibendo totum Christum sumpsit. Ergo totus Christus est praesens sub singulis partibus, facta separatione.

Probatur 2ª pars : Praesentia Christi non efficitur divisione partium sed consecratione. Ergo si totus Christus praesens est sub singulis partibus divisis, iam praesens est totus ante divisionem.

Utraque pars etiam constat ex modo quo Christus est praesens, quae est praesentia per modum substantiae, ut declarabitur nº seq.

Non tamen in una hostia pluries existit ante divisionem, sed semel tantum. Etenim Christus non est in sacramento pluries quia ipse multiplicatur, sed quia, unus cum sit, pluribus speciebus continetur. Sed quamdiu hostia est indivisa, unum est continens. Unde ante divisionem non nisi semel adest Christus, post divisionem tot sunt praesentiae quot partes sacramenti.

252. Christus sub speciebus non est praesens per modum quantitatis sed per modum substantiae. — Cum totus Christus sit praesens in sacramento, sequitur ipsum adesse cum tota sua quantitate seu extensione, cum suo organismo et omnibus potentiis corporis, imo cum perceptionibus, operationibus et passionibus quas in coelo habet ; secus enim a seipso divideretur. Attamen non est praesens modo extenso seu *per modum quantitatis*, sicut est in coelo, nam partes suas non extendit ad partes spatii ita ut una pars corporis correspondeat uni, et altera alteri parti spatii. Etenim :

1° *Non extenditur per extensionem specierum panis et vini.* Per transsubstantiationem quidem species continent corpus et sanguinem Christi sed non ipsi insunt, in ipso non resident nec ipsum afficiunt, unde ipsi non communicant suam extensionem. Ceterum impossibile est quod Christus, homo adultae aetatis, habeat extensionem non maiorem parva hostia.

2° *Neque extenditur ad spatium per extensionem propriam* Omnis enim substantia etiam corporea *per se ipsam* non est extensa, sed indivisibilis ; habet dimensiones i. e. plures partes, et unam extra aliam, atque fit extensa *per quantitatem dimensivam.* Substantia tota praesens est in qualibet sua parte, sed ratione suae quantitatis seu extensionis continetur in uno loco ubi extenduntur suae dimensiones : hae enim natae sunt occupare locum et determinatum situm.

In Eucharistia vero *per se* est *sola substantia* corporis et sanguinis Christi, ad quam terminatur conversio ; unde Christus non est praesens ratione extensionis seu quantitatis ; sed e contra extensio et alia accidentia Christi praesentia sunt per concomitantiam et ratione substantiae, unde *praesentia sunt per modum substantiae i. e. eo modo quo praesens est substantia.* Ergo Christus est totus in tota specie panis et vini et totus in qualibet sua parte.

Itaque : dum ordinario substantia corporea sit alicubi in loco ratione suae extensionis, hic e contra extensio alicubi est ratione substantiae.

253. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

1° Christum non aliquid pati a rebus circumstantibus nec in eas corporaliter operari, quia non adest extenso modo, qui modus est conditio sine qua non ad motum seu actionem corporalem [1].

2° Corpus Christi in sacramento non moveri per se, quia nullam actionem seu motum recipere potest ; sed mere per accidens quatenus, motis speciebus quibus unitur, cessat esse ubi fuerunt et incipit ubi nunc sunt.

3° Oculum corporeum non posse videre Christum in Eucharistia, quia non adest modo extenso. Unde nec ipse Christus videt alios circumstantes nec audit loquentes, licet haec omnia et visione beatifica et scientia sua infusa, speciali titulo suae in Eucharistia sacramentalis praesentiae, cognoscat.

Sed nec intellectus creatus viribus propriis cognoscere potest praesentiam Christi, quia supernaturalia excedunt suam capacitatem, bene tamen illam cognoscere potest visione beatifica.

4° Corpus Christi non esse in parva hostia per quamdam condensationem vel partium compenetrationem.

5° Corpus Christi in sacramento non esse *localiter* i. e. extendendo partes suas ad spatium, aut *circumscriptive* quatenus limitibus loci continentis circumscriberetur et mensuraretur ; neque *definitive,* quia praesentia sua non limitatur ad unum locum, cum possit esse in aliis ; nec *per modum spiritus* qui est in loco quia operatur in corpora : licet enim corpus Christi totum sit in qualibet parte specierum, nihil tamen in ipsas operatur.

254. Animadversio. — De apparitionibus Christi in sacramento, ait S. Thomas, q. 76, a. 8 : « Dupliciter contingit talis apparitio, qua quandoque in hoc sacramento miraculose videtur caro, aut sanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte sacramenti. Et hoc quidem videtur contingere quando uni videtur sub specie carnis vel pueri, aliis tamen videtur, sicut et prius, sub specie panis ; vel quando eidem ad horam videtur sub specie carnis vel pueri, et postmodum sub specie panis... Et quia per hunc modum nulla immutatio fit ex parte sacramenti, manifestum est quod non desinit Christus esse sub hoc sacramento, tali apparitione facta.

1. Hinc nullatenus admittenda singularis sententia Cienfuegos, qui tenet Christum e sacramento exercere actiones vitae sensitivae, ac videre et audire adstantes. Id est contra modum praesentiae sacramentalis.

Quandoque vero contingit talis apparitio non per solam immutationem videntium, sed specie quae videtur realiter exterius existente, et hoc quidem videtur esse quando sub tali specie ab omnibus videtur, et non ad horam, sed per longum tempus ita permanet ; in hoc casu quidam dicunt quod est propria species corporis Christi... Sed hoc videtur esse inconveniens..., quia corpus Christi non potest in propria specie videri nisi in uno loco, in quo definitive continetur. Unde cum videatur in propria specie, et adoretur in coelis, sub propria specie non videtur in hoc sacramento... Et ideo dicendum est quod manentibus dimensionibus quae prius fuerant, fit miraculose quaedam immutatio circa alia accidentia, puta figuram et colorem, et alia huiusmodi, ut videatur caro, vel sanguis, aut etiam puer... Et sic patet quod, remanentibus dimensionibus, quae sunt fundamenta aliorum accidentium..., remanet vere corpus Christi ».

QUAESTIO TERTIA.

DE SPECIEBUS SUB QUIBUS CHRISTUS EST PRAESENS.

S. Th. III, q. 77.

255. *Principium I.* **In sacramento Eucharistiae accidentia panis et vini collective sumpta remanent sine subiecto.**— Non enim sunt in pane, aut vino, quia desinit ; — nec in Christo : homini enim talia accidentia non conveniunt et Christus gloriosus non mutatur aut alteratur ; — nec in circumstantibus : accidentia enim non transeunt de subiecto in subiectum.

Si autem *comparantur ad invicem,* sola quantitas dimensiva seu extensio proprie subsistit sine subiecto, et cetera in ipsa ut in subiecto manent : experientia enim constat omnia accidentia corporis esse extensa, quod esse nequit nisi in quantitate extensiva resideant.

256. *Principium II.* **Deus supplet causalitatem subiecti seu substantiae respectu accidentium :** non quidem ut causa materialis cui accidentia insunt, sed ut causa efficiens, quatenus sublato influxu subiecti quod est substantia, conservat nihilominus accidentia sub proprio suo esse.

Quod non est impossibile, quia essentia accidentis non est id quod est in alio seu quod substantiae inhaeret, sed id cui competit ex natura sua esse in alio, seu quod habet aptitudinem et exigentiam inhaerendi alteri. Sicut autem substantia quae exigit ex natura sua ut sit per se, supernaturaliter potest non esse per se, uti patet ex mysterio incarnationis ; ita supernaturaliter potest aliquod accidens non esse in alio. Quod tamen impossibile est pro his accidentibus quae essentialiter sunt modificationes seu modi essendi alicuius subiecti, uti habitus, gratia, sanitas, actio, motus, relatio, etc.

257. *Principium III.* **Consequenter ad suam conservationem miraculosam, accidentia omnem actionem agere possunt quam agerent existente pane et vino.** — Agere enim sequitur esse ; unde si ipsis detur esse sine substantia, datur et agere. Similiter pati possunt quidquid paterentur existente pane aut vino ; unde viribus naturae possunt corrumpi ab agente naturali.

Corruptis speciebus, idem ex iis generatur ac ex ipsorum substantia fieret ; quod constat experientia, v. g. phenomeno nutritionis. Hoc non fit ex substantia per conversionem corporis Christi, quod est impassibile, nec attingi valet ab agente naturali ; quodsi converteretur in aliud, amplius non esset. Fit autem actione divinae omnipotentiae ministrante materiam absentem, non quidem per novum miraculum sed vi miraculi praecedentis : cum enim accidentia panis et vini possunt pati sicut substantia, si in ipsis producuntur dispositiones quae aliam substantiam exigunt, materia huius substantiae, quae deest, a Deo fieri debet : vel illam creando, ut quidam dicunt, vel melius, ut alii: convertendo quantitatem specierum remanentem in hanc materiam.

258. *Principium IV.* **Speciebus ita corruptis ut ipsa substantia panis et vini secundum communem aestimationem corrumperetur, cessat praesentia Christi.** — Tunc enim verbum *hoc* non retinet suam significationem, nec manent species quae sunt signum sensibile a Christo institutum.

Non cessat praesentia Christi conversione, ut dictum est n. praec. ; nec abductione vel annihilatione ; sed desinit quia cessat habitudo sui corporis et sanguinis ad species : cessante enim continente, etiam cessat contentum contineri. Desinit tamen absque ulla sui mutatione, sicut Deus desinit esse dominus creaturae cessantis.

259. **Corollaria.** — Desinit Christus non tantum si species stricto sensu corrumpantur ; sed etiam

a) si species dividantur in partes tam parvas ut non sint amplius sensibiles ;

b) vel non amplius sint panis et vinum ;

c) item si vino consecrato infundatur alius liquor quo vinum chemice substantialiter immutetur, ad quod aliquando parva quantitas potest sufficere ;

d) pariter si vino misceatur alius liquor in tam notabili quantitate ut diffundatur per totum et non amplius censeatur vinum ;

e) imo probabilius, si in tanta quantitate vinum addatur vino consecrato. Plures in hoc casu, cum quadam probabilitate censent manere consecratum, praesertim si addatur vinum eiusdem speciei, quia manent species quae sunt signum sensibile sacramenti,unde consultum est ut sacerdotes in secunda ablutione plus aquae sumant quam vini ; — verius tamen negat S. Thomas : licet enim maneant species vini, non tamen est hoc idem numero vinum, saltem secundum communem aestimationem.

Notetur sub liquore aut vino addito certissime Christum non fieri praesentem, quia illud non fuit consecratum.

260. Animadversiones practicae. — Permanentia specierum in homine pendet ab uniuscuiusque virtute digestiva quae est valde diversa. Unde apud aegrotos etiam permanent post plures horas, vel etiam forte post diem. Pro sanis quidam dixerunt eas citissime corrumpi, nisi forsan stomachus plenus sit cibis ; communius aestimant post quadrantem esse corruptas ; alii tamen ad *plenam* corruptionem exigunt dimidiam horam, qui magis loquuntur scientifice quam secundum aestimationem hominum [1]. Hinc *in praxi :*

1° Hostiae non sint nimis tenues ne citius corrumpantur.

2° Convenit, propter reverentiam erga sacramentum, ut communicantes saltem per quadrantem horae instituant gratiarum actionem et a rebus saecularibus abstineant.

3° Item ne manducent ; quodsi fieret sine ulla ratione, facile aderit levis quaedam irreverentia.

4° Qui sacram recepit communionem, intra aliquot horas a sumpto sacramento non potest, ob quamdam stomachi infirmitatem, se ad vomitum provocare aut stomachum lavare, quia ob infirmitatem adest periculum species nondum esse corruptas. Ita quamdiu probabilis sit permanentia specierum.

5° In casu vomitus, valet praescriptum Missalis romani, tit. 10, de def., n. 14 : « Si species integrae appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat ; tunc enim species consecratae caute separentur et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium proiiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur ».

6° In actu expuendi tamen nullum est periculum irreverentiae, quia sputa proveniunt ex via respirationis, non ex stomacho ; at cautum est ab hoc abstinere quodam tempore, ne forte aliquod fragmentum dentibus seu faucibus adhaeserit et reiiciatur.

1. Dicitur qualitates chemicas diutius permanere. At aliquid forsan chemice potest esse panis, licet non amplius sit secundum aestimationem hominum, quia iam desunt qualitates sensibiles physicae.

7° Tussis, etiamsi frequentior sit et multa simul sputa exsecrentur, communionem non impedit, quia sputa quae tussiendo expelluntur, non e stomacho et oesophago, sed a pulmonibus et bronchis proveniunt. Tunc solum, si vehementissima tussi aeger subito tentaretur, periculum esset ne, ipso tussis impetu, vel vomitu qui tussiendo excitaretur, hostia sacra reiiceretur.

TERTIA PARS.

DE EFFECTIBUS QUI SUNT RES SACRAMENTI.

QUAESTIO PRIMA.

DE IPSIS SACRAMENTI EFFECTIBUS.

S. Th. III, q. 79 ; in IV Sent., d. 12, q. 2, a. 1 et 2.

261. *Principium I.* **Effectus proprius et primarius Eucharistiae est gratia gratum faciens quatenus est adunatio hominis ad Christum et transformatio in Christum per charitatem** [1]. — *Certum* est ex Conc. Flor., decr. pro Armenis, et annuntiatur a Christo, Ioh. VI, 48-59.

Si enim character, qui est participatio sacerdotii Christi, a Deo gratiam exigit, etiam repraesentatio passionis Christi,et praesertim multo magis praesentia ipsius auctoris gratiae. Haec tamen gratia Eucharistiae differt ab illa quae datur in aliis sacramentis :

1° Gratia et charitas datur vel augetur per omnia sacramenta, sed quasi propter aliud et ad finem peculiarem a charitate distinctum : ita in Confirmatione ad resistendum exterioribus impugnationibus fidei ipsam confitendo ; Eucharistia autem ordinatur per se primo et directe ad nutriendam charitatem ut ad proprium finem, seu propter solam charitatis perfectionem quae consistit in unione cum Deo : « ad hoc quod homo in se perfectus existat per coniunctionem ad Deum », ait S. Thomas, a. 1, ad 1.

2° Hinc gratia sacramentalis directe charitatem fovet ; unde praebet homini speciale auxilium contra inordinatum amorem sui : nihil enim directius opponitur charitati Dei et proximi quam egoismus, quo quis omnia refert ad propriam personam ut ad finem.

3° Non tantum datur charitas quoad habitum, sed etiam excitatur quoad actum : exercitium charitatis Scholastici vocant eius *fervorem* (ad 2 et a. 4).

1. De tota hac quaestione conferri possunt articuli quos conscripsimus in *Revue Eccl. de Liége*, 1906-1909 : *Les Fruits de la S. Communion.*

Probatur : 1° *Ex verbis Christi,* Ioh. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem... in me manet et ego in eo.* Atqui manere in altero et habere alterum manentem in se est locutio quae significat amorem perfectum, quo amans secundum affectum unitur amato et in ipsum transformatur, iuxta illud I Ioh. IV, 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.* Ergo.

2° *Ex traditione* quae constat ex Patribus et ex Conciliis Flor., l. c. et Trid., sess. 13, c. 2.

Patres « describunt unionem sacramentalem cum Christo ut causam unionis cum ipso capite et inter nos invicem;— describunt vitam derivatam a carne Christi, quae est caro Verbi, et ideo caro vitae et ipsa vivifica ; — describunt derivata a corpore et sanguine Christi dona gratiarum, quibus haec vita constat, eamque declarant velut transmutationem nostri in ipsum Christum [1] ».

3° *Ratione :* Proprius effectus uniuscuiusque sacramenti sumi debet ex similitudine cum effectu corporali signi sacramentalis. Atqui effectus panis et vini est corporalis refectio per assimilationem physicam. Ergo effectus proprius Eucharistiae est refectio animae per unionem spiritualem cum Christo; haec autem unio est per charitatem. Sed cibus non tantum reficit habitualiter sed etiam actu restaurat. Ergo Eucharistia nutrit charitatem et habitu et actu.

Est autem differentia, quia cibus corporalis convertitur et transformatur in substantiam nostram, sed spiritualis cibus non convertitur in manducantem sed eum ad se convertit. Unde proprius effectus huius sacramenti est conversio et transformatio hominis in Christum, ut dicat cum Apostolo : *Vivo ego, non iam ego, vivit vero in me Christus.*

Transformatio fit per charitatem. Amor affective unit amantes. Amatus manet in amante, quatenus impressus in mente per cogitationem et in affectu per complacentiam, unde amans illum habet ut unum sibi et alterum se, atque tam vult vel agit pro amato sicut pro seipso. Vicissim amans manet in amato, quatenus adhaeret ipsi quasi unum cum ipso, et reputat bona eius et mala ut sua, et voluntatem eius ut suam, atque cogitat, vult, desiderat et agit sicut ipse, factus quasi idem amato. Unde transformatur in amatum [2].

Ita in communione eucharistica, per charitatem unimur Christo. Christus manet in nobis quatenus ipsi bonum volumus et agimus propter Christum sicut, imo plus quam, propter nos ; nos manemus in Christo quia eius voluntatem reputamus ut nostram atque volumus et agimus sicut ipse, effecti quasi alter Christus : ita transformamur in ipsum.

1. Ita Franzelin, o. c., th. XVII ; textus Patrum ibi referuntur in th. VIII.
2. Id explicatum fuit in tr. de Charitate.

262. *Principium II.* **Eucharistia generali modo ut effectus secundarios habet quantum ad vitam spiritualem, omnia quae cibus et potus materialis facit quantum ad vitam corporalem, scil. vitam spiritualem sustentat, auget, reparat et delectat.** — *Certum* est ex Conc. Flor. et Trid. l. c.

Effectus proprius et primarius sacramenti est ille qui primo significatur et immediate producitur a signo sacramentali ; secundarii sunt illi qui ex effectu primario derivantur. Sacramenta enim efficiunt quod figurant ; non autem significant directe nisi unum effectum, scil. proprium et primarium ; ergo omnia alia quae producunt derivantur ab hoc effectu primario. Ita Eucharistia non figurat nisi refectionem spiritualem, quae fit per unionem charitatis. Ergo omnes alii effectus quos producit derivantur ab effectu primario qui est unio charitatis.

Probatur : Eucharistia est cibus spiritualis, et ideo producit quantum ad vitam spiritualem omnes effectus quos producit cibus corporalis quantum ad vitam corporalem. Atqui cibus corporalis primo unitur substantiae nostrae corporali et ab ea assimilatur, et ideo consequenter vitam nostram corporalem sustentat, auget, reparat et delectat. Ergo Eucharistia nos unit et transformat in cibum spiritualem, Christum, et ideo vitam nostram spiritualem sustentat, auget, reparat et delectat.

1° *Sustentat* i. e. dat gratiam ad perseverandum et praeservat a peccatis futuris. Quod facit excitando fervorem charitatis, et minuendo amorem proprium qui est causa omnium peccatorum, atque largiendo gratias actuales ad perseverandum (Ioh. VI, 50-54).

2° *Auget :* cum enim vita gratiae minui non possit, hinc Eucharistia quae nutrit, per se necessario eam auget.

3° *Reparat :* sicut cibus restaurat vires quotidie deperditas per actionem caloris naturalis, ita Eucharistia vires deperditas ex calore concupiscentiae per venialia peccata.

4° *Delectat :* gaudium enim est naturalis effectus *actus* charitatis, quae delectatur tum de perfectione ipsius Christi amati, tum de eius in nobis praesentia et per sacramentum et per gratiam. « Per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiae et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum sec. illud II Cor. V, 14 : *Charitas Christi urget nos.* Et inde est

quod ex virtute huius sacramenti anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima spiritualiter delectatur, et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinae, sec. illud Cant. V, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi* » (a. 1, ad 2). Unde canit Ecclesia : *Panem de coelo praestitisti eis, omne delectamentum in se habentem.*

263. *Principium III.* **Speciatim quoad peccata, Eucharistia per se non remittit peccata mortalia, sed venialia; a mortalibus tamen praeservat, et concupiscentiam ad peccandum inclinantem minuit.** Unde ait Conc. Trid., sess. 13, c. 2 : antidotum quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur.

1° *Eucharistia per se non remittit mortalia*, uti constat ex universali praxi Ecclesiae denegandi sacramentum et non admittendi peccatores publicos ante reconciliationem ; et ex doctrina communi Patrum et Theologorum, ac Conc. Trid., sess. 13, c. 2, can. 5, atque ex doctrina Apostoli et praecepto confitendi ante communionem (I Cor. XI, 27-28 ; C. Trid., c. 7, can. 11). Ceterum cibus ex natura sua vitam non dat sed auget.

Per accidens tamen producit gratiam primam, si peccator, bona fide putans se esse in statu gratiae, accedat et, saltem ante consumptionem specierum, contritionem imperfectam eliciat.

2° *Venialia quibus homo non adhaeret affectu, Eucharistia remittit directe.* Directe enim opponuntur effectui primario sacramenti scil. fervori charitatis. Unde illa remittit quatenus excitat ad tales actus charitatis qui saltem implicite et virtualiter includunt venialium displicentiam.

3° *A peccatis futuris praeservat*, tum mortalibus, tum venialibus quae disponunt ad mortale : a) *directe*, quia sustentat, auget, roborat vitam spiritualem ; b) *indirecte*, quia minuit causas peccati : exteriores, nam hoc sacramentum est signum passionis Christi, et ideo repellit impugnationes daemonis (a. 6) ; interiores, quia licet non directe, tamen indirecte minuit fomitem concupiscentiae « ex quadam consequentia in quantum auget charitatem » (ad 3), qua homo magis delectat de rebus coelestibus quam de mundanis (Zach. IX, 17).

264. *Principium IV.* **Quoad gloriam coelestem, Eucharistia speciali modo causat adeptionem gloriae estque pignus haereditatis coelestis et resurrectionis gloriosae.** — Ita Ioh. VI, 50, 52, 55 et 59 ; et Conc. Trid., sess. 13, c. 2.

Nam Eucharistia 1) *quoad animam* a) dat specialia auxilia ad perseverandum ; b) specialiter perficit unionem charitatis, quam unionem perficiendo praeparat ad perfectam unionem in coelo.

Etiam 2) *quoad corpus*, quia ex anima redundat effectus gratiae ad corpus : propter unionem nostram cum Christo per charitatem, nos ut seipsum, et ideo *carnem nostram velut suam considerat* in resurrectione conformandam. Ergo Eucharistia corpori dat incorruptionem et gloriam. Unde Christus : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die* (Ioh. VI, 55).

Hinc a Patribus dicitur *semen gloriae* et *pharmacum immortalitatis.*

265. Quomodo impediuntur fructus sacramenti ?— Augmentum gratiae habitualis non impeditur defectu devotionis vel affectu ad peccata venialia, sed sola adhaesione ad peccatum mortale : hac enim absente non est obex ad gratiam, unde Conc. Trid., sess. 13, c. 7, non aliam dispositionem exigit ad vitandum sacrilegium, cum tamen communicare sine ullo fructu certe esset grave peccatum. — Peccata venialia praeterita et habitu tantum remanentia nullo modo impediunt effectum sacramenti, quia per ipsum tolluntur ; venialia virtualiter adhuc placentia vel actu exercita, et defectus devotionis et mentalis recollectionis etiam involuntarius, impediunt fervorem charitatis et spiritualem dulcedinem, quia hisce opponuntur, et minuunt augmentum gratiae habitualis, ita ut ille qui esset omnino tepidus, minimum augmenti reciperet (a. 8).

266. Corollaria. — 1. Duplex est unio cum Christo. a) Unio *materialis* per receptionem sacramenti : haec non est fructus, sed sola applicatio sacramenti facta homini, seu ipsa communio, quae haberi potest in peccatore. Praeter quam nulla alia unio physica concipi potest, cum corpus Christi in nostram substantiam converti non possit (n. 257), nec extra species sanguis eius per totum nostrum corpus diffundi, nec ipsae species ante corruptionem per totum corpus vadant. — b) Unio *spiritualis* per charitatem, quae est fructus primarius communionis. De hac sola agit Iohannes c. VI, nam v. 57 est parallelus cum v. 55, 58 et 59, unde agit de unione quae de se durat in perpetuum, ut omnes fatentur ; unio autem materialis cum Christo est tantum momentanea.

2. Eadem est ratio unionis cum Christo et cum membris eius. Cum ergo Eucharistia perfecte unit Christo per amorem, eo ipso perfecte unit aliis Christo unitis, secundum I Cor. X, 17 : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

3. Quidam theologi tenent Christum, *propter ipsum contactum physicum corporis nostri cum suo*, illud suo velle conformare ; unde concupiscentiam veneream in nobis quantum potest extinguit, et nobis est specialis titulus ad resurgendum in corpore glorioso. — At a) hi effectus non sunt nisi secundarii, unde nobis non proveniunt immediate ex ipso contactu physico, sed mediante effectu primario, charitate ; b) concupiscentia quae immediate per sacramenta minuitur est illa tantum quae oppo-

nitur ipsorum fini, unde in Eucharistia est solus amor sui ; concupiscentiam autem veneream, sicut quamcumque aliam, minuit mediate, quo stante verum manet usum frequentem Eucharistiae optimum esse remedium contra luxuriam, et fovere virginitatem. c) Christus vult carnem nostram conformare suae in resurrectione, quia per charitatem fit primogenitus inter fratres; unde Eucharistia hunc effectum producit mediante charitate; ceterum non relinquit in nobis specialem titulum exigitivum gloriae, quia res et sacramentum non est in homine suscipiente, sed in speciebus panis et vini.

267. Animadversiones. — 1. Sacramentum Eucharistiae *poenas temporales* non remittit directe : sacramentum enim vi sua et directe non tollit nisi id quod opponitur ipsius fini ; sed Eucharistia non est instituta ad satisfaciendum sed ad nutriendam charitatem ; reatus autem poenae temporalis nec charitati nec eius fervori opponitur. Remittit tamen concomitanter, excitando ad actus charitatis, qui possunt esse satisfactorii secundum mensuram devotionis operantis.

Licet Eucharistia ut sacramentum non remittat directe poenas, *ut sacrificium* habet tamen vim satisfactivam (a. 5).

2. Eucharistia, *ut sacramentum*, ex opere operato non prodest aliis quam sumentibus, quia cibus non prodest nisi sumenti. Et tamen recte sumitur : 1° pro animabus purgatorii, quia communioni adnecti potest indulgentia ipsis applicabilis ; imo 2° pro ipsis et pro vivis : a) communio enim est excellens actus religionis, unde potest esse satisfactoria coram Deo ex opere operantis et potest prodesse aliis per modum suffragii ; b) excitat charitatem, et sic reddit nos aptiores ad impetrandum pro aliis (a. 7).

Aliis tamen qui non sumunt prodest *per modum sacrificii*, in quantum pro salute eorum offertur.

QUAESTIO SECUNDA.

DE USU SEU SUMPTIONE SACRAMENTI AD EFFECTUS OBTINENDOS.

S. Th. III, q. 80.

268. Usus seu sumptio Eucharistiae est eius manducatio et potatio, quae non est *completa* dum cibus vel potus est in ore, sed solum quando traiicitur ex ore in stomachum, vel, secundum alios, illuc pervenit.

Unde 1) qui species in ore tenet ibi dissolvendas, aut eas statim ex ore eiicit, non manducat nec communicat, nec fructus sacramenti percipit.

2) E contra qui eas deglutit et postea evomit.

3) Qui modo artificioso per fistulam stomacho vel ventri appositam, sacramentum transfunderet quod modo naturali non potest sumere, non videtur communicare quia, licet sacramentum nutrire posset, non tamen per modum manducationis sumeretur, saltem secundum aestimationem hominum ; ceteroquin modus iudicatur non expedire (S. Off., 27 ian. 1886 ; 27 nov. 1919).

4) E contra qui modo naturali illud sumeret in ore sed per oesophagum artificialem in stomachum traiiceret.

In ipso actu manducationis, quando scil. sumptio est *completa*, sacramentum causat *gratiam habitualem* in illis qui non ponunt obicem; si obex adsit et postea removeatur, valde probabile est tunc conferri gratiam, dummodo species non sint consumptae. Sed semel data, non videtur amplius augeri vi sacramenti, quia manducatio est finita ; *fervorem charitatis* tamen, nascente vel crescente nostra dispositione, probabiliter causat vel auget sacramentum toto tempore quo manet in nobis, sicut cibus, quamdiu adest, actu reficit et confortat.

Hinc non est carpenda sacerdotis devotio, qui multum vini sumit ad consecrationem ut diutius sacramentum in ipso perseveret ; attamen Innocentius XI damnavit abusum (S. C. C., 12 febr. 1679) tradendi communicantibus plures particulas simul vel solito grandiores, si fieret ad insanam quamdam devotionem fovendam.

269. Triplici modo sacramentum Eucharistiae sumi potest secundum Conc. Trid., sess. 13, c. 8, conformiter ad doctrinam S. Thomae, a. 1 :

1) *sacramentaliter tantum*, quando sumitur realiter et valide sed absque fructu gratiae propter obicem : tunc sumitur id quod est *res et sacramentum;*

2) *spiritualiter tantum*, quando *a iusto* sumitur solo affectu et desiderio, ex quo aliquis sacramenti fructus proveniat ex opere operantis : tunc sumitur sola *res* sacramenti;

3) *sacramentaliter et spiritualiter simul*, quando sacramentum realiter sumitur cum fructu ex opere operato : tunc sumitur *res et sacramentum* simul et *res*.

Si sacramentum reciperetur *invalide*, v.g. ab adulto non baptizato, vel inscio, aut ab animali, esset manducatio *materialis tantum*, non autem sacramentalis nec spiritualis

Dicendum venit de dispositionibus tum animae tum corporis requisitis ad communionem, et de eius frequentia ac necessitate.

Articulus I.

De Dispositionibus Animae.

S. Th. III, q. 80, a. 2-6 et 9.

270. Subiectum capax communionis est omnis et solus homo viator baptizatus, qui solus est subiectum Eucharistiae proportionatum, quia solus est capax eius effectuum. Angeli non habent corpus; ceterum beati modo perfectiore et eminentiore uniuntur Christo per visionem beatificam et per charitatem perfectam ; quibus non competit recipere in signo, quia non habent fidem sed manifestam visionem.

In adultis *ad validitatem* requiritur *intentio*, quae pro viatico sufficit habitualis et implicita : qui enim vult christiane vivere, implicite vult non mori sine sacramentis ; — *ad dignam et fructuosam* receptionem non sufficit sola fides (C. Trid., sess. 13, can. 11), sed tres requiruntur dispositiones animae ; duae remotae : a) probatio status gratiae, et b) sufficiens discretio, atque una proxima : c) magna devotio et reverentia.

271. Requiritur imprimis sub gravi probatio status gratiae. — Consistit in eo quod aliquis prudenti existimatione non sit conscius mortalis peccati ; vel si conscius sit, praemittat confessionem sacramentalem, quantumvis sibi contritus videatur.

Probatio requiritur ex iure naturali et divino (I Cor. XI, 28), quia Eucharistia est sacramentum vivorum ; non autem probatio per confessionem, quia sine ipsa, sola contritione perfecta, reverentiae sacramenti consuli posset. *Confessio* autem praecipitur ex iure ecclesiastico, et introducta fuit antiqua consuetudine declarante talem probationem esse necessariam, quam servandam decrevit Trid. sess. 13, c. 7, quamque confirmavit Codex iuris (can. 856 et 807).

Dicitur : 1° *non sit conscius mortalis peccati;* unde a) dubitans, sive negative sive positive, utrum mortaliter peccaverit, confiteri non tenetur : ipse enim non habet conscientiam i. e. certam scientiam ; b) negative dubitans an peccatum fuerit rite confessus, i. e. nullam solidam rationem habens id credendi, ad confessionem tenetur ; positive i. e. propter gravem rationem dubitans, *probabiliter* non tenetur, quia non est amplius peccati conscius ;

2° *si conscius sit, praemittat confessionem;* unde si quis confessus fuerit et sine gravi culpa peccatum mortale omiserit, praecepto iam satisfecit, quia per confessionem eius status gratiae fuit probatus.

Hisce tamen casibus consulenda est confessio ; non autem scrupulosis.

272. Absque praevia confessione communicare vel celebrare est licitum : quando *simul* necessitas urget et deest copia confessarii.

A. *Necessitas requiritur gravis,* quia etiam grave est non exequi praeceptum magni momenti in tam gravi materia ; unde *per se* non sufficeret celebritas festi, onus missae dicendae ex beneficio, magna devotio, indulgentia lucranda, sacerdotis paupertas nisi esset omnino gravis.

Communiter inter necessitates excusantes recensentur :

1° *Periculum mortis* sive ipsius communicaturi (si sit sacerdos ipse, vel laicus praesente sacerdote qui nescit loqui), sive alterius (ut consecretur hostia pro ipso).

2° *Officium implendum* ex quo sequitur magna utilitas plurium, ut si parochus vel alius sacerdos teneatur celebrare v.g. ut populus die festo audiat missam, et desit alius ; non autem, ut videtur, pro utilitate unius, ut si pro laico urgeat praeceptum communionis annuae vel paschalis, quia potest differri.

Certo tamen non posset sacerdos celebrare ut ipse valeat audire missam, quia non est necessitas : nullus enim sacerdos tenetur celebrare ut missam audiat.

3° *Fundatum periculum infamiae vel scandali,* quod oriretur ex omissione sacri (v. g. in celebrandis funeribus vel benedicendis nuptiis) vel communionis (v. g. si quis in scamno communionis peccati recordetur nec sine infamia recedere possit).

4° *Integritas sacrificii,* quando non adsit alius ad illud perficiendum, aut si celebrans post consecrationem peccati recordaretur vel reus fieret.

Quodsi fiat ante consecrationem, *per se* confiteri vel sacrificium abrumpere debet ; *in praxi* tamen fere semper timeri potest infamia vel scandalum.

5° *Periculum profanationis,* v. g. in subita irruptione eorum qui hostias profanabunt.

In hisce casibus tamen praecipitur actus contritionis perfectae cum morali diligentia eliciendus, nisi tempus desit, uti accidere potest dum quis sedens ad mensam communionis peccati recordatur, vel dum hostes irruptionem faciunt ; quo ultimo casu non sumatur hostia sacramentaliter ex intentione communicandi, sed mere materialiter ad illam in corpore abscondendam.

B. *Deest copia confessarii*, non quidem si absit ille cui soles vel cupis confiteri, vel si non adsit nisi familiaris, cui solum cum magna erubescentia confiteri possis, sed si confessio institui nequeat, aut non sine magno incommodo ipsi *extrinseco*.

Ita : 1° Si nullus sit praesens sacerdos approbatus cum iurisdictione, ad absentem vero ire nequeas sine magna difficultate, quae aestimanda est, spectatis debilitate, aetate, negotiis sacerdotis, et circumstantiis aëris, distantiae, brevioris temporis, conditionum itineris, etc.

2° Si praesens nolit vel non possit audire confessionem, v. g. surdus, complex, ignarus linguae, censura ligatus.

3° Si ex confessione timeas grave incommodum *confessioni extrinsecum* excusans ab eius integritate materiali, uti sunt fractio sigilli, infamia complicis, infamia propria apud tertium, graves inimicitiae, gravis provocatio ad malum.

Non sufficit magna confusio subeunda aut infamia apud confessarium, quia est incommodum intrinsecum confessioni. Pauci recentiores tamen censent, ex epichia, verecundiam extraordinariam et vere invincibilem esse incommodum extrinsecum, ut si soror apud fratrem, pater apud filium deberet confiteri peccatum valde probrosum. Sed ita nunquam fuit declaratum decursu tot saeculorum, ideoque solum ultimo tempore pauci illi auctores legem bene intellexissent ! Ceterum pro hac exceptione nullum afferunt positivum fundamentum ; ea autem admissa, facile occasio esset multiplicandi casus, et ita periculum legem eludendi.

273. Celebrantibus absque praevia confessione specialiter praeceptum est confitendi quamprimum. — Conc. Tridentinum imponit sacerdotibus peccati consciis, qui cum vel sine contritione ex *necessitate urgente* absque praevia confessione celebrarunt, ut quamprimum confiterentur (sess. 13, c. 7) ; et hoc confirmatur Codice iuris, can. 807. Quod non est consilium sed strictum praeceptum, uti patet ex prop. 38 ab Alex. VII damnata [1].

Cum sit lex ecclesiastica, est stricte interpretanda ; unde non applicatur laicis, nec sacerdotibus solum communicantibus, nec illis qui ita celebrarunt ex mera malitia, i. e. sine necessitate aut dum copia eis fuerit confessarii, nec illis qui post missam inceptam peccati recordarentur vel rei fierent, uti indicant verba : absque *praevia* confessione.

Porro illud *quamprimum* non significat : cum sacerdos suo tempore confitebitur, uti patet ex prop. 39 damnata [1], sed moraliter statim, quod ordinarie explicant infra tres dies : quod enim intra triduum fit, in iure dicitur fieri statim. Non potest tamen talis sacerdos iterum celebrare antequam sit confessus, nisi necessitas et simul defectus confessarii perseverent. Quodsi confessarius moraliter praesens sit profecturus et praevideatur alius defecturus, esset confitendum sine mora.

1. « Mandatum Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum ».

274. Communicare cum conscientia peccati est peccatum sacrilegii valde grave. — Apostolus enim, ad cuius modum loquuntur Patres, dicit reum corporis et sanguinis Domini iudicium sibi manducare et bibere (I Cor. XI, 27-29), quod confirmat Trid., sess. 13, can. 11, c. 7. Et sane : Qui impedit effectum principalem sacramenti notabiliter peccat, quia quantum potest reddit significationem eius falsam ; quod est contra reverentiam debitam sacramento et eius institutori Christo ; unde est sacrilegium.

« Quicumque, ait S. Thomas, a. 4, hoc sacramentum sumit significat se esse Christo unitum, quod fit per charitatem, quam nullus habet cum peccato mortali ; et ideo ille qui cum peccato sumit, falsitatem in hoc sacramento committit, et ideo incurrit sacrilegium tamquam sacramenti violator ».

Magis complete in Comm. super IV Sent., d. 9, q. 1, a. 3, qc. 1, indicat triplicem esse abusum, quasi ex triplici falsitate, in indigna receptione sacramenti : « 1° Ex eo quod est sacramentum tantum, ex quo apparet quod hoc sacramentum in modum cibi proponitur, cibus autem non competit nisi viventi ; unde si carens vita spirituali per peccatum mortale accipiat hoc sacramentum, abutitur ipso. 2° Ex eo quod est ibi res et sacramentum, quod est ipse Christus, qui est sanctus sanctorum, unde receptaculum eius debet esse sanctum ; et ideo si aliquis cum contrario sanctitatis corpus Christi sumat, sacramento abutitur. 3° Ex eo quod est res tantum, quod est corpus Christi mysticum, quia ex hoc ipso quod aliquis ad hoc sacramentum accedit, significat se ad unitatem corporis mystici tendere ; unde si peccatum in conscientia tenet, per quod a corpore mystico separatur, fictionis (in stricto sensu) culpam incurrit, et ita abutitur sacramento ».

Attamen non est peccatum omnium gravissimum :

1° *Per se* i. e. *ex parte obiecti* graviora sunt peccata quae directe opponuntur Deo vel reverentiae ipsi debitae (contra virtutes theologicas vel virtutem religionis), uti infidelitas, blasphemia, periurium ; et ea quae fiunt contra humanitatem Christi in propria specie (laedendo religionem), quia immediate Christum attin-

1. « Illa particula *quamprimum* intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur ».

gunt; unde si communio sacrilega a Patribus comparatur peccato Iudae osculantis vel occidentium Christi, id intelligendum est cum proportione, secundum quamdam similitudinem, quia utrumque committitur contra corpus Christi, non tamen secundum criminis quantitatem. Porro gravior est irreverentia proiicere sacramentum in lutum (ad conculcandum) aut dare canibus (ad manducandum), quia sic magis ab usu sacramenti receditur. — Est tamen gravius peccatis quae fiunt contra alia sacramenta vel res sacras, — aut contra creaturas (laedendo alias virtutes morales), quamvis haec possint esse graviora ex parte nocumenti seu damni illati (v. g. homicidium).

2° Neque *per accidens* i. e. *ex parte peccantis* est ordinarie gravius aliis, quia raro ex contemptu fit sed saepius ex timore, ne aliquis existimetur peccator.

275. Requiritur etiam sufficiens instructio et discretio. — *Ex natura rei* ea requiritur instructio atque discretio, qua saltem sacramentalem hanc mensam a profana, coelestem hunc panem a communi discernant : ab adulto enim, sacramentum non recipitur valide sine intentione, quae impossibilis est sine praedicta instructione et discretione. Ob maiorem reverentiam tamen, ex consuetudine requiritur instructio maior circa veritates fidei et officia vitae christianae : quae instructio quam statuit lex ecclesiastica non est exigenda ad Viaticum quod praecipitur iure divino.

Ita can. 854 : « § 1. Pueris, qui propter aetatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur.

§ 2. In periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare.

§ 3. Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur, ea scil. qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant ».

Ad recipiendam itaque S. Communionem aliqualis requiritur usus rationis, qui tunc haberi censetur atque tantum habetur, *cum puer mortaliter peccare possit*. Ut patet ex Conc. Trid. quod in docendo « parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem », unam huius rationem assignat, eos mortaliter peccare non posse : « si quidem, inquit, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt » (sess. 21, c. 4). — Valide tamen ante usum rationis pueri communicarent : qui enim vivit per Baptismum etiam potest nutriri ; ut ceteroquin patet ex praxi

primitivae Ecclesiae, quae praxis usque ad nostra tempora viguit apud Orientales, et hodie adhuc de iure saltem existit apud Graecos, sed in Ecclesia latina rationabiliter est abrogata per consuetudinem approbatam et in Rituali romano expressam (tit. 4, c. 1, n. 10 et 11) : ut enim a fidelibus maxime aestimaretur sacramentum, nulli illud concedit Ecclesia qui tantum donum discernere nesciat. Unde pueris ante usum rationis in Ecclesia latina concedere Eucharistiam esset graviter illicitum.

Hinc : 1° Sub gravi prohibitum est dare Viaticum illis qui ad usum rationis nondum devenerint, uti amentibus perpetuis.

2° Plene amentibus qui habuerint usum rationis, et delirantibus est dandum viaticum, dummodo antea habuerint intentionem saltem implicitam communicandi, et absit periculum irreverentiae.

3° Semifatuis et senibus repuerascentibus detur communio in Paschate si habeant dispositionem stricte sufficientem ; quodsi maiorem habeant, dari potest aliquoties in anno pro gradu discretionis et devotionis.

4° Amentibus qui lucida intervalla habent, phreneticis, epilepticis, energumenis, a daemone possessis, dari communio potest quando sunt sui compotes, in lucidis scil. intervallis vel momentis tranquillitatis.

5° Surdo-mutis a nativitate, etiamsi caeci nati sint, detur si fuerint instructi, pro gradu discretionis qui in ipsis dignoscitur.

6° In dubio *positivo* de pueri capacitate ad recipiendum viaticum, eliget parochus quid velit : est enim casus perplexus.

Iudicium de sufficienti puerorum dispositione competit confessario ipsorum, atque parentibus et iis qui loco parentum sint (can. 854, § 4). Itaque non est ius exclusivum parochi ; huic duplex ius et officium assignatur : tum invigilandi ne pueri ad S. Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficiente dispositione, ad quod etiam eos examini subiicere poterit si opportunum prudenter iudicaverit, ut si merito suspicetur ne confessarius vel parentes hac in re imprudenter se gerant ; — tum curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur (can. 854, § 5).

276. Requiritur praeterea magna reverentia et actualis devotio, seu elevatio mentis in Deum. — Ut ait Conc. Trid., sess. 13, c. 7, « quo magis sanctitas et divinitas huius sacramenti viro christiano comperta sit, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat » ; unde hortatur Concilium omnes ut hoc sacramentum « ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ac pietate et cultu credant et venerentur, ut vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis » (c. 8).

Ex natura rei requiritur ut communio fiat :

1) *cum actibus* saltem implicitis *fidei*, *spei*, *desiderii*, *piae*

religionis ; quorum actuum commendatur modus perfectior ex maiori intensitate, aut ex accedente humilitatis, contritionis, et praesertim charitatis exercitio procedens : quanto enim maiore dispositione gaudent fideles, tanto maiores fructus percipiunt ;

2) *cum attentione :* communio enim est actus religionis qui cum attentione fieri postulat ;

3) *ad bonum finem* et *sine peccatis venialibus actu exercitis* aut virtuali affectu ad venialia : haec enim positivam quamdam includunt irreverentiam, et impediunt effectum sacramenti qui est fervor charitatis, atque augmentum gratiae minuunt. At quia non tollunt omnem effectum, ideo in casu non adest praeceptum grave ex stricta necessitate ne communio sit indigna, sed solum leve ex convenientiae necessitate omnem vitandi irreverentiam.

Hinc : 1° Qui communicat cum distractione *voluntaria*, committit veniale peccatum irreverentiae.

2° Qui habet venialia praeterita non remissa et iis actu non adhaeret, non peccat quia non adest positiva irreverentia sed mera absentia perfectioris reverentiae ; si autem affectu suo hic et nunc iis adhaeret, venialem incurrit irreverentiam.

3° Qui in actu communicandi ponit actum qui etiam aliter est veniale peccatum, v. g. cogitationem vanam, desiderium levis furti, malitiam huius peccati et malitiam levis irreverentiae contrahit.

4° Item si communionem facit ad finem secundarium venialiter malum, v. g. ad vanitatem.

277. Animadversiones. — 1. Secundum dicta in tr. de Sacramentis, n. 89, peccatoribus deneganda est S. Communio, etiam illis qui sensibus sunt destituti, nisi *certa* signa dederint poenitentiae ; item sensibus destitutis quorum dispositio ignoratur : ex una parte enim non est ipsis necessaria, ex altera parte reverentia erga tantum sacramentum anteponenda est merae utilitati fidelium. Nulla tamen adest ratio eam negandi supplicio afflictis, si poeniteant ; quibus per modum viatici est ministranda ipso die vel pridie supplicii.

Ad peccatorem publicum poenitentem, Viaticum publice deferri non potest nisi publicum scandalum reparaverit ; quodsi sit impossibile, deferri potest occulte.

2. Prohibetur communio, tum excommunicatis (can. 2260, § 1), tum personaliter interdictis (can. 2275, § 2), antequam fuerint a censura absoluti.

Articulus II.

De Dispositionibus Corporis.

S. Th. III, q. 80, a. 7 et 8.

278. Ex parte corporis ad S. Communionem requiruntur, praeter capacitatem communicandi i. e. hostiam deglutiendi, duae dispositiones : ieiunium naturale, et decentia ; haec autem consistit in eo quod communicaturus sive in externo habitu sive in corporis compositione nihil prae se ferat quod Sanctissimum dedecet, unde complectitur duo : decentem habitum et munditiem.

Hinc tria dicuntur requiri : 1. habitus externus decens ; 2. mundities corporis ; 3. ieiunium.

279. Habitus externus decens et humilis *ex rei natura* requiritur sub levi, ita ut communicans ex vestibus et actione corporis reverentiam externam prae se ferat. Qui nimis irreverenter accedunt, sunt arcendi ut inopportuni et inurbani ; nec exinde oritur ipsis infamia, cum non arceantur tamquam peccatores.

Hinc : 1° Non accedant cum vestibus aut calceis dilaceratis vel sordidis, quantumvis viles apud pauperes esse possint.

2° Mulieres accedere debent in habitu modesto (can. 1262, § 2), pectore sufficienter cooperto, et sine vano ornatu ; quodsi aliqua turpiter denudata vel nimis immodeste accederet, neganda esset communio, praesertim si publica monitio praecessisset, et scandalum esset timendum.

3° Ex consuetudine mulieres communicent capite tecto, viri e contra detecti et capite nudo.

4° *Convenit* ut milites deponant arma et laici chirotecas.

5° Sacerdotes et diaconi, more laicorum communicantes, ex Rituali (tit. 4, c. 2, n. 4) stolam induere debent, etiam si in aegritudine communicent. Quod obligat sub veniali.

280. Mundities corporis est absentia inquinamenti ex maculis aut sordibus. Haec non impediunt communionem *per se*, quia non continent malitiam moralem, sed per accidens, vel propter periculum irreverentiae quod includunt, vel propter effectus secutos.

1° *Propter irreverentiam :* a) Sordes et maculae apertae sunt abstergendae, si fieri potest.

b) Quod si sit impossibile, at brevi auferendae sperentur, et commode communio differri possit, ex reverentia differatur, vel privatim recipiatur ; secus si sint perpetuae aut diuturnae, uti lepra, fistula, etc. Idem dicendum est de fluxu sanguinis.

Sacerdos tamen infectus lepra vel alio morbo horrorem afferente prohibetur celebrare in publico, propter scandalum et horrorem populi ; secreto ergo potest.

c) Licitum non est communionem dare aegris, qui ob *assiduam* tussim in periculo etiam *probabili* versantur ne s. hostiam ex ore reiiciant, aut non in stomachum dimittere possint; semel tamen sumpta, per se non est timendum ne expellatur cum sputis, quia tussis et sputa e stomacho non proveniunt, ut diximus n. 260, 6° et 7°.

d) Nec licitum est illis dare communionem qui vomitu laborant, quamdiu duret periculum probabile ; quodsi vomitus cesset, consulatur medicus si fieri possit, secus tentetur prius experientia cum liquore, vel cum levi cibo si vomitus ex solo cibo proveniat. Quodsi dubium remaneat, communio differatur, quia magis urget reverentia sacramenti.

2° *Propter alios effectus*, scil. propter evagationem vel perturbationem mentis, aut turpem recordationem vel commotionem in animo relictam, quae impediunt ne homo se disponat debita reverentia et devotione, *tunc* communionem impedire possunt pollutio aut actus coniugalis. Et quidem :

a) *De consilio* tantum actus coniugalis eadem die vel nocte praecedenti sine peccato habitus. Quod etiam valeret de tempore purgationis post partum, et de fluxu menstruo si iste talem perturbationem causaret.

b) *Sub veniali* autem actus coniugalis ob meram voluptatem habitus, et pollutio inculpabilis aut non graviter culpabilis. Haec tamen non sunt universaliter applicanda, ut si adsit iusta quaedam causa necessitatis aut devotionis [1], vel perturbationem quis repellat, vel pollutio saepius a diabolo excitetur aut a scrupulo vel anxietate. Ita abstinere generatim non debent coniuges, qui frequentissime solent communicare et saepius actum coniugalem recte omnino exercent.

De hisce confessarius non loquatur cum mulieribus nisi interrogetur; quo casu uxori dicat eam obligari ad debitum reddendum si saepe communicat v. g. singulis hebdomadis, ne scil. periculo exponatur peccandi contra iustitiam vel charitatem ; quodsi raro, v. g. in praecipuis festis, roget virum abstinere in honorem communionis, modo non incurrat viri indignationem.

3° *Propter utrumque* communionem impedit *sub veniali* actus luxuriae consummatus graviter culpabilis sive in se sive in sua causa, uti pollutio ex cogitatione mortaliter mala vel propter nimiam crapulam secuta, etsi quis gratiam in confessione recuperaverit ; — nisi scandalum vel iusta causa sat notabilis excuset prout confessario videbitur. Ita Missale, de def. tit. 9, n. 5.

1. Causa iusta esse potest solemnitas occurrens, scandalum vitandum, periculum notae, iubilaeum vel indulgentia specialis lucranda, specialis devotio, regula ordinis communionem imponens.

Simili ratione impediri potest communio propter graves iras, contentiones, ebrietates, immediate antea habitas.

281. Ieiunium naturale, a primis Ecclesiae temporibus introductum, et universali consuetudine, Conciliis, Rituali et missali confirmatum, praescriptum jure ecclesiastico (can. 808 et 858), hodie regitur Constitutione Apostolica « Christus Dominus » (diei 6 jan. 1953) et Motu Proprio « Sacram communionem » (diei 19 martii 1957), in quo indulta constitutionis praedictae extenduntur. Exinde disciplina vigens pro fidelibus omnibus in locis quibuscumque talis est :

Tempus jejunii eucharistici servandi a sacerdotibus *ante missam* et a christifidelibus *ante sacram communionem*, horis sive antemeridianis, sive postmeridianis, limitatur ad tres horas quoad cibum solidum et potum alcoholicum, ad unam autem horam quoad potum non alcoholicum.

Potus qui conceditur est potus quilibet non-alcoholicus, etiam si ei admisceatur saccharum, vel farina, vel ovum, etc...

Notetur quod jejunium per tempus supra dictum servare tenentur etiam illi qui missam celebrant vel sacram communionem recipiunt media nocte aut primis diei horis, prout fit nocte Nativitatis Domini et Paschatis.

Praeceptum jejunii :

1° *Est negativum :* non enim praecipitur ieiunium, sed prohibetur ne quis non ieiunus accedat ad communionem. Non prohibetur cibus vel potus, sed communio post fractum ieiunium, unde ille qui minimum quid sumpserit, quamvis per modum medicinae, sive voluntarie sive non, communicare non potest; si tamen fractio non est certa, non probatur prohibitio et manet ius communicandi, sive quis dubitet an aliquid sumpserit, sive an sumpserit ante vel post horam permissam : factum enim fractionis non praesumitur sed est probandum.

2° *Est grave*, quia latum fuit ob finem gravem, scil. a) praecipue ob reverentiam Eucharistiae debitam, ut inde fideles discant discernere inter hunc cibum et cibos ordinarios ; b) ad indicandum quod Christus et eius charitas debet primum occupare locum in cordibus nostris ; c) propter periculum vomitus et ebrietatis, quod contingit ex hoc quod

homines inordinate cibis utuntur (a. 3), vel ob devotionem, ut mens sit liberior et expeditior ad divina tractanda.

3° Imo *non admittit parvitatem* materiae, quia, cum sit negativum, consistit in indivisibili.

282. Ut ieiunium frangatur tres requiruntur conditiones :

1° Ut res sumpta sit *cibus vel potus*, i. e. sit per se digestibilis a stomacho et ita habeatur aestimatione communi. Aquae tamen sumptio non frangit jejunium.

Aqua non intelligitur tantummodo aqua naturalis, sed illa omnis quae usu communi vocatur aqua. Sic non frangit jejunium sumptio aquae « mineralis », etiamsi ad effervescentiam « gasa » quaedam addita sint, nec aquae cui ad desinfectionem chemicalia quaedam admixta sint.

Hinc metallum, frustum ligni solidi et duri ac plene sicci, ungues, capilli, saxum, vitrum, filum ex serico aut lana, lapilli, ossicula fructuum omnino depurata non frangunt ieiunium, quia nullo modo alterantur in stomacho. E contra charta, filum ex lino, terra, carbones, creta, pulveres ex ossibus vel lapidibus, pulveres medicinales ex metallo vel vitro, ligna comestibilia ut rhabarbarum vel glycyrrhiza, cera, palea, gumma, quia saltem aliquo modo digestibilia sunt et secundum communem aestimationem ita censentur.

2° Ut sumatur *per modum cibi et potus*, i. e. per modum comestionis et potationis, etsi inadvertenter aut in somno factae.

Hinc non frangit : a) id quod sumitur *per modum simplicis gustationis* in ore et dein expuitur, quia in stomachum non descendit, imo etiamsi casualiter aliquid transeat permixtum salivae ut infra dicetur ; — e contra si quid deglutiretur et postea evomeretur ;

b) id quod sumitur *per modum simplicis respirationis*, v. g. fumus ciborum vel tabaci, pulvis in aëre versans, pulvis tabaci vel aqua per nasum, musca, floccus nivis, guttula pluviae : respirare enim non est edere et bibere, etiamsi *casu* aliquid cibi vel potus in stomachum descenderet, dummodo fiat praeter intentionem ; — e contra si ex proposito, quia non esset respiratio, nec sumeretur per simplicem attractionem, sed per voluntariam traiectionem ;

c) id quod sumitur *per modum salivae*, ut si quis *casualiter et praeter intentionem cum saliva* permixtum deglutiat *modicum* aquae, lavando dentes, os vel guttur, aut modicum quid proveniens ex gustatione, reliquias ciborum dentibus adhaerentes, guttulam sanguinis vel pelliculam a labiis, aut modicum succi vel folii tabaci ex fumigatione vel masticatione, licet hoc sit indecens

valde. Quodsi quantitas magna sit, vel si advertenter, et data opera seu ex intentione deglutiatur, non amplius sumitur per modum salivae ;

d) id quod sumitur per modum *iniectionis subcutaneae*, vel *clysterii nutritivi*, vel et, probabiliter, lavamen artificiale stomachi cum aqua ope syphonis gastrici ; — dummodo hic exterius oleo vel unguento comestibili non sit inunctus : etenim sola aqua adhiberi solet ad stomachum lavandum et ideo traiectio alterius censetur vera comestio aut potatio. Quidam tamen id etiam permittunt.

3° Ut sumatur *ab extrinseco*.

Hinc sanguis ex digito vulnerato, humor descendens ex naribus, lacrimae ex oculis, lac ex mammis, urina, etc. frangunt ieiunium ; non autem saliva, sanguis, pituita intus ex ore vel gengivis, aut ulcere intra os aut interius ex naso profluens ; nec *probabiliter* reliquiae ciborum si ex intentione deglutiantur, quia moraliter censentur partes comestionis praecedentis, imo, secundum quosdam, nec cibus aut potus qui momento ante mediam noctem iam in ore sumptus hora sonante traiiceretur. E contra, dicendum de illo qui, hora sonante, cibum sumere pergit, aut haustum potus perficit ; item de illo qui cibum v. g. saccharum ante horam permissam os immittit ut paulatim deglutiat, et post horam permissam cum saliva traiicit : cum enim in hunc finem ori imposuerit ut sensim deglutiatur, non est reliquia comestionis praecedentis sed comestio voluntarie et intentionaliter continuata.

283. Licitum est non ieiunum communicare :

1° *In probabili mortis periculo* ex quacumque causa proveniat, sive sit ex morbo, vulnere, veneno, etc., sive urgeat ex sententia iudicis, aut instante praelio vel operatione chirurgica periculosa (Rit. rom., tit. 4, c. 4, n. 4; can. 858, § 1).

Perseverante periculo, licitum est saepius, distinctis diebus, communicare, imo *per se* quotidie ; in praxi tamen spectetur iudicium confessarii, et in paroeciis consuetudo.

2° *Propter reverentiam sacramenti*, vel a) ad perficiendum sacrificium consecratione inceptum, sive illud continuando, sive particulas proprii sacrificii immediate post ipsum sumendo [1], imo alterius sacrificii si sit solum medium aptum salvandi eas ab irreverentia, ut si ad tabernaculum sine incommodo deferri non possent ; non ita hostiam maiorem, nisi omnino deesset locus decens ad eam servandam [2] ; — vel b) in periculo ne pereat sacramentum vel profanetur ex parte hostium.

1. Missale, de def. tit. 3, n. 5 et tit. 4, n. 5.
2. Ib., tit. 7, n. 2-3.

In ultimo casu si desit sacerdos aut diaconus, potest laicus ipse Eucharistiam sumere; potest quoque minister eam praebere laicis non ieiunis.

3° *In periculo gravis scandali aut infamiae*, ut si laicus in mensa communionis vel sacerdos ante consecrationem recordaretur se non esse ieiunum et sine infamia non posset recedere, vel si parochus aut vicarius die festivo, stante funere, aut benedictione nuptiali non esset ieiunus, quod ab aliis ignoratur, et sacrum omittere non posset sine suspicionibus, gravi obmurmuratione vel offensione populi, periculo ne plures sacrum deinceps omittant, etc. Probabiliter censent plures licitum uti epichia, casu quo solemniter sacerdos est celebraturus primitias vel puer primam communionem solemnem et ieiunium inadvertenter violaverit, et laesio manserit occulta.

4° *Si ritus praescribat*, ut in Baptismo adultorum, sale praegustato (S. C. P. F., 13 feb. 1806).

5° *Infirmi*, quamvis non decumbant, potum non alcoholicum et veras ac proprias medicinas, sive liquidas, sive solidas, ante missae celebrationem vel Eucharistiae receptionem sine temporis limitatione sumere possunt. Infirmi autem non tantum illi sunt, qui graviori morbo laborant sed etiam qui minori morbo sunt affectati, ut feminae indispositae ex graviditate, senes debilitate laborantes, et generatim omnes qui datis circumstantiis rationabiliter medicamento egent. Sub medicamento vero intelligitur *verum* medicamentum etiam si non sit a medico praescriptum aut a pharmacopola venditum, dummodo aestimatione communi medicamentum vocari possit.

6° Ex dispensatione, si adsit rationabilis causa praeter casus praevisos in constitutione Apostolica Christus Dominus, a S. C. de Sacr. pro communicantibus fidelibus, etiam sacerdotibus, a S. C. de Relig. pro communicantibus religiosis, a S. Officio pro sacerdotibus celebrantibus. Notetur omnes facultates et dispensationes, tum territoriales tum personales, hactenus a S. Sede concessas abrogatas esse per constitutionem supra dictam.

284. In aliis casibus non videtur licitum communicare non ieiunum. — Ita sacerdos non potest celebrare non

ieiunus, ut viaticum dare possit moribundo, quia non debet suum praeceptum violare ut alter adimpleat praeceptum viatici.

Excipe *forsan :* a) si sacramentum Poenitentiae aut Extremae Unctionis recipi nequeat : tunc enim Eucharistia est sacramentum necessitatis ut ex attrito quis fiat contritus ; b) si sacerdos moribundus sibi ipsi velit dare Viaticum, quia hoc casu lege ieiunii non tenetur, saltem ad communicandum.

Ratio est quia Eucharistiae sacramentum, sicut maioris est dignitatis, ita minoris est necessitatis ; unde maior habenda est ratio reverentiae erga sacramentum quam utilitatis fidelium. Hinc non urget praeceptum communionis, nisi possit convenienter cum debita reverentia et ritu praescripto adimpleri ; imo cessat praeceptum Viatici si obtineri nequeat iuxta ritum Ecclesiae, sicut etiam cessat quando sacerdos, ut ministrare hostiam consecratam posset, deberet celebrare sine vestibus sacris aut in pane fermentato. Unde in can. 858, § 1, non indicantur nisi duae in lege ieiunii exceptiones : periculum quod urget mortis, et necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum.

Quidam theologi aliter sentiunt, quia praeceptum recipiendi communionem est divinum, praeceptum ieiunii est ecclesiasticum, unde cedit priori. — At a) praeceptum communionis annuae non est mere divinum, sed ecclesiasticum determinans praeceptum divinum indeterminatum communicandi aliquoties in vita. b) Etiam praeceptum divinum potest cedere praecepto ecclesiastico, casu quo ex huius violatione maiora orirentur incommoda. c) Maxime, etiam praeceptum ieiunii non est mere ecclesiasticum, sed determinat praeceptum naturale et divinum reverentiae in sacramentum, ac proinde maioris momenti esse potest. Sicut ergo praeceptum communionis annuae est in substantia praeceptum divinum aliquoties communicandi, ita praeceptum ieiunii est in substantia praeceptum naturale servandi externam reverentiam erga sacramentum, et ideo strictius urgeri potest et etiam ab Ecclesia urgetur. Unde verius est illos theologos optare ut lex ieiunii iam mitius interpretaretur, quam quod iste sit sensus legis antiquae, aut quod ipsa lex, hac in re, mutationem subierit; quia huius rei nullum adducunt positivum fundamentum.

285. Animadversio. — Ut hostia vel particulae ori adhaerentes possint deglutiri, etiam extra periculum mortis, cum hostia vel post illam dari potest ablutio aquae vel vini, quamvis haec prius deglutiatur quam hostia. Violatio enim ieiunii saltem moraliter non praecedit communionem ; ceterum lex ieiunii praescribit tantum ut nihil sumatur ante sacramenti sumptionem, quod adimpletur.

Articulus III.

De Frequentia Communionis.

S. Th. III, q. 80, a. 10.

286. Status quaestionis. — *Communio frequens* est illa quae saepius in hebdomada vel etiam quotidie sumitur ; non autem hebdomadaria proprie et stricto sensu est frequens. Quoad s. communionis usum duo tantum statuit Ecclesia : 1° ut semel tantum in die sumi possit, excepto casu Viatici pro eo qui eadem die ex devotione communicavit (can. 857) ; 2° ut semel saltem in anno communio sumatur. Intra quos duos limites Ecclesia nihil amplius praecepit, quamvis ad frequentationem sacramenti adhortetur. Hinc quaeritur utrum, quando, et quibusnam communio frequens sit commendanda ; et quaenam sint dispositiones omnino requisitae aut valde congruae frequentioris usus sacramenti.

287. *Principium I.* **Communio per se et ex vi ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, utilis est et semper laudabilis, etiamsi sit quotidiana, ut homo quotidie eius fructum percipiat.**

Probatur : 1° *Ex usu frequenti communionis in primitiva Ecclesia.*

An autem extiterit usus quotidianae communionis satis universaliter, est incertum, quia solebant communicare in missa, sed missa non semper singulis diebus offerebatur ; at etiam domi reficiebantur sacra Eucharistia.

2° *Ex Traditione* antiqua et perpetua.

Constat a) ex doctrina Patrum : Tertul. l. 2 ad uxor. c. 6 ; de or. dom. c. 6 ; Cypr. de or. dom. c. 18; Chrys. in ep. ad Eph. I, hom. 3 ; in I ad Tim., hom. 6 ; Hilar. fragm. VII ; Lib. de Sacr., l. 5, c. 4 ; Hieron. ep. 27 ad Licin. ; Aug. ep. 54 (al. 118) ad Ian. ; serm. 227 ad inf.; serm. 351 de poen., n. 10 ;— b) ex C. Trid. quod, sess. 13, c. 8, omnes et singulos fideles hortatur ut ea fide, devotione, pietate et cultu panem illum venerentur ut frequenter suscipere possint ; et sess. 22, c. 6, optaret ut in singulis missis adstantes sacramentaliter communicarent;—c) ex Catech. C. Trid. qui monet parochos ut hortentur fideles etiam ad quotidianam communionem, p. 2, c. 4, q. 58 ;— d) ex variis decretis, ut ex prop. 22 et 3 ab Alex. VIII damnatis[1] ; ex decr. S. C. C., 12 febr. 1679 sub Inn. XI, quod reprobat prohibitionem frequentis communionis, nullum statum etiam negotiationis vel coniugii illam impedire asserit, atque iudicium de internis dispositionibus ad frequenter communicandum relinquit confessariis ; maxime autem ex decr. eiusdem S. C. C., 20 dec. 1905 sub Pio X, quo faciliores conditiones ad frequentem communionem determinantur ac a pluribus theologis statui solebant.

1. « Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis egerint poenitentiam ».

3° *Ratione :* Sacramentum hoc convenienter sumitur quotidie, tum quia traditur per modum cibi spiritualis, « unde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est » (a. 10, ad 4) ; — tum quia manna quae illud praefigurabat quotidie dabatur populo in deserto ; — tum quia institutum est ad augendum charitatis fervorem in remedium quotidiani defectus et ut medium ad perseverandum aptissimum; — tum quia in se perfectius est accedere ad illud ex amore quam recedere ex timore reverentiali (ad 3).

Per accidens tamen et si consideratur communio « *ex parte sumentis*, in quo requiritur quod cum magna devotione et reverentia ad hoc sacramentum accedat », non semper est utilis et laudabilis[1]. « Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat... Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius devotionis occurrunt propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed quoties se homo ad illud praeparatum invenerit » (a. 10).

288. *Principium II.* **Dispositiones ad communionem frequentem aut quotidianam requisitae non sunt maiores ac pro omni communione, nimirum status gratiae et recta piaque intentio ;** quantumvis expediat ut frequenter communicantes magis se disponant et etiam a venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes.

Ita ex decr. S. C. C. *Sacra Tridentina synodus*, sub Pio X, 20 dec. 1905.

Requiritur et sufficit :

a) *Status gratiae*, quo scil. actu hic et nunc seu mo-

— « Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers ».

1. Damnata fuit ab Innocentio XI, prop. 56 : « Frequens communio etiam in iis qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis ».

mento communionis, « culpis mortalibus vacent cum proposito se nunquam in posterum peccaturos ».

b) *Recta mens seu intentio*, qua scil. quis « non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat (v. g. inani aemulationi, desiderio captandae benevolentiae superiorum, aut sensibili suavitati potius quam solidae pietati), sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius charitate coniungi ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere ». Ita in laudato decreto, in quo tres conditiones negativae sunt copulative, positivae disiunctive videntur intelligendae. Saltem substantialiter verificari debent, licet forsan accessorie quaedam humana consideratio misceatur.

Probatur : 1° Communio in statu gratiae est actus substantialiter bonus, qui fructum producit ex opere operato, saltem augmentum gratiae habitualis ; quodsi cum mente undequaque recta fiat piaque intentione, actus iste nullo modo vitiatur, et erit ex omni parte bonus.

2° Communio non est merces virtutis aut meriti, sed medium ad virtutem acquirendam ; nec ante omnia ad honorandum Deum, sed ad hominum utilitatem est instituta. Unde secundum intentionem Christi magis in ea quaerenda est utilitas communicantis, quam perfectior ad eam dispositio.

Congruit tamen omnino ut meliores, quantum fieri possit, adsint dispositiones ; ideo in decreto optima adduntur consilia atque prudentes regulae :

a) « Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana communione utentes, venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos ; quo sincero animi proposito fieri non potest, quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expellant ».

Expedit ut omnis absit affectus ad peccata venialia, qui si actu perseveret, impedit effectum sacramenti qui est fervor seu actualis exercitatio ac dulcedo charitatis. Non tamen in hoc est speciale peccatum quod impediatur sacramentalis effectus, dummodo non omnis effectus impediatur sacramenti. Quod in casu eo magis verum est, cum ex frequentia communionis fiet ut paulatim et istud impedimentum removeatur.

b) « Cum vero Sacramenta N. L., etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco

curandum est ut sedula ad sacram communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia ».

Una communio valde fervens multo maiores fructus producere valet quam plures ordinariae aut multae tepidae. Hinc sedula est praeparatio procuranda, tum remota tum proxima. Remota, qua habitualiter quis conservetur in puritate, in dies magis ab omni culpa et defectu se liberet, ac maiori desiderio s. communionis ardeat ; proxima quae in diversis affectibus consistit : viva fide, magna in Christum fiducia, ardenti desiderio, humili etiam de venialibus contritione, profunda reverentia, et praesertim perfecta charitate unitiva, quae scil. aptius ad proprium effectum sacramenti disponit.

Gratiarum actio ferventissimis actibus constet : vivido et, quoad fieri possit, perseveranti amore quo appetamus ut plus a nobis et ab omnibus creaturis diligatur Iesus, profunda adoratione, plena oblatione et traditione sui, subiectione intellectus per fidem et voluntatis per charitatem, omnium virium submissione Spiritui sancto qui est Spiritus Christi, pia gratitudine, humili petitione, ac perdurante per diem tanti recordatione beneficii. Eo magis de immediata gratiarum actione videtur cura adhibenda quod, manentibus speciebus, sacramentum quemdam fructum producere pergit, charitatis scil. fervorem et dulcedinem (n. 268) ; nisi distractione, incuria aut inordinato affectu ponamus obicem (n. 265).

c) « Ut frequens et quotidiana communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut confessarii consilium intercedat. Caveant tamen confessarii ne a frequenti seu quotidiana communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat ».

Itaque non requiritur confessarii licentia, sed solum consilium prudentiae causa et uberioris fructus. Nec ipsius est communionem concedere, sed de opportunitate eius iudicare atque declarare dispositiones adesse requisitas ipsisque invigilare. Ut enim indicavit Innocentius XI, 12 feb. 1679, « frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, confessariorum secreta cordis explorantium, iudicio est relinquendus ; qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu laicis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt ».

Nullo modo igitur interveniat confessarius ut illos qui rectam habeant intentionem arceat, sed ut de recta dispositione certiores reddat ; et omnes ad ferventiorem dispositionem et maiorem puritatem exstimulet ; ac etiam illos *aliquando* prohibeat quorum recta intentio aut debita dispositio suspecta habeatur, quo scil. ferventius accedere doceantur : quales sunt qui post multas communiones venialia non curant, sed omnino deliberate eademque frequentia recidivi committunt, et linguae vitiis v. g. plurimum indulgent, aut vitam vere mundanam vel tepidam ducunt. Invigilet quoque ne frequens communio cum detrimento suscipiatur, sive officiorum status in famulis, ancillis, matribusfamilias, sive pacis et tranquillitatis familiarum.

289. Corollaria practica. — 1. Parochi, confessarii et concionatores, christianum populum ad pium et salutarem communionis frequentis et quotidianae usum, crebris admonitionibus multoque studio cohortentur ; et quidem personas cuiusvis ordinis, conditionis ac aetatis (can. 863).

Caveant tamen ne eam tamquam praeceptam imponant, cum tantum sit valde commendata ; nec aliquem ad ipsam quasi cogant, ne scil. absque gustu sed cum fastidio eam suscipiat ; sed potius progressive fideles ad eam perducant. Loqui vero frequentius non omittant de requisitis dispositionibus ; doceant effectus uberiores esse quo meliores sint dispositiones ; sedula cura inculcent potissimum congruam praeparationem et gratiarum actionem.

2. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis institutis cuiusvis generis promoveatur, quammaxime autem in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris servitio inhiant ; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

Hinc can. 595, § 2 superioribus iniungit : « Frequens imo quotidianus accessus ad ss. Eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat », de quo iudicare, non ad superiores, sed ad confessarium per se pertinet. Attamen : § 3 « Si post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communitati *gravi* scandalo fuerit aut *gravem et externam* culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere ».

3. Quapropter si quae sint instituta, quorum in regulis aut constitutionibus communiones aliquibus diebus affixae aut iussae reperiantur, normae istae non tanquam praeceptivae sed ut mere directivae sunt habendae ; numerusque communionum praefixus ut quid minimum pro religiosorum pietate (can. 595, § 4).

4. Omni studio curandum est ne pueri ex mera consuetudine, distracti et irreverentes accedant : periculum enim est attenta eorum levitate, ne eucharisticus panis ipsis ex usu quotidiano vilescat. Hinc superiores, in catholicis ephebeis, nonnisi caute et prudenter huic vel illi in particulari suadeant frequentiorem communionem, ne forte hypocrisim foveant et sacrilegiis ansam praebeant. Magna sit communionis *libertas*.

5. Frequens communio non est iis neganda qui interdum in mortale peccatum labuntur, modo illud detestentur et serio emendare proponant ; neque iis qui affectum ad venialia deliberata habent ; imo nec iis qui ex interna fragilitate vel ex vehementiore tentatione in mortalia recidivi inveniuntur at seriam ostendunt voluntatem contra peccatum dimicandi ; — sed iis qui affectum voluntarium ad mortalia habent et ex prava voluntate frequenter in mortalia labuntur.

Quod si quidam poenitentes sedulam praeparationem et congruam gratiarum actionem iuxta ipsorum vires, conditionem ac officia *habitualiter* negligant, id ordinario erit signum non recta mente eos accedere atque necessariis dispositionibus carere. Qui proinde ad meliores dispositiones sunt provocandi, aut a frequentiore communione aliquatenus retinendi ut reverenter magis et ferventius accedere addiscant.

6. Hebdomadaria confessio pro frequenter communicantibus valde est commendanda ; non tamen est exigenda nec semper opportune suadetur, sive ob defectum temporis ex parte confessariorum aut poenitentium, sive ob periculum ne accessus ad confessionem iis difficilior reddatur qui ea magis indigent. Ceterum maius bonum spirituale ex frequenti communione percipi solet quam ex frequenti confessione ; unde, ubi utrumque coniungi nequeat, praestat confessionem potius quam communionem omittere. Ne tamen diutius a confessione abstineant, et singulis quindenis, vel saltem mensibus accedant ; unde omnibus sat facilis pateat copia confessionis [1].

290. Animadversiones. 1° De tempore communionis recipiendae.

Ut sacrificio immediatius participent et ad communionem tamquam ad caenam communem accedant, fideles quantum possibile sit, intra missae sacrificium et quidem post communionem sacerdotis celebrantis, communionem recipiant. Permittitur tamen fidelibus juxta can. 867, § 4 ut communicent extra missam horis quibus missae sacrificium offerri potest secundum can. 812, § 1 ; hoc est abhinc una hora ante auroram usque ad unam horam post meridiem, et quantum ad communionem postmeridianam vel proxime ante vel statim post missam vespertinam, vel si non datur missa vespertina occasione cujuslibet caeremoniae religiosae (Congr. S. O., die 21 martii 1960).

2° De communione spirituali.

Quando sacramentum realiter suscipi nequeat, a Sanctis valde commendatur communio spiritualis, quae est votum seu desiderium ex fide viva, quae scil. per dilectionem operatur, conceptum sumendi Eucharistiam, ex quo provenit aliquis sacramenti effectus ex opere operantis. Ita conformiter ad Conc. Trid., sess. 13, c. 8.

Tribus actibus perficitur : 1° actu fidei vivae in praesentiam Christi ; 2° actu charitatis cui adiungitur peccatorum contritio ; 3° actu desiderii in unionem intimam cum Christo per sacramentum obtinendam.

Licet rectum non sit desiderium Eucharistiam sumendi pluries in die, tamen pluries in die desiderium habere sumendi Eucha-

1. De praedictis in decreto *Sacra Tridentina Synodus*, et in iis qui de eo scripserunt commentarium. Conferri possunt Cappello, Noldin, Aertnijs-Damen in o. c.

ristiam momento opportuno est laudabile, etiam pro illis qui mane communicaverunt : est enim excellens praeparatio ad communionem sequentem.

Peccatores etiam desiderare possunt communionem sed sub conditione conversionis ; at non communicant spiritualiter quia ex hoc desiderio non provenit ipsis effectus sacramenti.

Articulus IV.

De Communionis Necessitate.

S. Th. III, q. 73, a. 3 ; q. 80, a. 11 et 12.

291. *Principium I.* **Sacramentum Eucharistiae in re non est absolute necessarium necessitate medii ad iustificationem et salutem.** — Est *de fide* quoad parvulos ex Conc. Trid., sess. 21, c. 4 et can. 4 contra quosdam Graecos et Calvinistas ; *certum* est quoad adultos.

Eucharistia est enim sacramentum vivorum, unde sine ipso haberi gratia potest gratum faciens quae ad salutem obtinendam sufficit ; siquidem per Baptismum datur et per Poenitentiam recuperatur. Ergo Eucharistia non est necessaria sicut haec sacramenta, et ideo Ecclesia eam quibusdam denegavit. Cfr. Rom. VIII, 1 ; Gal. III, 27 ; Tit. III, 5, et S. Aug., l. 1 de pecc. mer. et rem. XIX, 25.

Necessarius tamen est effectus Eucharistiae, scil. unio cum Christo eiusque corpore mystico, quae per gratiam Baptismi *inchoative* obtinetur.

Eucharistia itaque non est necessaria necessitate medii quoad realem susceptionem, sed quoad rem ab ea significatam.

292. *Principium II.* **Sacramentum Eucharistiae necessitate medii est quodammodo necessarium in voto seu in proposito ; non quidem ut medii necessarii in re, sed ut finis contenti in volitione mediorum.** — Est sententia S. Thomae et veterum, cui recentissimi rursus magis insistunt.

Probatur : 1. Non requiritur votum sacramenti *tamquam medii necessarii in re :* hoc enim modo necessarium tantummodo est illud quod necessarium est in re, quando de facto recipi nequit.

2. Requiritur votum Eucharistiae *tamquam fontis et finis omnium sacramentorum.* Id sequitur ex S. Thomae[1] doctrina. iuxta quam alia sacramenta non conferunt gratiam nisi respiciendo ad Eucharistiam tamquam omnium sacramentorum finem, et in virtute Eucharistiae quae ex seipsa virtutem infundendi gratiam habet (n. 101). Quo posito, ita argumentari liceat :

1. Q. 65, a. 3 ; q. 79, a. 1, ad 1 ; q. 73, a. 3.

Omnis res inclinatur in suum finem, et omnis inchoatio est propter consummationem. Eucharistia est finis et consummatio omnium sacramentorum. Unde qui Baptismum recipit, per gratiam quae inchoat unionem cum Christo, inclinatur ad perfectionem et consummationem huius unionis quae habetur in Eucharistia. Et qui Baptismum recipit aut vult recipere, debet velle et saltem implicite vult Eucharistiam tamquam finem et consummationem eius. Quam intentionem in pueris supplet Ecclesia.

293. *Principium III.* **Eucharistia, secundum ordinariam Dei Providentiam, adultis est medium** *moraliter* **necessarium ad perseverandum longo tempore, estque etiam necessaria necessitate praecepti divini.** — *Certum* est.

Constat ex ipsis verbis Christi, Ioh. VI, 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis* (manentem) *vitam in vobis*[1] ». Qui ceteroquin expressis verbis praeceptum illud imposuit dicendo, Lc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod fatetur C. Trid., sess. 13, c. 2 (C. Nic. I, c. 12-13).

294. Praeceptum divinum sumendi Eucharistiam obligat *omnes* adultos, fideles immediate, infideles mediate, mediante scil. Baptismate ad quod suscipiendum tenentur ; et quidem *sub gravi*, quia Eucharistia est medium necessarium perseverantiae (Ioh. VI, 54).

Praeceptum obligat, non quidem quotidie, uti constat ex decreto Innoc. XI, 12 febr. 1679, sed :

a) *aliquoties in vita.* Christus enim instituit Eucharistiam in cibum spiritualem animae ; cibus autem saepius est sumendus ad vires reficiendas. Quoties autem sit Eucha-

1. Non est perfecta paritas cum verbis similibus quae dixit Christus de Baptismo, Ioh. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.* Nam « haec verba : *Nisi manducaveritis,* in secunda persona diriguntur ad adultos praecepti capaces, et sic pro illis important praecepti necessitatem ; ista vero : *Nisi quis renatus fuerit,* in tertia persona dicuntur generaliter et de omnibus. Altera disparitas est quod Baptismus sit institutus ut renascentia necessaria necessitate medii ad salutem. At Eucharistia ut cibus spiritualis, qui vel non est necessarius ad vitam aliquamdiu servandam, ut patet in cibo corporali ; vel si sit necessarius, cum sit spiritualis, sufficit quod sumatur spiritualiter (q. 73, a. 3, ad 2). Haec est enim differentia inter alimentum corporale et spirituale, quod alimentum corporale convertatur in substantiam illius qui nutritur, et ideo non potest homini prodesse ad vitae conservationem nisi realiter sumatur ; sed alimentum spirituale convertit hominem in seipsum... : potest autem aliquis in Christum mutari, et ei incorporari voto mentis et actibus virtutum, praesertim charitatis, sine reali perceptione huius sacramenti. » Billuart, diss. 6, a. 1, § 1.

ristia sumenda, determinandum relinquitur iudicio Ecclesiae ; unde qui adimplet praeceptum ecclesiasticum, eo ipso adimplet divinum ;

b) *praesertim in proximo periculo mortis*, quavis ex causa procedat, uti constat ex universali praxi (C. Nic. I, c. 13). Eucharistia enim instituta est ut medium ad perseverandum in gratia et ut viaticum confortans adversus animae hostes. Numquam autem magis est necessaria conservatio gratiae quam in fine vitae, in quo tentationes etiam possunt esse graviores. Unde tenentur non tantum extreme decumbentes, sed capite damnati, periculose navigaturi et praeliaturi, periculosam incisionem subituri, et illae mulieres quae regulariter cum periculo mortis pariunt (can. 864, §1).

Notetur : 1) illos qui eadem die sacra communione fuerint refecti, non stricto teneri ut in vitae discrimine adducti denuo communicent, quamvis sit valde suadendum : ita can. 864, § 2 ; quod etiam probabiliter videtur valere de illis qui paucis ante diebus ex devotione communicaverint ;

2) illum qui post viaticum susceptum peccavit, non teneri ad illud denuo recipiendum ;

3) e contra illum qui sacrilege recipit viaticum, adhuc teneri, quia communione sacrilega non satisfecit praecepto divino communicandi. Unde communicet alia die praetextu devotionis ; quodsi adsit infamiae periculum et mortis imminentis, clanculo potest deferri sacramentum etiam a confessario religioso, non autem eadem die ;

4) *per accidens* i. e. *ratione alterius praecepti* obligari posse aliquem ad communionem, quoties superanda est gravis tentatio, quae aliter superari moraliter nequit ; quo casu sat raro, si omitteretur, non esset peccatum contra praeceptum communicandi, sed contra virtutem contra quam tentatio insurgeret.

295. Praeceptum ecclesiasticum sumendi Eucharistiam. — Ecclesia pro variis temporibus, vario modo determinavit praeceptum divinum. A tempore Conc. Lat. IV, c. 21, statutum est quod adhuc enuntiatur in Codice iuris, can. 859, § 1 : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, i. e. ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiae sacramentum recipere ; nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum ». Quod praeceptum obligat sub gravi.

Dicitur : 1) *Omnis utriusque sexus fidelis*, scil. omnis baptizatus, nemine excepto, sive laicus sive sacerdos, sive iustus sive peccator, etiam excommunicatus, sive sanus sive infirmus, quamvis huic posset aliquando concedi quaedam dilatio.

2) *Postquam ad annos discretionis pervenerit*, seu ad sufficientem usum rationis quo discernere sufficienter valeat bonum et malum, atque ad finem ultimum tendere et ab illo se avertere atque peccatum mortale committere capax sit, ut scimus ex Conc. Trid., sess. 21, c. 4 de ref. (n. 275), et ex decr. S. C. de Sacr. *Quam singulari*, 8 aug. 1910. Quod, nostris temporibus et nostris in regionibus, solet accidere circa septennium, ut declaratum invenimus in eodem decreto.

3) *Debet Eucharistiae sacramentum recipere*, devote scil. et cum debitis dispositionibus, uti patet tum ex fine praecepti, tum ex eo quod Conc. Later. explicite addebat verbum : *reverenter*.

4) *Semel in anno :* id est *principaliter* praeceptum quod sacramentum reciperetur semel in anno ; qui annus ex decl. auth. Eugenii IV, 8 iul. 1440, computandus non est a prima ianuarii, neque ab ultima communione, sed a paschate ad pascha.

5) *Saltem in Paschate :* id est *secundario* praeceptum, quod communio ad minus fiat tempore Paschatis, licet Ecclesia exoptet ut pluries recipiatur. Tempus paschale currit a dominica Palmarum usque ad dominicam in albis [1]. At locorum Ordinarii possunt ex iusta causa, i. e. si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus *suis* fidelibus *anticipare*, non tamen ante 4^{am} dominicam Quadragesimae, vel *postponere*, non tamen ultra festum SS. Trinitatis (can. 859, § 2); quo privilegio, si sit locale, uti possunt peregrini commorantes. Parochus autem non potest tempus anticipare nec in casu particulari, quia tempus praecepti nondum est inceptum, sed solum postponere, ut explicite dicitur.

1. Opportune elegit Ecclesia tempus paschale : a) quia illo tempore Christus hoc sacramentum instituit ; b) quia communio est memoriale passionis quae circa Pascha contigit ; c) quia fideles ieiunio quadragesimali ad digne communicandum melius sunt dispositi.

6) *Nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum.* Proprius sacerdos est parochus (et a fortiori Ordinarius loci), qui ob rationabilem causam ad aliud tempus potest differre, v.g. si mulier post partum nondum devenerit ad ecclesiam, si quis iter suscipere debeat a quo brevi sit rediturus, si quis aegrotet et brevi possit adire ecclesiam, si pleniore cognitione doctrinae christianae egeat vel meliore praeparatione. Item confessarius qui in foro interno locum tenet proprii sacerdotis, sed in confessione et ob causam conscientiae tantum.

Notetur : a) Ille qui ante septennium habet usum rationis seu discretionem sufficientem, tenetur ad communionem (can. 859, § 1), non tamen statim sed infra annum faciendam.

b) Praecepto communionis recipiendae non satisfit per sacrilegam communionem (can. 861), ut iam certum erat ex prop. 55 ab Inn. XI damnata.

c) Praeceptum paschalis communionis adhuc urget, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit (can. 859, § 4). Etsi praeceptum secundarium communicandi in Paschate impleri amplius non valeat, non cessat implendum praeceptum principale communicandi semel in anno. Et quidem *quamprimum*, ut est securius ne oblivioni tradatur, et innuitur verbo : *urget;* licet iuxta aliquos sufficiat ut ante Pascha sequens fiat.

d) Qui praevidet fore impediendum toto tempore Paschali, non tenetur praevenire. Imo nec praeveniendo satisfacit, quia tempus obligationis non est inceptum ; nisi tamen licentiam anticipandi obtinuerit ab Ordinario loci.

e) Qui, Paschate incepto, praevidet impedimentum pro ultimis diebus, tenetur communicare quamprimum.

f) Qui omisit communionem in Paschate, sive omiserit ex peccato, sive inculpabiliter, adhuc tenetur communicare : et quidem si dispensatus fuerit ad differendum, tenetur tempore quod ipsi fuerit assignatum ; secus durante anno, saltem ante futurum tempus paschale.

g) A Conc. Lat. IV praescriptum fuerat ut communio paschalis reciperetur a proprio sacerdote, i.e. a parocho eiusve delegato ac proinde in ecclesia paroeciali. Nunc autem dicitur can 859, § 3 : « Suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia. Et qui in aliena satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere ». Quod tamen non est extendendum ad sacerdotes, qui etiam antea satisfaciebant ubivis, celebrando.

296. Animadversiones.— 1. « Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet » can. 864, § 3.

2. « Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur ; et qui animarum curam gerunt, sedulo advigilent ut eo infirmi plene sui compotes reficiantur » can. 865. Quae obligatio est ex genere suo gravis.

3. «Obligatio praecepti communionis sumendae,quae impuberes gravat, in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, i. e. in parentes, tutores, confessarium, institutores et parochum » can. 860. Obligatio evidenter est gravis.

4. Puerorum prima communio in forma solemni, quae in nonnullis regionibus viget, per se reservatur parocho, atque illis institutis qui hospitatis ibi iuvenibus educandis dant operam (S. C. Ep. et Reg., 14 Mart. 1908).

297. *Principium IV*. **Eucharistia non est necessaria sub utraque specie omnibus fidelibus.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 21, c. 1 et can. 1 contra Hussitas, Lutherum, Calvinum, et Orientales schismaticos ; ita post Conc. Const^{e}, sess. 13, quod statuit ut laici in sola specie panis communicarent.

Constat ex uinversali Ecclesiae praxi : licet prioribus saeculis haec fuerit diversa, saepius tamen servabatur sola species panis, sicut pro infirmis, tempore persecutionis, monachis in solitudinibus ; imo in publicis conventibus aliquando sub una specie tantum distribuebatur communio; item in missa praesanctificatorum, quae die Parasceves celebratur, apud Graecos vero pluries in hebdomada toto tempore Quadragesimae durante. E contra aliquando ministrabatur sola species vini, uti infantibus post Baptismum, vel, urgente necessitate, etiam infirmis.

Neque obstant verba Christi, Ioh. VI, 54 : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*— Nam 1° particula *et*, licet de se sit copulativa, saepe tamen in Scripturis sumitur disiunctive, v. g. Exod. XXI, 15, ubi hebraice habetur *et* pro *aut;* et Act. III, 6, ubi Petrus ad claudum quem sanavit, dixit : « Aurum et argentum non habeo », ubi illud significare voluit, ait Benedictus XIV, sibi neque esse aurum neque argentum. 2° In verbis Christi autem sumenda est pro *vel* ; nam, ut argumentatur C. Trid., sess. 21, c. 1 : Qui dixit : « Nisi manducaveritis... », dixit quoque : « Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum. » Et qui dixit : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam », dixit etiam : « Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. » Et denique qui dixit : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo », dixit nihilominus : « Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. » 3° Quod particula *et* in verbis quae obiiciuntur debeat sumi *disiunctive,* praeter allatam sententiam : Qui manducat meam carnem vivet in aeternum, quae falsa foret, si sumeretur copulative, manifeste tradit Paulus, I Cor. XI, 27 : « Itaque quicumque manducaverit panem hunc *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis *et* sanguinis Domini ».

298. *Principium V.* **Communio si spectetur ex parte sacramenti, convenit quod sumantur corpus et sanguis ; si vero spectetur ex parte sumentium qui debent sumere cum summa reverentia et cautela, melius iudicavit Ecclesia ut non sumatur sub utraque specie.**

Primum constat ex eo quod in utraque specie consistit perfectio sacramenti (n. 207), et ideo quia ad sacerdotem pertinet hoc sacramentum perficere, nullo modo debet corpus sumere sine sanguine.

Secundum patet ex Conc. Trid. quod asserit, sess. 21, c. 3 et can. 2., Ecclesiam ita egisse ob graves et iustas causas. Causae autem recenseri possunt :

1° Ne sanguis Christi in terram funderetur, praesertim in magno communicantium concursu.

2° Cum s. Eucharistia aegrotis praesto esse debeat, timendum est ne, si diutius species vini asservaretur, acesceret.

3° Ut servaretur uniformitas in hoc sacramento unitatis : sunt enim multi abstemii qui a vino abhorrent ; sunt alii qui repugnant ex eodem calice bibere post sordidos, foetidos, etc.

4° In pluribus regionibus maxima est vini penuria.

5° Ad convellendam duplicem haeresim : unam quae negabat sub qualibet specie totum Christum contineri ; alteram Hussitarum, quam adoptarunt Protestantes, quae damnabat ut sacrilegii reos qui unam tantum speciem sumebant.

Mutatio in modo communicandi facta est consuetudine, quae ab Ecclesia fuit approbata. Apud Graecos et quosdam Orientales communio sub utraque specie adhuc est in usu durante missa.

299. Corollarium. — Ex eo quod Eucharistia non sit necessaria sub utraque specie, concludi debet cum Conc. Trid., c. 3, « nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt ».

At Eucharistia sub una specie, non solum fidelibus nullam defraudat gratiam ipsis ad salutem necessariam ; verum *per se* producit eamdem gratiam ac sub duplici specie, ut dictum est n. 207. Per accidens tamen potest producere maiorem, scil. vel quia species diutius perdurant, vel propter maiorem devotionem illius qui s. sanguinem sumit.

Infunditur gratiae habitualis augmentum, ipso momento sumptionis panis ; nec tamen altera species inutilis est, propter maiorem scil. significationem passionis.

300. Animadversio. — Certis in casibus licitum est laicis sumere speciem vini :

1° Si sit periculum ne profanetur.

2° Si sacerdote post sumptionem corporis defuncto, non adsit alter sacerdos qui speciem vini remanentem consumat.

3° Si sanguinem effusum sacerdos lambere recuset.

4° Ex privilegio.

Non tamen, in Ecclesia latina, ad sumendum viaticum (can. 852), ut communiter docent theologi conformiter ad dicta n. 284.

SECTIO B.

DE SACRIFICIO EUCHARISTIAE.

S. Th. II-II, q. 85 et q. 86, a. 1 ; I-II, q. 102, a. 2, 3, 4 ; III, q. 22, a. 2 ; q. 47, a. 1 ; q. 48, a. 3 ; q. 49.

301. Alia est ratio sacramenti, alia sacrificii. — Licet in Eucharistia eadem sit res contenta et oblata, multipliciter tamen differt ratio sacramenti et sacrificii :

1° Sacramentum consistit in re permanente, etiam sub una specie ; sacrificium in actione transeunte : oblatione et immolatione Christi sub utraque specie.

2° Sacramentum *per se et primario* ordinatur ad sanctificationem nostram cuius est *causa efficiens ;* sacrificium ad reddendum Deo cultum, quod potest esse *causa impetratoria* beneficiorum a Deo obtinendorum [1].

3° Sacramentum sumentibus est causa meriti ; sacrificium non merendi tantum sed satisfaciendi quoque efficaciam habet.

4° Sacramentum *ex opere operato* prodest soli suscipienti, sacrificium celebranti et aliis.

302. Sacrificium secundum nomen. — Sacrificium dicitur a *sacrum facere*, et ideo significat *actum* quo homo *facit aliquid sacrum ;* unde

1° in sensu *latissimo* significat actum vel opus cuiuscumque virtutis factum in honorem Dei, et a virtute religionis imperatum, v. g. opera misericordiae vel obedientiae (Hebr. XIII, 15-16 ; Ps. L, 19) ;

2° in sensu *strictiore* est omnis actus a virtute religionis elicitus, qui scil. non aliam bonitatem habet nisi quia fit in honorem Dei ; hoc sensu sacrificium *internum* (Ps. XLIX, 14 ; I Petr. II, 5, 9) quo anima seipsam offert Deo, magis est sacrificium quam externum : cultus enim exterior non est nisi expressio interioris ;

1. Hinc S. Thomas, q. 79, a. 7 : « In quantum in ipso repraesentatur passio Christi qua Christus se obtulit hostiam Deo... habet rationem sacrificii ; in quantum vero in ipso traditur invisibilis gratia sub visibili specie, habet rationem sacramenti ».

3° in sensu *strictissimo* et *proprio* est actus praecipuus cultus externi et publici ab omnibus aliis distinctus, solemnissimus et excellentissimus, quia perfectius testatur supremum Dei dominium et omnium plenam ab eo dependentiam ; unde est sacrum facere per excellentiam (Os. VI, 6 ; I Reg. XVI, 2-5).

Consequenter, per extensionem et improprie sacrificium etiam designat terminum actionis sacrificalis, scil. rem sacrificatam seu victimam, quatenus sacrificio sit Deo oblata et facta sacra ; seu ipsum sacrum factum.

303. Realis definitio sacrificii. — Sacrificium stricte dictum definitur : *Oblatio externa rei sensibilis et permanentis per aliquam eius immutationem aut destructionem a sacerdote facta Deo ad testificandum supremum eius dominium et nostram subiectionem.* In qua definitione indicatur :

1° *Genus* ad quod sacrificium pertinet : *oblatio*, qua aliquid offertur Deo deputandum cultui divino ; et quidem *externa*, quia pertinet ad cultum externum et publicum : sic differt a devotione et sacrificio mere interno.

2° *Materia : rei sensibilis et permanentis ; sensibilis* quidem, quia sacrificium est sensibile signum, cum ad significandam fiat internam mentis oblationem qua homo se Deo ut supremo domino offert ac subiicit ; *permanentis* quoque, quae scil. apta sit tum ad significandum dominium permanens Dei in hominem et in totam creationem, tum ad repraesentandum ipsum hominem qui seipsum tradit Deo.

Per hoc oblatio differt ab adoratione, quia haec actionem transeuntem, v. g. genuflexionem, illa exhibet Deo rem permanentem, quae in sacrificio offertur ut vicaria substantiae nostrae sensibilis et permanentis ; unde intelligitur quare ad sacrificia praesertim adhibita fuere illa animalia et aliae res quae inserviunt homini eiusque sustentationi.

3° *Forma : per aliquam immutationem aut destructionem*, qua scil., ad significandum supremum Dei in omnia dominium, res subtrahitur omni usui hominum atque totaliter et in perpetuum cedit in dominium Dei, ac ita tota consecratur Deo et fit sacra.

Non requiritur a) ut immutatio semper habeatur per destructionem realem seu physicam, sed potest sufficere aequivalens, quae scil. quoad formam exteriorem aut secundum aestimationem hominum in ratione significandi reali immutationi aequivaleat : sic res quae ad naturales usus redditur inepta, ut vinum effusum, vel in via ponitur destructionis, et quidquid destructionis fert speciem ita ut aptum sit ad exprimendam significationem sacrificio propriam ; — b) nec requiritur necessario ut significetur destructio vitae humanae in honorem Dei : etiam oblatio alius rei quae tota consecratur Deo apta est ad significandum supremum Dei dominium nostramque totalem subiectionem, imo significatio immolationis vitae humanae per se minus congrua videri posset. Supposito tamen peccato, quo homo dignus est morte, ad placandum Deum offensum et peccatum expiandum, factum est ut in sacrificio propitiatorio victima vicaria vitae humanae destrueretur loco hominis ad significandam expiationem peccati. Ut notat S. Thomas, I-II, q. 102, a. 3, ad 3 : « per occisionem animalium significatur destructio peccatorum et quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur ad significandam expiationem peccatorum ».

Destructione vel immutatione sacrificium ab omnibus aliis oblationibus distinguitur : in simplici oblatione res dum offertur manet integra, quamvis postea possit consumi ; in sacrificio ipsa oblatio formaliter fit per immutationem aut destructionem ; unde S. Thomas, II-II, q. 86, a. 1 : « nomen oblationis commune est ad omnes res quae in cultum Dei exhibentur, ita quod si aliquid *exhibeatur* in cultum Dei, quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debet *consumendum*, et oblatio est et sacrificium ; si vero *exhibeatur ut integrum maneat*, divino cultui deputandum vel in usum ministrorum expendendum, erit oblatio, non sacrificium ». Item, paulo antea, q. 85, a. 3, ad 3 : « Sacrificia proprie dicuntur quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur et comburebantur (sacrificium cruentum), quod panis frangitur et comeditur et benedicitur (sacrificium incruentum). Et hoc ipsum nomen sonat, nam sacrificium dicitur ex eo quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat, sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos nihil fit. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur ».

4° *Causa efficiens* scil. minister : *a sacerdote*. Ad exprimendum sensum religionis publicum nomine societatis, requiritur persona publica, i. e. quae publica auctoritate gaudet, vel ab ipsa legitime deputatur ut pro omnibus vel nomine omnium agat.

Ita antequam constituerentur civitates et regna, dum non erant nisi familiae et tribus, paterfamilias aut primogenitus quasi naturaliter indicabantur ad offerendum sacrificium ; postea et reges id quandoque fecerunt sicut Melchisedech ; at plerumque ad hoc designati fuerunt ministri distincti : convenit enim ut in societate sint ministri a populo segregati, permanenter ad hoc instituti, qui vocantur *stricto sensu* sacerdotes ; quibus institutis, invalide talis actus sacrificii ab aliis tentaretur. Cum autem Christus constitutus fuerit caput omnium hominum, naturaliter sacerdos erat totius humanitatis. Quodsi ordinationem totius cultus sibi reservet Deus, uti factum est in ordine supernaturali,

nullus alius sacrificium vel sacerdotium instituere potest (Hebr. V, 14).

5° *Finis* sacrificii, tum finis *cui : facta Deo*, nam sacrificium est actus virtutis religionis ; tum finis *qui : ad testificandum supremum eius dominium et nostram subiectionem*.

Ex eo quod in honorem Dei res destruatur aut immutetur, atque subtrahatur omni usui humano et tota tradatur et consecretur Deo, significatur plenum in cunctas res dominium Dei et omnium ab ipso dependentiam, imprimis dominium eius in esse et vitam hominis ad quem cunctae res fuerunt creatae.

304. Animadversiones. — 1. Sacrificium est in genere oblationis, et tamen oblatio non est tota eius essentia : omne enim sacrificium est oblatio, sed omnis oblatio non est sacrificium. Hoc est specialis oblatio, quae simul est signum externum, nam « fit ad aliquid significandum : significat autem interius spirituale sacrificium quo anima seipsam offert Deo » (II-II, q. 85, a. 2). Unde est actio externa qua res tota consecratur Deo et fit sacra, ad significandam exterius totalem consecrationem nostrae mentis ad Deum. Oblatio se habet per modum generis, signum ad modum differentiae specificae.

2. Hinc immutatio victimae qua consecratur Deo, non est mera conditio praerequisita ad oblationem sacrificalem, sed est elementum eius constitutivum, quatenus oblatio sacrificalis fit per ipsam sacram immutationem, et haec sit quaedam realis oblatio et pragmatica donatio.

3. Quapropter immutatio victimae nec est dicendum elementum quasi materiale in sacrificio, sed ipsum elementum formale quo praecise constituitur et ab omnibus aliis actibus religionis formaliter differt.

Ad praecavendam aequivocationem, duplex omnino in illo distinguendum est formale elementum : aliud quo formaliter constituitur in ratione actus religionis, et hoc est intentio interna honorandi Deum seu sacrificium internum, sine quo cultus externus non esset nisi simulatio ; aliud quo formaliter constituitur praecise ut sacrificium externum et non sit mera oblatio, aut adoratio, aut oratio vel alius actus religionis, et hoc est signum externum quo res immutatione quadam aut destructione tota dicatur Deo.

4. Destructio tamen seu immutatio mere materialiter spectata non est sacra, sed si spectetur formaliter in quantum significatione spirituali informatur. Hinc quando occisio victimae praecedebat sacrificium, — ut quandoque contigit, — nec a sacerdote fiebat, qui victimam prius occisam offerebat Deo, duplex quidem erat actio materialis et physica, sed una tantum formaliter in ratione significationis, ex qua fiebat quod mactatio, ut a sacerdote praecepta vel ratam habita, iam esset *sacra*, et oblatio non mera oblatio sed vere *sacrificalis*.

5. Cum sacrificium non aliam bonitatem habeat nisi ratione suae significationis, quia est signum interioris affectus quo homo se totum submittit Deo, hinc non est signum naturale quod illud ex natura sua significat, sed conventionale, unde requirit positivam institutionem ; non tamen est mere arbitrarium, sed symbolicum, quia ex se habet aptitudinem ad repraesentandam nostram totalem ad Deum subiectionem.

6. Hinc thurificatio, candelarum incensio, etc. non sunt sacrificium, tum quia etiam fiunt ab illis qui non sunt sacerdotes, tum quia non fuerunt institutae ad agnitionem supremi Dei dominii, sed ad augendam solemnitatem, ad excitandam fidem et devotionem, etc. (C. Trid., sess. 22, c. 5).

7. Oblatio sacrificalis saepius vocatur *immolatio*. Haec vox in sensu proprio significat mactationem cruentam, quo sensu sumitur a S. Thoma, III, q. 83, a. 1 ; a Patribus tamen et Scholasticis, ut P.Lombardo et Alberto M., etiam adhibetur de sacrificiis incruentis, et tunc significat omnem actionem proprie sacrificalem seu immutationem sacrificii constitutivam, quo sensu loquitur ipsum Conc. Trid., sess. 22, c. 1 et 2.

305. Diversae sacrificii species. — Omne sacrificium essentialiter et primario est latreuticum, quia fit in honorem Dei ad testificandum Deum esse primum principium, a quo homo totaliter dependet et quo est quidquid est. Ex quo consequitur a Deo ipsum habere quidquid habet, et expectare quidquid recipiet, et si a Deo se avertat per peccatum, esse poena mortis dignum ; ad quae agnoscenda etiam *possunt* offerri sacrificia. Hinc *ratione finis*, sacrificium dividitur in *latreuticum* (*huldeoffer*) quod *specialiter* offertur ad cultum Dei ; et *eucharisticum* (*dankoffer*) pro beneficiis acceptis ; et *impetratorium* (*smeekoffer*) pro beneficiis accipiendis ; et *propitiatorium* (*zoenoffer*) quod *etiam* specialiter fit ad placandum Deum offensum et peccatum reparandum.

In V. L. *ratione formae et finis* distinguebantur : *holocaustum* (*brandoffer*), quod totum comburebatur in honorem Dei et ideo erat sacrificium latreuticum et perfectissimum ; — *hostia pro peccato* (*zondeoffer*) aut *pro delicto*, quae magis specialiter offerebatur pro peccatis populi, in qua altera pars cedebat sacerdoti qui ideo dicebatur edere peccata populi ; — et *hostia pacifica* (*vredeoffer*), quae magis specialiter offerebatur pro beneficiis acceptis vel accipiendis, in qua tertia pars cedebat in usum offerentium (Lev. VI-VII).

Ratione modi quo offeruntur, alia sunt sacrificia *cruenta*, quae fiebant cum occisione victimae, v. g. sanguinis effusione, combustione, et in V. L. erant principalia ; alia *incruenta*, in V. L. accessoria, utpote quae offerebantur potius una cum cruento aut loco cruenti, quae fiunt sine morte victimae, v. g. fractione aut combustione rei solidae, effusione liquidi (Lev. I-II), missione in desertum, etc.

306. Omnibus sacrificiis successit, tamquam eminentius, unum sacrificium Novae Legis : immolatio Christi quam consummavit in passione et morte

crucis [1] (Mt. XXVI, 53 ; Ioh. XVIII, 6). In quo sacrificio :

1° *Victima* est Filius Dei caro factus ut substitueretur pro hominibus (Hebr. II, 11, 17 ; I Tim. II, 5, 6 ; Rom. V ; Eph. V, 2), atque ipsa unione hypostatica sanctificatus et consecratus hostia in aeternum.

2° *Forma* non tam est materialis occisio quam voluntaria depositio animae et dispositio propriae vitae, in honorem Dei facta, et externe manifestata in libera permissione mortis ; ita quod Christi humana natura, « cum in passione oblata est Deo, sanctificata novo modo fuerit, scil. ut hostia actualiter tunc exhibita » (III, q. 22, a. 2, ad 3).

3° *Minister :* non sunt ipsi occisores, sed Christus qui mortem inferre, dum impedire potuit, voluntarie admisit (Ioh. X, 17, 18).

4° *Valor*, scil. honor Dei, meritum et satisfactio, est infinitus.

Itaque sacrificium Christi ab antiquis sacrificiis valde differt : 1° *dignitate* qua infinite ab iis distat : a) *ex parte offerentis* qui est Filius Dei homo factus, et b) *ex parte rei oblatae* quae est eius corpus et sanguis ;

2° *fine*, quia offertur simul ad quadruplicem finem ;

3° *efficacia :* non tantum valet ex opere offerentium hominum, sed intrinseca dignitate semper est acceptabile Deo quem infallibiliter honorat, unde ex opere operato non tantum tollit immunditiam legalem, sed quantum est de se etiam infallibiliter impetrat gratiam ;

4° *perfectione et stabilitate*, quia nullum aliud praefigurat, annuntiat et praeparat, sed ipsum ab omnibus aliis praefiguratur, quae proinde, ipso accedente, cessare debebant (C. Trid., sess. 22, c. 1).

Erant in antiqua lege hostiae multiplices, transeuntes ac valoris mere relativi ; hostia Novae Legis est una, perpetua et valoris absoluti, utpote infinitae dignitatis ac semper grata et accepta Deo.

Nunquam ergo erit novum sacrificium, meritorium aut propitiatorium, quia Christus satisfecit pro peccatis omnium et omnibus meruit gratias salutis.

307. Sacrificium Novae Legis cruente consummatum in cruce, est in sacramento Eucharistiae

[1] Oblationem crucis esse verum et proprie dictum sacrificium constat ex doctrina Apostcli, ad Eph. V, 2 ; ad Hebr. VII, 26-27 ; IX, 25, 28 ; X, 10, 14, 18, ex universali et constanti fide, et ex C. Trid., sess. 22, c. 1.

perpetuo offerendum, tum ad Dei dominium agnoscendum, tum ad merita et satisfactiones crucis applicandum. — Haec est doctrina catholica quam ita proponit Conc. Trid., sess. 22, c. 1 et 2 :

Iesus Christus « Deus et Dominus noster, etsi *semel seipsum in arca crucis*, morte intercedente, Deo Patri *oblaturus* erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur : quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur, *ut* dilectae sponsae suae *Ecclesiae visibile*, sicut hominum natura exigit, *relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur*, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, *atque illius salutaris virtus in remissionem* eorum, quae a nobis quotidie committuntur, *peccatorum applicaretur* ; sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, *corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis*, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, *ut offerrent, praecepit* per haec verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, et docuit. Nam, celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, *seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum* in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit.

...Et *quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur*, qui in ara crucis *semel seipsum cruente obtulit*, docet s. Synodus, *sacrificium istud vere propitiatorium esse*, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Cuius equidem oblationis cruentae, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur : tantum abest ut illi per hanc quovis modo derogetur ».

308. Sacrificium eucharisticum seu altaris definitur : *Sacrificium incruentum Novae Legis, — in quo corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini, — mystica immolatione, — per legitimum Christi ministerium offeruntur Deo, — ad recognoscendum supremum eius dominium, nobisque merita sacrificii crucis applicanda.* — In qua

definitione successive indicantur omnia elementa sacrificii: materia, forma, minister, et finis.

Definitionem esse realem probabitur toto decursu tractatus [1].

Sacrificium incruentum altaris vocari solet *missa.* Vox probabiliter derivatur a verbo mitto, ita ut idem sit ac missio ; hoc nomine autem appellatur hoc sacrificium a dimissione quarumdam personarum, quae vel sacrificio interesse prohibebantur (missa catechumenorum), vel eidem interfuerunt (missa fidelium). Etiam dicitur *sacrum,* eo quod res oblata sit sacratissima, vel potius eo quod sit actio sacra per excellentiam ; graece appellatur μυσταγωγία i. e. initiatio, peractio mysterii ; λατρεία i. e. cultus servitutis ; ἱερουργία i. e. sacrificium, victima ; θυσία i. e. immolatio ; praesertim λειτουργία i. e. cultus publici officium.

309. Divisio materiae tractandae. — Materia dividitur in duas partes : prima agit de ipso Missae sacrificio ; altera de praeceptis ad sacrificium pertinentibus.

In 1ª parte : de ipso sacrificio eucharistico dicitur :

1° de existentia sacrificii ;

2° de materia sacrificii ;

3° de forma sacrificii : a) de actione qua offertur, b) de modo quo offertur ;

4° de ministro sacrificii : a) de ministro principali, b) de ministro secundario celebrationis, c) de ministro distributionis ;

5° de fine et effectibus sacrificii : a) de variis effectibus, b) de modo quo producuntur, c) de iis quibus effectus obveniunt, d) de iis pro quibus sacrificium offerri potest, e) de valore et quantitate effectuum.

---

1. De sacrificio eucharistico cfr. S. Thomas, III, q. 82-83 cum comm. Caietani, Iohannis a S. Thoma, Billuart, et alia opera pro sacramento Eucharistiae iam recensita (p. 162, n. 1) ; ulterius haec specialia : Pasqualigo, *De Sacrificio N. Legis;* Benedictus XIV, *De SS. Missae Sacrificio;* Thalhofer, *Das Opfer des A. und N. Bundes;* Lambrecht, *De SS. Missae Sacrificio;* Schwane, *Die Eucharistische Opferhandlung;* Renz, *Die Geschichte des Messopfers-Begriff;* Gihr, *Das H. Messopfer, dogm. u. ascet. erklärt;* Brouwer, *Het H. Misoffer, of liturg. verklaring;* Dom Vandeur, *La Ste Messe;* Guilleaume, *Le S. Sacrifice de la Messe;* Simons, *Le sacrifice parfait et universel de la loi nouvelle;* Lamiroy, *De essentia s. Missae sacrificii;* de la Taille, *Mysterium Fidei,* Bittremieux, *De nota destructionis in sacrificio Missae;* Lepin, *L'Idée du Sacrifice de la Messe d'après les théologiens.*

In 2ª parte agitur de praeceptis pertinentibus ad sacrificium, scil.

1° de obligatione celebrandi sacrificium : a) ex sacerdotio, b) ex officio, c) ex beneficio, d) ex stipendio, e) ex praecepto obedientiae aut voto ;

2° de requisitis ad ministrationem.

Accedit appendix de caeremoniis, ritibus, aliisque praeceptis ad celebrationem Eucharistiae et dispensationem pertinentibus.

PRIMA PARS.

DE IPSO SACRIFICIO EUCHARISTICO.

QUAESTIO PRIMA.

DE EXISTENTIA SACRIFICII.

310. Status quaestionis. — Missam vere esse sacrificium, praeter Albigenses, negarunt Novatores omnes, non solum ii qui negabant praesentiam realem, uti Sacramentarii, Calvinistae et multi Anglicani, sed etiam qui eam retinebant, ut Luther cum suis.

Nullum enim admittunt sacrificium, nisi spirituale bonorum operum, atque dicunt Christum non instituisse nisi signum seu nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, aut meram coenam in qua nobis se tradit manducandum. Critici autem liberales, ulterius progressi, ipsam negant historicitatem institutionis Eucharistiae, uti iam diximus, n. 239, B. Imo Modernistae dicunt doctrinam sacrificii crucis non esse evangelicam sed paulinam, atque coenam christianam paulatim indolem actionis assumpisse liturgicae (prop. 38, 45, 49). Atque quidam catholici, ut Renz et praesertim Wieland, cuius opera in Indicem relata sunt 2 ian. 1911, dixerunt per duo fere saecula Ecclesiae latuisse notionem sacrificii et ex influxu paganismi notionem sacrificii applicatam fuisse apud Irenaeum. E contra nostris diebus, inter Anglicanos, Ritualistae et praesentiam realem et veritatem sacrificii eucharistici rursus admittunt.

Doctrina autem catholica statuit in Missa celebrari verum et proprie dictum sacrificium, quod simul est essentialiter repraesentativum sacrificii crucis, non tamen meram huius imaginem, repraesentationem aut commemorationem.

311. *Thesis.* **Celebratio Eucharistiae est verum et proprie dictum sacrificium Novae Legis.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 22, c. 1, can. 1 et 2.

Probatur :

A. *Ex Scripturis :* 1° *Ex vaticinio Malachiae* I, 10-11 : « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum ; et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda ».

Ad quae verba notandum venit a) occasionem huius prophetiae fuisse sacerdotes malos, qui, tempore prophetae, sacrificia sua neglexerunt, contempserunt et polluerunt, quos increpat verbis adductis ; b) verba : *sacrificatur et offertur* esse praesentis temporis et tamen significare futurum, secundum morem prophetarum qui tam certi sunt de futuris ut ea tamquam praesentia describant, atque absque respectu temporis, ea veluti praesentia vident ; c) verba : *sacrificatur et offertur oblatio munda*, vi vocis hebraicae atque usu Scripturae designare sacrificium proprie dictum, ac *praesertim* incruentum.

Praedictis verbis propheta annuntiat sacrificia Iudaeorum esse abolenda, iisque substituendum esse novum atque verum et proprie dictum sacrificium ; quod non potest esse aliud ac sacrificium eucharisticum.

Et quidem : a) Annuntiatur *sacrificium novum*, nam cultui hebraico opponitur alius cultus oblatione munda in omni loco Gentium reddendus, et hic praecise est ratio cur Deus munus sacerdotum Iudaeorum non suscipiat : ab ortu *enim* solis... ; ergo sacrificium Iudaeorum displicet Deo non solum ratione offerentium sed ratione ipsius sacrificii, et ideo est abolendum.

b) Est *sacrificium proprie dictum*, tum quia voces hebraicae id significant, tum quia opponitur proprie dictis, quibus est substituendum, sacrificiis, tum quia sacrificium improprie dictum seu spirituale non est novum sed est in usu omnium temporum ; unde et in c. III iam designantur ministri qui illud sunt oblaturi et de quibus specialem curam habebit Dominus (coll. Is. LXVI, 18).

c) *Non aliud esse potest quam sacrificium eucharisticum :* non enim est sacrificium aaroniticum, quia non est novum et praecise dicitur reprobandum; non sacrificium paganum, cum prophetae eiusmodi sacrificia abhorreant ; non sacrificium crucis quod semel tantum oblatum non offertur in omni loco nec apud Gentes. Ergo est sacrificium eucharisticum cui soli perfecte conveniunt characteres sacrificii annuntiati : est enim *novum, universale, mundum*, a *sacerdotio diverso* offerendum, ex quo *magna glorificatio nominis Dei in omnibus Gentibus* procedit.

Confirmatur : 1° ex interpretatione Patrum ab initio Ecclesiae : Didachè, 14 ; Iust. dial. 41 ; Iren. adv. haer. IV, 17 ; Tertul. adv. Iud. 5 ; Euseb. dem. ev. I, 10 ; Chrys. adv. Iud. V, 12 ; Aug. de Civ. D. XVIII, 35 ; Ioh. Dam. de F. orth. IV, 14 ;

2° ex authentica interpretatione ipsius Conc. Trid., sess. 22, c. 1, quod de sacrificio missae dicit : « Haec illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit ».

2° *Ex psalmo* CIX, 4, *explicato in ep. ad Hebr.* V, 5, 6 : « Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te ; quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech »

Ad quae notandum : a) sacerdotium alicui conferri in ordine ad sacrificium, atque per se et primario respicere sacrificium, ut testatur epistola, V, 1 : « Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis » ; b) Christum dici sacerdotem, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem, i. e. secundum similitudinem, modum, ritum Melchisedech, qui, testante Gen. XIV, 18, protulit panem et vinum ; c) Christum dici sacerdotem in aeternum, ac proinde aliquo modo permanere eius sacrificium.

De Christo itaque annuntiantur tria : a) eum oblaturum esse verum sacrificium, cum sit sacerdos ; b) esse sacerdotem secundum ordinem seu ritum Melchisedech ; c) esse sacerdotem in aeternum et ideo eius sacrificium semper duraturum. Atqui Christus secundum ritum Melchisedech sacrificium offerre non potuit nisi in ultima coena, quando corpus sub speciebus panis et vini posuit, et hoc quotidie in Eucharistia renovatur ex praecepto Christi mandantis : Hoc facite in meam commemorationem. Ergo Eucharistia

verum est sacrificium; quodsi non esset, Christus non esset vere, *ut sacerdos*, seu in sacerdotio, secundum ordinem Melchisedech.

Confirmatur : 1° Licet sub aliis etiam rationibus Melchisedech typum gesserit Christi, et quia rex simul et sacerdos, et quia vi nominis est rex iustitiae, et quia erat rex Salem i. e. pacis, et quia in Scriptura apparet « sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens » et ita perennitatem Christi sacerdotis praefiguret, atque talibus considerationibus solis epistola ad Hebraeos attenderit, non tamen per hoc esset Christus formaliter *sacerdos* secundum ordinem Melchisedech.

2° Unde Patres de Eucharistia intelligunt Christi sacerdotium secundum Melchisedech : Cypr. ep. 63 ; Cl. Al. strom. IV ; Euseb. dem. ev. V, 3 ; Lib. de Sacr. V, 1 ; Chrys. et Theodor. in ep. ad Hebr.; Ambr. de myst. VIII, 16; Hier. ep. 73 ; Aug. de Civ. D. XVI, 22 ; XVII, 20 ; XVIII, 35 ; ep. 177, n. 12.

3° Et ita declarat Conc. Trid., sess. 22, c. 1.

Intelligitur autem in ep. ad Hebr. non fieri mentionem sacrificii Melchisedech, cum scopo intento nullatenus poterat inservire, qui erat probandi excellentiam sacerdotii eius super sacerdotium leviticum : sacrificia enim aequalia, imo excellentiora, utpote cruenta offerebant sacerdotes aaronici.

3° *Ex verbis institutionis*, Lc. XXII, 17-20 ; I Cor. XI, 24-25 : « Hoc est corpus meum quod pro vobis datur (al. tradetur)... Hic est calix novum testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur » ; vel Mc. XIV, 22-24 et Mt. XXVI, 26-28 : « Hoc est corpus meum... Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur », et addit Mt. « in remissionem peccatorum ».

Circa quae notandum : a) verba : *dari* aut *tradi* et *effundi pro vobis* aut *multis*, i. e. in vestri aut multorum beneficium, ex usu recepto verum significare sacrificium ; — b) verba : *qui pro vobis effundetur*, apud Lucam et Paulum, non referri grammatice ad sanguinem sed ad calicem, quod patet ex graeco, ita ut sensus sit : hic calix effunditur ; ubi per metonymiam ponitur continens pro contento ; unde sensus est effundi sanguinem quatenus est in calice aut relationem habet ad calicem, vel sanguinem in calice relationem habere ad effusionem ; — c) verbum : *effundetur* in textu graeco poni in praesenti : *effunditur*, sicut in praesenti est : *datur, traditur;* ita ut obvie intelligatur de traditione et effusione praesenti, quamvis etiam possit intelligi de proxime futura. In primo casu directe affirmatur corpus nunc tradi et sanguinem nunc effundi, et poni in statu immolationis quae realiter consummetur in cruce quam mystice adumbrat ; in altero casu directe significatur corpus tradendum et sanguis fundendus in cruce,

quae tamen iam exhibentur sub ratione corporis traditi et sanguinis effusi.

In institutione itaque Eucharistiae Christus sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem suum in externo statu immolationis, nempe corporis traditi et sanguinis effusi, posuit et obtulit pro nobis in remissionem peccatorum. Atqui traditio corporis et effusio sanguinis pro aliis in remissionem peccatorum manifeste declarant sacrificium. Ergo positio corporis et sanguinis Christi sub speciebus in statu immolationis declaratur esse sacrificium. Iamvero idem quod in coena factum est iussit Christus facere in perpetuum, dicens : Hoc facite in meam commemorationem. Ergo celebratio Eucharistiae est instituta a Christo in perenne sacrificium.

Confirmatur : 1° ex eo quod Christus coenam substituerit paschae iudaicae, et sanguinem N. T. sanguini effuso in confirmationem foederis antiqui (Ex. XXIV, 8) ;

2° ex interpretatione Patrum, v. g. Cypr. ep. 63; et Conc. Trid., sess. 22, c. 1.

4° *Ex usu Ecclesiae primitivae.*

Positive indicatur Act. XIII, 2 : *Ministrantibus illis* (gr. λειτουργούντων) i. e. cultum sacrificalem exhibentibus ; item I Cor. X, 18-20, ubi opponitur calix et mensa Domini calici et mensae daemoniorum, i. e. sacrificiis daemoni oblatis, ut constat ex voce θυσία (v. 18) quae indicat verum sacrificium ; pariter insinuatur ad Hebr. XIII, 10 ; — negative autem constat ex eo quod post Christum alia omnia cessarunt sacrificia.

Facta ex scripturis argumenta singula non semper sufficientem praebent certitudinem, sed omnia simul.

B. *Ex Traditione*, quae manifeste constat e Patribus, Liturgiis, ac decretis Ecclesiae.

1° Initio Patres testantur Eucharistiam verum esse sacrificium: Did. 14 et 15 ; Iust. dial. 41, 70, 117 ; Iren. adv. haer. IV, 17 ; Tert. de or. 19 ; Hippol. in Cant. III, 4 ; Cypr. ep. 63 ; Orig. hom. 9, in Lev. ; c. Cels. VIII, 33 ; Chrys. hom. 17 in Hebr.; Eus. dem. ev. I, 10 ; Cyr. Hier. cat. XXIII, 7-10 ; Gr. Nys. or. cat. 18 ; item Liturgiae in quibus passim occurrunt voces : oblatio, immolatio, sacrificium, hostia. Hoc sacrificio dicunt omnia sacrificia consummari, atque impleri prophetia Malachiae, eiusque antitypum esse sacrificium Melchisedech ; ut iam diximus supra.

2° Aliquatenus rationem sacrificii explicant Iren. adv. haer. IV, 18; Orig. c. Cels. VI-VIII; Hippol. in anaph.; Cypr. ep. 63; Gr. Naz. or. 4 et ep. 171; Gr. Nys. in Ch. res. or. 1, atque insistunt in eo quod consecratione panis et vini Deo offeruntur corpus et sanguis Christi olim pro nobis in cruce traditi; cuius mortis memoria sic semper apud fideles renovatur, ita ut sacrificium totum sit in oblatione victimae olim morti traditae, qua mors vivide repraesentatur.

3° Magni Patres: Ambr. in Lc. I, 28; de Off. I, 48; in Ps. XXXVIII, 25; Chrys. de Sacerd. III, 4; Aug. ep. 98; ep. ad Bonif.; Greg. dial. IV, 58, plenius exponunt rationem sacrificii ac repraesentationis sacrificii crucis; ad quod saepe utuntur verbis « immolationis in sacramento »; quibus non quidem intelligunt sacrificium mere symbolicum ac nude repraesentativum, sed symbolicum simul et reale, et realiter continens id cuius est figurativum.

4° Quae doctrina sacrificii eucharistici etiam invenitur apud Ecclesias orientales separatas, atque pluries fuit authentice ab Ecclesia confirmata: ita ab Innoc. III in prof. fid. pro Wald.; a Conc. Lat. IV, c. 1; in Conc. Lugd. II, prof. fid. Mich. Pal.; atque prof. fid. Pii IV, Greg. XIII et Bened. XIV.

C. *Ratione:* Sacrificium est ex iuris naturalis praecepto offerendum (II, n. 693), unde nulla unquam fuit natio aut religio sine sacrificio; ergo in vera religione a Christo fundata oportet esse sacrificium offerendum. Nullum autem esset, nisi celebratio Eucharistiae esset sacrificium.

Unde et in illa omnes verificantur conditiones sacrificii, uti sumus ostensuri.

312. Obiiciunt Protestantes: ex ep. ad Hebr. unum esse sacerdotem Christum (VII, 23-25); atque pariter unum sacrificium (VII, 27; X, 12-14). Ergo in N. L. non est nisi unum sacrificium crucis.

Resp.: Ad 1^m^, *dist.:* non est nisi unus sacerdos principalis, *conc.;* non est nisi unus ministerialis, *nego:* apostoli et eorum successores sunt enim ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei (I Cor. IV, 1), qui sacrificium offerunt ex praecepto Christi iubentis: Hoc facite in meam commemorationem (ib. XI, 24).

In ep. ad Hebr. excluduntur sacerdotes qui se succedunt eo modo quo sacerdotes levitici, ita quod sint ab invicem independentes, aequales, et nomine proprio offerentes; non autem sacerdotes secundarii et ministeriales, essentialiter subordinati et dependentes, atque vicarii Christi sacerdotis in aeternum qui ipsorum utitur ministerio. Unde in eadem ep. innuitur sacrificium altaris (XIII, 10).

Ad 2^m^ *dist.:* non est nisi unum sacrificium simpliciter et quoad substantiam, *conc.;* non est nisi unum quoad modum offerendi et secundum quid, *nego.*

Unum est sacrificium N. L. ita ut non erit nova victima nec nova realis immolatio, quia una sua immolatione crucis Christus infinitum acquisivit meritum atque pro peccatis abunde satisfecit. Unde nunquam erit novum sacrificium de se propitiatorium; sed nihil impedit quominus eadem hostia rursus offeratur in sacrificium laudis et adorationis, quod essentialiter est rememorativum et applicativum meritorum et satisfactionum crucis. Secundum ep. ad Hebr. repetenda sunt sacrificia V. L., utpote in se insufficientia et inefficacia ad condignam satisfactionem; — satisfactione autem plus quam sufficiente praestita per realem immolationem infinitae virtutis et perpetuae efficaciae, non amplius ad satisfaciendum est offerendum sacrificium, quasi in supplementum sacrificii peracti, at nihil impedit quominus immolatio eiusdem hostiae symbolice renovetur in signo, ut fructus ipsius nobis proveniat ac magis magisque applicetur.

QUAESTIO SECUNDA.

DE MATERIA SACRIFICII SEU RE OBLATA.

S. Th. III, q. 83, a. 1; q. 82, a. 4; q. 79, a. 7.

313. *Thesis.* **Victima est Filius Dei secundum naturam humanam ipsi soli propriam, et quidem 1° corpus et sanguis Christi, 2° quatenus sunt sensibilia per species panis et vini.** — *Certum* est ex perpetua praedicatione Ecclesiae et ex Conc. Trid., sess. 22, c. 1 et 2.

Probatur 1^a^ pars: Hostia est ipse Christus, seu potius corpus et sanguis Christi.

1° *Ex verbis Christi instituentis* et declarantis in hoc sacramento esse *corpus* suum *quod frangitur seu traditur,* ac *sanguinem* suum *qui effunditur,* seu esse veram hostiam, *in remissionem peccatorum.*

2° *Ex traditione* quae constat ex modo loquendi Patrum, Liturgiae et Conc. Tridentini.

Patres et Concilium id docent, tum implicite unum et idem dicendo sacrificium missae et crucis, tum explicite asserendo in missa Christum offerri ipsum, aut eius corpus et sanguinem; quod etiam faciunt Liturgiae.

3° *Ratione:* a) Eadem est hostia in missa et in cruce,

in qua Christus obtulit corpus suum et sanguinem ; b) congruit perfectioni Ecclesiae ut offerat Deo id quod est maius et excellentius in ea : de melioribus bonis enim sacrificium fieri consuevit; melius autem et perfectius in Ecclesia est corpus et sanguis Domini.

Probatur 2ª pars : Est Christus sub speciebus panis et vini ; nam :

1. Christus sacrificium illud sub speciebus panis et vini instituit.

2. Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, offerentis panem et vinum ; quod verum non esset nisi offerret seipsum sub panis et vini specie.

3. Nulla actio nostri attingit Christum in propria specie existentem.

4. Res oblata debet esse sensibilis ; sed corpus et sanguis Christi non sunt sensibilia nisi per species panis et vini.

Species tamen non sunt pars rei oblatae, ut quidam dicunt, sed sunt *conditio* necessaria ut reddatur sensibilis ; sunt quidem pars sacramenti, non autem sacrificii, unde Conc. Trid. dicit corpus et sanguinem offerri *sub* (non cum) *speciebus*.

314. Corollarium. — *Solus Christus est victima in hoc sacrificio ; unde non sacrificantur panis et vinum quae in Christum convertuntur.* Nam :

1° Iuxta Conc. Trid., *una* et *eadem* hostia, *sola* offerendi ratione diversa, offertur in missa et in cruce, in qua nihil fuit oblatum praeter Christum.

2° Nulla est ratio cur Christus, praeter oblationem excellentem corporis et sanguinis, voluerit offerri res minimas ut panem et vinum.

3° Non congruit perfectioni N. L. quod eaedem res offerantur, quae in V. L. in figuram novi sacrificii fuerunt oblatae.

Neque obstat quod panis et vinum destruantur ; nam a) non destruuntur sensibiliter ; b) non omne quod destruitur est victima sacrificii : requiritur enim positiva institutio in signum cultus. Panis et vinum igitur non sunt nisi terminus a quo, et materia ex qua victima fit praesens sub speciebus.

QUAESTIO TERTIA.

DE FORMA SACRIFICII.

Articulus I.

De Actione qua Christus offertur.

S. Th. III, q. 83, a. 1 et 4 ; q. 79, a. 5 et 7 ; q. 82, a. 4 ; a. 10 et ad 1 ; q. 80, a. 12, ad 1 et 3.

315. *Thesis I.* **Tota essentia sacrificii eucharistici consistit in consecratione ; et quidem utriusque speciei.** — Est sententia longe communior.

Probatur 1ª pars : Tota essentia est in sola consecratione.

1° *Ex verbis Christi :* Christus, in verbis consecrationis quae sunt effectiva et practica, declarat corpus suum *frangi* seu *tradi*, et sanguinem suum *effundi* in remissionem peccatorum. Atqui haec, secundum modum loquendi Hebraeorum, significant immolationem sacrificii. Ergo in consecratione perficitur sacrificium.

2° *Ex auctoritate Patrum et Theologorum*, nominatim Iren. adv. haer. IV, 18 ; Chrys. hom. 1 in prod. Iud., 6 ; Greg. Nys., or. 1 in res.; Cyr. Hier., cat. XXIII, 8; et S. Thomae qui inter alia habet :

« In quantum in hoc sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus se obtulit hostiam Deo, habet rationem sacrificii » q. 79, a. 7. Atqui « repraesentatio Dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » q. 80, a. 12, ad 3. Ergo « in consecratione Eucharistiae sacrificium Deo offertur » q. 82, a. 10, ad 1 ; sed « consecratio... alterius materiae, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiae » q. 82, a. 4, ad 1.

3° *Ratione :* a) Christus est principalis offerens et sacerdos eius nomine visibiliter offert (I Cor. XI, 24-25 ; Lc. XXII, 19) ; atqui in sola consecratione sacerdos explicite agit in nomine Christi, ita ut propriae personalitatis quasi oblitus, agat ac loquatur ac si ipse Christus esset, dicens : hoc est corpus meum... ; ergo.

b) Celebratio sacrificii altaris est sacrificii crucis essentialiter repraesentativa ; quod non significat actionem quamdam vel circumstantiam sacrificio additam re-

praesentare crucem, sed id fieri per ipsam actionem sacrificalem. Atqui haec repraesentatio solum fit in consecratione. Ergo in consecratione perficitur actio sacrificalis altaris.

c) Principalis potestas sacerdotis est consecrare. Atqui in ordinatione sacerdotis non dicitur : accipe potestatem consecrandi, sed accipe potestatem offerendi sacrificium. Ergo ipsum consecrare est sacrificium offerre ; secus non appareret quandonam potestas consecrandi traderetur.

Quibus argumentis si simul considerentur, et una cum iis quibus excluduntur aliae sententiae, thesis ad minus dicenda est probabilissima, si non moraliter certa.

Probatur 2ª pars : Ad essentiam sacrificii utraque requiritur consecratio.

1° Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech i. e. secundum ritum offerendi Melchisedech, — ut intellexit traditio, — qui solus in utroque, scil. pane et vino, sacrificavit.

2° Sacrificium altaris est expressa repraesentatio sacrificii cruenti crucis. Atqui in cruce fuit sanguis a corpore effusus et separatus. Ergo et in altari debet sanguis repraesentari a corpore separatus et effusus ; quod non esset nisi specie vini a pane separati repraesentaretur sanguis ut a corpore effusus.

« Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione huius sacramenti in qua non debet corpus sine sanguine consecrari » q. 80, a. 12, ad 3. Nam « sanguis seorsum a corpore consecratus, expresse passionem Christi repraesentat», «quia separatio sanguinis a corpore fuit per passionem » q. 78, a. 3, ad 2 et 1.

Licet ergo consecratio unius speciei de se posset videri sufficiens ad sacrificium et ad victimae symbolicam immolationem, non tamen sufficit ad sacrificium quod a Christo fuit institutum, qui in honorem Dei nullum aliud instituit praeter repraesentationem suae mortis per sanguinis effusionem (C. Trid., sess. 22, c. 1). Et haec est sententia longe probabilior.

316. Corollaria. — Ex praedictis sequitur ad essentiam aut integritatem sacrificii non pertinere :

1° *Actiones quae praecedunt consecrationem vel sequuntur communionem*, quia non versantur circa corpus et sanguinem Domini, sed sunt mera sacrificii praeparatio vel gratiarum actio.

2° Item *actiones quae inter consecrationem et communionem ponuntur*, uti sunt elevatio vel oblatio verbalis victimae, fractio hostiae et mixtio specierum, tum quia non sunt a Christo institutae nec fiunt in persona Christi ; tum quia secundum missale aliquando omitti possunt (de def., tit. 3 et 4) ; tum quia non repraesentant passionem nisi secundum quamdam circumstantiam frustraque dicerentur adhiberi ad Christum immolandum, cum ipsum non immutent nisi ad summum localiter[1].

3° Item *communionem populi :* a) quia Conc. Trid., sess. 22, can. 8, declarat missas in quibus solus sacerdos communicat esse licitas (cfr. C. Nic. I, can. 18 ; prop. 28, syn. Pist. damn. a Pio VI) ; b) quia communio non semper a sacerdote distribuitur sed aliquando a diacono, imo olim a laicis ; ergo non est actio sacrificalis ; c) quia sumptio est participatio sacrificii (I Cor. X, 16 ; Hebr. XIII, 10), unde supponit hostiam iam oblatam et immolatam[2].

317. *Thesis II.* **Communio specierum in eodem sacrificio consecratarum facta a celebrante non est de essentia sacrificii ; est tamen de eius integritate.**

Probatur 1ª pars : Communio non est de essentia sacrificii[3].

1° Ex auctoritate Patrum et Theologorum : Cypr. de laps. 26 ; Chrys. hom. 1 in prod. Iud. 6 ; Greg. Nys., or. 1 in res. ; Cyr. Hier., cat. XXIII, 7-10 ; C. Tol. XII, a. 681, c. 5 ; et S. Thomae, q. 79, a. 5 et q. 82, a. 4.

2° Manducatio est actio inepta ad sacrificium : non enim offertur aliquid Deo, nec aliquid usui humano subtrahitur in honorem Dei deputandum, per actionem qua ab homine aliquid in propriam utilitatem consumitur. A. v. consumptio in propriam utilitatem non est symbolum nostrae subiectionis erga Deum.

3° Sacrificium offertur nomine Christi ; sed communio

1. Plures theologi, ut M. Canus, Estius, Valentia, fractionem hostiae dixerunt essentialem ; alii, ut S. Bellarminus, eam habuerunt ut partem integralem sacrificii. Utrumque manifeste opponitur S. Thomae, q. 83, a. 4 ; a. 5, ad 7 ; a. 6, ad 6.
2. S. Thomas, q. 79, a. 7, ad 3.
3. Contrarium docuerunt plures : quidam moderni, ut Bellord, eam dixerunt totam essentiam, quia sacrificium nihil aliud esse quam convivium cum divinitate autumant, quod tamen falsum est, cum in holocausto nulla detur comestio victimae, et tamen illud erat sacrificium magis perfectum ; — alii consecrationem simul et communionem ponebant essentiam, sed praecipue in communione, quam praeparat consecratio : ita S. Bellarminus et S. Alphonsus ; — alii vero praecipue in consecratione, licet partialiter in communione, ut Dom. Soto, Lugo, Salmanticenses.

non fit in persona Christi, nam Christus non fit cibus pro seipso nec se manducat per alium.

Nec dicas : Christus tradit se ad communicandum, sicut tradebat se ad crucifixionem. — Nam interfectores quibus se tradebat non erant ministri nomine eius immolantes, dum sacerdos est verus eius minister qui nomine Christi agere debet.

4° Sacrificium altaris essentialiter est repraesentativum passionis Christi ; atqui communio non repraesentat passionem ; ergo.

Neque obstat I Cor. XI, 26 ; nam communicantes annuntiamus Christi mortem, non quatenus ipsa sumptio esset imitatio crucis, sed quatenus participes passionis victimae in cruce immolatae et nunc in memoriam mortis rursus oblatae.

5° In communione nulla actio adest quae ipsam victimam afficiat, sed afficit solas species ; unde erronee diceretur Christus ipsa immutari, destrui aut immolari.

Probatur 2ª pars : Communio celebrantis est pars integralis. Ita S. Thomas, q. 79, a. 7, ad 3 ; q. 82, a. 4 ; q. 83, a. 6.

1° Ex praxi Ecclesiae, quae ita urget communionem in omni circumstantia ut nunquam licitum sit illam omittere, et, defectu celebrantis, ab alio sacerdote, etsi non ieiuno, sit facienda (Missale, tit. 10, n. 3).

2° In hoc sacrificio paratur Christus in rationem cibi et potus ; hoc autem dicit naturalem ordinem ad sumptionem, quod agnoscunt Patres : Chrys. hom. 3 ad Eph. ; Aug. in Ioh. XXVI, 13 ; Greg. dial. IV, 58; ergo sumptio est pars complens integritatem sacrificii.

3° Sacrificium altaris est sacrificium propitiatorium et pacificum, in quo sacerdos participare solet sacrificio in signum pacis et societatis Deum inter et homines.

Unde sine sumptione missa esset verum sacrificium sed incompletum, sicut vir sine brachio est verus homo sed incompletus. Hinc missa in Parasceve a Patribus et Theologis negatur esse sacrificium ; quodsi ab aliis sacrificium vocetur, id intelligunt sensu imperfecto de sacrificii participatione.

318. Obiiciunt : In sacrificio requiruntur duo : praeparatio seu adductio victimae et eius immolatio. Atqui in consecratione non habetur immolatio sed tantum positio victimae : nihil enim immutatur aut destruitur in quantum ponitur ; quodsi tunc fieret mutatio Christi, non fieret in altari sed in coelo. Ergo insuper requiritur communio ut Christus immoletur seu destruatur.

Respondetur illa duo requiri distincta si victima in propria specie offertur, quia tunc non ponetur in statu victimae nisi per actionem quae attingit et mutat ipsam ; si autem offertur in specie aliena, poni potest in statu victimae per actionem quae realiter mutat aliud in ipsam. Non sequitur tamen quod Christus immoletur quatenus mutetur in coelo vel praecise quatenus hic ponatur, sed quatenus ponitur in statu victimae ; quae actio, licet physice sit positio et non immutatio, huic tamen aequivalet secundum aestimationem hominum, quia Christus per actionem quae mutat panem et vinum in ipsum, hic ponitur in externo statu immolationis et victimae. Unde eadem actio sub diversa ratione est praesentatio et quasi adductio victimae per transsubstantiationem, simul et oblatio ac immolatio.

319. Corollaria practica. — Ex doctrina exposita plura sequuntur in praxi attendenda :

1. Specialis applicatio missae necessario fieri debet ante consecrationem, ita ut postea facta invalida sit et nullius valoris.

2. Qui consecrationi adest, sacrificio quoad essentiam interest et fructuum eius fit particeps; licet Ecclesiae praecepto audiendi die festo sacrum non satisfaciat, cum Ecclesia missam praecipiat *integram.*

3. Celebrans tenetur de suo sacrificio communicare, nec potest sumere hostiam in alia missa vel ab alio sacerdote consecratam, et hostiam a se consecratam reponere in pyxide aut in ostensorio.

4. Eadem quoque hostia, quae simul cum calice consecrata fuit, et non alia, debet frangi et a celebrante sumi ; nam liturgica fractio hostiae est praeparatio ad sumptionem.

5. Ipsa pariter hostia modo consecrata, et non alia antea consecrata elevari debet, ut adoretur ; et omnes caeremoniae per se peragi debent cum una eademque hostia, uti postulat perfecta sacrificii integritas.

6. Sine gravissima causa, licitum minime est particulas in missa consecratas sumere de altari ante communionem celebrantis, ut distribuantur fidelibus communicaturis, quia ex eodem sacrificio prius celebrans, dein fideles communicare debent.

7. Pariter hostiae in missa consecratae non sunt ante peractam communionem reponendae, sed super altari usquedum relinquendae, quia quodammodo pertinent ad sacrificium quod communione completur.

Articulus II.

De Modo quo Christus offertur.

S. Th. III, q. 74, a. 1 ; q. 79, a. 7 ; q. 83, a. 1 ; q. 78, a. 3, ad 1 et 2.

320. Status quaestionis. — Demonstrato essentiam sacrificii verificari in consecratione, quaeritur de modo quo in consecratione oblatio et immolatio sacrificalis fiat, seu de modo quo Christus offeratur et immoletur.

Circa quod multae per decursum temporum enuntiatae fuerunt sententiae, quae ad tres classes reduci possunt.

a. Alii tenuerunt sacrificium altaris diversa ratione esse absolutum et repraesentativum, seu in se verum et proprie dictum sacrificium esse per aliud quam per repraesentationem passionis Christi.

b. Alii e contra ipsam rationem sacrificii constituunt in ipsa repraesentatione mortis Christi, vel in immolatione seu destructione mystica passionem repraesentante.

c. Alii denique, hac immolatione vel eius repraesentatione supposita, actionem sacrificalem formaliter reponunt non quidem in destructione sed in oblatione rei immolatae aut destructae.

321. *Principium I.* **Sacrificium altaris non alia ratione est sacrificium et alia repraesentativum crucis, sed in quantum est sacrificium est repraesentativum, et in quantum repraesentat passionem etiam verum est sacrificium.**

Haec est doctrina traditionalis, quae ab initio et constanter invenitur enuntiata apud Patres et Scholasticos : ipsum Missae sacrificium formaliter esse repraesentativum crucis, non quidem per accidens, seu per quamdam circumstantiam ipsi additam, sed per se i. e. per suam essentiam seu immolationem ipsi propriam ; quod non esset nisi ipsa repraesentatio sacrificii cruenti crucis ipsa esset immolatio Christi in missa, et haec immolatio incruenta Christi esset repraesentatio immolationis cruentae.

Ita v. g. Iust., dial. LXX, 4 ; Cypr., ep. 63 ; Cyr. Hier., cat. 23 ; Sacram. Serapionis XIII, 12-14 ; Const. Apost. VII, 25, 4 ; Eusebius, dem. ev. I, 10 ; H. E., X, 2-3 ; Greg. Naz., ep. 171 ; Chrys., de Sacerd. III, 4 ; de prod. Iud., I, 6 ; in Mt., hom. 82, 1 ; Caes. Naz., dial. 3, inter. 169 ; Ambros. in ps. XXXVIII, 7 ; de off. min. I, 48 ; Aug., ep. 98 ; Greg., dial. IV, 58 ; Cyr. Alex., ep. 17 ; Pasch. Radb. de corp. et sang. D[1], XIX, 3 ; Lanfrancus, de corp. et sang. D[1], 14 ; Alex. Al., p. 4, q. 10, m. 3, a. 2 ; S. Thomas, q. 79, a. 7 ; q. 73, a. 4, ad 3 ; q. 74, a. 1 ; a. 7, ad 2 ; q. 76, a. 2, ad 1 ; q. 78, a. 3, ad 7 ; q. 80, a. 12, ad 3 ; q. 83, a. 1[1].

Confirmatur quoque ex sacrificiis V. L. quae eatenus erant praefigurativa crucis quatenus in ipsis hostia immolabatur.

Plures aliter sentierunt, scil. non sufficere repraesentationem passionis Christi realiter praesentis ut verum adsit sacrificium : ita enim non est verum et reale sacrificium quo Christus destruitur, sed tantum destrui repraesentatur, non est vera immolatio sed mera immolationis repraesentatio ; et quidem :

1° Alii, ut S. Bellarminus et S. Alphonsus, dixerunt Christum destrui quatenus sumitur in communione et sic eius praesentia sub speciebus cessat ; quod iam sufficienter confutavimus in art. praec., n. 317.

2° Alii pauci dixerunt esse sacrificium, quatenus vere destruuntur panis et vinum. At a) id asseritur sine fundamento, ut notavimus n. 314 ; b) non iam offerretur sacrificaliter aut immolaretur Christus ; c) panis et vinum non destruuntur visibiliter, unde id non sufficit ad constituendum sacrificium proprie dictum scil. externum et visibile.

3° Alii, ut Suarez et Scheeben, posuerunt destructionem conversivam, dicentes panem et vinum sacrificari quatenus destruuntur, Christum quatenus producitur : non enim tantum offertur res quae mutatur et destruitur, ut animal, sed etiam illa in quam mutata fuit seu quae de novo producitur, uti fumus in holocausto. At a) panis et vinum non sacrificantur, ut iam dictum est n. 314 ; b) falsum est quod Christus producitur (n. 244) ; c) licet res producta offerri possit, tamen contra sensum communem dicitur res *sacrificari* in quantum producitur.

4° Alii, ut Lugo et Franzelin, dicunt Christum destrui non realiter sed aequivalenter seu humano modo, quatenus, cum sit gloriosus in coelo, hic sub speciebus panis et vini constituitur in statu decliviori, humiliori et quasi mortuus, *redactus ad statum cibi et potus*, destinatus ad consumptionem, et ineptus ad exercendas actiones connaturales vitae corporeae, non secus ac incarnatio Verbi dicitur ab Apostolo exinanitio Filii Dei (Phil. II, 7). Ad quam sententiam aliquo modo accesserunt Waffelaert et Lamiroy, dicentes Christum poni in statu immolatitio, quatenus eius corpus fit manducabile et cibus, sanguis potabilis ac potus, ac proinde poni in statu victimae immolatae.

---

1. Neque generatim id negant auctores illi qui sacrificium formaliter reponunt, non in immolatione seu destructione, sed in sola oblatione. Audiatur unus de la Taille, M. F., eluc. XIX : « Celebrationi nostrae eucharisticae inesse et rationem sacrificii et passionis repraesentationem ; imo hinc pendere sacrificii indolem quod habeatur imago passionis (seu immolatio symbolica) uno ore Patres proclamavere. Quorum sententia tam aperte est tamquam nota iis qui vel extremo digito paginas illorum volutaverunt, ut si quis testimoniis insisteret congerendis, is nonnisi actum agere videretur ». Item Lepin, *L'idée du Sacrifice de la Messe,* p. 750, conformiter ad de Condren, Olier, Juenin, Le Brun, aliosque eiusdem scholae.

At a) nihil sacrificatur quatenus destinatur in usum hominis aut ponitur in statu cibi : sic enim magis accommodatur in usum hominis quam offeratur Deo. b) Christus manet in hoc sacramento immutatus (n. 243-244) ; licet ergo non exerceat actiones circa res circumstantes, quia ibi existit modo inextenso scil. ad modum substantiae, est tamen ibi cum omnibus actionibus vitalibus atque gloriosis dotibus quas in coelo exercet aut habet. Unde Christus in se non subit immunitionem, sed solum externe ponitur in humiliore statu rei inanimatae, quasi non viveret[1].

Praedictae sententiae omnes sunt reiiciendae, quia, ut dictum est, ipsum sacrificium missae, per hoc ipsum quod est sacrificium, etiam est repraesentativum passionis ; quod in dictis sententiis non verificatur.

322. *Principium II.* **Sacrificium eucharisticum essentialiter consistit in immolatione symbolica seu mystica, i. e. in ipsa passionis dominicae repraesentatione, quatenus Christus, semel cruente immolatus, sub signis sacramentalibus in externo habitu immolationis per species separatas ponitur et offertur ac si sanguis eius esset a corpore realiter effusus.**

Est perfectior enuntiatio et accuratior doctrinae traditionalis expositae sub principio primo. *Probatur :*

1° *Ex verbis Christi* instituentis, qui Eucharistiam esse sacrificium docet, dicendo corpus suum ibi dari et sanguinem suum effundi. Atqui sanguis Domini non effunditur, nisi quatenus sub distincta specie praesens fiat ac si esset a corpore separatus. Ergo in hoc consistit sacrificium eucharisticum.

2° *Ex auctoritate Patrum et Theologorum* supra traditorum.

3° *Ratione :* Essentia sacrificii eucharistici repraesentat immolationem crucis ; atqui sacrificium crucis repraesentatur quatenus Christus sub distincta specie offertur ; ergo in hoc consistit ipsa essentia sacrificii eucharistici.

1. Inutile est rememorari singularem sententiam Cienfuegos (*Vita abscondita*, disp. 2, lect. 1) dicentis Christum miraculose in sacramento exercere actus vitae sensitivae, hos autem postea suspendere, atque in mixtione corporis cum sanguine, iterum eos assumere ; porro in actuum illorum vicissitudine reponi essentiam sacrificii. — Sed haec asseruntur sine ratione, et contradicunt doctrinae S. Thomae, q. 76, a. 7, ad 2, et 8. ad 2 ; nec ita haberetur sacrificium essentialiter repraesentativum passionis.

Id tamen non semper recte explicatur ; et quidem :

1° Vasquez et Perrone, ad quos aliquatenus accedit Coghlan, dixerunt Missam non esse sacrificium in se absolutum, sed mere repraesentativum, ac proinde in ipsa non requiri realem immolationem seu veram immutationem, sed sufficere meram huius repraesentationem. — At a) tunc missa non esset verum sacrificium, sed tantum eius imago : repraesentatio enim ut repraesentatio non est sacrificium, cum tamen Conc. Trid., sess. 22, c. 1, dicat missam esse verum et proprium sacrificium ; b) licet a sententia Protestantium, quae ait missam esse nudam commemorationem sacrificii crucis, haec sententia differat verbo quia dicit esse sacrificium relativum, et ideo a Trid., can. 8, non fuerit damnata, re tamen ab ipsa differre non videtur. Non confundi potest vera immolatio incruenta cum immolatione mere figurali et metaphorica.

2° Multi, uti Lessius, Sylvius, Gonet, Billuart, Pesch, Hugon, tenent Christum immolari, quatenus vi verborum sanguis separatur a corpore : quamvis enim per concomitantiam cum corpore etiam adsit sanguis, hoc tamen fit per accidens quantum ad verba consecrationis. — At a) si per accidens sanguis non separatur, per accidens non datur sacrificium, ad quod non sufficit ut causa ponatur immolationis sed ut victima revera immoletur : ita si gladius non occidat victimam, per accidens non erit sacrificium. Restat ergo quod in praedicta sententia non est nisi sacrificii tentamen ; — b) verba non habent vim separandi sanguinem a corpore, nam sanguinem non excludunt : ante consecrationem vel sanguis erat separatus, et tunc separatio non fit vi verborum ; vel non erat separatus et tunc verba non separaverunt nec separabunt.

3° Unde aliter et magis sobrie est dicendum : Vi verborum scil. solum corpus est praesens sub specie panis, et solus sanguis sub specie vini ; unde species consecrata panis non repraesentat nisi corpus, species vini non repraesentat nisi sanguinem. Corpus ergo et sanguis, licet non realiter, *sacramentaliter* tamen i. e. *signis suis sunt separata;* unde Christus sub speciebus est *in externo habitu separationis* sanguinis a corpore, non aliter ac si sanguis esset realiter a corpore separatus. Insuper species panis et vini sunt species rei inanimatae ; ergo non repraesentant nisi corpus et sanguinem inanimata : corpus exsangue et mortuum, sanguinem effusum ; unde licet Christus non sit realiter mortuus, est tamen in externo habitu destructionis et mortis, non secus ac si esset cruente occisus.

Positio hostiae in tali statu sufficit ad sacrificium, quod est signum symbolicum supremi Dei dominii et nostrae ad eum subiectionis ; signum autem est aliquid externum et visibile ; ergo ad essentiam sacrificii non requiritur immolatio realis et cruenta, sed sufficit symbolica et perfecta huius repraesentatio, qua hostia realiter praesens ponitur in externo habitu mactationis et mortis, ita ut exterius omnino appareat ac si mortua esset. Et licet externus ille habitus non semper sufficeret ad reparandum peccatum et ad sacrificium de se efficaciter propitiatorium, ad quod requiritur vera et realis immolatio, quia peccatum facit reum

mortis ; eamdem tamen ac mors realis habet vim significandi nostram submissionem, et multo expressius quam effusio vini aut fractio cibi vel missio hirci in desertum. Et ideo sufficit ad hostiam iam realiter immolatam rursus in honorem Dei offerendam in sacrificium, quod non est propitiatorium nisi quia revera continet hostiam immolatam et quia applicat huius satisfactiones pro peccato iam praestitas [1].

Haec est sententia quam S. Thomas a traditione didicit atque docet l. c., quamque proponunt magni Thomistae, ut Caietanus et Iohannes a S. Thoma, item Pasqualigo, Bossuet, recentius vero Billot, Van Noort, Grimal, Pègues, et Garrigou-Lagrange.

323. *Principium III.* **Sacrificium eucharisticum altaris, licet formaliter consistat in oblatione, non tamen oblationem exigit ab immolatione distinctam, sed offertur ipsa incruenta seu symbolica immolatione.**

Ita contra plures recentiores [2], qui immolationem ut meram conditionem praerequisitam habent ad sacrificium, id autem formaliter, aut etiam exclusive, in oblatione reponunt. Immerito, ut videtur.

Nam : 1) Id opponitur S. Thomae dicenti q. 79, a. 7 : « in quantum in hoc sacramento repraesentatur passio Christi, qua Christus obtulit se hostiam Deo..., habet rationem sacrificii », et

1. Notetur sententiam nostram a doctrina omnino differre quam proposuit De Lugo : 1° quia affirmamus repraesentationem sanguinis effusi, in ordine ad significationem sacrificalem, aequivalere immolationi reali, quod ipse negat ; — 2° quia in hac repraesentatione essentiam sacrificii reponimus : essentia enim rei est id quod tamquam primum in ipsa concipitur, et ex quo omnia alia derivantur ; atqui in morte cruenta id quod concipitur tamquam primum est effusio sanguinis, a qua derivatur et absentia motus et vitae, et status mortis ; ergo et in morte symbolica, id quod concipitur tamquam primum et quasi essentia est ipsa sacramentalis separatio sanguinis a corpore, cuius externus habitus mortis est tantum concomitans consequentia. Non ergo negamus externum habitum mortis pertinere ad rationem sacrificii, sed dicimus non esse principalem in ipso, tamquam essentiam, sed se habere potius per modum cuiusdam consequentiae ; — 3° quia explicamus cur essentia sacrificii consistat in consecratione duplicis speciei, sine qua non repraesentatur effusio sanguinis ; in sententia Lugonis huius rei nulla datur ratio, quia et sub una specie Christus constituitur in externo habitu mortis.

2. Ita de quibusdam iam fert Habert; id expresse docuerunt in Gallia plures, ut de Condren, Olier, Plowden; recentius Thalhofer, de la Taille, Lepin, ad quos accedunt aliquatenus Battifol, Rivière, Mac Donald, Grivet ; etiam d'Alès.

q. 73, a. 4, ad 3 : « dicitur sacrificium in quantum repraesentat ipsam passionem Christi ».

2) Sacrificium non constituitur mera et formali oblatione : a) non quidem oblatione interna : haec quidem est formale elementum quo sacrificium constituitur in ratione actus virtutis scil. religionis, et quod sufficit ad sacrificium internum ; sed est insufficiens ad constituendum sacrificium externum et proprie dictum ut tale, aut ab aliis actibus religionis formaliter distinguendum ; b) nec externa oblatione, quia non omnis oblatio est sacrificium ; — sed c) constituitur reali oblatione quae sacrificio est propria, quaeque habetur per sacrificalem immolationem. Ergo verum sacrificium eucharisticum altaris non constituitur tale interna oblatione Christi ; nec mera oblatione externa sacrificii peracti in cruce, quae etiam in coelis fit Patri per quoddam sacrificium metaphoricum et improprium ; sed ipsa symbolica et incruenta immolatione Christi offertur.

3) Sicut ipsa mors Christi voluntaria formaliter est sacrificium cruentum crucis, ita ipsa repraesentatio crucis in sacramento est formaliter sacrificium incruentum, non autem per oblationem actu distinctam.

324. **Corollaria.** — 1. *Sacrificium missae non est nova immolatio in sensu proprio*, seu mactatio cruenta; unde S. Thomas, q. 83, a. 1, docet quod celebratio huius sacramenti *dicitur* immolatio Christi, quia imago est quaedam repraesentativa passionis Christi, quae est vera eius immolatio, et quia per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis. — Nihilominus in altari *nova fit immolatio symbolica et analogica, seu vera immolatio incruenta,* uti loquuntur Patres : Cypr., ep. 63 ; Aug., ep. 98, Greg., dial. 4, et Scholastici, ut Petrus Lombardus et Albertus M. Quare ipsum Conc. Trid., sess. 22 : « in divino hoc sacrificio... Christus... *incruente immolatur* » (c. 2), quoniam « novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus *immolandum* » (c. 1).

2. *Non fit nova hostia in altari*. Christus ipsa unione hypostatica sanctificatus est et consecratus hostia in aeternum, quod tamen non impedit quin humana eius natura, « cum in passione oblata est Deo, sanctificata novo modo fuerit, scil. ut hostia actualiter tunc exhibita » (III, q. 22, a. 2, ad 3). Per resurrectionem et ascensionem Christus acquisivit statum definitivum hostiae immolatae, acceptatae et glorificatae remanentis in aeternum. Hinc in sacrificio altaris non consecratur novo modo in hostiam, sed hostia perpetua constituitur sacramentaliter praesens denuo offerenda.

3. *Sacrificium crucis et sacrificium altaris aliquo modo sunt unum, alio modo duplex sacrificium.* Est *substantialiter* unum, ratione offerentis principalis Christi, ratione rei oblatae seu hostiae, et ratione valoris seu meriti et satisfactionis ; *modaliter* duplex, ratione formae seu ritus offerendi, nam ait C. Trid., ratio offerendi est diversa. Et quia in sacrificio offerens, et donum quod offertur seu hostia, et meritum sunt principale, modus

autem seu ritus potius aliquid secundarium, ideo sacrificium N. L. est *simpliciter* unum, et duplex *secundum quid.*

Hinc si in sacrificio formaliter spectatur ipsa *oblatio et immolatio sacrificalis :* a) sacrificium missae est a sacrificio crucis *distinctum ;* nam, etiam si diceretur oblatio interna Christi mansisse una et eadem atque mansura in aeternum, externa tamen oblatio quae sacrificii proprie dicti est essentialiter constitutiva renovatur per sacerdotem ; unde sacrificium incruentum multiplicatur quoties passio Christi multiplicatis oblationibus repraesentatur ; — b) etiam est sacrificium missae a sacrificio crucis aliquo modo *diversum,* quia diversa est oblatio in immolatione incruenta et in cruenta ; — c) nihilominus dicunt *essentialem ordinem ad invicem :* sacrificium missae essentialiter refertur et subordinatur cruci quia essentialiter commemorativum et applicativum crucis : non enim est sacrificium nisi quia continet passionem, scil. Christum, hostiam realiter in cruce immolatam, sub ipsis signis immolationis; sacramentalis autem immolatio in signo non est immolatio nisi ratione immolationis realis in cruce. Unde non sunt adnumeranda, sed sunt sacrificium unum unitate ordinis et immolationis, quia eadem immolatio in re et in signo, idem sacrificium in specie propria et in specie sacramenti [1].

4. *Sacrificium missae idem est quoad substantiam* cum *sacrificio coenae, ab eo differt tamen accidentaliter :* in coena Christus oblatus est passibilis et mortalis, per seipsum, ad significandam mortem crucis futuram, atque in unione cum ista ad acquirendum meritum et pro peccatis nostris satisfaciendum ; — in missa offertur impassibilis et immortalis, per manus sacerdotis, ad repraesentandam mortem crucis praeteritam et ad merita acquisita nobis applicanda.

QUAESTIO QUARTA.

DE MINISTRO SACRIFICII.

325. Materia tractanda. — Minister, alius est principalis, scil. ipse Christus cuius nomine sacrificium offertur; alius secundarius, qui nomine et in persona Christi agit ministri principalis, quique spectari potest tum in actu celebrationis sacrificii, tum in actu dispensationis, quo hostia distribuitur in communionem participanda fidelibus.

Articulus I.

De Ministro principali.

S. Th. III, q. 78, a. 1 et 4 ; q. 82, a. 1, 5 et 7, ad 3 ; q. 83, a. 1, ad 3.

326. Christus est sacerdos N. T., summus et supremus, iureiurando constitutus a Deo in aeternum, pontifex coelestium, unctus in ipsa incarnatione per gratiam unionis hypostaticae, quando ingrediens mundum homo factus, destinatus est ut seipsum offerret in sacrificium redemptionis et voluntate sua humana hoc munus accepit.

1 Cfr. T. II, n. 697.

Ita in ep. ad Hebr. V-XI. Unde Augustinus, in ps. 26 : « In carnis susceptione unctus est ille Christus ut rex et sacerdos ».

Est autem sacerdos secundum naturam humanam : ut Deus enim, sicut Pater et Spiritus sanctus superiorem non habet cui sacrificet, sed ipse est cui sacrificium offertur; ut homo autem, secundum naturam ipsi propriam est servus Dei cui sese submittere potest et debet, et secundum hanc naturam sacrificat naturae divinae, i.e. Patri, Spiritui sancto et sibi ipsi ut Deus. Quod perfecte adimplevit uno actu infinitae dignitatis et valoris, in sacrificio crucis, ut probatum supponimus in tr. de Redemptione.

Quaeritur autem utrum, sicut in cruce, ita et in altari Christus sit sacerdos seu minister.

327. *Thesis.* **Christus est minister principalis sacrificii altaris.** — *Certum* est ex C. Lat. IV, c. 1 et Trid., sess. 22, c. 2.

Probatur : 1° *Ex Scripturis :* Christus, in Ps. CIX, 4, dicitur *sacerdos secundum ordinem Melchisedech,* quod secundum traditionem interpretatum fuit, quia sacrificavit in pane et vino ; *et sacerdos in aeternum,* quod non esset verum nisi sacerdos esset sacrificii quod semper iteratur. Similiter ad Hebr. VII, 24, dicitur sacerdos N. T. cui nemo alius succedit, sempiternum habens sacerdotium ; ergo ipse sacrificat in missa, secus aliquis ipsi succedisset, cum sit eadem hostia ac in cruce.

2° *Ex Traditione,* scil. ex Patribus, ut Iren. adv. haer. IV, 17-18 ; Cypr. ep. 63 ; Chrys. hom. 50 in Mt. 3; 17 in Hebr. 3, et 1 de prod. Iud. ; L. de Sacr. IV, 4, 14 ; Theodor. in Ps. 109; Eus. Caes. dem. ev. V, 3 ; Aug. de Civ. D. XVII, 20 ; Liturgiis, et Conciliis, ut Lat. IV, c. 1, Flor., decr. pro Arm., et Trid., sess. 22, c. 1 et 2.

3° *Ex verbis consecrationis :* Sacerdotes non consecrant nisi personam Christi agentes et ipsius verbis utentes ; ergo sacrificium offerunt nomine Christi, et ideo non sunt nisi ministri secundarii, dum Christus est minister principalis.

4° *Rationе convenientiae,* tum a) ob excellentiam sacri-

ficii, quod, secundum Mal. I, est oblatio *munda*, quae *semper* exhibet Deo *magnum* honorem; atqui dignitas praesertim pendet a dignitate offerentis; ergo requiritur ut offerens semper sit maxime sanctus, quod maxime convenit Christo; — tum b) ob dignitatem rei oblatae, quae est res infinitae dignitatis atque purissima, et ideo a simili offerente debet offerri, Christo.

328. Quomodo Christus sit minister principalis. — Sacrificium non perficitur mere materiali immolatione victimae, secus omnis mutatio aut destructio facta a sacerdote esset sacrificium; sed morali actione religiosa, qua ex intentione honorandi Deum immolatio ipsi offertur. Unde requiritur : 1° ut immolatio victimae aliquo modo dependeat a voluntate sacerdotis; 2° ut dirigatur per ipsum in honorem Dei.

Quae duo in missa verificantur de Christo :

1° Christus non tantum instituit sacrificium, quod non sufficeret ut esset sacerdos in ipso, sed humana voluntate voluit illud perpetuo offerri nomine suo per sacerdotes tamquam per suos legatos, quibus hanc potestatem concessit, ita ut sacerdotes non exequantur nisi voluntatem Christi, et actio sacerdotum sit moraliter actio Christi et potius huic tribuatur quam sacerdotibus, sicut actio legati magis tribuitur regi quam ipsi.

2° In ultima coena Christus praevidens omnia et singula sacrificia futura, iam tunc omnia et singula voluit fieri in honorem Dei eaque ipsi obtulit, quae voluntas habitualiter perseverat non retractata.

Hoc modo Christus est verus sacerdos. Cum multis theologis addi *potest :* cum Christus ipse sit praesens in sacrificio cum sua voluntate, impossibile est quod illud non tantum habitualiter sed etiam actuali voluntate dirigat in Dei honorem.

329. Obiicitur : Actio sacrificalis debet esse a sacerdote ut a causa principali. Atqui consecratio est actio supernaturalis, quae non habet causam principalem nisi Deum, et cuius Christus homo mere est instrumentum. Ergo Christus homo non est sacerdos.

Respondetur *distinguendo :* actio sacrificalis, formaliter ut est actio moralis et religiosa, i. e. ut testificatio reverentiae interioris et honoris erga Deum, debet esse a sacerdote ut a causa principali, *conc.;* ut est actio physica, *nego :* sacerdos enim v. g. potest imperare victimae occisionem, quae ab aliis executioni datur. Atqui consecratio ut actio physica non habet causam physicam principalem, nisi Deum, *conc.;* ut actio moralis et religiosa, seu ut testificatio non habet nisi Deum causam moralem principalem, ad exclusionem Christi hominis, *nego*. Homo scil. Christus, voluntate humana sibi propria voluit uti sua potestate patrandi miracula, ad causandam transsubstantiationem in honorem Dei; et hoc fecit non ut instrumentum divinitatis sed ut causa principalis, quamvis executio operis non pertineat ad ipsum nisi ut ad causam instrumentalem. Est ergo Christus homo causa moralis principalis in sacrificio, et causa efficiens instrumentalis.

Articulus II.

De Ministro secundario celebrationis.

S. Th. III, q. 82, a. 1, 2, 5, 6, 7 et 8; q. 78, a. 1 et 4; q. 83, a. 1, ad 3.

330. *Thesis.* **Omnes et soli sacerdotes sunt ministri secundarii proprie dicti in sacrificio altaris** (can. 802), utpote soli a Christo in Apostolis designati per verba : *Hoc facite in meam commemorationem.* — Est *de fide* ex Conc. Lat. IV, c. 1 et Trid., sess. 22, c. 1 et can. 2, et ex doctrina fidei de sacramento Ordinis.

Ita contra Gnosticos quosdam, etiam mulieres admittentes, et contra Waldenses, aptos reputantes omnes viros pios, et contra Lutheranos et Calvinistas dicentes omnes christianos baptizatos esse sacerdotes.

Probatur : 1° *Ex universali et perpetua praxi* Ecclesiae, quae testificata invenitur a Patribus, ut Ign., ad Smyrn., VIII, 1; Iust., 1 ap., 65; Orig., in Num. hom. IV, 3; Cypr., ep. 5 et 63; Eus., dem. ev. IV, 3; Chrys., de Sac. III, 4; Hier., ep. 146; Ambr., in ps. XXXVIII, 7; L. de Sacr. IV, 4; Aug., C. D. XVI, 22; XVII, 17; et confirmata fuit a Conciliis Nic. I, can 18; Lat. IV, c. 1; Flor. decr. pro Gr.; Trid., sess. 22, c. 1, can. 2; sess. 23, c. 1 et 4, can. 1.

2° *Ratione* quam affert S. Thomas, q. 82, a. 1 : « Hoc sacramentum est tantae dignitatis, quod non conficitur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam. Sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc sacramentum; ita sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum quibus

dictum est a Domino (Lc.XXII, 19): Hoc facite in meam commemorationem. Et ideo dicendum est quod proprium est sacerdotum conficere hoc sacramentum ».

Potestas sacerdotis consistit in indelebili charactere ordinis, unde valide consecrat etiamsi sit malus, haereticus, schismaticus, suspensus, excommunicatus, degradatus : sacerdos enim non consecrat nomine suo et virtute propria, sed nomine Christi, in cuius persona agit tamquam minister, et virtute ipsius Dei. Non autem ex hoc ipso desinit aliquis minister esse Christi, quod est malus. Cfr. Conc. Trid., sess. 7, can. 12; sess. 23, c. 4, can. 4 ; Conc. Const^{e}, sess. 8, prop. 4 et art. 22.

331. Plures sacerdotes simul consecrare et sacrificare possunt. — Non quidem ut causae partiales, sive ex parte formae cuius unusquisque pronuntiaret partem, sive ex parte virtutis ac si nullus haberet potentiam sufficientem ad consecrandum solus sed tantum omnes simul; verum ut causae totales quae singulae consecrationem efficiunt, dummodo omnia verba formae pronuntient et ad idem instans eorum intentio feratur, quo omnes formam absolverint ita ut simul unum signum ponant. Non ergo sufficit ut « plures sacerdotes valide missae sacrificium concelebrent, si unus tantum eorum verba « Hoc est corpus meum » et « Hic est Sanguis meus » super panem et vinum proferat, ceteri vero verba Domini non proferant, sed celebrante sciente et consentiente, intentionem habeant et manifestent sua faciendi verba et actiones ejusdem ». Sed « ex institutione Christi, ille solus valide celebrat, qui verba consecratoria pronuntiat ». Resp. Congr. S. O., die 23 maii 1957.

In Ecclesia latina concelebratio tantum licita est in ordinatione presbyterorum et in missa consecrationis episcoporum (can. 803), et secus graviter prohibita ; in Ecclesia orientali autem adhuc in usu est. Curent concelebrantes ut finiant verba simul (saltem moraliter) cum celebrante principali, habeantque intentionem saltem implicitam consecrandi non ante ipsum sed simul cum ipso ; ad quod sufficit intentio faciendi meliori modo aut id quod intendit Ecclesia.

332. Quomodo sacerdos est verus minister sacrificii. — Minister sacrificii est ille a cuius voluntate dependet oblatio et immolatio victimae, et qui illam vult in honorem Dei. Atqui

1° ad voluntatem sacerdotis debita cum intentione materiam et formam ponentis, Christus fit praesens et incruente immolatur ;

2° hanc immolationem in honorem Dei sacerdos vult saltem implicite : qui enim vult facere quod facit Christus vel intendit Ecclesia, implicite vult sacrificium in honorem Dei offerre, quia hoc Christus et Ecclesia intendunt.

Quodsi pravus sacerdos nollet sacrificare, sed voluntate praedominante tamen vellet consecrare, non offerret nomine suo, sed tantum nomine Christi et Ecclesiae.

333. Quid requiritur in sacerdote ut tamquam minister Christi licite sacrificet. — Ut sacerdos licite consecret et sacrificet, requiritur praeterea ut sit in statu gratiae, ex praemissa confessione in casu peccati regulariter recuperandae, nullaque censura, irregularitate vel impedimento canonico irretitus, atque a media nocte ieiunus existat (can. 807 et 808), ut iam explicatum fuit n. 271 et 281.

Sacerdos in mortali celebrans non videtur committere plura peccata distincta, scil. indignam confectionem, ministrationem ab indigno, et factam indigno, ac indignam susceptionem, sed unicum, quia omnia illa ordinantur ad unum sacrificium ; licet peccatum sit tanto gravius quod plures malitias contineat.

334. Quonam sensu Ecclesia et fideles dicuntur offerre sacrificium. — Ecclesia et fideles dicuntur *offerentes*, non quidem sensu proprio seu ministerialiter, quatenus victimae oblatio et immolatio ac eius ordinatio in honorem Dei ab ipsorum voluntate penderent, sed *improprie*, quatenus ad oblationem et immolationem sacrificalem concurrunt vel intentioni Deum honorandi participant, et ita moraliter uniuntur sacerdoti.

1° Participare possunt intentioni Deum honorandi, coniungendo voluntatem voluntati Christi et sacerdotis :

a) voluntate implicita et habituali, uti facit Ecclesia : Christus enim seipsum offert pro societate Ecclesiae cuius est caput, et sacerdos ex designatione Ecclesiae, nomine totius Ecclesiae i. e. omnium fidelium (etiam infantium) sacrificium offert ;

b) perfectius voluntate explicita et actuali, intentionem uniendo intentioni Christi et sacerdotis ;

c) melius, assistendo sacrificio et internam intentionem externe manifestando ;

d) optime tandem, assistendo simul et communicando : sic enim plenissime fiunt participes sacrificii et suum assensum in illud manifestant, confitendo sacrificium pro ipsis oblatum atque hostiam, Christum, pro ipsis esse immolatam (I Cor. X, 18).

2° Concurrere externe possunt ad sacrificium :

a) petendo aut procurando quod sacrificium celebretur, v. g. praestando stipendium, faciendo fundationem, etc.

b) ministrando necessaria ad sacrificium, uti vasa, vestes, luminaria, panem, vinum, etc.

c) inserviendo altari, maxime tamquam diaconus.

Cooperatio est eo maior quo obiective sit propinquior sacrificio, aut subiective cum perfectiore dispositione praestetur.

335. Obiiciunt Protestantes illud I Petr. II, 9 : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium », unde aiunt omnes esse sacerdotes atque sacrificium ut tales offerre posse.

Resp. Omnes sunt regale sacerdotium sensu improprio, *conc.*; sensu proprio, *nego*. Secundum contextum enim debent fideles *spirituales* hostias offerre Deo, ut ipse Petrus explicavit v. 5; seu, ut ait Paulus, Rom. XII, 1, exhibere corpora sua hostiam viventem Deo; ergo sunt sacerdotes secundum analogiam. — Quod si aliquando dicantur offerre ipsum sacrificium altaris, id faciunt, mediantibus sacerdotibus, ut explicatum fuit.

Articulus III.

De Ministro secundario dispensationis.

S. Th. III, q. 82, a. 3 et 9.

336. *Principium I.* **Solus sacerdos est minister ordinarius dispensationis s. Eucharistiae** (can. 845, § 1). — *Certum* est.

Probatur : 1° *Ex verbis Christi :* Hoc facite in meam commemorationem, ad apostolos directis.

2° *Ex traditione apostolica et constanti usu Ecclesiae*, uti constat ex Patribus : Cl. Rom., ad Cor. XL, 1-4 ; Didac. X, 7 ; XV, 1 ; Ign., ad Smyrn. VIII, 1-2 ; Iust., 1 ap., 65 ; Iren., adv. haer. IV, 18 ; ep. ad Vict. 3 ; Cl. Al., Strom. IV, 25 ; Cypr., ep. 43 et 70 ; et ex Conc. Trid., sess. 13, c. 8 ; sess. 23, c. 1.

3° *Ratione* et quidem triplici : a) Sacerdos consecrat in persona Christi ; atqui consecratio de se ordinatur ad distributionem, unde Christus sicut consecravit in ultima coena, ita et aliis sumendum dispensavit ; ergo sicut ad sacerdotem pertinet consecratio, ita et dispensatio. — b) Sacerdos constituitur medius inter Deum et populum ; unde sicut pertinet ad eum dona populi Deo offerre, ita et dona divina populo tradere. — c) In reverentiam sacramenti statutum est ut non tangatur nisi a re consecrata seu benedicta ; unde corporale, calix, manus sacerdotis consecrantur ; alii ergo illud tangere non possunt, nisi in necessitate, uti ad vitandam profanationem sacramenti.

337. *Principium II.* **Diaconus, quasi propinquus ordini sacerdotali, aliquid participat de eius officio,**

et, iuxta vigentem disciplinam, est minister extraordinarius dispensandae communionis (can. 845, § 2).

Constat ex antiqua et constanti traditione, quam testantur Iust., 1 ap., 65, 67 ; Cypr., de laps. 25 ; Conc. ap. VIII, 13 et 28 ; Dion. Alex. in H. E. VI, 44 ; Damasus, carm. 18 ; Bas., ep. 93 ; et ex usu Ecclesiae. Olim enim, sicut adhuc hodie in Ecclesia graeca, diaconus erat dispensator sanguinis ; non autem corporis nisi in necessitate, iubente episcopo vel presbytero, quod adhuc in praesenti obtinet. Unde iuxta can. 845, § 2, minister « *extraordinarius* est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur. ».

Ex commissione itaque sive Ordinarii *loci* sive parochi (non autem Ordinarii regularis vel simplicis rectoris ecclesiae, ut quidam gratis asserunt sine positivo fundamento) potest diaconus communionem distribuere, dummodo concedatur ex rationabili causa sufficienter *gravi*, ut si sacerdos absit vel sit infirmus, si nullus sit qui commode possit administrare, si in magno festo omnes sacerdotes confessionibus audiendis aut praedicationi valde occupati sint, aut non sufficientes adsint pro numero communicantium, si non adsit nisi sacerdos censuratus et ut talis publice declaratus, etc. ; — in casu autem necessitatis commissio non exigitur sed legitime praesumitur, imo diaconus ministrare tenetur si adsit necessitas ministrandi viaticum et desit omnis sacerdos qui possit aut velit ministrare.

338. Quaestio : *An deficiente ministro, quandoque possit esse licitum communicare seipsum?*

Respondetur : 1° Sacerdos vel diaconus potest deficiente ministro seipsum communicare in ordine ad viaticum. Imo, iuxta plures, praesertim recentiores, etiam solius devotionis causa dummodo non sit timendum scandalum ; sed id non auderemus asserere, quia ex una parte non adest necessitas recipiendi sacramentum, et ex alia parte recipi nequit iuxta modum communicandi nunc receptum et Ecclesiae consuetudine iam diu per saecula firmatum.

2° Alius clericus vel laicus, an possit, urgente necessitate et deficiente ministro, sibi ministrare viaticum, ut in Ecclesia primitiva quandoque factum est, disputatur. Recentiores plures affirmant, quia in casu obligat praeceptum divinum communicandi, quod magis urget quam consuetudo ecclesiastica praescribens modum communionis. Merito tamen negant praesertim veteres cum S. Thoma, in IV d. 13, p. 1, a. 3, sol. 1, ad 3, quia praeceptum divinum cessat quando cum debita reverentia ex recepta consuetudine Ecclesiae statuta impleri nequit (n. 284),

praesertim quod receptio huius sacramenti non sit necessitatis ; — nisi forsan in casu quo peccator aliud sacramentum recipere non posset et dubitaret de perfectione suae contritionis.

De sententia recentiorum qui in utroque casu benignius sentiunt, verius est dicere illos hac in re potius optare quamdam ecclesiasticae consuetudinis mutationem, quam demonstrasse antiquam consuetudinem iam fuisse in novam legitime immutatam, cuius rei nullum assignant positivum fundamentum.

Notetur 1) haec tamen licite fieri posse ex obtenta dispensatione aut permissione ;

2) extra casum necessitatis, omnes diacono inferiores *solemniter* ministrantes s. communionem incurrere irregularitatem (can. 985, § 7) ;

3) diaconum indebite ministrantem non incurrere, quia non usurpat ordinem (ibid.).

339. *Principium III.* **Ad licitam dispensationem in ministro etiam requiritur iurisdictio vel debita licentia.** — Ratio est, quia ad pastorem pertinet pascere oves et ministrare sacramenta ; unde necessaria est potestas iurisdictionis, vel facultas seu licentia ab eo obtenta quae talem iurisdictionem habet ; ita ut peccaret graviter qui sine ulla facultate aut licentia ministraret.

Hinc Eucharistiam dispensare possunt :

1° *Ex iurisdictione ordinaria* vel quasi-ordinaria, praeter S. Pontificem, Ordinarius loci ; parochus in sua paroecia et qui ad instar parochi sunt ; superiores religionis clericalis non solum quoad professos et novitios, sed etiam quoad eos qui in religiosa domo diu noctuque manent, famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis causa iuxta can. 514, § 1 ; rector Seminarii quoad omnes qui in seminario sunt (can. 1368) et rector ecclesiae (can. 484, § 1).

2° *Ex licentia* omnes sacerdotes qui eam directe vel indirecte, explicite vel implicite, de iure vel ab homine obtinuerunt ; qualem omnes habent tum in casu necessitatis, tum si missam celebrent : possunt scil. communionem ministrare intra missam, et si, praeter missam solemnem aut cantatam aut conventualem, *privatim* celebrent, etiam proxime ante et statim post (can. 846, § 1) ; imo etiam si celebrent in oratorio privato, nisi Ordinarius loci, iusta de causa, in casu particulari id prohibuerit (can. 869).

Adduntur aliae praescriptiones : 1. « Etiam *extra missam* quilibet sacerdos eadem facultate pollet ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, *si sit extraneus* » can. 846, § 2.

2. « Ius et officium s. communionem *publice* ad infirmos etiam non paroecianos extra ecclesiam deferendi, pertinet ad parochum intra suum territorium. Ceteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis, aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii » can. 848.

3. « Communionem *privatim ad infirmos* quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis cui custodia sanctissimi Sacramenti commissa est » can. 849, § 1.

4. « S. communionem *per modum Viatici* sive *publice* sive *privatim* ad infirmos deferre, pertinet ad parochum » can. 850 ; in Seminario tamen ad rectorem (can. 1368), in religione clericali ad superiores (can. 514, § 1), qui etiam extra domum professis et noviciis eam deferre possunt sive privatim, sive publice de licentia parochi (com. int. 16 iun. 1931, ad 1), et in monialium domo ad confessarium ordinarium vel vices gerentem (can. 514, 2). In solo casu necessitatis aut de licentia parochi alii sacerdotes Viaticum ministrare possunt.

340. Animadversio. — Praeter debitam licentiam, requiritur etiam ut minister non sit censuratus vel impeditus. Et quidem :

1) si sit *simpliciter toleratus*, non potest sponte ministrare, sed solum si a fidelibus requiratur, aut adsit causa excusans gravis scandali vel infamiae vitandae ;

2) si sit *censuratus sententia condemnatoria aut declaratoria*, et a fortiori si sit *vitandus*, non potest ministrare nisi in mortis periculo, deficientibus aliis ministris. Cfr. can. 2261, § 1, 2 et 3.

Quodsi aliter egerit, erit irregularis ex delicto (can. 985, n. 7).

QUAESTIO QUINTA.

DE FINE ET EFFECTIBUS SACRIFICII.

341. Principium generale. — *Sacrificium N. L. omnibus anterioribus successit, et ideo « bona omnia, per illa significata, veluti omnium consummatio et perfectio complectitur »* (C. Trid., sess. 22, c. 1) ; unde offertur ad quatuor sacrificiorum fines, et est simul latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. Et ideo habet effectus quadruplici fini correspondentes. De quibus iam venit dicendum.

Articulus I.

De Variis Sacrificii Effectibus.

S. Th. III, q. 79, a. 5 et 7.

342. *Principium I.* **Sacrificium altaris, quantum ad Deum, est latreuticum et eucharisticum, quantum ad nos est impetratorium et propitiatorium.** — Ita Conc. Trid., sess. 22, can. 3.

Sacrificium altaris institutum est ad quatuor fines, ac proinde quadruplicem habet effectum :

A. *Quantum ad Deum :* 1° *Est latreuticum.* Omne enim sacrificium offertur in Dei honorem et agnitionem supremi eius dominii et nostrae servitutis.

Quod ceteroquin in casu patet ex Mal. I, 11, et ex pluribus verbis Missae. Huic fini respondet primus effectus,cultus latriae excellentissimus, qui Deo procurat honorem infinitum.

2° Est etiam *eucharisticum,* quia offertur pro beneficiis a Deo acceptis, specialiter pro beneficio redemptionis.

Patet ex ipso nomine Eucharistiae (Mt. XXVI, 27; I Cor. XI, 24) et ex pluribus verbis Missae. Huic fini respondet secundus effectus : gratiarum actio.

B. *Quantum ad nos* est propitiatorium, ut definivit Conc. Trid., sess. 22, c. 1 et 2, can. 3, non quidem ut sacrificium crucis quod persolvit pretium redemptionis de se sufficiens ad omnia peccata reparanda, sed quatenus impetrat applicationem satisfactionum et meritorum crucis, ad quam obtinendam fuit institutum.

Secundum etymon vocis et secundum modum loquendi Concilii sacrificium est propitiatorium, quia habet vim non tantum *negative* placandi Deum i. e. auferendi eius indignationem, ne inferat mala pro peccatis ; sed etiam consequenter *positive* inclinandi et movendi Deum ad favorem, ut concedat remissionem peccati et reconciliationem, ac alia bona quae amicis dare convenit. Nam a) in omni hypothesi, sacrificium datur *impetratorium* ad obtinenda beneficia vel gratias ; b) supposito autem peccato, quo Dei incurrimus indignationem, praevie debemus impetrare quod auferatur Dei indignatio, et sic impetratio fit propitiatio, et sacrificium impetratorium fit *propitiatorium.* Aliis verbis propitiatio impetrationem includit, et aliquid addit, scil. quod fiat etiam ad placandum Deum offensum et peccatum

reparandum. Unde haec duo non sunt consideranda ut duo fines adaequate distincti et separati.

Hinc : 1° Sacrificium est *stricto sensu propitiatorium,* et offertur pro peccatis.

Constat a) ex doctrina Apostoli, ad Hebr. V, 1-3, dicentis munus sacerdotis esse ut offerat pro peccatis ; sacerdos autem nullum aliud sacrificium offert praeter missam ;

b) ex verbis Christi dicentis in Eucharistia corpus suum tradi, sanguinem suum effundi pro multis in remissionem peccatorum (Mt. XXVI, 28 ; Lc. XXII, 19-20) ;

c) ex traditione quae conservatur a Patribus : Orig., hom. 13 in Lev. 3 ; Tertul., de cor. mil., 3 ; Ambr., de off. I, 48 et exh. ad virg. 14 ; Cyr. Hier., cat. XXIII, 8-9 ; Chrys., hom. 69 ad pop. Ant. ; hom. 3 in ep. ad Phil., 4 ; Hier., in Tit. I, 8 ; Aug., conf. IX, 11-12, et enchir. 110 ;

d) ex liturgiis, etiam antiquis, quales sunt illae quae dicuntur S. Iacobi, S. Chrysostomi, S. Basilii, et syriaca.

Huic fini correspondet tertius effectus : remissio peccatorum, poenarum et satisfactionum.

2° Est etiam *impetratorium,* et offertur pro gratiis obtinendis.

Constat a) ex Patribus, Conciliis et Liturgiae verbis,

b) ex eo quod Christus non tantum nobis meruit in cruce remissionem peccatorum, sed etiam alia beneficia ; merita autem crucis sunt in missa applicanda,

c) si missa valet ad remissionem peccati et gratiam inimicis reddendam, quanto magis ad bona peccatis deperdita reddenda aliaque amicis tribuenda.

Huic fini respondet quartus effectus : obtentio bonorum tum spiritualium tum temporalium ad salutem conducentium.

343. **Animadversio.** — Sacrificium altaris participat de omnibus formis sacrificii : de *holocausto,* quia mystica oblatio tam pretiosae vitae multo perfectius significat debitum nostrae servitutis erga Deum, quam totalis illa combustio animalis quae fiebat in incenso taurorum vel arietum ; de *hostia pacifica* etiam, quia horrorem sanguinis non habet ; de *sacrificio pro peccato* demum, quia repraesentat expiatoriam Christi mortem, ac per hoc aptum est impetrare iis pro quibus offertur, applicationem generalis satisfactionis in cruce Deo exhibitae[1].

344. *Principium II.* **Sacrificium altaris offertur soli Deo, potest nihilominus offerri in honorem Sanctorum.** — Offertur *soli Deo,* uti patet ex inspectione quatuor finium. Et tamen illud celebramus in honorem Sanctorum ;

1. Billot, *de Ecclesiae Sacramentis,* I, *de sacrificio,* § II.

i. e. 1° *ad gratias agendas Deo pro Beatorum sanctitate*, victoriis, virtutibus, et aliis mirabilibus aut bonis quae in iis vel per eos operatus est Deus, qui proinde in eis laudatur (C. Trid., sess. 22, c. 3); — 2° offerimus illud ad *obtinendum quod cultus Sanctorum hic in terris augeatur*, v. g. canonizatione aut festi institutione vel solemniori celebratione; — aut 3° *ad obtinendum patrocinium Sanctorum* tamquam ad finem, ut illi pro nobis intercedere dignentur in coelis quorum memoriam agimus in terris, scil. petimus a Deo ut per sacrificium obtineamus hanc gratiam quod Sancti pro nobis orent in coelo (ibid., c. 3 et can. 5); — 4° etiam offerimus illud *per Sanctos, implorando eorum patrocinium*, scil. petimus ab iis quod sacrificium Deo placeat; non quidem ut offertur a Christo vel Ecclesia: sic enim semper placet Deo; sed quatenus offertur a nobis, ut fiat Sanctorum intercessione Deo acceptum.

Articulus II.

De Modo quo effectus producuntur.

S. Th. III, q. 82, a. 6 et a. 7, ad 3.

345. **Principium generale.** — *Effectus sacrificii non tam pendent a dignitate rei oblatae et a modo offerendi quam a dignitate offerentis* (Gen. IV, 4; Lc. XXI, 3; Mc. XII, 42); *unde secundum quod diversi sunt offerentes, diversi sunt effectus.* Hinc considerari possunt:

1° *Effectus ex opere operantis, tum sacerdotis, tum fidelium offerentium.* Sacrificio enim sicuti aliis operibus bonis possunt mereri, satisfacere, impetrare secundum gradum devotionis eorum; hi effectus maiores sunt in sacerdote sanctiore aut bono quam in minus sancto aut malo.

2° *Effectus ex opere operantis Ecclesiae.* Haec nequit mereri aut satisfacere, quia non habet actualem sed tantum habitualem voluntatem, meritum autem supponit actionem personalem; potest tamen per sacerdotem impetrare bona pro fidelibus et quidem melius quam aliis orationibus, quia hisce missa est excellentior. Quodsi sacerdos non sit membrum Ecclesiae, uti publicus haereticus vel schismaticus, aut excommunicatus vitandus, hos effectus non consequitur, quia non agit nomine Ecclesiae.

3° *Effectus ex opere operantis Christi* qui offert seipsum et merita crucis applicat. Isti sunt *ex opere operato* (i. e. ex dignitate rei oblatae et ministri principalis) quantum ad alios offerentes et ad Ecclesiam; et de his in praesenti agemus.

Duo ultimi effectus iidem sunt, sive sacrificium offeratur a bono sive a malo sacerdote: Christus enim et Ecclesia semper sunt sancti Deoque grati et accepti.

346. *Principium I.* **Effectus sacrificii, ut est latreuticum et eucharisticum quantum ad Deum, habentur immediate, infallibiliter et statim post consecrationem.** — Ex ipsa enim immolatione Christi honor et gratiarum actio sponte nascuntur et exhibentur Deo.

347. *Principium II.* **Effectus sacrificii, ut est propitiatorium nobis et impetratorium, alii habentur immediate, alii mediate.** — Idem enim dicendum de effectu impetrationis sacrificii ac de effectu omnis alius orationis.

Et quidem: 1° *Non datur immediate*

a) *remissio peccatorum mortalium:* nullus enim secundum doctrinam catholicam iustificatur nisi ex opere operantis, vel ex opere operato per sacramenta;

b) *remissio peccatorum venialium:* haec enim non remittuntur nisi mediantibus actibus contritionis vel charitatis, quae eorum retractationem includunt;

c) *gratia habitualis gratum faciens:* haec enim immediate non causatur nec augetur nisi ex opere operantis, vel a sacramentis; quodsi a sacrificio daretur, sequeretur quod parvulus baptizatus pro quo plura offerrentur sacrificia, posset esse sanctior quam ille qui diuturnam vitam in praxi omnium virtutum peregisset, quod est contra communem Ecclesiae sensum.

Haec tamen obtinentur *mediate:* peccata enim possunt esse causa cur Deus ex iusta ira uberiores non concedit gratias, quas concederet si peccata non obstarent; per sacrificium iusta Dei ira placatur ne in poenam peccatori deneget gratias, imo movetur eius bonitas ad dandas gratias uberiores; unde « placatus Dominus gratiam ad poenitendum », i. e. ad contritionem vel ad sacramenti poenitentiae congruam receptionem concedit, et his mediantibus peccata non tantum venialia sed « etiam ingentia dimittit » (cfr. C. Trid., sess. 22, c. 2). Simili modo sacrificium obtinet gratias actuales ad opera meritoria vel ad sacramentorum receptionem, quibus mediantibus gratia habitualis potest obtineri et augeri.

2° *Immediate dantur*, sicut aliis orationibus fieri potest :

a) *relaxatio satisfactionum* a vivis praestandarum pro peccatis remissis : sacrificium enim substitui potest loco satisfactionum a vivis praestandarum seu operum poenitentiae quibus poenae redimuntur ;

b) *remissio poenarum temporalium* a vivis vel defunctis pro peccatis remissis luendarum : Christus enim debita solvit poenae peccatorum, et Deus, factam solutionem pro iis acceptans, ea condonat, ita ut fideles iam pati non debeant vel pro iis satisfacere ;

c) *alia bona* spiritualia et corporalia.

348. *Principium III.* **Effectus sacrificii ut est propitiatorium nobis aut impetratorium non semper obtinentur infallibiliter.** — Missa enim eos obtinet, illos impetrando ; oratio autem, ut infallibiliter impetret, plures habeat conditiones necesse est, scil. ex parte orantis ut sit *pia*, ex parte subiecti i. e. illius pro quo fit, ut quis *non sit indispositus, et petat pro se*, ex parte orationis ut sit *perseverans*, ex parte obiecti ut petantur *necessaria ad salutem.*

1ª Conditio ex parte orantis semper verificatur, nempe ex parte Christi offerentis principalis : qui semper bene orat et dignus est ut exaudiatur, quia est persona infinita et quae per passionem omnia ad salutem necessaria nobis promeruit.

2ª Conditio est ex parte illorum pro quibus offertur sacrificium. Iamvero non requiritur ut quis offerat illud pro se : ex natura sua enim sacrificium fit pro omnibus, et ex sua institutione est propitiatorium pro offerente et pro aliis ; — requiritur tamen ut hi impetrationi Christi non ponant obicem indignitatis : Christus enim non impetrat bona pro homine qui ad illa ponit obicem.

Hinc a) *remissio peccatorum* non obtinetur ab illo qui iis adhaeret, vel etiam de mortalibus omnino non dolet, aut nullo modo in eorum remissione confidit. Quodsi non ponat obicem et gratiam recipiat ad poenitendum de peccatis, non adhuc sequitur infallibiliter horum remissio, quia Deus potest dare gratiam sufficientem cui homo potest non cooperari,

b) *remissio poenarum et satisfactionum* non obtinetur, nisi ab illo qui est in statu gratiae et qui obtinuit remissionem illius peccati de cuius poena est purgendus : nequit enim remitti poena temporalis illi qui reus est aeternae, vel illi qui nondum solutus est culpa,

c) *placatio irae divinae, largitio gratiae, aut remissio poenarum* potest esse plenior vel minus plena pro gravitate peccati, pro actuali dispositione subiecti, pro aliis operibus bonis antea factis, etc.

3ª Conditio ex parte orationis requirit ut sit perseverans, unde fit ut uno sacrificio non semper exaudiamur ; quot sacrificia requirantur dependet a dispositionibus subiecti, a gravitate eius peccati et a voluntate Dei.

4ª Conditio ex parte obiecti requirit ut petantur necessaria ad salutem. Unde requiritur

a) ut res sit expediens ad salutem : Christus enim non impetrat quod ad salutem non expedit ; quod autem tunc aliud bonum concedat, est pia sed non certa sententia ;

b) ut sit secundum ordinarium cursum Providentiae : non enim institui potest medium ordinarium in Ecclesia, ad obtinenda infallibiliter miracula vel beneficia extraordinaria.

349. Animadversio. — Effectus supra descripti, qui competunt sacrificio ut est nobis propitiatorium, alii dantur *statim* posito sacrificio seu peracta consecratione, scil. placatio irae divinae, remissio poenarum et satisfactionum ; alii tempore opportuno, scil. gratiae actuales ad peccati remissionem vel alias necessitates spirituales, et bona temporalia, statim tamen datur aliquale ius ad illos.

Hinc 1° applicatio fructuum a sacerdote non videtur valide fieri posse post consecrationem.

2° Licet multi probabile habeant applicationem valide fieri post 1ªᵐ et ante 2ªᵐ consecrationem peractam, quia utraque est de essentia sacrificii, in praxi tamen non est licitum ita agere sacerdoti qui ex iustitia, v. g. ex contractu, stipendio aut beneficio, tenetur ad applicandum, quia ipsi committitur valor applicationis, et ideo tenetur facere applicationem certo validam eamque non exponere periculo nullitatis[1]. Quae solutio adhuc hodiernis temporibus est urgenda, quia quidam theologi adhuc censent primam consecrationem solam esse de essentia ; nec e recentissimis disputationibus hac in re maior facta est certitudo sed potius minor.

3° Melius est applicationem facere ante missam seu ab eius initio, ut scil. preces et orationes etiam prosint iis pro quibus sacrificium offertur.

1. Cfr. Haine, o. c. q. 99 ; Gasparri, o. c., n. 470.

Articulus III.

De Iis quibus effectus obveniunt.

350. Triplex sacrificii distinguitur fructus. — Effectus sacrificii, in quantum est propitiatorium aut impetratorium ex opere operato, vocantur *fructus*, quorum triplex distinguitur portio :

1° *Generalis* quae obvenit toti Ecclesiae.

Etenim a) ex communione Sanctorum singula membrorum Ecclesiae opera bona omnibus prosunt aliis membris ; a fortiori fructus oblationis Christi qui est eorum caput ; b) Christus qui in cruce se obtulit mediator pro omnibus, hic ut caput Ecclesiae se offert ad merita crucis applicanda ; unde se offert directe pro omnibus Ecclesiae membris quorum est caput : « pro omnibus fidelibus christianis vivis et defunctis », et indirecte pro omnibus aliis ut Ecclesiae membra fiant, sicut dicit Missale : « pro nostra et totius mundi salute ». — Non tamen omnes eamdem partem recipiunt sed maiorem pro maiore dignitate, sanctitate et dispositione, participatione vel concursu ad sacrificium.

2° *Specialis,* quae obvenit illis pro quibus sacerdos intendit celebrare.

Hanc etiam sibi potest applicare, si pro nullo alio celebret.

3° *Specialissima,* sacerdoti propria, qui eam recipit etiamsi pro aliis celebret : ipsi enim non tantum obvenit fructus ex opere operantis quia offert nomine proprio vel Ecclesiae, sed etiam ex opere operato quia offert nomine Christi cuius vices gerit.

Haec probabiliter ita est propria sacerdoti, ut nec valide eam possit abdicare (Hebr. VII, 27), et *certo* non licite ceditur alter. pro secundo stipendio, tum quia ex contractu sacerdos obligatur ad applicationem certo validam (n. 349), tum quia Ecclesia id prohibet, in damnatione prop. 8 ab Alex VII[1].

351. *Principium I.* **Ad percipiendum fructum generalem vel specialissimum, nulla requiritur applicatio ; e contra ad percipiendum fructum specialem.** — Nam ex ipsa voluntate Christi fructus generalis aut specialissimus derivatur in illos qui, obicem non ponentes, ipsius sunt capaces ; — e contra portio fructuum specialis relicta est liberae applicationi sacerdotis.

1. « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem ».

Constat a) ex universali, ab Ecclesia probata (C. Trid., sess. 23, c. 1 ; Pius VI, bulla *Auct. fid.*, n. 30), fidelium praxi qui, erogato stipendio v. g., petunt sacrificium pro se *specialiter* offerri ad determinatum finem, et expectant fructum non ex opere operantis sacerdotis sed ex opere Christi.

b) Sacrificium est oratio realis ; sed oratio est de se indifferens et non determinata ad talem personam ; unde nisi applicetur specialiter, non prodest. Quae applicatio facienda est a sacerdote : ille enim qui habet potestatem offerendi, et habet potestatem applicandi fructum sacrificii.

Animadvertantur tria : 1° Sacerdos potestatem applicandi fructus sacrificii habet vi suae ordinationis ; unde ab illo haec nequit auferri mandato superioris vel sententia Ecclesiae, ac proinde semper *valide* applicat cuicumque vult.

2° Sacerdos valide fructus potest applicare pluribus, imo fructus inter eos dividere, ita ut v. g. uni applicetur sacrificium in remissionem peccati, alteri ad impetrandam gratiam, et si teneatur applicare uni, valide sed illicite dividit fructus.

3° Quodsi nulli applicet aut nonnisi incapaci, remanebit fructus in thesauro Ecclesiae.

352. *Principium II.* **Ad applicationem fructus specialis requiritur et sufficit voluntas habitualis, absoluta vel huic aequivalens, saltem implicite determinata ad certam personam vel certum finem.** — Dicitur :

1° *Habitualis,* i. e. actualis, olim habita, quae tamen non fuerit retractata, etiamsi ita praeterita sit ut non moveat ad ponendum actum praesentem.

Applicatio enim est donatio seu translatio fructus ; donatio autem, etiam multo tempore anteacta et multis actibus interrupta, valida est, dummodo revocata non fuerit. Unde qui heri promisit Petro sacrificium crastinum, hodie vero de hoc non cogitat, valide applicat. — Non tamen sufficit intentio mere interpretativa, quam aliquis habuisset et qua fructus applicare voluisset casu quo hoc vel illud advertisset ; nam de facto non voluit nec applicavit.

2° *Absoluta, vel huic aequivalens,* i. e. conditionata de praeterito vel de praesenti.

Etenim applicatio conditionata de futuro, quia suspendit intentionem, facit ut sacrificium pro illa intentione non offeratur : ita qui applicaret cuidam sub conditione quod postea alter volue-

rit, vel quod stipendium sit oblaturus aut prius moriturus[1]. *Valide* tamen applicaret pro eo quem scit de facto iam velle petere missam, nisi sit pro effectu ad quem nondum iuvaret sacrificium.

3° *Saltem implicite determinata ad certam personam vel certum finem;* secus enim nulla fieret applicatio.

Ita v. g. si quis applicaret uni ex decem missis legendis, non determinans cuinam, vel illi cui Deus aut B. V. vult applicare, quia Deus aut B. V. nulli determinato applicat relinquens id sacerdoti ; e contra plures dicunt valere si quis vellet applicare illi pro quo Deus aut B. V. mavult vel praefert eum applicare. — Non tamen requiritur ut sacerdos explicite cognoscat et velit personam, sexum, vel necessitatem, sed sufficit quod velit implicite, intendendo v. g. missam quam intendit alius sacerdos, sacrista, superior, — dummodo iste determinatam voluntatem habeat, — aut quam exigit fundatio vel stipendium, aut quam sibi notavit in libello, aut pro eo qui prius stipendium dederit, vel secundum ordinem quo stipendia ipsi obvenerunt, aut pro maximo peccatore, pro anima gravioribus tentationibus afflicta, pro anima purgatorii maxime derelicta aut proxima redemptioni, etc. : ita quoque valet applicatio si quis erronee legat pro defuncto loco defunctae, quia est error mere accidentalis.

Quodsi plura v. g. 20 stipendia fuerint a pluribus collecta aut a variis ignotis oblata v. g. in ara ecclesiae, sufficit illa dicere secundum ordinem statutum ab eo qui illa distribuit, aut secundum ordinem eorum qui stipendia dederunt, quam intentionem implicite censetur habere ille qui toties legit ad intentionem dantis, quia qui prius est tempore, potior est iure ; — at etiam possunt dici omnes missae ad intentionem omnium, iuxta proportionem pecuniarum aut missarum quae singulis competunt, quia cum fructus sit divisibilis, idem est 20 missas dare simul omnibus quam unicuique missam unam, et ideo celebrato numero missarum, singuli acceptum habebunt quod eis debitum est (S. Poen., 7 dec. 1892).

353. Animadversiones. — 1. In casu quo sacerdos duplicem applicationem fecerit contrariam, si fuerit memor prioris intentionis, valet secunda ; si immemor, attendendum quaenam sit voluntas praedominans : erit prior, si voluerit applicare absolute, etiamsi postea aliud intenderit ; erit secunda, si adfuerit ratio mutandi, v. g. repentina necessitas, oblatio stipendii ; si utraque aeque efficax et absoluta fuerit, videtur secunda praevalere, quia est actualis et fortior ad sacrificium. In praxi nulla est difficultas : offeratur enim crastina die pro intentione cui non fuit satisfactum.

2. Anticipata applicatio, pro eo qui primo sit petiturus aut daturus stipendium est *illicita* (can. 825, 1°), tum quia fideles

1. Quod si applicaret sub conditione : si Deus sciat esse futurum, applicatio esset saltem dubie valida, ut dictum est n. 84.

non petunt missam celebratam sed celebrandam, tum quia sacerdos exponit dantem periculo ne privetur fructu : potest enim ille pro quo missa offertur, nondum esse rite dispositus, vel causa pro qua petitur nondum existere, v. g. si pro primo in paroecia morituro, aut pro liberatione ab infirmitate nondum contracta. Unde S. C. C. id prohibuit 25 nov. 1605.

3. Attamen si sacerdos praevideat quod missae postulandae sint pro aliquo iam defuncto, *valide* illas nunc offerret, quia offeruntur pro determinata persona disposita et iam existente causa, et solum incurreret sacerdos stipendii amittendi periculum. Sed iure vigente id est prohibitum, ac proinde *illicitum* (can. 825, 1°) ; et ideo ut in casu licite retineat stipendium oblatum, consensum offerentis obtinere debet ac proinde ipsi declarare tenetur se iam applicasse.

4. Valide et licite anticipantur missae fundatae ut semel, bis, ter in hebdomada aut in mense dicantur sed tantum in honorem Dei vel Sanctorum, aut in requiem animae hominis iam defuncti ; e contra illicite si fundatae sint etiam pro defunctis futuris, ut pro defunctis paroeciae aut pro successive morituris, vel affixae sint certis diebus v. g. sabbato in honorem B. M. V., feriae VI in honorem Passionis, vel fundatae in commodum populi ne certis diebus missa deesset, vel in fundatione id fuerit expresse prohibitum.

Articulus IV.

De Iis pro quibus Sacrificium offerri potest.

S. Th. III, q. 79, a. 3 ; Suppl., q. 71.

354. *Principium I.* **Sacrificium altaris offertur nomine Ecclesiae seu societatis fidelium a Christo huius capite ;** unde offertur directe pro bono fidelium et eorum societatis, scil. pro eius conservatione et propagatione, et sic indirecte pro aliis, scil. ut eorum conversione Ecclesia augeatur.

Fructus ergo generalis directe prodest 1° omnibus *fidelibus vivis*, i. e. omnibus membris corporis Ecclesiae quae pertinent ad communionem sanctorum, et 2° *fidelibus defunctis*, quo nomine non quidem veniunt damnati, quales sunt infantes non baptizati, qui ad Ecclesiam non pertinent, nec Sancti : hisce enim nec illis sacrificium prodest, — sed a) omnes defuncti baptizati qui sunt in purgatorio, quamvis in terris haeresi aut schismati adhaeserint : remoto enim obice adhaesionis ad suam sectam, iam perfecte pertinent ad Ecclesiam, et sunt de illis qui nos praecesserunt cum signo fidei ; imo b) etiam probabiliter omnes qui, etsi non baptizati, in purgatorio sunt, quia pertinent ad Ecclesiam qualiter in purgatorio existit, et sunt simpliciter

de corpore mystico Christi : in purgatorio enim deest distinctio inter corpus et animam Ecclesiae.

Sacrificium offerri pro defunctis probatur, tum exemplo V. L. (II Macch. XII, 43), tum ex traditione quae constat Liturgiis, Patribus[1] (n. 342), et Ecclesiae sensu et praxi; tum ex fidei definitione a C. Trid., sess. 22, c. 2, can. 3 et sess. 25 de purg., confirmante doctrinam C. Flor., decr. unionis.

355. *Principium II.* **Ecclesia generatim et regulariter non orat nisi pro fidelibus et pro conversione aliorum; exceptionaliter autem orat quandoque pro aliis et pro eorum bonis cuiuscumque generis.** — Ita pro catechumenis, haereticis, schismaticis, infidelibus, aut natione vel patria infidelium, uti constat tum exemplis V. L. (I Esdr. VI; II Macch. III), tum ex doctrina Apostoli (I Tim. II, 1 sq.), tum ex historia Ecclesiae.

Potest etiam pro illis orare per sacrificium missae, et similiter sacerdos habet potestatem pro ipsis offerendi et fructum specialem applicandi; quibus in casibus etiam Christus pro illis oraret, nisi forsan obicem apponerent.

356. *Principium III.* **Sacerdos valide applicat sacrificium cuicumque, vivo vel defuncto, dummodo hic non sit incapax; non tamen licite, quia Ecclesia quasdam applicationes prohibet.**

Iuxta vigentem disciplinam, *prohibita* est :

1° *Applicatio publica*, qualis ex annuntiatione facta communitati esse potest, aut ex natura rei ut in missa exequiali et anniversario cantato :

a) *pro excommunicatis quibuslibet vivis* (can. 2262), quia effectus censurae est privatio publicorum suffragiorum Ecclesiae ;

b) *pro defunctis quibus denegata fuit sepultura ecclesiastica* (can. 1241).

Tales sunt infideles (exceptis catechumenis), notorii apostatae, sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis notorie addicti, excommunicati vel interdicti post sententiam, qui mandaverint suum corpus cremationi tradere, peccatores publici et manifesti. Si vero *in dubio* Ordinarius alicui ex his sepulturam ecclesiasticam concesserit, etiam missa publica dici potest.

1. Conferri possunt : Did. ap. VI, 59; Tert. de cor., 3 : de exh. cast., 11; de monog., 10; Cypr. ep. 66, n. 2; Cyr. Hier. c. XXIII, n. 8-10; Chrys. hom. 3 in Phil., n. 4; hom. 21 in Act. n. 4; Epiph. anacephal. II; Ambr. de off. I, 48; Aug. in Hept., q. 57, n. 4; conf. IX, 12.

2° *Applicatio privata*, quae scil. secreto fit et occulte, ac soli sacerdoti aut uni vel alteri nota est, prohibetur *pro excommunicatis vitandis*, nisi pro eorum conversione (can. 2262, § 2, 2).

Ergo *privatim* iam licitum est pro omnibus, fidelibus et infidelibus, etiam haereticis et schismaticis, vivis et defunctis stipendio quoque accepto aut ad eorum intentionem applicare, secluso tamen scandalo (S. Off., 12 iul. 1865), et exclusis solis excommunicatis vitandis. Unde can. 809 : « Integrum est missam applicare pro quibusvis tum vivis tum etiam defunctis purgatorio igne admissa expiantibus, salvo praescripto can. 2262, § 2, n. 2 », in quo dicitur : « Non prohibentur sacerdotes missam privatim ac remoto scandalo pro excommunicato (qualis ex can. 2314, § 1 censetur haereticus et schismaticus) applicare ; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum ».

357. **Corollaria.** — 1. Non prohibetur sacerdos privatim orare pro excommunicato licet vitando, etiam inter *memento* missae.

2. Applicatio contra prohibitionem Ecclesiae facta, quamvis illicita, tamen valida est ; unde sacerdos qui pro tali applicatione stipendium accepit, applicatione iam facta ad restitutionem non tenetur.

Articulus V.

De Valore Sacrificii et Quantitate eius effectuum.

S. Th. III, q. 79, a. 5 ; a. 7, ad 3 ; Suppl. q. 71, a. 13, ad 2.

358. **Differunt valor et effectus sacrificii.** — Valor est quantitas virtutis et efficaciae, quam ad producendos effectus sacrificium habet ex dignitate offerentis et rei oblatae ; effectus autem est id quod consequitur ex illa dignitate vel intuitu eius datur. Valor considerari potest in se, i. e. in actu primo seu quoad sufficientiam ; et in actu secundo, quoad efficientiam seu applicationem, i. e. simul cum effectibus de facto productis.

359. **Valor sacrificii vario sub respectu est infinitus aut finitus.** — Sacrificium spectari potest prout offertur ab Ecclesia et fidelibus, vel a Christo, secundum se vel quoad applicationem, respectu Dei aut nostri. Iamvero :

A. Valor sacrificii, si consideretur *ex opere operantis sacerdotis, fidelium et Ecclesiae*, est *finitus :* licet enim res oblata sit infinite digna, actus tamen illam offerendi habet dignitatem finitam et quidem maiorem pro maiori sanctitate.

B. Valor sacrificii *ex opere operato* seu ex opere Christi :

1° *In se* consideratus est *infinitus*, tum ex dignitate rei oblatae et offerentis, tum quia applicat merita infinita crucis.

2° Consideratus *quoad applicationem* respectu *Dei* est *infinitus :* Christus enim tribuit Deo cultum infinite dignum adorationis et gratiarum actionis.

3° Consideratus *quoad applicationem* respectu *nostri* est *finitus :*

a) *intensive*, et quia homo est incapax boni infiniti quod eius dispositione limitatur, et quia poena infinita inferni sacrificio non remittitur ; fructus tamen crescere possunt in indefinitum pro quantitate nostrae devotionis ;

b) etiam *extensive* quoad *fructum generalem et specialissimum*, quia numerus fidelium vel sacerdotum concelebrantium est finitus ; crescit tamen ille fructus in indefinitum pro numero fidelium aut concelebrantium : non enim minores fructus percipiunt fideles, aut sacerdotes simul idem sacrificium celebrantes, eo quod maior sit eorum numerus ;

c) praesertim quoad *fructum specialem :* hic enim non videtur crescere, sed e contra quanto pluribus applicatur tanto minus datur singulis. Id saltem nobis videtur verius.

Etenim 1. sacerdos habet potestatem limitandi fructum specialem ad unam personam, quae potestas non intelligeretur si fructus ille esset extensive infinitus ; 2. in Ecclesia viget praxis fidelium qui pro seipsis petunt peculiarem applicationem ad peculiarem finem, aut particularem applicationem pro particulari defuncto ; porro praxis illa foret nociva si fructus esset extensive infinitus : multo melius enim omnia sacrificia offerrentur pro omnibus vivis et defunctis.

360. Quaestio disputata. — Ultima sententia non admittitur ab omnibus. Multi enim theologi censent fructum specialem impetratorium, et plures fructum stricte propitiatorium, esse

extensive infinitum, ita ut non minuatur in singulis si pluribus applicetur, sed e contra unicuique tantum prosit si pluribus ac si uni applicetur[1].

Haec sententia est probabilis, unde si quis missam titulo mere gratuito offert pro aliquo, potest illam sententiam sequi et applicare ei secundam intentionem, sub conditione quod fiat absque praeiudicio illius pro quo celebrare tenetur ratione tituli onerosi ; non tamen licite potest applicare pro stipendio et simul alio titulo debito, puta obedientiae aut fidelitatis (can. 825, 2°). A fortiori non potest unam missam applicare pro duabus intentionibus ex iustitia debitis, quia tunc tenetur ad applicationem certo validam ; ita autem agendo exponeret alteram applicationem periculo nullitatis ; unde Ecclesia id prohibuit damn. prop. 10 ab Alex VII[2], et can. 825, 2° et 3°. Ceterum in casu pro altero stipendio deficit titulus sustentationis.

361. Animadversio. — Limitatio fructuum sacrificii non ab omnibus eodem modo explicatur. Plures dicunt eam oriri ex mera voluntate Christi qui fructus limitavit ut fideles frequentius celebrationem procurarent ; aut ex voluntate Dei, quia iuxta ordinem suae providentiae, causas determinatas ordinat ad determinatos et limitatos effectus. Alii, forsan melius, dicunt mensuram fructuum praecipue pendere ex duobus : ex perfectione applicationis et ex dispositionibus, ita ut in paritate dispositionum et in paritate applicationis sacrificium eosdem effectus producat : sicut autem fructus limitatur intensive dispositionibus requisitis, ita extensive ex eo quod applicatio non est aeque perfecta si pro pluribus ac si pro uno offeratur. Applicatio enim est actus humanus sacerdotis determinantis intentionem ad unam personam et unum finem ; actus autem humanus, quanto in plura obiecta tendit, tanto minus determinate fertur in singula ; unde minus perfecta est applicatio seu minus determinata intentio, ac proinde missa oblata pro pluribus non tantum prodest singulis ac si offeratur pro uno.

E contra pro fructu generali ad quem nulla requiritur applicatio specialis : cum enim singuli fideles aliquo modo per sacerdotem et cum sacerdote offerant, multiplicantur oblationes ac proinde earum fructus.

1. Fructus sacrificii esse extensive finitos, docent S. Bonaventura, in IV, d. 45, a. 2, q. 3, Scotus, Paludanus, D. Soto, Suarez, Lugo, S. Bellarminus, Pasqualigo et multi recentiores inter quos Lambrecht et Billot. E contra Caietanus, Iohannes a S. Thoma, Salmanticenses, Habert, Tournely, Gonet, Wigandt et plures Thomistae ; res tamen dubia est, ait Billuart. S.Alphonsus infinitatem tenuit in Th. M., l. VI, n. 312 ; sed, ut notat Gaudé, post annum 1769 in opusculo *De Caerem. missae*, ac *In Trid.*, sess. 22, n. 22 mutavit sententiam. De mente S. Thomae disputant : in III, q. 79, a. 5 videtur favere extensioni infinitae ; e contra in IV Sent, d. 45, q.2, a. 4, qc. 3, ad 2, et qc. 2, *sed contra*, et in Suppl. q. 71, a. 3, ad 2. Aliqui tenent limitationem pro fructu satisfactorio, extensionem infinitam pro impetratorio : ita inter alios Lehmkuhl et Cappello.

2. « Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre ».

SECUNDA PARS.

DE PRAECEPTIS PERTINENTIBUS AD SACRIFICIUM ALTARIS.

QUAESTIO PRIMA.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI SACRIFICIUM.

362. Obligatio celebrandi ex vario fonte oriri potest : ex ipso suscepto sacerdotio, ex officio suscepto vel beneficio possesso, ex tradito stipendio, ex particulari praecepto aut voto.

Articulus I.

De Obligatione ex Sacerdotio.

S. Th. III, q. 82, a. 10.

363. Praecipua obligatio celebrandi oritur ex sacerdotio. — Christus sacerdotibus imposuit *grave praeceptum* celebrandi sacrificium, uti certissimum est, tum ex ipsius verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, quae ita explicat Conc. Trid., sess. 22, c. 1 ; tum ex natura potestatis sacerdotalis, quae data est a Deo ut nomine omnium honoretur et omnibus gratiae procurentur salutis : talis autem potestas certo instituta fuit ut exerceretur.

Praeceptum illud obligat ad minus communitatem sacerdotum (ib. can. 2) ; an autem illud praeceptum vel etiam aliud ecclesiasticum obliget singulos sacerdotes ratione sacerdotii, a quibusdam fuit in dubium revocatum. Nunc autem generatim admittunt gravem obligationem singulis incumbere sacerdotibus, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum, praesertim si cedat in magnum honorem Dei et utilitatem totius societatis ; talis autem est potestas sacerdotis, quam nisi exerceret, fine suo frustaretur. Ceterum omnes debemus Dei dominium agnoscere per sacrificium (II, n. 698) ; videtur autem inordinatum, si sacerdos qui recepit potestatem id faciendi per sacrificium proprium (Hebr. V, 1), id nunquam faciat nisi sacrificio aliorum. Quod consentaneum est C. Trid., sess. 23, c. 14, et decr. S. C. C., nov. 1696. Et in Codice iuris iam dicitur, can. 805 : « Sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum ».

Obligatio est gravis propter gravitatem materiae ; sufficit tamen ut aliquis celebret in praecipuis festis vel, ut alii dicunt, ter quaterve in anno, debita distantia servata ; quodsi non faceret, fidelibus facile esset grave scandalum.

364. Animadversio. — Convenit omnino ut sacerdotes saepius celebrent, praesertim singulis dominicis et festis, unde in praedicto can. 805 additur : « Curet autem episcopus vel superior religiosus ut iidem (sacerdotes) saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto divinis operentur », quod omittere sat facile posset populo christiano videri scandalosum. Imo, ait S. Alphonsus, l. Th. M. l. VI, n. 559, illum qui quotidie celebrare possit et, ubi consuetudo quotidie celebrandi viget, sine ulla iusta causa, sed tantum ob desidiam celebrare negligat, vix posse a veniali culpa excusari. Non autem si ex rationabili motivo, v. g. maioris praeparationis, reverentiae, humilitatis, aut veri incommodi, aliquoties a celebrando abstineat.

Articulus II.

De Obligatione ex Officio.

365. Obligatio celebrandi iure divino oritur ex officio pastorali. — Praeceptum divinum omnes pastores animarum, qui scil. pastorale officium susceperunt, sub gravi obligat non solum certis diebus celebrare, sed et pro populo i. e. pro ovibus sibi commissis sacrificium applicare.

Haec obligatio in ipso officio pastorali continetur (Hebr. V, 1), quod officium est iuris divini ; unde Conc. Trid. ait praecepto divino mandatum esse omnibus quibus animarum cura commissa est, pro ovibus suis sacrificium offerre (sess. 23, de ref., c. 1). Ad illud tenentur episcopi iure divino absoluto, quia sunt institutionis divinae ; parochi et alii pastores iure divino hypothetico, si ut pastores ab Ecclesia instituantur.

Obligatio oritur *ex iustitia*, quia ad eam, sicut ad alia officia pastoralia, tenentur pastores ex quasi contractu ; ad quid praecise obligantur, generali et abstracto modo praescribit lex divina, sed determinari in concreto debet lege ecclesiastica.

366. Ad quid tenentur pastores. — I. S. Pontifex sola lege divina, non vero lege ecclesiastica, et ideo tantum aliquoties tenetur missam celebrare aut pro ovibus applicare.

II. Episcopi dioecesani, abbates vel praelati nullius, vicarii capitulares sede vacante, administratores apostolici permanenter constituti, parochi sive saeculares sive religiosi, et vicarii oeconomi in paroecia vacante constituti, tenentur, a capta possessione, missam celebrare pro grege diebus dominicis atque festis de praecepto etiam suppres-

sis (can. 339, § 1 et 466, § 1 ; comm. interpr. 17 febr. 1918 et S. C. C. 28 dec. 1919).

Non obligantur stricte vicarii generales, episcopi titulares, coadiutores aut auxiliares, praelati regulares, vicarii substituti et coadiutores, nec a fortiori vicarii cooperatores vel capellani.

III. Vicarii et praefecti apostolici, atque quasi-parochi, a capta possessione tenentur missam applicare pro grege solum 11 diebus festis de praecepto (can. 306).

367. Animadversiones. — 1. Si dies festus incidit in diem dominicam, unica missa obligationi satisfit (can. 339. § 2).

2. Si festum ita transferatur ut in die *ad quem*, non solum fiat officium cum missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi missam et abstinendi a servilibus, missa pro populo applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo* (can. 339, § 3).

3. Episcopus aut parochus, qui duas vel plures dioeceses, aut plures paroecias, aeque principaliter regat, aut praeter propriam dioecesim aut paroeciam, aliam vel alias in administrationem habeat, unam tantum missam pro populis sibi commissis applicare debet (can. 339, § 5 et 466, § 2). Quod etiam valet de vicario oeconomo qui plures paroecias tempore vacationis regit (com. interpr., 14 iul. 1922). Si autem festa patronorum unius et alterius parochiae diversis diebus occurrant, in utroque die festo applicatio fieri debet (S. C. C., 12 nov. 1927).

368. Modus implendi obligationem. — Obligatio applicandi pro populo est realis, personalis, localis, et affixa diei.

1° *Realis*, ita ut pastor, qui ex iusta causa impeditus applicare non potest, per alium aut alio die obligationi satisfacere debeat, et qui applicationem omisit, quamcitius applicare teneatur (can. 339, § 4 et 6).

Notetur nullam causam excusare a missa pro populo celebranda, nec consuetudinem immemorabilem ; praeter dispensationem S. Pontificis in casu particulari.

2° *Personalis*, ita ut pastor per se ipse applicare teneatur, nisi legitime impediatur (ib.). Impedimentum legitimum est infirmitas, obligatio celebrandi missam conventualem, si parochus simul sit canonicus, vel legitima absentia (can. 466, § 5), aut quodcumque aliud dummodo grave iudicetur.

S. C. C. declaravit, ut parochus excusetur, causam iustam non esse : a) consuetudinem contrariam ; b) exequias celebrandas; c) missam pro sponsis dicendam ; d) missam pro certo die fundatam, quae in diem festum de praecepto incidat ; e) persuasionem fidelium qui putant missam paroecialem solemnem cum cantu et explicatione Evangelii semper pro populo applicari et ideo libenter ad eam confluunt. Ita per se et nisi aliud incommodum grave accedat.

3° *Localis*, ita quod missa pro populo in ecclesia paroeciali dicatur ut populus ei interesse possit, nisi rerum adiuncta aliud exigant aut suadeant (can. 466, § 4), v. g. si sit festum in ecclesia filiali, aut si agatur de mera suppletione missae omissae.

Localis obligatio existit pro parochis, non autem, ut patet, pro episcopis qui ubique pro grege celebrare possunt. Quodsi parochus legitime absit, pro lubitu vel ipse in loco, ubi moratur, vel alius pro eo in ecclesia paroeciali applicare potest (can. 466, § 5).

4° *Affixa diei*, ita ut applicatio sine necessitate in alium diem transferri non possit ; nisi Ordinarius loci iusta de causa id permittat (can. 466, § 3).

Causa iusta esse potest missa exequialis, pro sponsis, in die anniversaria obitus vel depositionis, aut pro urgenti causa publica.

Non requiritur ut missa quae pro populo applicatur sit missa solemnis, cantata vel ipsa paroecialis ; etiam per privatam missam obligatio adimpletur.

369. Animadversiones. — 1. Qui obligationem quoad substantiam implet, sed debitum modum non servat, nisi frequenter sine iusta ratione fiat, peccat tantum leviter.

2. In quibusdam dioecesibus ex indulto permittitur ut diebus festis suppressis missa non applicetur pro populo, sed ad mentem episcopi vel pro stipendio huic tradendo pro piis operibus. Quo casu iam permittitur, ut non ipsa die, qua tenentur, nec per se, sed per alium sacerdotem, parochi huic obligationi satisfaciant (S. C. C., 16 dec. 1914).

3. Pauperibus parochis conceditur, ut, si die festo offeratur pingue stipendium, missa ad intentionem offerentis dici possit, applicatione pro populo in alium diem translata (Ben. XIV, Const. *Cum semper*, 19 aug. 1744).

Articulus III.

De Obligatione ex Beneficio.

370. Obligatio celebrandi oritur ex beneficio suscepto. — *Beneficium* est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, clerico auctoritate ecclesiastica constitutum (can. 1409) ; quod est *curatum* vel *simplex*, prout curam animarum adnexam habet vel non habet. In praesenti intelligitur beneficium simplex, quod beneficiato imponit obligationem ex pia fundatione missam celebrandi, sive quotidie, sive certis diebus. Obligatio ex iustitia commutativa est satisfaciendi institutioni fundatoris, i. e. missas impositas non solum celebrandi, sed etiam ad intentionem fundatoris applicandi, quia talis praesumitur fundatoris voluntas ; — nisi certo constaret illum celebrationem imposuisse solam, applicatione totaliter aut partialiter relicta liberae celebrantis determinationi.

Applicatio missarum praesumitur totaliter facienda animae fundatoris (S. C. C., 18 aug. 1668 ; 26 mart. 1718), nisi tamen certum e celebrandis missis numerum sibi applicandum praescribat : tunc enim applicationem aliarum liberam reliquisse censetur.

371. Modus implendi obligationem. — Beneficiatus qui ad missae obligatur celebrationem, tenetur :

1° *Omnia adiuncta a fundatore praescripta implere*, quantum ad missae speciem seu qualitatem, locum vel tempus.

Hinc peccat si, absque iusta causa, adiuncta stipulata omittat, et quidem graviter, si saepius ea omittantur et determinata fuerint ob gravem finem perdurantem, ut ob commodum populi, ob specialem Sancti cultum, ob specialem memoriam ; e contra si ex gravi causa excusante vel si finis non subsistat, aut si dispensatio legitime obtenta fuerit, quam ad perpetuum concedere potest S. Sedes, ad tempus ob iustam causam Episcopus.

2° Non tamen *per seipsum satisfacere*, nisi id expresse vel aequivalenter exigatur ; sed potest facere per alium. Praesumitur onus reale principaliter adnexum loco, non personale.

Qui habet onus missae quotidianae : a) si onus sit reale, ita ut possit per alium satisfacere, nullam missam potest omittere, sed, ipso non celebrante, curare debet ut per alium missa dicatur ;

b) e contra si onus sit personale et ipse per se quotidie celebrare teneatur, missam *aliquando ex iusta causa* omittere potest nec per alium supplere debet, quin tamen possit pro se vel suis applicare nec a fortiori pro stipendio. Ita S. C. C., 18 sept. 1683.

Iusta causa in casu *excusans* est :

a) *Brevis infirmitas*, qualis generatim censetur illa quae non excedit quindecim dies (S. C. C., 4 iun. 1689 ; 17 nov. 1695); quodsi sit diuturna, beneficiatus per alium supplere tenetur, excepto casu quo factus sit omnino impotens nec aliunde haberet unde viveret (S. C. C., 5 febr. 1650 ; 24 apr. 1655).

b) *Religio*, ad celebrationem ob defectum dispositionis, aut humilitatis vel reverentiae causa omittendam movens ; quod permittunt semel in mense.

c) *Impedimentum rationabile*, uti iter instituendum, exercitia spiritualia peragenda, sed per paucos dies tantum.

372. Corollaria practica. — 1. *In cathedralibus et collegialibus ecclesiis missa conventualis*, quae quotidie a canonicis celebranda est, *applicari debet benefactoribus* generatim cuiuslibet respectivae ecclesiae (can. 417, § 1).

Si secunda aut tertia missa conventualis celebretur, in hisce sub *memento* defunctorum fiat commemoratio benefactorum ecclesiae generatim. Quodsi canonicatuum praebendae tenues sint, possunt a S. C. Concilii facultatem implorare non applicandi benefactoribus missam conventualem diebus ferialibus, sed tantum diebus festis ex praecepto (Ben. XIV, const. *Cum semper*, 19 aug. 1744, § 11).

Notandum insuper :

a) Capitularis infirmitate detentus non tenetur eleemosynam praebere sacerdoti capitulari, qui ipsius vicem supplet in missae conventualis celebratione et applicatione, nisi statuta capitularia vel particularis consuetudo aliud ferant (can. 417, § 2).

b) Servari potest consuetudo praebendi stipem celebranti, vel ex cumulo distributionum, vel ex reditibus omnium praebendarum per contributum (ib., § 3).

c) Si quis eodem die urgeatur onere celebrandi missam et pro populo et conventuali, hanc ipse celebret applicetque per se, illam per alium vel per se die sequenti (can. 419, § 2).

2. *Parochus* a) *ius habet exonerandi omnes fundationes in sua ecclesia institutas*, per se vel per alium, nisi aliter in fundatione exprimatur ; b) *officium habet adimplendi eas vel curandi ut adimpleantur*, iuxta voluntatem fundatoris quoad numerum missarum, locum, tempus, modum celebrationis.

Fundationis stipendium est id quod fundator determinavit ; determinatione deficiente id quod taxa dioecesana vel consuetudo statuit. At, quando parochus fundationem per alium sacerdotem adimplet, generatim sufficit quod ipsi iustum stipendium, iuxta legem aut consuetudinem vigentem, tribuat, retenta sibi, si

detur, parte excedente redituum: praesumitur enim fundatio cum pinguiore stipendio facta in favorem parochi vel rectoris ecclesiae ; — nisi tamen in ipsa fundatione expresse aliter notetur.

3. *Reductio seu imminutio numeri missarum celebrandarum* fieri potest, quando reditus fundationis ad rationem iusti stipendii non iam sufficiant, sive minuentibus ipsis reditibus, sive augente taxa legali stipendii.

Nequit fieri privata auctoritate ; et ideo, usquedum reductio per legitimam auctoritatem facta fuerit, debet parochus vel rector ecclesiae tot celebrare missas et cum tali solemnitate quam praescripserit fundator, etiamsi reditus fundationis sint incongrui. Legitima auctoritas in casu est ille quem fundator designavit in ipsa fundatione ; qua designatione deficiente est sola Sedes apostolica, non autem episcopus, nisi speciale indultum acceperit (S. C. C., 31 iun. 1625 ; can. 1517, § 1 et 1551). Reductione ab Ecclesia facta fundatores nullum damnum patiuntur, quia fructum satisfactorium ex thesauro suo supplet et satisfactiones Christi et sanctorum illis applicat pro quibus missae erant offerendae, fructum vero impetratorium ex oratione supplet quatenus preces, quae nomine eius fiunt, in hunc dirigit.

Notetur : Si *absque culpa*, dos pro missarum *fundatarum* onere prorsus perierit, vel reditus eius percipi nequeant, cessat vel suspenditur obligatio celebrandi (S. C. C., 20 iun. 1641 et 18 aug. 1705).

Si autem dos, sine culpa, partialiter perierit, et fundator stipendium pro singulis missis determinaverit, sufficit dicere tot missas quot stipendia percepta ; si vero stipendium non determinaverit, sed solum numerum missarum celebrandarum, non potest numerus earum imminui, nisi reductione obtenta a legitima auctoritate, ut dictum est.

Articulus IV.

De Obligatione ex Stipendio.

373. Obligatio celebrandi oritur ex tradito stipendio. — *Stipendium* est summa pecuniae vel alia res pretio aestimabilis, quae tribuitur sacerdoti ad sustentationem, cum munere offerendi sacrificium ad determinatum finem. Obligatio illa est *iustitiae commutativae :* oritur ex contractu oneroso innominato : do ut facias, quo ex una parte sacerdos, accepto stipendio, celebrare pro illo qui stipendium praebuit tenetur ex iustitia, ita ut si non faciat, restituere teneatur ; et ex altera parte, quando cum promissione stipendii sacerdos celebravit pro aliquo, hic tenetur ex iustitia stipendium solvere.

Contractus ille non est emptionis et venditionis rei sacrae et simoniacus, sed licitus : non enim datur stipendium ut pretium missae vel laboris ipsi intrinseci et ab ea inseparabilis, sed unice ad sustentationem sacerdotis ut suum ministerium exequi possit. Etenim a) pictor dicitur gratis pingere ecclesiam, etiamsi ipsi dentur colores et alia necessaria ad pingendum, imo et ipsa sustentatio ; — b) sicut a fidelibus exigi possunt cera, panis, vinum, vestes sacrae, ita etiam sustentatio sacerdotis qui ad sacrificium missae est necessarius ; — c) nam sacerdotes de sacerdotio vivere possunt, quia dicitur I Cor. IX, 13-14 : *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita, et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere;* cum dixerit : *Dignus est enim operarius cibo suo..., mercede sua* (Mt. X, 10 ; Lc. X, 7) ; unde et in V. L. sacerdotes vescebantur victimis ; — d) sane nullus tenetur gratis se tradere servitio aliorum (I Cor. IX, 7); ergo sacerdotes possunt vivere de oblationibus fidelium; quodsi servitio particulari unius se tradant missam ipsi applicando, ab ipso particularem oblationem exigere possunt ; — e) cui concordat universalis praxis Ecclesiae, ab eius auctoritate probata : C.Trid., sess. 22, de obs.; C. Const[1], sess. 8, prop. 25 ; Pio VI in damn. prop. 54 Syn. Pist. ; et can. 824, § 1 : « Secundum receptum et probatum Ecclesiae morem atque institutum, sacerdoti cuilibet missam celebranti et applicanti licet eleemosynam seu stipendium recipere ».

Confirmatur ex origine stipendii, qui est in oblationibus fidelium. In primitiva Ecclesia, intra missarum solemnia, fideles oblationes suas scil. panem et vinum dabant ad altare, ex quibus sacerdotes sumebant necessaria ad sacrificium pro omnibus oblatum ; quae supererant cedebant partim clericis partim pauperibus. Postea praeter panem et vinum, in usum sacerdotum et clericorum, alia offerebantur in eleemosynam : oleum, lac, mel, fructus, incensum, dein etiam denarii. Inde factum est quod denarios etiam offerrent ante missam atque offerentes postularent ut ipsum sacrificium pro ipsis specialiter offerretur. A saeculo VII consuetudo introducta est ita celebrandi pro particularibus fidelibus ad specialem intentionem ; saeculo XII usus stipendiorum est universalis.

374. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

1° Non tantum pauperem sed etiam divitem sacerdotem accipere posse stipendium, uti fert universalis praxis : omnis enim munere suo vivere potest, et operarius est dignus mercede sua ; nec ipse, sed ille qui sacrificium postulat tenetur necessaria ad illud tribuere.

2° In die Nativitatis Domini tria stipendia licite accipiuntur, quia totum quod sacerdos illa die accipit et aliis diebus non excedit victum necessarium pro toto anno ; per se id quoque licitum esset in commemoratione omnium defunctorum, aut in binatione, nisi Ecclesia ad cupiditatem refrenandam prohiberet. Unde can. 824, § 2 : « Quoties autem pluries in die celebrat, si unam missam ex titulo iustitiae (i. e. ex officio, beneficio aut

stipendio) applicet, sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco ».

3° Beneficiarii qui ex fundatione tenentur certis diebus missam celebrare, non autem applicare, possunt stipendium ab alio accipere cui applicent : hoc enim casu stipendium fundationis datur ob laborem extrinsecum, vel officium susceptum erga paroeciam, ecclesiam aut capellam.

375. Quantitas stipendii. — *Titulus stipendii est sustentatio sacerdotis*, non quidem unius diei integrae, nam in reliquo diei potest etiam concionare, docere et similia agere; neque praecise sustentatio pro solo tempore missae : celebratio enim impedit sacerdotem per magnam diei partem ab aliis multis operibus quibus posset victum quaerere ; quare S. Alphonsus dicit sufficere sustentationem mediae vel tertiae diei partis.

Cum victus, vestitus, habitatio, libri, et alia sacerdotibus necessaria, sicut etiam ipsa pecunia, non semper sint eiusdem valoris, cumque varient circumstantiae locorum et temporum, etiam variat stipendium. Sicut autem pretium rerum civili auctoritate taxari potest, ita etiam S. Pontifex, et Episcopus in dioecesi, determinare valet quantitatem sustentationis tribuendam et quantitatem pecuniae ipsi correspondentem, quae determinatio praesumitur recta nisi *evidentem* iniustitiam contineat ; unde efficit ut non possint sacerdotes plus exigere, nec fideles invito sacerdote minus stipendium pro missa celebrata tribuere, quin iniuste agant. Deficiente autem taxatione legali, stipendium determinatur a consuetudine. Hinc can. 831 :

« § 1. Ordinarii loci est manualem missarum stipem in sua dioecesi definire per decretum, quantum fieri potest, in dioecesano Synodo latum ; nec sacerdoti licet ea maiorem *exigere*.

§ 2. Ubi desit Ordinarii decretum, servetur consuetudo dioecesis.

§ 3. Etiam religiosi, licet exempti, circa stipem manualem stare decreto Ordinarii debent aut dioecesis consuetudini ».

Exigere ultra stipendium iustum est simonia, saltem iuris ecclesiastici (can. 730).

376. Animadversiones.— 1° Episcopus prohibere nequit sacerdotibus ne maius stipendium accipiant sponte oblatum (S. C. C., 16 ian. 1649); at prohibere potest ne minus accipiatur, ut sacrificium missae non vilescat (S. C. C., 16 iul. 1689). Hinc can. 832 : « Sacerdoti fas est oblatam ultro maiorem stipem pro missae applicatione accipere ; et, nisi loci Ordinarius prohibuerit, etiam minorem ».

2° Sacerdos exigere potest stipendium maius pro labore extraordinario et titulo missae extrinseco, v. g. pro itinere longo, hora tardiore, cantu, determinata die, etc. ; nisi id iam aliunde debeatur. Non tamen pro emolumento spirituali, v. g. pro cele-

bratione in altari imaginis miraculosae ; unde can. 918, § 2 : « pro missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi missae eleemosyna ».

3° Licitum est de missarum stipendio pacisci, sed secundum taxationem vel consuetudinem : cum enim tribuitur ex iustitia, nihil obstat quominus possit in pactum deduci ; vitetur tamen scandalum in talibus pactionibus, quantum possit.

377. Qualitas et quantitas obligationis ex stipendio. — Ex stipendio oritur obligatio celebrandi sacrificium iuxta intentionem illius qui stipendium tribuit. Obligatio est *iustitiae*, quia sacerdos et fidelis ineunt verum contractum, in quo ex una parte fidelis stipendium praebet ut celebretur missa, et sacerdos ex altera parte stipendium accipit cum onere sacrificium celebrandi. Obligatio, etiam unius missae dicendae, est ex genere suo *gravis*, quia gravitas hic mensuranda est non ex stipendio sed ex fructu spirituali, cuius privatio est notabile damnum.

Quod patet ex instantia quacum Ecclesia multis decretis obligationem gravem urgebat, et ex eo quod id hodie iam communiter docent auctores ; — nisi forsan magnus dicendus sit ad eamdem omnino intentionem missarum numerus, aut nisi stipendium sit adeo tenue ut missa censeatur gratis promissa, quia simplex promissio per se et nisi quis aliter intenderit, non obligat sub gravi.

Hinc in casu quo unica missa fuerit omissa, gravis manet obligatio eam applicandi quamprimum, si finis adhuc obtineri possit, aut monendi oblatorem et reddendi stipendium. Et qui missam tempore congruo applicare omiserit, stipendium restituere tenetur ex iustitia ; obligatio restituendi tamen non est gravis, nisi stipendium materiam saltem relative gravem constituat.

378. Modus implendi obligationem. — Obligatio contracta ex stipendio spectari potest :

1° *Quoad personam.* Per se loquendo potest sacerdos satisfacere per seipsum vel per alium ; quodsi donans id aegre ferat, non videtur tamen obligatio gravis celebrandi per seipsum, quia etiam per alium satisfit quoad substantiam.

Ex can. 838, « qui habent missarum numerum de quibus sibi liceat libere disponere, possunt eas tribuere sacerdotibus sibi acceptis, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos » ; quo casu tamen « obligatione tenentur usquedum acceptatae ab eisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint » (can. 839).

A fortiori licet missas celebrandas tradere Ordinario.

2° *Quoad numerum* : Sacerdos tenetur tot sacrificia celebrare et applicare quot acceptavit stipendia, etiam si sint exigua (can. 828) ; quia donans stipendium petit applicationem certo validam, imo missam sibi reservatam, ad exclusionem aliorum si applicatio hisce facta sibi noceat.

Hinc qui aliter fecerit, ad reparationem tenetur si adhuc sit possibilis, et secus ad restitutionem. Cfr. Urb. VIII, 21 iun. 1625 ; et prop. 8 et 10 ab Alex. VII damnatas.

3° *Quoad tempus :* Sacerdos tenetur celebrare tempore explicite vel implicite determinato (can. 834).

Hinc a) qui stipendium accepit ut certo die, v. g. in festo determinato, celebret, tenetur isto die celebrare ; b) missa postulata pro urgenti necessitate, v. g. pro agonizante, lucranda lite proxime iudicanda, recenter defuncto, felici partu, evadendo periculo, quamprimum celebranda est et tempore utili ; c) si magnus numerus missarum eidem sacerdoti simul tradatur vel si tradens sciat sacerdotem ad multas alias missas teneri, tunc merito censetur consentire in longiorem dilationem ; e contra si magnus numerus tradatur communitati multorum sacerdotum ; d) qui stipendia offerunt in locis ubi ob magnum concursum multa stipendia offeruntur, censentur consentire in dilationem ; e) quod si tempus nullo modo determinetur, tenetur celebrare sacerdos *infra modicum tempus*, pro maiore vel minore missarum numero ; f) si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis *expresse* reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit eas celebrare, at saltem infra annum a tempore receptionis computandum. Ita ad normam can. 834 et 835.

Modicum tempus S.C.C., 11 maii 1904, interpretata est ita : « infra mensem pro una missa, et semestre pro 100 missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve longum iuxta maiorem vel minorem numerum missarum », v. g. mensem pro 3 vel 4 missis, 40-45 dies pro 10, 2 menses pro 20, 3 pro 40, 4 pro 60 ; 5 pro 80, 6 pro 100, annus pro 200 (S. C.C., 27 febr. 1905). Quae taxatio, licet Codex ab ea proponenda abstinuerit, praebet tamen prudentem regulam a qua non erit multum recedendum. At non mathematice sed moraliter est sumenda, et intelligenda est quantum ad singulos offerentes, non autem cumulative quantum ad omnes. Tempus computandum est a momento quo missae recipiuntur sive a donatore, sive a tradente, sive etiam ab Ordinario, nisi aliud constet (can. 837), i. e. nisi aliud sive explicite sive implicite pactum sit, ut si urgens adsit causa, vel tempus expresse determinatum sit, vel transmittens conditionem adiiciat.

Dilatio notabilis est peccatum grave : obligat ad restitutionem, si causa celebrandi cessaverit ; si maneat, tenetur sacerdos ad compensandum bonis spiritualibus (ut orationibus, ieiuniis, indulgentiis) damnum spirituale quod forsan ex dilatione fuerit secutum.

4° *Quoad locum et qualitatem aliasque circumstantias.* Si oblator expresse aliquas circumstantias in missae celebratione determinaverit, sacerdos, eleemosynam acceptans, eius voluntati stare debet (can. 833).

Sacerdos, si circumstantias servare non possit aut non velit, de hoc oblatorem monere debet ; et isto non contradicente, ad circumstantias non tenetur. Si celebraverit non servando circumstantias, in materia gravi debet defectum supplere. Non tamen tenetur restituere stipendium, nisi circumstantia ab offerente fuerit intenta tamquam conditio sine qua non.

Hinc a) quando aliquis acceptat stipendium ut celebret *in tali loco*, v.g. in altari B. M. V., in tali sacello, tenetur ibi celebrare ; omissio tamen huius circumstantiae *generatim* non est graviter culpabilis, et excusatur per rationabilem causam, nec per se inducit onus restitutionis ; facilius foret gravis omissio eiusdem circumstantiae in multis missis eiusdem donationis, modo circumstantia ob gravem rationem fuerit stipulata.

b) Qui ex stipendio obligatur ad celebrandum *in altari privilegiato*, non satisfacit in altero altari, nisi privilegio personali altaris gaudeat, nec satisfacit applicando aliam indulgentiam plenariam, quia hanc defunctus non tam certo lucratur (S. C. Indulg., 2 maii 1852). Quodsi ex errore *bona fide* commisso non satisfecerit, in compensationem tenetur aliam indulgentiam plenariam applicare defuncto (S. C. Indulg., 22 feb. 1847 et 24 iul. 1885).

c) Qui missam *votivam* dicere tenetur, non satisfacit applicando missam de die, nisi legitimum impedimentum excuset ; qui tamen defectus per se veniale peccatum non excedit.

d) Si fidelis missam petit *pro defuncto*, sacerdos satisfacit per missam de sancto nec tenetur dicere missam de requie, nisi *expresse* fuerit postulata ; similiter qui debet applicare *pro vivis* satisfacit per missam de requie, nisi alia fuerit *expresse* petita. Praesumitur oblator solam quaerere applicationem, non ritum (can. 833).

e) Si petitur missa in *honorem alicuius mysterii* Christi, B. M. V. vel Sancti, satisfit missa diei currentis, nisi expresse petatur votiva ; quamvis consultius sit, pro posse, per votivam satisfacere missam (S. C. R., 13 iun. 1899).

f) Si fidelis petit missam *cantatam aut solemnem*, sacerdos applicans missam lectam valide applicat, sed non perfecte satisfacit (S. C. P. F., 8 iun. 1844), et ideo tenetur ad missam cantatam vel solemnem celebrandam, quam tamen non debet huic fideli, sed alteri applicare potest.

g) Si petantur 30 *missae gregorianae*, sine interruptione 30 *diebus continuis* pro uno eodemque defuncto missa celebretur, quin

tamen necesse sit ut ab eodem celebretur sacerdote. Vocantur gregorianae, quia, ut declaravit S. C. Indulg., 15 mart. 1884, pie et rationabiliter creditur animas pro quibus applicantur, specialiter iis adiuvari ob intercessionem s. Gregorii ut a purgatorio liberentur. *Essentiale* est ut sine interruptione missae celebrentur per 30 dies continuos, tribus ultimis diebus hebdomadae sanctae exceptis (S. Off., 12 dec. 1912).

Hinc circumstantia illa graviter obligat. Unde qui voluntarie tricenarium interrupit, ad repetendam seriem tenetur ; qui vero involuntarie, an ita supplere teneatur disputant. Plures negant, quia sacerdos non censetur se voluisse ad id obligare, nec offerens stipendium rationabiliter id exigere ; suadent tamen indulgentiam plenariam defuncto applicare in compensationem[1]. Sed nimis confidenter loquuntur, nam tota res pendet ab intentione largientis stipendium ; suntque inter largientes, praesertim in certis regionibus, qui stricte exigunt executionem contractus certo validam. Unde in praxi potius videtur, ad cautelam, recurrendum ad S. Poenitentiariam[2] ; censent tamen quidam etiam sufficere ut interrumpens curet unam missam celebrari ad altare Gregorianum in Urbe, vel ad aliquod aliud, quod instar Gregoriani privilegiatum est, quia putant ita obtineri idem S. Gregorii adiutorium.

379. Corollaria. — Hinc facile intelliguntur dispositiones sequentes :

A. « Nunquam licet :

1° Missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro missa antea applicata (nisi oblator monitus id ratum habeat, ut diximus n. 353, 3) ;

2° Eleemosynam recipere pro missa quae alio titulo debetur et applicatur ;

3° Duplicem eleemosynam pro eiusdem missae applicatione accipere ;

4° Alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione, alteram pro applicatione eiusdem missae, nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione » can. 825.

B. « Tot celebrandae et applicandae sunt missae, quot stipendia etiam exigua data et *accepta* fuerint » can. 828. Quod si inscio sacerdote traditum fuerit stipendium taxato inferius et offerens ignoretur, sacerdos potest illud in capsam eleemosynarum pro missis celebrandis immittere aut Ordinario tradere loci.

C. « Licet sine culpa illius qui onere celebrandi gravatur, missarum eleemosynae iam perceptae perierint, obligatio non cessat » can. 829. Stipendium enim traditione in dominium sacerdotis transivit ; res autem perit domino.

D. « Si quis pecuniae summam obtulerit pro missarum applicatione, non indicans earumdem numerum, hic supputetur

1. Ita v. g. Marc, Aertnijs-Damen, Prümmer, Cappello.
2. Ita Vermeersch, Th. M., III, n. 278, quod etiam tenet Cappello, o. c., n. 769.

secundum eleemosynam loci in quo *oblator morabatur*, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat » can. 830, v.g. si de taxa dioecesana quaesierit, aut aliud stipendium dare consueverit.

E. « Nemini licet tot missarum onera *per se* celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat » can. 835. At licitum est si oblator in id manifeste consentiat (can. 841, § 2), aut si per alios celebrandae sint missae (can. 836).

F. « In ecclesiis, in quibus ob fidelium peculiarem devotionem missarum eleemosynae ita affluunt, ut omnes missae celebrari ibidem debito tempore nequeant, moneantur fideles, per tabellam in loco patenti et obvio positam, missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi » can. 836.

380. Specialis prohibitio cuiuscumque negotiationis vel mercaturae cum stipendiis missarum. — Praescribit can. 827 : « A stipe missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur » ; quibus verbis non solum ipsa negotiatio vel mercatura, sed etiam quae harum speciem i. e. apparentiam vel fundatam suspicionem gerunt, atque cooperatio ad ea omnia prohibentur. (S. C. C., 11 maii 1904.) Quae prohibitio est ex genere suo gravis.

Negotiationem vel mercaturam agit cum stipendiis missarum:

1° Qui ope stipendiorum eo de fine collectortm vel acceptorum, commercium aliquod agit v. g. librorum aut sacrorum utensilium, merces scil. pro stipendiis tradendo, ut ex stipendiorum differentia vel etiam ex sola mercium venditione lucrum percipiat.

Non tamen prohibetur : a) librariis aut mercatoribus missas *pro se suisque defunctis* celebrandas committere sacerdoti eique pro stipendio libros aut utensilia tradere ;

b) sacerdotibus pro missis celebrandis aut celebratis accipere vinum, oleum, frumentum aliaque, aut debitum solvere, modo species negotiationis arceatur ;

c) rectoribus ecclesiarum et seminariorum aut piorum operum moderatoribus stipendia sponte oblata acceptare ac sacerdotes rogare ut gratis missas persolvant, praefatis operibus devolvendo eleemosynam ;

d) vicariis cooperatoribus aliisve sacerdotibus in domo parochi degentibus, huic pro victu et servitio cedere eleemosynam missae quotidianae sive lectae sive cantatae.

Haec non sunt negotiationes, sed solutiones aut donationes.

2° Qui colligit vel acceptat stipendia ut, transmittens missas celebrandas minori stipendio, vel ex cambio pecuniae, lucrum percipiat. Hinc can. 840, § 1 : « Qui mis-

sarum stipes *manuales* ad alios transmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator *expresse* permittat aliquid retinere, aut *certo* constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae ».

Ex intentione enim oblatoris totum stipendium per se destinatur celebranti, nec proinde ad pios usus pars retineri potest. Unde qui retinet partem stipendii peccat contra iustitiam et restituere tenetur celebranti.

Attamen :

a) Non est illicitum partem retinere : 1. si oblator *expresse* permittat ; 2. si *certo* constet stipendium pinguius datum fuisse intuitu personae, v. g. ratione specialis amicitiae, necessitatis, gratitudinis, recompensationis, etc. ; 3. si sacerdos, cui committitur celebratio, *sponte* remittat partem stipendii ; 4. si maior eleemosyna ad iura parochialia pertineat, quae dicuntur iura stolae, ut in missis exequialibus vel nuptialibus, quia istae parocho competunt ; 5. si quis habeat indultum post 1904 concessum ; 6. si agatur de missis fundatis quae tempore debito celebrari non potuerunt, nisi obstet mens fundatoris. De his enim valet can. 840, § 2 : « In missis ad instar manualium (fundatis scil. quae non potuerunt debite applicari), nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus et satis est remittere solam eleemosynam manualem dioecesis in qua missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae ».

b) Nec est illicitum intentiones missarum commutare, etiam si stipendia sint inaequalia, ut si Petrus hodie celebret ad intentionem Pauli, et Paulus crastina die ad intentionem Petri ; aut Paulus in ecclesia Petri ad intentionem Petri absentis, et Petrus ad intentionem Pauli : talis conventio non est nisi de mutuo servitio reddendo.

c) Non est illicitum de stipendio retinere pro expensis transmissionis aut administrationis, dummodo non plus retineatur quam pro expensis necessarium sit (S. C. C., 25 febr. 1905) ; at idem non valet pro expensis altarium, paramentorum, luminum, vini, hostiarum, nisi ecclesia sit valde pauper (Inn. XII, Const. *Nuper*, 23 nov. 1697, VII), quo casu Ordinarius concedere potest ut moderata exigatur stipes, quam ipsius est definire ita ut nemini, nec religiosis exemptis, fas sit maiorem exigere (can. 1303, § 2 et 3).

381. Monita practica. — 1. Can. 837 : « Qui missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuat, firmo praescripto can. 841 ; sed tempus legitimum pro earumdem celebratione incipit a die quo sacerdos celebraturus easdem receperit, nisi aliud constet », ut dictum est n. 378, 3°.

2. Can. 841 : « § 1. Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, sub exitum cuiuslibet anni, missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum, suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum.

§ 2. Hoc autem tempus ita est accipiendum, ut in missis ad instar manualium obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent ; in manualibus vero, post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate ».

Ita sane, nisi agatur de minore numero missarum quae brevi sint dicendae.

3. Can. 842 : « Ius et officium advigilandi ut onera missarum adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium ; in religiosorum ecclesiis, ad eorum superiores ».

4. Can. 843 : « § 1. Rectores ecclesiarum aliorumque piorum locorum sive saecularium sive religiosorum in quibus eleemosynae missarum recipi solent, peculiarem habeant librum in quo accurate notent missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem.

§ 2. Ordinarii tenentur obligatione singulis saltem annis huiusmodi libros sive per se ipsi sive per alios recognoscendi ».

5. Can. 844 : « § 1. Ordinarii quoque locorum et superiores religiosi qui propriis subditis aliisve missas celebrandas committunt, quas acceperint missas cum suis eleemosynis cito in librum per ordinem referant curentque pro viribus ut quamprimum celebrentur.

§ 2. Imo omnes sacerdotes sive saeculares sive religiosi debent accurate adnotare quas quisque missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit ».

Articulus V.

De Obligatione ex Praecepto Obedientiae aut Voto.

382. Obligatio celebrandi oriri potest ex speciali praecepto obedientiae a legitimo superiore imposito. — Ita :

1° S. Pontifex omnibus sacerdotibus, et Episcopus sacerdotibus sibi subditis, saltem ratione muneris suscepti aut implendi, praecipere potest celebrationem missae ; imo et applicationem pro determinata intentione, quae non est actus mere internus, sed actus internus cum externo coniunctus (I, n. 327).

2° Superiores regulares praecipere possunt suis subditis, etiam in virtute obedientiae, ut celebrent secundum intentionem ab ipsis statutam aut a constitutionibus praescriptam, salvis tamen exceptionibus a constitutionibus aut a legitima consuetudine sancitis.

Quo casu, religiosi tenentur etiam *ex iustitia* et quidem sub gravi, si stipendia missarum a superioribus accipiuntur eo

pacto, ut per subditos missas celebrari curent ; — e contra, si vi potestatis dominativae missae applicationem superiores iniungant, aut vi constitutionum missam ad certam intentionem exigant, religiosi tenentur tantum *ex obedientia*, graviter, leviter, aut sub sola poena, iuxta superioris intentionem.

383. Animadversiones. — 1. *Praeter votum religiosae obedientiae*, ex quo aliquis, praecipiente superiore in virtute obedientiae, teneri potest ad celebrandam missam, potest quis *ex voto privato* se ad id obligare ; quae obligatio erit gravis, nisi vovens intenderit se tantum obligare sub levi.

2. *Simplex promissio* alicui facta offerendi sacrificium pro ipso, obligat, dummodo sit vera promissio ; non tamen sub gravi, nisi quis expresse ita intenderit.

3. Confessarius sacerdoti poenitenti iniungere potest missae celebrationem aut applicationem tamquam poenitentiam sacramentalem ; quo casu, nisi aliud expresse dixerit, praesumitur exigere missae applicationem ab omni alia obligatione distinctam et separatam.

QUAESTIO SECUNDA.

DE REQUISITIS AD CELEBRATIONEM.

384. Ad licite celebrandum requiruntur tria : 1° *ex parte corporis*, immunitas a vitio quod impedit celebrationem et constituit irregularitatem ex defectu (can.984, n. 2) — ieiunium (can.808), — et mundities, ut supra fuit explicatum (n. 280-284) ; 2° *ex parte animae :* status gratiae, post conscientiam peccati mortalis, confessione probatus ut dictum est n.271-272 (can. 807), immunitas a censura, irregularitate aliisque poenis et impedimentis canonicis (can. 2261), et debita praeparatio (can. 810) ; 3° *ex parte adiunctorum externorum :* observantia caeremoniarum, rituum et aliorum ab Ecclesia praeceptorum.

385. Obligatio valde gravis est caeremonias et ritus servandi aliaque Ecclesiae praecepta quoad celebrationem sacrificii. — Cum enim nihil sanctius sit sacrificio altaris, vult Ecclesia ut cum multo apparatu et cultu externo offeratur, et ideo multa praescripsit circa locum aut tempus, circa res adhibendas et ritus servandos, ut cum decore, reverentia ac pietate actio sacra exerceatur, ut scil., ait Conc. Trid., sess. 22, c. 5 : « et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur ». De quo in Conc. Trid., sess. 7, can. 13 ; sess. 22, c. 4 et 5, can. 7 et 9 ; atque in Codice iuris, can. 733, 811, 818, 821 et 822.

Quaedam ordinavit Ecclesia, quae ex interpretatione recepta habentur ut *mere directiva*, sicut ea quae missam praecedunt aut sequuntur ; multa vero sunt *vere praeceptiva ;* inter haec autem quaedam, reverentiae debitae causa, *omnino stricte urgentur* ita ut nunquam aut vix unquam sine iis licite celebraretur : ita nunquam posset sacrificium offerri sine calice, quasi nunquam sine vestibus sacris aut extra altare, raro extra locum sacrum.

386. Peccatum est ex genere suo grave rubricas sacrificii praescriptas mutare. — Est enim transgressio gravis praecepti Ecclesiae ; et quidem

1° rubricis *addere* ex animo mutandi seu introducendi novum ritum, est peccatum grave, quia est usurpare auctoritatem Ecclesiae in re magni momenti ; ex indiscreta vero devotione, est veniale si materia sit levis, grave si notabilis ;

2° e rubricis *omittere* aliquid de se notabile, specialem continens significationem, est grave ratione qualitatis ; caeremonias autem leviores omittere est veniale, nisi fiat in magna parte, quo casu est grave ratione quantitatis.

APPENDIX.

DE RITIBUS, CAEREMONIIS ALIISQUE PRAECEPTIS

in Eucharistiae celebratione ac dispensatione servandis.

S. Th. III, q. 83, a. 2-6.

387. De tempore celebrationis. — A. *Dies.* — Sacerdoti bene disposito, *per se* loquendo et seclusa Ecclesiae prohibitione, quotidie celebrare licitum est, imo et laudabile. Nam, ut ait *Liber de Imitatione Christi*, IV, c. 5 : « Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos laetificat, Ecclesiam aedificat, vivos adiuvat, defunctis requiem praestat, et sese omnium bonorum participem efficit ». Et S. Bonaventura, *de praep. ad mis.*, c. 5 : « Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria ; in purgatorio existentes refrigerio ; Ecclesiam Christi speciali beneficio ; seipsum medicina vel remedio contra quotidiana peccata et infirmitates ». « Quia enim fructu dominicae passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, notat S. Thomas, a. 2, quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offertur ». Hinc can. 820 : « Missae sacrificium omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis qui proprio sacerdotis ritu excluduntur ».

Ritu latino : 1) Penitus excluditur dies Parasceves, quia illa die passio Domini recolitur prout realiter i. e. cruente gesta est, et ideo non re-

praesentatur mystice seu incruente (a.2, ad 2). Omnibus tamen fidelibus communicare licet, ut infra dicetur num° 392.

2) Feria 5ª in Coena Domini Missa Chrismatis in ecclesiis cathedralibus celebranda est post Tertiam. Missa vero *in Coena Domini* solemniter celebranda est vespere, hora opportuniore, non tamen ante horam 5ᵃᵐ nec tardius hora 8ª. Ubi vero salus animarum id suadeat Ordinarius loci permittere potest ut in qualibet ecclesia aut oratorio publico una vel duae missae lectae celebrentur, in oratorio vero semipublico una tantum, ita ut omnes fideles Sacro assistere necnon S. Communione refici possint. Missae privatae vetantur. Lectae quae ab Ordinario permittuntur iisdem horis dicantur quibus et solemnis.

Sabbato Sancto nulla missa permittitur, nisi solemnis de nocte. (Decr. *Maxima Redemptionis*, S. C. Rit., 16 Nov. 1955, cum Instructione adnexa).

B. *Hora.* — Iuxta hodiernam disciplinam « Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem » can. 821, § 1.

Aurora est initium diluculi diei seu primae lucis irradiatio, quae praecedit ortum solis plus minusve secundum temporum et locorum varietatem ; ubi aurora non habetur, sumatur ab exordio vitae civilis, moralis et usualis, quo homines surgant ad opera (S. C. R., 2 nov. 1634). Quod tempus non est mathematice sed moraliter accipiendum, et quidem pro missa publica secundum communem loci usum ; pro privatis vero secundum tempus sive verum, sive medium, sive legale (can. 33, § 1).

Praescriptio obligat *sub gravi* (C. Trid., sess. 22 ; Pius V, 29 mart. 1566), ita ut mortale peccatum sit eius transgressio notabilis, qualis censeri solet illa quae horam integram ante vel post tempus statutum excedit. Exceptiones tamen admittuntur :

1° Ex privilegio, saltem si post Conc. Trid. sit concessum, uti factum est quibusdam ordinibus religiosis.

2° Ex dispensatione Ordinarii in casu particulari (S. C. R., 7 iul. 1899, ad 4).

3° Ex consuetudine rationabili, v. g. ut opifices et famuli summo mane possint audire sacrum.

4° Ex iusta causa occurrente, v. g. itineris, publicae supplicationis, funerum, nuptiarum, viatici ministrandi : levior causa sufficit pro modico recessu a tempore lege permisso, et eo gravior requiritur quo notabilior fiat anticipatio aut postpositio.

5° Ut stabilitur decreto S. C. Rit., diei 16 Nov. 1955 :

a) Fer. V in Coena Domini, Missa solemnis, necnon et lectae quae ab Ordinario loci permittuntur celebrari debent vespere, non tamen ante horam 5ᵃᵐ nec tardius hora 8ª.

b) Fer. VI in parasceve solemnia liturgica celebrentur post meridiem, circa horam 3ᵃᵐ. Si tamen ratio opportuna id suadeat, tardius celebrari possunt, non tamen ultra horam 6ᵃᵐ.

c) Solemnia Vigiliae Paschalis ita habeantur ut missa solemnis vigiliae incipiat circa medietatem noctis inter Sabbatum Sanctum et Dominicam Resurrectionis Domini.

Si tamen judicio Ordinarii loci expediat citius celebrationem Vigiliae incipere, id permittitur, nullatenus tamen ante solis occasum.

6° In nocte Nativitatis Domini, media nocte, sed non antea, inchoari potest missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto (can. 821, § 2) ; at in omnibus religiosis et piis domibus oratorium habentibus cum facultate ss. Sacramentum habitualiter asservandi, unus sacerdos tres rituales missas, vel, servatis servandis, unam tantum celebrare potest (ib. § 3) ; item s. communio potest petentibus ministrari (ib., et can. 867, § 4 ; cfr. n. 392 A, c. 1). Quod tamen non importat facultatem celebrandi *ianuis apertis :* in hoc

enim se conforment etiam regulares prohibitionibus episcoporum (S. Off., 26 nov. 1908).

7° Constitutio Apostolica « Christus Dominus » et Instructio C. S. Officii die sexta januarii 1953 Ordinariis locorum facultates tribuit quoad Missas vespertinas. Facultate scilicet fruuntur permittendi in proprio territorio Missae vespertinae celebrationem, si adjuncta id necessario exigunt, praescripto can. 821, § 1, non obstante. Bonum commune aliquando sacrorum mysteriorum celebrationem post meridiem expostulat : v. g. pro quarumdam industriarum opificibus, qui festivis quoque diebus laboribus succedunt in vices ; pro illis operariorum classibus, qui matutinis festorum horis occupantur, ut muneribus portuum addicti ; pro iis pariter qui ex dissitis regionibus maxima frequentia in unum locum conveniunt, ad quandam festivitatem religiosam vel socialem celebrandam, etc.

Motu Proprio « Sacram Communionem » diei 19 martii 1957, ordinariis locorum, exceptis vicariis generalibus sine mandato speciali, facultatem tribuit permittendi missae celebrationem horis postmeridianis et hoc quidem quotidie, si bonum spirituale notabilis partis christifidelium id postulet. Ejusmodi missae non possunt celebrari ante horam quartam post meridiem.

C. *Quoties in die.* — Iuxta can. 806, § 1, excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi sacrificium, non licet sacerdoti plures in die celebrare missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario. Quod obligat sub gravi, ita ut sacerdos qui aliter facere praesumpserit sit puniendus (can. 2321). Itaque :

1° In Ecclesia latina *possunt* sacerdotes ter celebrare in Natalitiis Domini, in honorem triplicis nativitatis Christi : temporalis, spiritualis, et aeternae ; item in commemoratione omnium defunctorum ; et qui ex indulto semper dicit missam votivam, v. g. B. V., aut missam quamdam pro defunctis, potest ter eamdem respective dicere (S. C. R., 26 ian. 1920).

2° Ordinarius loci potest facultatem binandi concedere, sed nonnisi « cum, prudenti ipsius iudicio, propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars missae adstare non possit (qualis censetur multitudo saltem 20 vel 30 personarum) ; — non est autem in eius potestate plures quam duas missas eidem sacerdoti permittere » (can. 806, § 2). Ita binatio permitti, imo praecipi potest, si unus sacerdos duas paroecias regat aut duas ecclesias satis distantes, aut si una tantum sit ecclesia ad quam insimul populus universus convenire non potest ad eamdem missam propter angustiam loci vel tempus minus congruum ; dummodo tamen in utroque casu nullus alius adsit sacerdos. Tres autem missas dicere licitum non est nisi ex speciali indulto apostolico.

Facultas binandi, non quidem ex indulto personaliter habita, sed *ab Ordinario concessa* non est mere personalis, sed *realis;* unde, parocho absente vel impedito, potest ipsa uti vices supplens. In casu autem necessitatis repentinae licentia episcopi, si adiri nequeat, praesumi potest ; nisi statuta dioecesana vel provincialia postulent, ut iudicium vicarii foranei seu decani intercedat.

Sacerdotes, qui bis vel ter celebrant possunt in prioribus missis ablutiones praescriptas sumere, sed tantum adhibita aqua nisi agatur de tribus Missis in die Nativitatis Domini vel in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum sine intermissione celebratis in quibus rubricae speciales harum Missarum observare tenentur.

3° Sacerdotes qui Missam Solemnem de nocte celebrant in Vigilia Paschatis, possunt in die Resurrectionis et missam festivam diei offerre, vel etiam plures missas si facultate ad hoc polleant.

Ordinarii locorum qui, feria V in Coena Domini, Missam Chrismatis post Tertiam celebrant, possunt et Missam Solemnem celebrare in

vespere. Iisdem Ordinariis licet, si Sabbato Sancto missam Vigiliae Paschalis celebraverunt, etiam missam solemnem Dominicae in Resurrectione celebrare, quin ad hoc teneantur. (Cfr. Decr. S. C. Rit. diei 16 Nov. 1955, cum Instructione ab eadem S. Congreg. addita).

D. *Tempus impendendum.* — Pro missa privata temporis spatium impendendum fere accedat ad mediam horam ; atque, monente Benedicto XIV, de sacrif. mis., sect. 2, n. 217, « ad tertiam horae partem saltem debet pertingere, neque horae dimidium excedere ». Non facile excusabitur a mortali, qui infra quadrantem missam absolvit, saltem habitualiter, cum id de se natum sit gravem irreverentiam importare sacramenti et grave scandalum populi : ita S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 400.

388. De loco celebrationis. — *Regulariter*, ex iure communi, « missa celebranda est *super altare consecratum, et in ecclesia vel oratorio consecrato aut benedicto* ad normam iuris » (can. 822,§ 1), i. e. in ecclesia vel oratorio publico, aut semipublico. Quae obligatio est gravis ex fine intento (C. Trid., sess. 22). Rationem convenientiae assignat S. Thomas, a. 3, ad 2 : « tum ad repraesentandam sanctificationem quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi ; tum etiam ad significandam sanctitatem quae requiritur in his qui hoc sacramentum suscipere debent ».

Exceptionaliter celebrari potest :

1° *In oratorio privato :* et quidem « in privatis coemeteriorum aediculis, Ordinarius loci permittere habitualiter potest, etiam plurium missarum celebrationem ; in aliis oratoriis domesticis nonnisi unius missae, per modum actus, in casu aliquo extraordinario, iusta et rationabili de causa » (can. 1194), sed « ex indulto Apostolicae Sedis, i. e. S. C. de Sacr^{s}, celebrari potest, postquam Ordinarius, per se vel per alium, oratorium visitaverit et probaverit, unica missa lecta singulis diebus, exceptis festis solemnioribus » (can. 1195) iuxta tenorem indulti, et saltem excepto festo Paschatis ; « dummodo oratorium divino tantum cultui reservatum sit et ab omnibus domesticis usibus liberum » (can. 1196).

2° *Extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco* (etiam sub dio vel tentorio), nunquam autem in cubiculo, licentiam celebrandi concedere potest loci Ordinarius, aut, si agatur de domo religionis exemptae, superior maior ; at iusta et rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus (can. 822, § 4), i. e. etiam pluries, sed non habitualiter. Haec facultas Ordinarii est tamen restrictive interpretanda (com. int., 16 oct. 1919, ad 12).

In urgente necessitate, si Ordinarius adiri non possit, licentia potest praesumi, dum magnus numerus fidelium missa careret de praecepto.

3° *In altari portatili*, quod privilegium « vel iure, ut Cardinalibus et Episcopis, vel indulto Sedis tantum apostolicae conceditur », et « ita intelligendum est, ut secum ferat facultatem ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et super petram sacram, non autem ni mari » (can. 822, § 2 et 3).

4° Denique *in mari*, quod iure conceditur Cardinalibus et Episcopis, aliis vero tantum ex indulto omnino speciali, quod saepius datur missionariis, quos S. C. P. F., 1 mart. 1902, monet « ut quoties ex privilegio utuntur, sedulo et religiose servent praescriptas regulas, in ipso apostolicae concessionis rescripto apponi solitas : videant nempe utrum mare sit adeo tranquillum ut nullum adsit periculum effusionis ss. specierum e calice ; curent ut alter sacerdos, si adsit, celebranti rite adsistat ; et, si in navi non habeatur capella propria vel altare fixum, caveant omnino missionarii ne locus ad missae celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum prae se ferat », ut si « in cellulis celebraretur pro privatis usibus destinatis » ; nisi « quando adiuncta removeant omnia irreverentiae pericula », ut 13 aug. interpretata est eadem S. Congr.

Illicitum est « missam celebrare *in templo haereticorum vel schismaticorum*, etsi olim rite consecrato aut benedicto » (can. 823, § 1) ; item in ecclesia *execrata*, nempe si tota simul destructa fuerit, vel maior pars simul corruerit, vel in usus profanos ab Ordinario loci redacta sit (can. 1170) ; in ecclesia *violata* antequam reconciliata fuerit (can. 1172 et 1173, § 1) ; ac in ecclesia *interdicta*, exceptis casibus a iure exceptis (can. 2270, § 1).

Peccatum grave est celebrare in oratorio domestico vel loco profano sine licentia auctoritatis ecclesiasticae, vel in ecclesia non consecrata et non benedicta, a fortiori in ecclesia execrata, violata aut interdicta ; quodsi violatio accidat ante missae canonem vel post communionem, missa statim interrumpi debet ; secus sacerdos prosequatur usque ad communionem (can. 1173, § 2).

Notetur can. 804 : « § 1. *Sacerdos extraneus ecclesiae in qua celebrare postulat*, exhibens authenticas et adhuc validas litteras commendatitias sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui superioris, si sit religiosus, vel S. Congregationis pro Ecclesia orientali, si sit ritus orientalis, ad missae celebrationem admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet, cur a missae celebratione repelli debeat.

§ 2. Si iis litteris careat, sed rectori ecclesiae de eius probitate apprime constet, poterit admitti ; si vero rectori sit ignotus, admitti adhuc potest semel vel bis, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo, percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim in particulari libro signet.

§ 3. Peculiares hac de re normae, salvis huius canonis praescriptis, ab Ordinario loci datae, servandae sunt ab omnibus, etiam religiosis exemptis, nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suae religionis ».

Quae sane intelligenda sunt de celebratione accidentali, non diuturna aut habituali, nam nulla per se datur obligatio aliquem admittendi ad habitualem in determinata ecclesia celebrationem.

389. De requisitis ad celebrandum. — A. *Altare* est lapis quadratus ad sacrificandum destinatus et consecratus. « Quod quidem, ait S. Thomas, a. 3, ad 5, competit significationi huius sacramenti, tum quia altare significat Christum : dicitur enim I Cor. X, 3 : Petra autem erat Christus ; tum etiam quia corpus Christi sepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad usum sacramenti : lapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri ubique, quod non erat necessarium in V. L., ubi fiebat in uno loco altare ».

Altare aliud est *fixum*, i. e. mensa seu tabula lapidea, unico lapide naturali integro et non friabili constans, una cum stipitibus, per modum unius cum eadem consecratis (can. 1197, 1° et 1198, § 1) : tabula seu mensa lapidea ad integrum altare protendi debet, et apte cum stipite cohaerere (v. g. calce seu coemento) ; stipes autem (i. e. basis) sit lapideus vel saltem latera seu columellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide (can. 1198, § 2), quin tamen necesse sit ut ex uno lapide sint. Requiritur ut in ecclesia *consecrata*, saltem unum altare, praesertim maius, sit fixum.

Aliud est *mobile*, scil. petra, ut plurimum parva, quae sola consecratur ; vel petra cum stipite qui tamen non fuit una cum eadem consecratus (can. 1197, § 1, 2°) : in hoc ultimo casu altare dicitur *fixatum*, quod sufficit pro indulgentiis lucrandis ; secus vocatur *petra sacra*, quae tunc inserenda est in altari ligneo vel ex alia materia confecto, ut habet missale. Petra ex unico lapide naturali,integro et non friabili constet,atque tam ampla sit ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capiat (can. 1198, § 1 et 3).

In utroque altari, fixo aut mobili, debet esse sepulcrum lapide clausum, continens reliquias (can. 1198, § 4), ex partibus corporis *plurium* Sanctorum, praesertim *martyrum* (S. C. R., 6 oct. 1837) ; ad *validitatem* tamen

consecrationis sufficit ut includantur reliquiae *unius* martyris (16 febr. 1906).

Grave praeceptum est sacrificium missae celebrare super altare consecratum, ut constat ex constanti praxi Ecclesiae, ex Missali, rubr. gen., tit. 20; de def., tit. 10, et ex can. 822, § 1 et 2, et quidem ita ut nunquam fas sit sine altari celebrare (S. C. P. F., 2 sept. 1780) atque S. Sedes nunquam concedat indultum celebrandi extra altare. Hinc vix posset dari casus in quo licitum esset, nisi « forte mortis, non tamen in contemptum religionis, intentatae », ait Billuart, diss. VIII, a. 10.

Notetur : a) Altare debet esse consecratum secundum liturgicas leges et proprium ritum ad quem pertinet celebrans.

b) Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio, celebrare in altari consecrato alius ritus *catholici*, non autem super Graecorum *antimensiis* (can. 823, § 2), quae non sunt altaria lapidea sed panni quidam, altarium ritu et vice consecrati, quibus utuntur Graeci etiam extra altare.

c) In altaribus papalibus nemo celebret sine apostolico indulto (can. 823, § 3).

d) Altare tum immobile tum mobile debet esse divinis tantum officiis, et praesertim missae celebrationi reservatum, quolibet profano usu prorsus excluso (can. 1202, § 1).

e) Subtus altare nullum sit reconditum cadaver ; cadavera autem, quae prope altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri ; secus missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur (can. 1202, § 2).

Grave peccatum est sacrum facere extra altare, vel super altare non consecratum, aut execratum quod scil. consecrationem amisit, aut interdictum. Iuxta can. 1200 :

« § 1. *Altare immobile* amittit consecrationem, si tabula seu mensa *a stipite*, etiam per temporis momentum, *separetur;* quo casu Ordinarius potest permittere ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaque breviore.

§ 2. *Tum altare immobile tum petra sacra* amittunt consecrationem :

1° Si *frangantur enormiter* sive ratione quantitatis fractionis, sive ratione loci unctionis (ut si tabula fuerit in duas vel plures notabiles partes divisa, vel si pars defracta unam contineat ex lateralibus crucibus ab episcopo in altaris consecratione specialiter inunctis).

2° Si *amoveantur reliquiae* aut *frangatur vel amoveatur sepulcri operculum,* excepto casu quo ipse episcopus vel eius delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum, vel subrogandum, aut ad visitandas reliquias.

§ 3. Levis fractio operculi non inducit execrationem et quilibet sacerdos potest rimulam cemento firmare.

§ 4. Execratio ecclesiae non secum fert execrationem altarium, sive immobilium, sive mobilium ; et vice versa ».

B. *Ornatus altaris.* — Ex rubricis generalibus Missalis, tit. 20, altare ita ornari debet :

1° *Opertum sit tribus tobaleis seu mappis mundis et benedictis.* Confici debent ex lino aut teneri cannabe (S. C. R., 15 maii 1819) : superior debet esse longa, utrimque ad terram usque demissa (9 iun. 1899), reliquae duae breviores esse possunt, seu una duplicata.

2° *In anteriore facie pallio seu antependio ornatum,* coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis ; nisi tamen ipsa structura antependio non indigeat, ut si sit marmorea, aut ornata metallo vel lapide pretioso, aut per modum tumbae seu urnae sit confecta.

3° *Cruce in medio superimposita cum imagine Crucifixi, atque duobus saltem candelabris cum cereis accensis, hinc et inde in utroque eius latere.* Crux debet esse sat magna ut sacerdos celebrans ac populus sacrificio assistens Crucifixum facile et commode intueri possint. Quodsi in altari sit magna Crucifixi effigies picta vel caelata, non requiritur alia crux ; — item, si in altari ubi publice expositum est ss. Sacramentum celebretur, crux necessaria non est, sed quaelibet ecclesia servet hac in re suam consuetudinem (S. C. R., 2 sept. 1741) : tolerari tamen non potest usus collocandi crucem in throno qui publicae expositioni ss. Sacramenti inservit (2 iun. 1883 et 11 iun. 1904).

Candelae debent, saltem pro maxima parte, esse cereae (S. C. R., 14 dec. 1909, 13 dec. 1957). Exceptis Cardinalibus et Episcopis, in missa stricte privata non est aliis sacerdotibus licitum habere quatuor candelas accensas, at ratione alicuius solemnitatis permittitur habere etiam plures (S. C. R., 12 sept. 1857).

4° *Cum tabella secretarum ad crucis pedem, et missali super pulvinar vel parvum pulpitum in cornu epistolae.* Aliae duae tabellae minores iam solent apponi in utroque cornu altaris, quae, usu et maioris commoditatis gratia fuerunt introductae ; sed non praeceptae.

Addit Missale : a) « A parte epistolae paretur cereus ad elevationem sacramenti accendendus » usque ad communionem. Sed iste usus fere communiter desiit, quae consuetudo potest servari (S. C. R., 9 iun. 1899) ; apud Praedicatores tamen usus permansit.

b) « Super altare nihil omnino ponatur, quod ad missae sacrificium vel ipsius altaris ornamentum non pertineat ». Possunt tamen ad ornatum apponi ss. reliquiae et imagines atque flores, ut constat ex damn. prop. 23, syn. Pist. ; sed a reliquiis et imaginibus est abstinendum tempore Passionis, et, praeter imagines angelorum adorantium, etiam durante expositione publica ss. Sacramenti ; a floribus tempore Adventus et Quadragesimae, festis occurrentibus exceptis (S. C. R., 11 maii 1878).

Peccatum est praedictas praescriptiones sine necessitate aut absque indulto transgredi ; *grave* autem, absque gravi necessitate celebrare sine ulla mappa, aut sine ullo lumine, aut sine missali ; quod ultimum exponit periculo errandi, unde non licite fieret nisi casu quo deesset missale et sacerdos ex experientia vere certus esset se non erraturum.

Deficiente lumine infra missam, si ante consecrationem totaliter deficiat et aliud haberi non possit, desistendum est a celebratione ; si unus tantum cereus extinguatur, aut etiam uterque sed post consecrationem, non est desistendum sed absolvendum sacrificium. Cereis inter celebrandum extinctis, iterum accendantur, quin tamen interim sacrum interrumpatur.

C. *Vasa sacra et accessoria.* — *Vasa sacra* sub gravi requisita sunt *calix cum patena,* ex debita materia confectus, et quidem ab episcopo vel habente privilegium consecratus; quam consecrationem conferri solo usu calicis in celebranda missa gratis affirmaretur. « Consecrationes, ait S. Thomas, a. 3, adhibentur his rebus quae veniunt in usum huius sacramenti, tum propter sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum sanctitatis quae ex passione Christi provenit, secundum illud Hebr. XIII, 12 : Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum... »

Debet esse calix, ex auro vel argento, saltem quoad cuppam, ut dicit Missale, tit. 1, n. 1, — et stante paupertate, potest esse ex stanno, vel, ut recentius concessum est, ex aluminio aliis metallis commixto (S. C. R., 6 dec. 1866); cuppa et superficies patenae, si non sunt aureae, sub gravi debent esse intus inauratae (can. 1305, § 2). Non potest esse ex aere, cupro, aurichalco, ligno, cornu, multo minus ex vitro propter fragilitatem. Ut refert S. Thomas, ib., ad 6 : «statutum est ut «calix Domini cum patena, sive ex auro omnino, sive ex argento fiat, vel saltem stanneus habeatur. De aere aut ex aurichalco non fiat, quia ob vini virtutem aeruginem parit, pariterque vomitum provocat. Nullus autem in ligneo seu vitreo calice praesumat missam cantare », quia scil. lignum porosum est, et sanguis consecratus in eo remaneret ; vitrum autem fragile est, et posset

fractionis periculum imminere ; et eadem est ratio de lapide. Et ideo propter reverentiam sacramenti statutum est ut ex praedictis materiis calix fiat ». — In quibusdam regionibus calici adiungitur parvum *cochlear* quo aqua in vinum immittatur ; cuius usus non est prohibitus (S. C. R., 6 febr. 1858) : confici potest ex quacumque materia nec benedicendum est.

Tamquam *ss. vasorum accessoria* requiruntur :

1° *Corporale, palla et purificatorium :* duo priora debent esse benedicta, non ita tertium ; at oportet quod cuncta tria sint munda et ex lino vel cannabe confecta. Nihil tamen prohibet quominus corporale, aut palla in parte superiori, auro vel serico ornetur, dummodo corporale non ornetur *in medio;* et palla *linea subnexa calicem cooperiat* ac pannus superior non sit nigri coloris nec referat aliqua mortis signa (S. C. R., 17 iun. 1894).

2° *Velum et bursa*, utrumque eiusdem materiae et coloris ac paramenta celebrantis ; non tamen sunt seorsum benedicenda.

3° *Ampullae* cum pelvicula et manutergio mundo ; ampullae non sint aureae vel argenteae, nisi pro episcopo, sed vitreae ; tolerari tamen potest consuetudo adhibenda aureas et argenteas (S. C. R., 28 apr. 1866).

4° *Campanula*, cuius usus inservit ut adstantibus qui celebrantem videre et audire nequeunt, partes missae principaliores ac praecipuae actiones circa sacra innotescant, atque omnibus inculcetur attentio et devotio. Duae pulsationes praescribuntur : *ad Sanctus* et *ad utramque Elevationem;* tertia saepe additur immediate *ante consecrationem* ad attentionem fidelium magis excitandam. In quibusdam regionibus aut ecclesiis etiam pulsari solet ad signationem calicis cum s. hostia *ante Pater noster*, et *ad Domine non sum dignus* ante communionem ; quod, ubi est consuetudo, tolerari potest (S. C. R., 14 maii 1856) sed servari non debet.

Grave peccatum est celebrare sine debito calice cum patena consecrato, aut cum calice execrato, vel sine corporali benedicto ; palla, purificatorium et alia accessoria requiruntur tantum sub levi : defectu pallae posset calix tegi vel corporali, si satis amplus sit, ut olim fiebat, vel bursa aut purificatorio.

Ex can. 1305 execratur calix cum patena : a) si tales laesiones vel mutationes subierint, ut pristinam formam amiserint, et iam ad suos usus non habeantur idonea: sic execratur calix quando totaliter frangitur aut in fundo perforatur, aut quando cuppa divellitur a pede fixo ; — non autem si cuppa separatur a pede versatili, quia per huiusmodi separationem formam non amittit cum eius partes sine novo artificio possint iungi ; neque calix et patena amittunt consecrationem ob consumptionem vel reparationem auraturae, salva tamen, priore in casu, gravi obligatione rursum ea inaurandi ;

b) si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerint.

D. *Vestes sacrae* sex enumerantur in Missali, de cel., tit. 1, quae sunt de praecepto (can. 811) : amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, et casula seu planeta. Oportet esse benedictas : amictus et alba debent esse ex lino vel cannabe (S. C. R., 15 dec. 1819) ; cingulum congruentius est lineum, sed potest esse ex gossypio, lana, imo et sericum (22 ian. 1701 et 23 dec. 1862) ; manipulus, stola et casula debent esse eiusdem materiae pretiosae, scil. ex serico vel subserico seu serico mixto, non autem ex tela gossypii aut lini, aut etiam lanae, neque ex vitrea textura (23 sept. 1837 et 11 sept. 1847), atque coloris officio convenientis. Debent unius esse coloris, saltem praevalentis, ita ut pro hoc solo adhiberi valeant ; non possunt esse flavei coloris vel aurei, sed permittuntur ex tela aurea quae pro albo, rubro vel et viride possunt adhiberi, non vero pro violaceo aut nigro (5 dec. 1868) ; item ex tela argentea pro paramentis albi coloris (20 nov. 1885).

Paramenta non possunt esse lacerata aut scissa, sed debent esse integra, munda, ac pulchra, ob reverentiam sacramenti ; ab hoc tamen excusare potest paupertas aut necessitas, si alia haberi non possint.

Celebrare sine vestibus sacris est valde grave, et similiter sine alba vel casula, ita ut nunquam aut vix unquam possit esse licitum ; — item grave est celebrare sine stola, quae est praecipuum ornamentum sacerdotis, aut cum alba, stola, casula non benedictis vel execratis, aut cum vestibus *valde* laceratis vel immundis, nisi gravis necessitatis causa ; — cetera obligant tantum sub levi, sicut et color paramentorum, nisi adsit grave scandalum.

Execrantur vestes sacrae et benedictionem amittunt, quando ita dissolvuntur ut formam suam amittant vel inhabiles fiant ad usum sacrum ad quem destinatae sunt, et quando ad usus indecoros adhibitae vel publicae venditioni expositae fuerint (can. 1305, § 1). Ita v.g. cum usui proprio idoneae esse desierint, sive detritae sint, sive formam amiserint, ut si ex planeta facias stolam, e stola manipulum, ex alba amictum, si ex alba fuerit abscissa manica, licet mox iterum assuenda, si cingulum ita rumpatur ut neutra pars cingere possit ; — e contra manet benedictio si ante plenam separationem reficiantur et partes connectantur.

Notetur vestes sacras laceratas aut vetustate consumptas non posse ad profanos usus adhiberi, sed esse comburendas atque cineres in sacrario condendos ; quodsi benedictionem amiserint, ad profanos, non tamen sordidos, adhiberi possunt (can. 1510, § 1).

Praeter vestes sacras, oportet ut sacerdos a) sit calceatus : utendum est calceis quibus clerici publice uti solent (S. C. R., 31 aug. 1872, ad 3) ; ex iusta causa crepidae possunt sufficere nigri coloris ;

b) gerat vestem convenientem talarem (can. 811, § 1) ;

c) abstineat a pileolo et annulo, nisi ex privilegio aut indulto apostolico (can. 811, § 2), et idem videtur dicendum de coma fictitia ac de pileolo (Ben. XIV, *de syn. dioec.* II, 9).

Duo priora de se obligare censentur solum sub levi, tertium vero sub gravi. Hinc sine licentia caput gerere tectum durante tota missa esset mortale peccatum ; probabiliter autem non esset mortale si fieret usque ad canonem, secluso contemptu et scandalo, et ideo id non videtur illicitum etiam absque dispensatione, si adsit necessitas vitandi frigoris vel doloris capitis ob senectutem vel morbum sacerdotis, ita ut non posset aliter celebrare sine magno incommodo.

E. *Minister.* — Ad celebrandum, *sub gravi* requiritur :

1° *Minister* qui sacerdoti inserviat et respondeat (can. 813, § 1 ; S. C. R., 18 decr. 1877) ; — excepto casu quo ex indulto apostolico privilegium quis habeat sine ministro celebrandi, si alias celebrare non possit ; item casus *gravis* necessitatis, scil. ut populus audiat missam de praecepto, vel ut conficiatur viaticum, vel si post inceptam missam minister recedat, maxime si facta iam fuerit oblatio. Si missa sine ministro celebretur, sacerdos non debet bis recitare *Confiteor* (S. C. R., 4 sept. 1875), sed respondere : *Misereatur nostri.* Minor tamen necessitas sufficit ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam sine ministro ; unde celebrans non debet scrupulo affici, si minister male pronuntiet, nec facile corrigere errores, ne turbet seipsum, vel circumstantes, vel ordinem missae, sed sufficit ut omissa a ministro suppleat.

2° Et quidem *masculus;* permittitur tamen ut, deficiente viro, iusta de causa, mulier ex longinquo respondeat, modo nullo pacto ad altare accedat et ministret (can. 813, § 2 ; S. C. R., 27 aug. 1836 et 18 mart. 1899).

Hinc *grave peccatum* est a) sine ullo ministro celebrare, praeter casum *gravis* necessitatis aut specialis indulti ; b) celebrare cum muliere ministrante et accedente ad altare.

Notetur : a) In privata missa a simplice sacerdote non posse adhiberi duos ministros, nisi ratione alicuius solemnitatis (S. C. R., 12 sept. 1857, ad 7) ; secus id reservatur episcopo.

b) Populum seu coetum fidelium assistentium loco ministri respondere posse coniunctim, at expedire ut hac in re servetur praxis communis (S. C. R., 4 aug. 1922) ; non tamen posse secretas partes sacerdotis alte a populo recitari.

c) Nulli sacerdoti celebranti, praeter episcopos aliosque praelatos usu pontificalium fruentes, competere ut habeat presbyterum assistentem (can. 812) ; tolerari tamen potest in prima missa neo-sacerdotis solemniter celebrantis, ut assistat presbyter cum superpelliceo et pluviali sed sine stola (S. C. R., 1 dec. 1882, ad 2) ; item in missa privata neo-sacerdotis, aut sacerdotis caecutientis aut infirmi potest, ratione securitatis, adhiberi presbyter assistens cum superpelliceo vel et cum stola (S. C.R., 11 iun. 1880, ad 7).

390. De ritibus sacris seu de recitandis et agendis in celebratione. — Durante celebratione missae omnes ritus integre et accurate observandi sunt qui dicendi aut faciendi praescribuntur in Missali (can. 818) ; unusquisque autem uti debet missali sui ritus, nisi aliter ex privilegio ipsi vel loco in quo celebrat concessum sit. Et quidem invariatim omnia debet semper servare quae cunctis missis sunt communia, cetera vero variare conformiter ad officium iuxta Kalendarium ecclesiae in qua celebrat, nisi facultas sit dicendi missam votivam et adsit rationabile ea utendi motivum ; quodsi in oratorio privato celebret, semper legere debet conformiter ad proprium Kalendarium.

Porro in Missali multa praescribuntur dicenda et agenda, « quia, ait S. Thomas, in hoc sacramento totum mysterium nostrae salutis comprehenditur, et ideo prae ceteris sacramentis cum maiori solemnitate agitur » (a. 4) ; « significantur autem in celebratione huius sacramenti quaedam pertinentia ad passionem Christi, quae repraesentatur in hoc sacramento, vel etiam ad corpus mysticum (et huius dispositionem), quod significatur in hoc sacramento ; et quaedam pertinentia ad usum huius sacramenti, qui debet esse cum devotione et reverentia » (a. 5).

Obligatio ex genere suo gravis est servandi ritus praescriptos (n.385-386), ita ut eos omittens vel notabiliter eos mutans mortaliter peccare possit, tum a) ratione qualitatis, ut si omitteretur oratio vel caeremonia magni momenti specialem habens significationem ; tum b) ratione quantitatis, si multa omittantur.

Grave est partes ordinarias omittere magni momenti, ut confessionem cum aliis in principio missae, epistolam cum graduali et versibus, evangelium, collectas principales, panis aut vini oblationem, infusionem aquae in vinum, praefationem, notabilem partem canonis ut specialem orationem aut integram periodum, elevationem ss. specierum, Pater noster et Libera, fractionem panis aut mixtionem cum sanguine, purificationem patenae et calicis ; — item partes ordinarias magni momenti mutilare notabiliter ; — valde alte proferre verba consecrationis, aut tam submisse ut ea sacerdos percipere non possit et periculum incurrat errandi ; — partes minores vel extraordinarias omittere sed in magna quantitate, quia coalescunt in unam materiam gravem cum pertineant ad unius eiusdemque praecepti transgressionem ; — item multa addere v. g. longas preces publicas, praesertim quando non continentur in missali, aut multas preces vel caeremonias omnino impertinentes ; — in alio ritu ac suo celebrare, aut in alia lingua quam sua liturgica (can. 819).

E contra tantum *leve* censetur : a) omittere partes ordinarias minoris momenti, uti psalmum Iudica, Kyrie eleison, Evangelium S. Iohannis, unam ex tribus collectis praescriptis, ablutionem digitorum, etc., nisi fiat in notabili quantitate ; item preces post missam a Leone XIII praescriptas ; b) omittere partes extraordinarias : Gloria, Credo, commemorationem aut orationem imperatam, tractum, sequentiam, praefationem propriam, speciale communicantes ; nisi plura omittantur et in magna quantitate ; c) voluntarie mutilare pauca verba, etiam in canone, salvo sensu et secluso scandalo ; d) mutare missam diei, praeter rubricas et secluso scandalo, aut locum orationum ; e) clara voce dicere secreta vel e converso ; f) in missa cantata non recitare quae cantantur a ministro vel choro, aut cantanda quaedam non cantare ; g) omittere vel mutilare aliquot benedictiones, genuflexiones, inclinationes, manuum elevationes, nisi fiat in notabili quantitate, aut thurificationem in missa solemni ; h) addere plures commemorationes vel nomen alicuius sancti in Canone, aut Gloria, Credo, Pater, Ave, vel aliquot alias preces ex importuna devotione ; ita ad elevationem submissa voce quaedam pia verba proferre, ut declaravit S. C. R., 6 nov. 1925, ad 1 ; i) in omnibus nimis festinanter procedere.

Celebrationem missae convenienter esse ordinatam in omnibus quae dicuntur in ea et fiunt, post S. Thomam, a. 4 et 5, ostendit Billuart, diss. VIII, a. 11, « exponendo praecipuas caeremonias missae, in qua distinguuntur diversae partes : praeparatio, instructio, oblatio, consecratio et sumptio.

A. Imprimis sacerdos se *praeparat :* 1° per *Confessionem* iuxta illud Prov. XVIII, 17 : *Iustus prior est accusator sui ;* 2° per *Introitum* qui est laus divina desumpta ut plurimum ex Psalmis ; 3° commemorat praesentem miseriam dum misericordia petitur dicendo : *Kyrie eleison* ter pro persona Patris, ter pro persona Filii, ter pro persona Spiritus sancti, contra triplicem miseriam ignorantiae, culpae, et poenae ; 4° commemorat coelestem gloriam ad quam tendimus post praesentem miseriam, dicendo : *Gloria in excelsis Deo*, quod cantatur in festis in quibus huius gloriae fit mentio, intermittitur in officiis luctuosis, quae ad commemorationem miseriae pertinent ; 5° sacerdos recitat *Orationes* pro populo, ut dignus habeatur tantis mysteriis.

B. Post praeparationem sequitur *Instructio* populi ; quia hoc sacramentum est mysterium fidei. Fit autem haec instructio dispositive per doctrinam prophetarum et apostolorum, vulgo dictam *Epistolam*, perfecte per doctrinam Christi contentam in *Evangelio*. Et quia Christo credimus tamquam divinae veritati, cantatur *Symbolum* fidei, in quo populus ostendit se per fidem doctrinae Christi assentiri. Hic olim finiebatur missa catechumenorum, quibus peractis dimittebantur.

C. Post praeparationem et instructionem sequitur *Oblatio* circa quam duo aguntur : laus populi in cantu *Offertorii*, per quod significatur laetitia offerentium, et *Oratio* sacerdotis qui petit ut oblatio populi Deo sit accepta (a. 4). Deinde sacerdos altare thurificat, tum ad reverentiam huius sacramenti, ut scil. per bonum odorem depellatur si quid mali odoris in loco fuerit, tum ad repraesentandum effectum gratiae, qua, sicut bono odore, Christus plenus fuit, et ab illo per sacerdotis ministerium ad fideles derivatur (a. 5, ad 2). Secundum alios per hanc caeremoniam monentur fideles ad caelestia ferventi desiderio ascendere, sicut fumus ex thure incenso ascendit.

D. Deinde sacerdos accedit ad *Consecrationem*, quae cum virtute supernaturali agatur, auxilium precum ad illam rite peragendam petit a fidelibus dicendo : *Orate fratres ;* postea in *Praefatione* excitat devotionem populi, et ideo monetur sursum corda habere ad Deum. Finita praefatione populus laudat divinitatem Christi cum angelis dicens : *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, et humanitatem cum pueris dicens : *Benedictus qui venit.* Tunc sacerdos *commemorat* secreto illos pro quibus sacrificium offertur, deinde commemorat sanctos quorum patrocinia implorat, ac petit consecrationis effectum, cum dicit : *Quam oblationem tu Deus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris.*

Quorum verborum sensus est : facere digneris hanc oblationem *benedictam* i. e. per quam benedicamur ; *adscriptam* i. e. per quam in coelo adscribamur ; *ratam* i. e. per quam de visceribus Christi esse censeamur ; *rationabilem* i. e. per quam a bestiali sensu exuamur ; *acceptabilem*, ut qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles eius unico Filio simus (a. 4 et ad 7). Alii paulo aliter haec verba exponunt.

His praemissis, sacerdos *Consecrationem* peragit verbis Salvatoris cum dicit : *Qui pridie quam pateretur*, etc. Deinde excusat praesumptionem per obedientiam ad mandatum Christi cum dicit : *Unde et memores*. Postea petit ut hoc sacrificium sic peractum sit Deo acceptum dicendo : *Supra quae propitio*, et proficiat sumentibus, mortuis et ipsis sacerdotibus offerentibus » (a. 4).

Notetur autem « quod sacerdos post consecrationem non utatur crucesignatione ad benedicendum, sicut ante consecrationem, sed solum ad commemorandum virtutem crucis et modum passionis Christi (a. 5, ad 4). Fiunt autem signa crucis, vel semel, vel ter, vel quinquies: semel propter essentiae unitatem, ter propter Trinitatem personarum, quinquies propter vulnera Christi Domini et expressam repraesentationem passionis huius (cfr. ib. ad 3) ».

E. « Tandem agitur de *Perceptione sacramenti*, ad quam praeparatur populus tum per Orationem totius populi communem, quae est dominica, dicendo *Pater noster*, et per orationem privatam quam specialiter sacerdos pro populo offert, dicendo : *Libera nos;* tum per pacem quae datur dicendo : *Agnus Dei;* est enim hoc sacramentum unitatis et pacis. In missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium non tam offertur pro pace praesenti quam pro requie mortuorum, pax intermittitur. Sequitur *Perceptio sacramenti*, primo percipiente sacerdote, et postmodum aliis dante. Ultimo autem tota missae celebratio in *gratiarum actione* terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii, quod significat *Cantus post Communionem* et sacerdote per *Orationem* gratias offerente ; quibus peractis diaconus dimittit populum dicens : *Ite, missa est* (a. 4) ».

Quibus si assistentes velint se conformare, prius contritionem eliciant et spem in parte praeparatoria ; dein fidem durante instructione ; postea amorem charitatis habeant oblativum, immolativum, ac unitivum, respective sub oblatione, consecratione, ac communione ; hisce omnibus in fine addatur gratiarum actio.

391. De defectibus in celebratione occurrentibus. — Defectus in celebratione occurrunt quando non servantur ritus praescripti. Quod fieri potest voluntarie aut involuntarie, voluntarie autem sine iusta causa vel ex quadam necessitate, in notabili vel in parva quantitate, ita ut defectus sit supplendus aut corrigendus, vel non corrigendus nec supplendus. De quibus itaque plura inquirenda sunt.

A. *An celebrare potest qui praevidet se quaedam esse omissurum* ob impotentiam vel oblivionem ; et *an omissa sunt supplenda ?*

Resp. Excusari potest omissio leviorum caeremoniarum aut partium, ut sunt v. g. genuflexiones usque ad terram, inclinationes profundae, una vel altera commemoratio, dummodo caveatur scandalum populi, absitque gravis indecentia. — E contra si maiores debeant partes omitti aut notabiliter a ritibus sit recedendum, non potest celebrare sacerdos nisi obtento indulto.

Hinc 1) celebrationem permittunt sacerdoti, qui sine baculo ad altare accedere nequit, aut qui non potest hostiam supra caput elevare, vel qui erectus stare nequit et celebrat brachiis innixus super altare ; saltem si moneatur populus.

2) Qui ex oblivione aliquid omisit et iam aliquantulum progressus illud recordatur, non debet supplere, quia turbaret ordinem missae ; nisi secreto orans post pauca verba adverteret se quidquam omisisse, aut nisi quid omisisset de substantia sacrificii.

3) Qui evangelium aut epistolam indebitam recitavit, non debet repetere.

B. *An missa interrumpi possit, et interrupta sit resumenda ?*

Resp. Interrumpere missam per se et de industria est illicitum ; per accidens vero licitum esse potest si adsit iusta causa, quae, extra canonem, requiritur gravis, canone incepto gravior, et inter consecrationem et communionem gravissima. Et quidem :

1° *Extra canonem*, licitum est :

a) Ad concionem vel proclamationes populo faciendas, ad suscipienda vota religiosa, ad conferendos Ordines sacros ; item ad recipiendas populi oblationes ubi usus existit ; non autem ad preces publicas, praeter rubricas, ceteris inserendo, recitandas. Ita etiam post communionem sacerdotis, licite fidelibus distribuitur communio atque concio haberi potest de altari ad populum priusquam ipsi communio distribuatur, vel emissio aut renovatio votorum fieri ante communionem religiosorum aut monialium ; non autem distribui communio extra conspectum altaris vel in cubiculis infirmorum (can. 868).

b) Si supervenerit princeps, episcopus, turba peregrinorum vel processio, die festo, quo alias missam audire non possent ; quo casu, si oblatio nondum facta fuerit, sacerdos de novo incipere potest, ut totum sacrum audiant. Vel ob similem causam, ut si posterior missa solemnis sine scandalo alias omitti non posset.

c) Si ecclesia polluatur (can. 1173, § 2), — aut vitandus supervenerit qui non possit expelli, nisi a cessatione excuset grave incommodum (can. 2259, § 2), — aut si sacerdos recordetur de aliquo impedimento v. g. se non esse ieiunum vel in statu gratiae, vel esse irregularem aut excommunicatum, modo missa sine scandalo aut gravi nota relinqui possit.

2° Etiam *canone incepto*, imo *inter consecrationem et communionem* licitum est ob grave periculum mortis vel integritatis corporalis aut profanationis sacramenti ex parte hostium aut impiorum irruentium, vel imminentis alluvionis aut ruinae templi, puta ex incendio vel terraemotu ; item ob urgentem necessitatem corporalem celebrantis, et ob gravem necessitatem spiritualem proximi, scil. ad ministrandum sacramentum morituro. Attamen :

a) Id post consecrationem et ante communionem non erit licitum nisi moriturus egeat sacramento necessario, scil. Baptismo vel Poenitentia, vel etiam, si Poenitentiam recipere nequeat, Extrema Unctione ; alias Unctionem extremam, sicut et Viaticum ministrare non est licitum nisi moriturus sit in propinquo ita ut sacerdos sacras vestes exuere non debeat.

b) Sacrificium abrumpere ita ut perfici forsan non possit, licitum non erit, nisi ob impotentiam physicam si celebrans ita infirmetur ut continuare omnino non possit, vel ob periculum ita imminens ut aliter quam deserendo sacrificium vitari nequeat atque sacerdoti tempus desit illud complendi.

Notetur : 1) Sacerdos missam interrumpens post consecrationem cavere debet ut sacramentum interim custodiatur proindeque illud in tabernaculum, si adsit, includat.

2) Quod si missa omnino abrumpenda sit post consecrationem unius speciei, potest sacerdos sumere hostiam consecratam vel eam cum calice alio loco consecrando secum auferre ; — si autem utramque consecrationem perfecerit, utramque speciem statim sumat si possit, vel si non possit, secum auferat loco tuto postea sumendam.

3) *Missa resumenda* non est *ante consecrationem interrupta* si sacerdos graviter infirmetur vel moriatur ; — resumenda est ab initio si interruptio sit ita notabilis ut moraliter non censeatur persistere una actio, ut si sacerdos diutius quam una hora absens fuerit ; quo casu si iam facta fuerit oblatio, nova materia est accipienda et antea oblata sumpto sanguine

consumenda ; — e contra resumenda est ubi sacerdos desierit, si brevior fuerit interruptio.

4) *Post consecrationem*, etiam unius speciei, *interrupta*, missa *resumenda* est ubi fuerit intermissa; et quidem qui incepit sacerdos ipse, si possit, complere debet etiamsi ad hoc ieiunium frangere deberet, quia praeceptum integritatis sacrificii magis obligat quam praeceptum ieiunii ; quod si non possit, alius accedat, licet non ieiunus, aut irregularis vel excommunicatus, qui dividat hostiam et unam partem praebeat illi, si possit sumere, sacerdoti qui sacrificium inchoaverit. Si autem sacerdos deficiat post sumptionem solius corporis Christi, ab alio calix sumendus est.

5) Sacerdos qui alterius sacrificium perfecit, non potest rursus celebrare, nisi in casu quo adsit facultas bis celebrandi.

C. *Quid faciendum est si defectus accidat circa ipsam materiam panis et vini?*

Resp. attendendum esse ad regulas practicas in Missali statutas :

1. *Quoad defectum panis* ibi legitur, de def., tit. 3, n. 4-7 :

a) « Si celebrans *ante consecrationem* adverterit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit ».

b) « Si id adverterit *post consecrationem*, — etiam *post illius hostiae sumptionem*, — posita alia, faciat oblationem, ut supra (i. e. saltem mente conceptam), et a consecratione incipiat, scil. ab illis verbis *Qui pridie quam pateretur;* et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem corporis et sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. — Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam, quam consecravit ; quia praeceptum de perfectione sacramenti maioris est ponderis, quam quod a ieiunis sumatur ».

c) « Quodsi hoc contingat *post sumptionem sanguinis*, apponi debet rursus novus panis, et novum vinum cum aqua ; et facta prius oblatione, ut supra, sacerdos consecret incipiendo ab illis verbis : *Qui pridie;* ac statim sumat utrumque, et prosequatur missam, ne sacramentum remaneat imperfectum et ut debitus ordo servetur ».

d) « Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri, tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo : *Qui pridie quam pateretur*, facta eius prius oblatione, ut supra ».

2. *Quoad defectum vini* ibidem dicitur, tit. 4, n. 3-6 :

a) « Si celebrans *ante consecrationem sanguinis*, quamvis post consecrationem corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice, debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra (i. e. saltem mentaliter), consecrare, incipiendo ab illis verbis : *Simili modo...* ».

b) « Si *post verba consecrationis* advertat vinum non fuisse positum sed aquam (aut esse corruptum), deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, et consecret, resumendo a verbis praedictis : *Simili modo...* ».

c) « Si hoc advertat *post sumptionem* corporis vel huiusmodi aquae, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, et consecret et sumat, quamvis non sit ieiunus. — Vel, si missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cetera ». Notetur hunc secundum modum mere subsidiarie indicari, *si* vitandum sit scandalum ; primum absolute ut per se adhibendum, qui ceteroquin proponitur a S. Thoma, a. 6, ad 4 : « Si hoc (i. e. deficere vinum) perceperit post sumptionem corporis, aliam hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum sanguine, quod ideo dico, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi ; et, sicut dicitur in Conc. Tol. VII (decr. 7, q. 1, resp. ad 1) « perfecta videri non possunt sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur ». Si vero inciperet a consecratione sanguinis et repeteret omnia verba consequentia (*qui pro vobis et pro multis effundetur*), non competeret, nisi adesset hostia consecrata, cum in verbis illis occurrant quaedam dicenda, et fienda non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus ».

Notetur aquam aut vinum corruptum non esse expuenda a sacerdote qui illud deprehendat dum habet in ore, sed deglutienda, tum ob periculum eiiciendi particulam hostiae, tum etiam ob indecentiam.

d) Ex tit. 10, n. 13 additur : « Si contingat *totum sanguinem post consecrationem effundi*, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur... — Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco : *Simili modo*... facta prius tamen calicis oblatione, ut supra » (scil. mentaliter).

3. *Quoad defectum alterutrius*, notetur :

a) « Si *materia* quae esset apponenda ratione defectus *vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi*, si id sit *ante consecrationem* corporis, ulterius procedi non debet ; — si *post consecrationem* corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera iam consecrata, tunc, si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et missa absolvenda, ita tamen, ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. — Quod si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum » (tit. 4, n. 8).

b) « Si *aliquid venenosum* ciciderit in calicem, vel quod provocat vomitum, *vinum consecratum* reponendum est in alio calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum ; et finita missa sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa, tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatae, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium proiiciatur. — Si aliquod venenatum contigerit *hostiam consecratam*, tunc alteram consecret, et sumat eo modo, quo dictum est, et illa servetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, et corruptae deinde mittantur in sacrarium » (tit. 10, n. 6-7).

c) *In dubio an materia, sive panis sive vini, iam consecrata fuerit valida*, procedendum est eodem modo ac dictum est de casu quo panis aut vinum post consecrationem deficere deprehendatur ; quia in dubio de validitate et integritate sacrificii tutius est agendum, nec potest sacrificium exponi periculo nullitatis aut mutilationis. Disputant autem utrum absolute vel sub conditione sit denuo consecrandum.

392. De ritu dispensandi s. communionem. — A. *Quoad tempus*. 1° Quantum ad diem. Juxta can. 867 :

« Omnibus diebus licet ss. Eucharistiam distribuere ». Quae vero sequuntur in hoc canone non amplius valent in quantum iis contradicit Decretum « Maxima Redemptionis », S. C. Rit., diei 16 Nov. 1955, una cum Instructione ipsi adnexa. Juxta quae jam dicendum :

a) Fer. VI in Passione et Morte Domini fidelibus ss. Eucharistiam distribuere licet, at tantummodo inter solemnem actionem liturgicam postmeridianam. Infirmis vero in mortis periculo versantibus etiam alia hora.

b) Fer V in Coena Domini s. Communio fidelibus tantummodo distribuatur in Missa vespertina vel immediate post. Item in Sabbato Sancto nonnisi inter Missarum solemnia Vigiliae vel immediate post. Exceptis tamen etiam infirmis qui in mortis periculo sunt constituti.

Inter missarum solemnia videtur intelligendum de distributione quae cum missa connectitur et fit post communionem sacerdotis ; nonnulli tamen id interpretantur post cantatum Gloria ; — Immediate post missam, i. e. sine intervallo post celebrationem. Unde illicitum

est s. communionem distribuere in sacello ubi non celebratur missa, vel in ecclesia ante missam aut paulo post; ad aliter autem faciendum non sufficit quaelibet causa licet in se rationabilis, forsitan tamen grave incommodum.

Quoad jejunium eucharisticum observandum ab illis qui Fer. V solemnia vespertina celebrant vel communicant, sive in die Parascevis inter officia liturgica postmeridiana ad Sacram Synaxim accedunt, servanda sunt quae statuuntur in Motu Proprio « Sacram communionem », diei 19 martii 1957 (cfr. supra n° 281). Ieiunium eucharisticum observandum est inde a tribus horis ante initium missae pro sacerdotibus celebrantibus, ante communionem missae pro Christifidelibus. Meminerint tamen ieiunium ecclesiasticum usque ad horam mediae noctis protrahi.

2° Quantum ad horam.

a. Quod respicit distributionem communionis horis antemeridianis canon determinat quod communio distribui potest solum horis quibus celebratio missae permissa est (c. 867, 4). Quod de jure ecclesiastico est abhinc una hora ante auroram usque ad unam horam post meridiem, cum canon 812 non sit abrogatus.

b) Quod attinet ad distributionem sacrae communionis horis postmeridianis valet indultum concessum in Constitutione Apostolica « Christus Dominus », numero 15. Possunt fideles libere accedere ad sacram mensam durante missa vespertina et immediate ante vel statim post. Insuper Decretum Congr. S.O. concedit Ordinariis locorum facultatem permittendi distributionem S. Communionis horis postmeridianis (inde ab hora 16 saltem) occasione cujuslibet caeremoniae religiosae (ut adoratio SS. Sacramenti, hora sancta, etc...) si ibi non celebratur missa postmeridiana (C. S. O., die 21 martii 1960).

c) Praeterea occurere poterit rationabilis causa petendi et distribuendi S. Communionem extra horas supra, sub a. et b. assignatas, quia clausula « nisi aliud rationabilis causa suadeat » canonis 867, § 4 (Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat) non est formaliter abrogata. Tamen rarius applicari poterit, cum mitigata lege ieiunii eucharistici, difficilius rationabilis causa occurret. Insuper indulta supra allata tendunt ad hoc ut assistentiae sacrificio missae foveant. Qui finis frustraretur si absque causa proportionate gravi S. Communio qualibet hora quibuscumque petentibus distribueretur. Hoc modo etiam consulitur ne animarum pastores frequentibus fidelium petitionibus praepediantur quominus hodierni apostolatus necessitatibus satisfacere valeant.

d) Sacrum Viaticum quacumque diei ac noctis hora ministrari potest, nocte tamen tantummodo quando datur urgens necessitas.

B. *Quoad locum*, iuxta can. 869 :

« S. Communio distribui potest ubicumque missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit ».

Unde licentia extra ecclesiam vel oratorium celebrandi, ex indulto apostolico vel ex facultate Ordinarii concessa ad normam can. 822, ex ipso iure etiam facultatem de se importat ibi distribuendi s. communionem, licet de facto missa non dicatur; ut interpretatur Damen, Th. M., II, n. 129.

Attamen : 1° « Sacerdoti celebranti non licet Eucharistiam intra missam distribuere fidelibus adeo distantibus ut ipse altare e conspectu amittat » can. 868.

2° S. Communio extra ecclesiam ad domum privatam deferri non potest nisi ad communicandum infirmum; unde non potest simul aliis sanis ministrari in via, vel in domo infirmi, nisi in casu extraordinario licentia ab Ordinario obtenta per modum actus, aut obtento indulto apostolico (S. C. Sacr. 5 ian. 1928).

3° Non potest ministrari s. communio in altari ubi ss. Sacramentum solemniter est expositum, sine necessitate vel gravi causa vel ex speciali indulto (S. C. R., 11 maii 1878, ad 1; et 17 apr. 1919).

C. *Quoad modum* ministrandi, iuxta can. 733, sacerdos accurate servare debet ritus et caeremonias quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur; et quidem unusquisque secundum ritum suum (cfr. can. 851, § 2).

Distributio Eucharistiae potest esse connexa cum missa aut non connexa, et tunc fieri in loco ubi est ss. Sacramentum, vel extra, si hoc deferendum sit ad infirmos.

1° *Intra missam* fieri potest *cum paramentis missae;* et, si sacerdos privatim celebret (non autem si missam cantatam aut conventualem), etiam *proxime ante et statim post,* etiam in alio altari; quod valet quoque de missa pro defunctis, sed tunc omittenda est benedictio populi in fine.

2° *Extra missam,* sacerdos indutus sit superpelliceo et stola coloris convenientis officio (violacei, in die commemorationis defunctorum), vel etiam uniformiter albi coloris; diaconus autem ferat stolam transversam. Accendantur duo cerei, praemittatur confessio generalis, et consuetae dicantur orationes, prout in Rituali, tit. 4, c. 2, praescribitur.

Ubi speciatim notandum quod, data communione, *reversus* ad altare, *debet* dicere : *O sacrum convivium...* cum versu : *Panem de coelo* (utrique addendo *alleluia* durante tempore paschali et Octava Corporis Christi, nisi in paramentis ministret nigris), deinde *Domine exaudi orationem...*, *Dominus vobiscum...* et orationem : *Deus qui nobis* (tempore paschali : *Spiritum nobis...*) cum longiore conclusione. Et datur benedictio *manu*, cum formula : *Benedictio Dei omnipotentis...*; quod etiam servandum est a diacono.

3° *Ad infirmos* s. communio deferenda est publice nisi iusta et rationabilis causa aliter suadeat (can. 847), de qua iudicare non pertinet, ut quidam dicebant, ad sacerdotem, sed ad Ordinarium loci tantum (S. C. de Sacr., 5 ian. 1928). Si publice deferatur, sacerdos sit indutus superpelliceo et stola, et serventur omnia quae praescribuntur a Rituali, tit. 4, c. 4, n. 29; quod si privatim deferatur, monet Rituale : « Sacerdos saltem stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur. Cum autem ad infirmi cubiculum pervenerit, sacerdos superpelliceum quoque induat cum stola si illud antea non induerit ». Preces invariabiliter dicantur nulla habita ratione temporis paschalis.

Peccatum est preces et caeremonias praescriptas omittere : ministrare sine vestibus sacris est grave; omissio solius stolae, et forsan solius superpellicei servata stola, nisi adsit scandalum, non certo excedit veniale; item omittere cetera.

Notetur : a) In necessitate, si aliter fieri non possit, licitum est Viaticum ministrare sine vestibus et sine lumine (S. C. P. F., 9 dec. 1822).

b) *Publice* deferri debet Eucharistia *capite detecto* (Rit., tit. 4, c. 4, n. 12); episcopus tamen, ob frigus, vel inclementiam aëris aut infirmitatem potest hac in re dispensare, non quidem pro civitatibus, sed si ruri diu sit sacramentum deferendum; unde in casu necessitatis licentia potest praesumi ex epichia.

c) Eucharistia ministranda est *pollice et indice dextro*. Aliis digitis ministrare non est licitum nisi ex gravi necessitate, quando sacerdos digitis solitis uti non potest et alius sacerdos deest; instrumento sacramentum porrigere, v. g. imposita particula in cochleari cum vino aut aqua, licitum videtur si infirmus laboret peste, aut hostiam aliter deglutire non posset (n. 285).

d) Diaconus ministrans gerat stolam transversam, cetera omnia servet quae indicantur in Rituali, etiam ritum benedicendi infirmum cum

ss. Sacramento, idque etiam post regressum in ecclesia (can. 1274, § 2).

Animadversio. — In casu urgentis necessitatis licitum videtur Viaticum deferre *currendo*, dummodo sit necessarium, cursus non sit nimis festinus, et magnum desit scandalum multitudinis. Pariter licitum est s. communionem deferre *equitando*, causa tempestatis, distantiae, difficilioris itineris et periculi in mora, dummodo equus sit mansuetus, ita ut absit periculum lapsus et irreverentiae. His in casibus gestatur sacramentum in bursa collo suspensa (Rit., tit. 4, c. 4, n. 13). Similibus in circumstantiis licitum est uti *via ferrea aut vehiculo electrico.* A fortiori licitum est in *rheda vel curru* etiam automobili ; quod de se nihil confert ad irreverentiam sed potius ad reverentiam sacramenti ; dummodo sacerdos vestes gerat sacras. *Rota vel velocipede* uti tamquam medio ordinario deferrendi ss. Eucharistiam, etiam privatim, est illicitum ; pro viatico tolerari potest, si locus sit remotior, necessitas urgens, nec ullum aliud medium habeatur, sed amoto scandalo tantum (S. C. de Sacr., 13 iun. 1919).

D. *Quoad defectus occurrentes :* 1° Si sacrae *particulae pro communicantium numero non inveniantur sufficientes,* dividi possunt in partes minores, sicut consuetum est ; non tamen in partes nimis parvas.

2° *Si decidat hostia,* aut eius fragmentum, tegendus est locus et postea abluendus ac ablutio mittatur in sacrarium (Missale, de def., tit. 10, n. 15). Quod tamen non obligat sub gravi, et ideo omitti potest si admirationem populi nimis provocaret, ut si vultus aut barba aut vestis ablueretur. — Quodsi sacramentum ceciderit supra pectus mulieris nudum vel intra vestes, ipsa, non sacerdos, illud quaerat et suis manibus in ciborium reponat vel sibi in os immittat ; et si facile illud reperire nequeat, seorsim recedat in sacellum aut sacristiam ; posteaque, si facile fieri possit, digitos abluat et ablutio in sacrarium proiiciatur. — Si vero hostia ceciderit in clausuram monialium, sacerdos clausuram ingrediatur. — Quodsi minimum fragmentum a solo sacerdote noscatur decisum, illudque facile sine turbatione populi non possit inveniri, res Dei providentiae committatur.

Si per negligentiam *aliquid de sanguine Christi ceciderit,* si quidem super terram seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur, cinis vero in sacrarium proiiciatur. Si super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, et locus bene abluatur et ablutio in sacrarium mittatur. Si super linteum altaris vel in ipso solum corporali ceciderit, linteamina ter abluantur ubi sanguis ceciderit, calice supposito, et aqua lotionis in sacrarium proiiciatur ; et ita quoque faciendum est si in vestibus sacerdotalibus ceciderit aut in substrato pedibus panno vel tapeto (de def., tit. 10, n. 12).

Ex istis, unum etiam sub gravi obligat, scil. quod abluatur linteum, et radatur locus vel saltem abluatur, casu quo species vini imbibantur.

3° Quando *reliquiae vel fragmenta hostiae* reperiuntur post sumptionem corporis et sanguinis, sacerdos ea sumat etiam post ablutionem (de def., tit. 7, n. 2), ut dictum est n. 283. Si vero ad aliud sacrificium pertineant, vel si hostia integra post ablutionem requiratur, in tabernaculo reponantur ; et si fieri nequit, in altari super corporale relinquantur, in sacrificio sequenti sumenda ; quodsi decenter servari non possint, potest sacerdos ea sumere ne irreverentiae exponatur sacramentum (de def., tit. 7, n. 3).

4° Casu quo Eucharistia *evomatur :* « si species integrae appareant, reverenter sumantur nisi nausea fiat : tunc enim species consecratae caute separentur, et in aliquo loco sacro (v.g. in vase cum aqua) reponantur, donec corrumpantur et in sacrarium proiiciantur. Quodsi species non appareant, comburatur vomitus (cum stuppa aut alia materia) et cineres in sacrarium mittantur » (de def., tit. 10, n. 14).

Quodsi sumpto viatico infirmus statim moriatur : si hostia appareat in ore, modeste extrahatur et reverenter servetur donec species corrumpantur ; si vero non appareat, nihil faciendum, licet ignoretur an defunctus eam deglutiverit.

393. Asservatio et expositio sacramenti. — Notentur canones sequentes :

1° Particulae consecratae, eo numero qui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, perpetuo conserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, cooperta albo velo serico et, quantum res feret, ornato (can. 1270 et Rit., tit. 4, c. 1, n. 5). Pyxis seu ciborium non debet esse consecratum sed benedictum ; quod etiam valet de ostensorio vel saltem de lunula expositionis.

Hostiae consecratae, sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem ss. Sacramenti, et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis, servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de re dederit (can. 1272). Hostiae renoventur melius singulis octiduis vel saltem quindenis ; singulis solum mensibus non esset licitum nisi adiuncta indicarent non adesse periculum corruptionis. Novae hostiae consecratae nunquam veteribus admisceantur, sed veteres prius distribuendae sunt vel a sacerdote in missa sumendae (Cfr. Rit., tit. 4, c. 1, n. 7).

2° SS. Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili super altare in medio posito (can. 1269, § 1) ; continuo seu habitualiter custodiri nequit, nisi in uno tantum eiusdem ecclesiae altari (can. 1268, § 1). Custodiri nequit nisi in ecclesia vel in oratorio, non autem apud moniales intra chorum vel septa monasterii (can. 1265 et 1267). Tabernaculum sit affabre extructum, undequaque solide clausum, decenter ornatum ad normam legum liturgicarum, ab omni alia re vacuum, ac tam sedulo custodiatur ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur (can. 1269, § 2). In eo igitur non sint vasa s. oleorum neque reliquiae. Nec ante nec supra illud apponi fas est imagines sanctorum, aut reliquias, etiam s. crucis (S. C. R. 12 mart. 1836). Licite tamen pro more ponitur s. crux super illud pro celebranda missa.

Sacramentum semper reponatur super corporale vel in palla. Coram tabernaculo, in quo asservatur, una saltem lampas diu noctuque luceat, nutrienda oleo olivarum, vel cera apum ; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetalibus (can. 1271). Quod est praescriptum sub gravi ita ut grave peccatum sit per notabile tempus negligere, saltem si fiat per unum diem aut per plures noctes. Cfr. Rit., tit. 4, c. 1, n. 5-6.

At a) gravi suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum ss. Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporale tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, servato tamen praescripto lampadis accensae (can. 1269, § 3).

b) Clavis tamen tabernaculi in quo sacramentum asservatur diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet (ib. § 4), non tamen requiri semper videtur ut immediate ab ipso sacerdote, nec alio mediante, custodiatur. Nihilominus generali regula, ipsi « districte praecipitur ut clavis tabernaculi nunquam super mensa altaris aut in claustro ostioli relinquatur, ne tempore quidem quo mane divina officia ad Sacramenti altare et s. Communionis distributio peraguntur, praesertim si hoc altare haud in conspicuo sit. Hisce vero absolutis clavis *vel ab ecclesiae rectore domi* custodiatur aut ab ipso continenter gestetur, amissionis periculo remoto, vel *in sacrario,* et quidem in loco tuto et secreto, reponatur altera clavi claudenda, quam alteram clavem uti supra *rector tueatur* » (Instr. S. C. Sacr. 26 maii 1938).

3° In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare ss. Eucharistiam, fieri potest expositio privata seu cum pyxide ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia ; expositio vero publica seu cum ostensorio die festo Corporis Christi et intra octavam fieri potest in omnibus ecclesiis inter Missarum solemnia et ad Vesperas ; aliis vero temporibus nonnisi ex iusta et gravi causa praesertim publica et de Ordinarii loci licentia, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat (can. 1274, § 1).

In expositione privata ciborium suo velo coopertum relinquendum est in tabernaculo aperto ; expositio publica fit cum ostensorio in throno, quibusdam in locis ex consuetudine in diebus minus solemnibus fit in ciborio. In omni expositione sex saltem accendantur cereae.

Coram ss. Sacramento velato vel in pyxide exposito intra vel extra tabernaculum, licitum non est missam celebrare cantatam aut lectam ; ad missam coram ss.Sacramento solemniter exposito requiritur Ordinarii licentia (S. C. R., 27 iul. 1927).

TRACTATUS

DE POENITENTIA.

INTRODUCTIO.

394. **Quartum sacramentum est Poenitentiae. —** Tribus prioribus sacramentis in divina vita gratiae nascimur, roboramur et nutrimur ; quae tria requiruntur *per se.* At vita gratiae amitti potest ; tunc *per accidens,* non quidem omnibus sed peccantibus, necessarium est sacramentale remedium ad istam vitam recuperandam ; et hoc est sacramentum Poenitentiae. Quod sacramentum illud proprium habet : *non ex materia externa confici* quae subiecto applicetur, sed *ex ipsis actibus humanis poenitentium materialiter constitui.* Unde per modum introductionis dicendum venit *de ipsius Poenitentiae actu et virtute,* « non solum, ut ait Cat. Rom., quia fidelis populus ad omne virtutis genus institui a pastoribus debet, sed etiam quia huius virtutis actiones tamquam materiam praebent in qua Poenitentiae sacramentum versatur ; ac, nisi prius, quae sit Poenitentiae virtus recte intelligatur, sacramenti etiam vim ignorari necesse sit ». Fiat itaque sermo :

DE VIRTUTE POENITENTIAE.

Septem in articulis dicemus : 1. de ipsa virtute poenitentiae, 2. de eius obiecto ; 3. de eius distinctione ab aliis virtutibus 4. de actibus poenitentiae ; 5. de eius subiecto ; 6. de eius necessitate ; 7. de eius relatione cum sacramento.

Articulus I.

De Ipsa Virtute Poenitentiae.

S. Th. III, q. 85, a. 1-3.

395. **Poenitentia secundum nomen. —** *Poenitentia* secundum alios a *poenam tenere* dicitur seu teneri poena

eius quod commissum est, eo quod poenam imponit pro peccato; secundum alios a *pene* seu *penitus*, eo quod designat aliquod intimum quod cor valde afficit.

Generaliore sensu significat

a) *sensu latissimo* taedium vel displicentiam cuiuscumque, etiam illius quod non dependet a nostra voluntate, ut v. g. senectutis, et sic praecipue est passio ;

b) *sensu minus lato* dolorem vel retractationem voluntatis praeteritae, sive bona fuerit sive mala, atque consilii mutationem;

c) *strictius* dolorem et retractationem de actu malo propter malos effectus secutos, v.g. incarcerationem aut inhonorationem. Simili modo vox graeca μετάνοια, quae etymologice est resipiscentia, mentis mutatio, prioris voluntatis retractatio.

Sensu *strictissimo* et *theologico* est dolor animi de peccato commisso, Dei causa conceptus ; qui spectari potest in actu et in habitu.

Poenitentia *in actu* considerata (*boete*) definiri potest cum S. Thoma, a. 1 : *dolor moderatus de peccatis praeteritis, in quantum sunt offensa Dei, cum intentione removendi ea.*

Dolor dicitur *moderatus*, i. e. iuxta rationem rectam et non excessivus, proiiciens in desperationem ; sed est cum spe veniae et *intentione removendi* peccata, ac proinde cum firmo emendationis et satisfactionis proposito.

Considerata *in habitu* poenitentia (*boetvaardigheid*) est habitus quo poenitens assumit hunc dolorem ; definiri potest : virtus qua dolet homo de peccato commisso in quantum est offensa Dei, seu *habitus inclinans ad reparandam iniuriam per peccatum Deo illatam*, ut habet Billuart [1].

396. Poenitentia est virtus. — Virtus enim est habitus electivus iuxta rectam rationem. Per poenitentiam autem homo deliberate dolet de peccatis commissis, in quantum

1. Diss. 2, art. 1. — Non datur locus distinguendi inter offensam et iniuriam, uti fecimus in peccatis contra proximum (I, n. 891, in nota) : omnis enim offensa Dei est etiam iniuria, quia Deus summum habet ius ad omnes actus nostros, et ideo omne peccatum ius Dei laedit et est iniuria.

sunt offensa Dei, cum proposito emendationis [1]; quod est iuxta rectam rationem. Ergo.

« Virtus, ait S. Thomas, est habitus electivus secundum rectam rationem. Pertinet autem ad rationem rectam ut aliquis doleat a) de quo dolendum est, b) et eo modo, et c) fine quo dolendum est. Quod quidem observatur de poenitentia de quo nunc loquimur ; nam poenitens assumit a) moderatum dolorem b) de peccatis praeteritis c) cum intentione removendi ea. Unde manifestum est quod poenitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus vel actus virtutis » (a. 1). Et ideo de ipsa datur *praeceptum* (Mt. IV, 17 ; Lc. XIII, 3 ; XXIV, 45-47 ; Act. II, 38).

Est *virtus specialis*, quia habet obiectum speciale seu honestatem specialis rationis : offensam Dei ut reparandam et aequalitatem moralem cum Deo restituendam, seu debitum erga Deum reparationis. Iniuria Dei enim, ob singularem huius excellentiam, est specialis inordinationis ; ergo adest speciale debitum reparationis.

« Species habituum, ait S. Thomas, distinguuntur secundum speciem actuum, et ideo ubi occurrit specialis ratio actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quod in poenitentia invenitur *specialis* ratio actus laudabilis, scil. operari ad destructionem peccati praeteriti, *in quantum est offensa Dei*, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis » (a. 2).

Pariter, ibi est specialis virtus, ubi occurrit specialis ratio actus difficilis. Atqui in poenitentia adest magna et specialis difficultas, tum ex eo quod homo removet peccatum cui voluntarie adhaeret, et de quo iam delectatus est, tum ex eo quod contra seipsum vindictam exercet in sui punitionem. Unde necesse est ponere quod poenitentia sit specialis virtus. Hinc de poenitentia datur *praeceptum speciale*.

Est *una virtus*, quia habet obiectum unum : omnia enim peccata considerat et de iis dolet *sub una ratione, in quantum sunt offensa Dei reparanda*.

Licet unaquaeque virtus habeat motivum formale ex quo possit oriri dolor de peccato sibi opposito, v. g. iustitia motivum aequalitatis servandae, castitas moderamen in delectatione, charitas bonum divinum, ex cuius amore homo dolet de laesione iustitiae, castitatis aut charitatis ; est tamen quaedam virtus

1. Propositum emendae seu emendationis est intentio removendi peccata sive praeterita sive futura.

specialis ab omnibus distincta quae uno et eodem actu dolet de peccatis omnibus, non prout singula sunt opposita diversis virtutibus, sed sub speciali ratione prout sunt Dei offensa quae reparationem exigit : « in quantum scil. sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam iustificationem » (a. 2, ad 2.)

Est *virtus connexa cum iustitia*, species quaedam iustitiae commutativae. Haec enim est ad alterum cum quadam commutatione et inclinat ad reddendum unicuique ius suum strictum ad aequalitatem : stricte autem debetur Deo ut offensa in eum commissa reparetur a reo vel invitus vel sponte, quod est quaedam commutatio. Ad hoc vero ut sponte reparetur impellit poenitentia. Ergo poenitentia est quaedam species iustitiae commutativae. Unde dicitur a Caietano, in a. 4 : « Virtus reddens Deo ius suum pro peccato in eum commisso ».

Non tamen est species proprie dicta ac stricta iustitia, ut dicebat Durandus, sed *iustitia secundum quid* et *imperfecta*, seu *pars potentialis* iustitiae commutativae. Nam haec requirit ius strictum quod est inter aequales. Poenitentia non est inter aequales, cum homo sit sub potestate Dei constitutus. Unde etiam nequit reddere ad perfectam aequalitatem, tum quia non tantum reddit quantum debet, cum offensa infinita non compensatur adaequate satisfactione finita : poenitentia quidem subiicit creaturam Deo, sed peccatum subiicit Deum creaturae ; tum quia reddit ex bonis ipsius Dei, et iam pluribus aliis titulis debitum. Et ideo poenitentia a perfecta ratione iustitiae deficit et analogice reducitur ad iustitiam commutativam, sicut observantia, pietas et religio (a. 3, et ad 2).

397. Animadversio. — Praedicta omnia intelligenda non sunt de poenitentia quae est passio appetitus sensitivi et non pertinet ad rationem ; sed de poenitentia voluntatis quae est cum electione et ad rationem pertinet : retractat peccatum praeteritum non ex intentione conandi ad hoc quod factum non fuerit, — hoc esset stultum, — sed cum intentione removendi sequelam ipsius, scil. reatum culpae et reatum poenae (q. 84, a. 9, ad 2 et 3 ; q. 85, a. 1, et ad 2 et 3).

Articulus II.

De Obiecto Poenitentiae.

S. Th. III, q. 84, a. 2 ; q. 85, a. 2 et ad 2 ; a. 3 et ad 1 et 2 ; q. 90, a. 1 et ad 3.

398. Obiectum proprium Poenitentiae est bonum speciale, quod consistit in reddendo ius debitae reparationis pro offensa seu iniuria Dei, et in restituendo aequalitatem cum Deo. Sed in hoc uno obiecto distingui possunt tria :

1° *Obiectum materiale* seu *id quod* intendit et facit poenitentia, materia circa quam versatur : sunt actus quibus peccatum reparatur. Quod multi distinguunt proximum et remotum : remotum dicunt esse quodlibet peccatum personale tamquam offensivum Dei et iuris Dei laesivum, ut removendum et destruendum, delendum et reparandum ; proximum omnes actiones quibus reparatio debita exhibetur et peccatum removetur et reparatur. « Materia poenitentiae, ait S. Thomas, q. 85, a. 3, ad 1, sunt actus humani quibus Deus offenditur vel placatur ».

2° *Obiectum materiale primarium* (alii dicunt formale quod), quod poenitentia principaliter, per se et ratione sui intendit et facit in actibus nostris, est ius divinum laesum ut reparabile per aliquam compensationem ; seu aequalitas imperfecta debita inter reparationem nostram et ius Dei ad illam, qua aequalitate reparatio proportionatur, — secundum possibilitatem nostrae infirmitatis et benignitatem divinae misericordiae, — iuri reparationis quod Deo est debitum.

3° *Obiectum formale* quo, seu motivum proximum propter quod reddimus Deo debitum reparationis et restituimus aequalitatem, est specialis honestas quae in restitutione aequalitatis laesae et reparatione iuris divini elucet : volumus enim Deo reddere debitum reparationis et sic restituere aequalitatem inter nos et Deum quia id bonum est.

Deus, quatenus ratione offensae ipsi ius et debitum est ut reparatione sit placandus, non est materia poenitentiae seu obiectum *quod* poenitentia immediate attingit, sed tantum finis *cui* reparatio fit et debitum iuris violati redditur, seu ille *ad quem* est poenitentia (a. 3, ad 1). Similiter titulus iuris in Deo non est motivum proximum, sed solum fundamentum remotum cur reparatio sit debita et reddenda.

Exinde intelligitur poenitentiam destructionem peccati et offensae Dei non proxime intendere ex motivo divinae bonitatis : id est officium charitatis ; sed praecise ob specialem honestatem

actus quo iniuria Deo illata compensatur, quamvis tamen id ex actu et motivo charitatis mediate possit procedere et imperari. Hinc sequitur obiectum proprium poenitentiae :

1) non esse destructionem, detestationem aut *displicentiam peccati absolute*, in quantum scil. est inhonestum et malum, nam eiusmodi motivum vel nimis commune est, cum quaelibet virtus actus malos oppositos destruere nitatur[1], vel si sit speciale, consideratur peccatum ut oppositum appetitui finis ultimi seu amori Dei, sive imperfecto concupiscentiae sive perfecto amicitiae et charitatis ;

2) nec esse, saltem directe, *ius divinum illaesum servare*, nam id pertinet vel ad obiectum charitatis, vel simul ad omnes alias virtutes, ad quas sicut attinet sequi rectum rationis ductum, ita effugere malum illis oppositum ; quo servatur ius Dei illaesum ;

3) multo minus esse *bonum pacis cum Deo*, seu iterum habere Deum placatum et pacatum, ut aliqui dixerunt post De Lugo allegantes S.Thomam, in IV Sent., d. 14, q. 1, a. 1, qc. 3, ad ult.: « sicut est alicuius virtutis ut homo placet eum quem offendit, ita est alicuius virtutis ut homo Deum placet quem peccando offendit ».— Nam a) bonum pacis est potius *finis* virtutis quam obiectum, est effectus sequens exhibitam satisfactionem : « Dicendum quod in hoc quod dicit, quod poenitentia reconciliat Deo, non tangitur relatio poenitentiae ad obiectum suum, sed magis ad finem. Sed ordo eius ad obiectum tangitur in hoc quod dicitur peccata commissa flere » ib. qc. 4, ad 1. Obiectum scil. est expiatio peccati ; finis est Deus reconciliandus. Insuper b) ex alia virtute id intenditur : si peccator sui causa veniam intendat et Deum placatum et pacatum velit, amor erit concupiscentiae et virtutis spei ; si Dei causa id velit, erit amor amicitiae et charitatis.

399. Obiectum poenitentiae remotum. — Ex dictis quoque intelligitur obiectum materiale remotum,circa quod poenitentia versatur, esse omnes actiones quae offendunt Deum et ius divinum laedunt et illa quae ad hoc concurrunt, scil.

1) proprie et principaliter peccata actualia mortalia, quae *plene* offendunt Deum et perfecte aversum reddunt ;

2) proprie et secundario peccata venialia, quae etiam *aliquo modo* Deum offendunt redduntque indignatum, quia rationem offensae participant ;

3) item peccata iam dimissa, tum quia de eorum remissione infallibiliter non constat, tum ut perfectiorem retractationem et abundantiorem satisfactionem exhibeamus ; unde dicitur Ps. L, 4 : *Amplius* lava me ab iniquitate mea... ;

4) non autem peccatum originale, quia non proprie retractatur nec proprio actu removetur nisi quod propria voluntate fuit patratum ; potest tamen de ipso esse poenitentia late sumpta pro quacumque detestatione rei praeteritae ;

5) nec a fortiori peccata aliena, ut talia, licet de culpabili ad ea cooperatione facienda sit poenitentia ;

6) nec meras imperfectiones, nisi forsan indirecte in quantum impediendo uberius auxilium Dei disponunt ad culpam, aut in quantum ex culpa oriuntur eamque includunt (Cfr. q. 84, a. 2, ad 3 ; suppl. q. 2, a. 2 et 3 ; q. 16, a. 3).

400. Corollarium. — Hinc, *ratione finis*, distinguuntur *tres species* diversae *actuum* poenitentiae (quae vocantur partes *subiectivae*), scil. : poenitentia ante Baptismum, poenitentia mortalium, poenitentia venialium : « Pertinet ad poenitentiam ut detestetur peccata praeterita cum proposito immutandi vitam in melius, quod est quasi poenitentiae finis. Et quia moralia recipiunt speciem secundum finem..., conveniens est quod diversae species poenitentiae accipiantur secundum diversas immutationes quas poenitens intendit. Est autem triplex immutatio a poenitente intenta : prima quidem per generationem in novam vitam, et haec pertinet ad poenitentiam quae est ante Baptismum ; secunda est per reformationem vitae praeteritae iam corruptae, et haec pertinet ad poenitentiam mortalium post Baptismum ; tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitae, et haec pertinet ad poenitentiam venialium, quae remittuntur per aliquem ferventem actum charitatis » q. 90, a. 4.

Articulus III.

De Distinctione Poenitentiae ab aliis Virtutibus.

S. Th. III, q. 85, a. 2 et ad 1 ; a. 5 et 6 ; q. 84, a. 9, ad 3 ; suppl. q. 3, a. 2.

401. Poenitentia non est virtus generalis. — Non enim est omnis virtus vel omnium aggregatio, aut conditio generalis cuiuscumque virtutis, ut putabat Gulielmus

1. « Poenitentia accipit specialem rationem obiecti ex hoc quod respicit peccatum a se commissum et expiabile per poenitentis actum ; et ita actus poenitentiae non est detestari peccatum absolute, quia hoc est cuiuslibet virtutis, sed detestari aliquid expiabile per actiones eius, et quantum ad culpam et quantum ad reatum : hoc enim nulla alia virtus facit » S. Thomas, in IV, d. 14, q. 1, a. 1, qc. 3.

Altissiodorensis ; sed species iustitiae bene distincta, ut dictum est n. 396 ; et ideo non expellit omne peccatum formaliter (sicut habitus expellit suum contrarium), sed *effective*, in quantum cooperatur ad destructionem peccati prout est remissibile ex divina gratia (a. 2, ad 3).

Attamen includit exercitium multarum virtutum : « in quantum enim est *iustitia* quaedam *hominis ad Deum*, oportet quod participet ea quae sunt *virtutum theologicarum*, quae habent Deum pro obiecto. Unde poenitentia est cum *fide* passionis Christi, per quam iustificamur a peccatis, et cum *spe veniae*, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad *charitatem*. In quantum vero est *virtus moralis*, participat aliquid *prudentiae*, quae est directiva omnium moralium virtutum ; sed ex ipsa ratione iustitiae non solum habet id quod *iustitiae* est, sed etiam ea quae sunt *temperantiae* et *fortitudinis*, in quantum scil. ea quae delectationem causant ad temperantiam pertinent, vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in communionem iustitiae veniunt » (a. 3, ad 4).

402. Poenitentia, utpote virtus specialis, ab omnibus aliis virtutibus est distincta. — Et quidem :

1° *Differt poenitentia a virtutibus theologicis*, quia non attingit ipsum Deum, finem ultimum, sed versatur circa aliquod creatum quod est medium ad finem.

Virtutes theologicae habent ut obiectum materiale Deum, ut obiectum formale aliquod bonum divinum, scil. ipsum Deum quatenus veritas revelans, omnipotentia auxilians, summum bonum nobis communicandum in se infinite perfectum. Poenitentia ut obiectum materiale habet actus nostros, ut obiectum formale bonum creatum hominis cum relatione tamen ad Deum, scil. bonum aequalitatis restituendae cum Deo offenso (a. 3, ad 1).

Speciatim differt *a charitate:* haec detestatur peccatum quia Deo displicet utpote malum Dei extrinsecum, divinae bonitati contrarium, divinam amicitiam dissolvens ; poenitentia dolet de peccato quia est offensio divini iuris, emendabilis et reparabilis, seu offensa Dei contra ius Domini supremi (in omnes actus nostros) et ita reparanda. Potest nihilominus poenitentia imperari a motivo charitatis et tunc est perfecta (a. 2, ad 1).

Unde charitas directe tendit in unionem cum Deo, indirecte in remotionem peccati ; poenitentia directe in remotionem peccati, indirecte in unionem cum Deo.

2° *Differt quoque poenitentia a religione*, cui eam principaliter identicam dicebat Caietanus. Nam religionis obiectum est cultus Deo redditus propter eius excellentiam ; unde respicit Deum ut Dominum vel benefactorem. Obiectum poenitentiae est debita compensatio pro peccato, unde respicit Deum ut offensum et placandum.

Insuper : a) In poenitentia adest magna et specialis difficultas, tum ex eo quod homo removet peccatum cui voluntarie adhaeret et de quo iam delectatus est, tum ex eo quod contra seipsum vindictam exercet in sui punitionem ; quae difficultas non est in religione. Ubi autem est magna et specialis difficultas, oportet esse specialis virtus (n. 396).

b) Deo qui ius habet ad honorem et cultum nostrum, novus, supposito peccato, et specialis titulus iuris est, ut scil. restituamus honorem debitum ei subtractum. Ergo poenitentia nova et specialis est virtus a religione distincta. In utraque enim diversa est ratio debiti : religio Deo debet quia aliquid ab eo recipimus ; poenitentia quia ei aliquid detraximus et abstulimus.

c) Religio abstrahit a peccato ; e contra poenitentia. Prior respicit ius divinum in tota latitudine sumptum ; altera ius divinum ut laesum et reparandum.

3° *Differt poenitentia a iustitia distributiva aut vindicativa ;* ut respective tenendum est contra Gabriel Biel et contra Scotum. Haec enim iustitia est superioris ad inferiores, et poenas vel praemia taxat uni per respectum ad alios qui etiam puniuntur vel praemiantur ; poenitentia vero est inferioris ad superiorem, et unius singularis personae per respectum ad Deum.

Speciatim, omnino discernenda venit a iustitia vindicativa :

a) Vindicativa proprie inest in iudice, in crimen alienum infligente poenam quam reus saepius invite sustinet ; poenitentia est in ipso reo qui voluntarie poenam sustinet pro culpa propria commissa.

b) Vindicativa respicit offensam communiter quam recompensat per opera exteriora ; poenitentia respicit offensam Dei, unde consistere debet in compensatione voluntaria et interna qualis Deo competit.

c) Vindex publicus poenam sceleri proportionatam secundum leges necessario infert ; poenitens, incapax poenam proportionandi suo culpae mortalis delicto, labore modico, odium Dei et aeternam damnationem peccato debita amolitur.

d) Iudex intendit punitionem delinquentis propter commune reipublicae bonum ; poenitens intendit emendationem sui et reconciliationem cum Deo, ac dolendo et adversum se saeviendo, sibi soli consulit (Cfr. a. 3, ad 3 ; et in IV Sent., d. 14, a. 1, q. 1, qc. 6).

403. Corollaria. — 1. *Poenitentia est virtus moralis, ac*

proinde est in medio.— Quamvis enim uno sensu in ipsius materia nequeat dari excessus, scil. secundum quantitatem, quatenus non possumus nimis voluntate dolere de peccato in Deum commisso, secundum alias circumstantias tamen datur excessus, v. g. si poenitentia exhibeatur cui, ubi, quando, quomodo etc. non debet. Unde etiam *modus* datur excessivus secundum quantitatem, non ex parte doloris rationalis, sed ex parte doloris sensibilis qui potest esse nimius in desperationem proiiciens (q. 84, a. 9, ad 3).

2. *Poenitentia non est prima virtus.* — Non quidem tempore et quoad habitum, quia omnes simul infunduntur ; — nec natura et quoad actum, quia secundum rationem causae efficientis et finalis naturaliter priores per se sunt virtutes theologicae, tum quia prius est credere, sperare et amare Deum quam etiam ex hoc dolere de peccato, tum quia secundum se necessariae sunt ad bonum hominis, poenitentia tantum supposito peccato. At quantum ad aliquid est poenitentia prima quoad actum, scil. secundum ordinem causae materialis et dispositivae : sub hac ratione prius est recedere a peccato quam converti in Deum (a. 6).

3. *Poenitentia distinguitur a timore Dei,* cuius obiectum est *ipse Deus ut potens infligere malum poenae* (timor poenae vel et servilis), vel *ut ex reverentia non offendendus* (timor culpae et filialis) ; obiectum autem poenitentiae est ius divinum laesum ut emendabile. Nihilominus actus poenitentiae potest procedere a timore,qui recte a S.Thoma dicitur *poenitentiae principium*,quatenus est principium actuum quibus Deo in poenitentia cooperamur. A timore servili enim poenitentia est ut a primo et remoto principio ex parte voluntatis, seu ut a primo motu affectus ad hoc ordinato : non necessario quidem et semper, sed regulariter et ordinario, quatenus timore suppliciorum homo incipere *solet* a peccato retrahi, et ita est poenitentia imperfecta et initialis; — a timore filiali est poenitentia ut ab immediato et proprio principio movente, quatenus propter reverentiam Dei aliquis satisfactionem debitam offert, et sic iam est poenitentia perfecta (a.5).

404. Animadversiones. — 1. Quae diximus valent praecipue de poenitentia supernaturali et infusa : in ordine enim praesenti supernaturali, actus poenitentiae supernaturalis requiritur ad remissionem peccati, et virtus supernaturalis poenitentiae infunditur a Deo una cum gratia habituali. Nec tamen inutiliter, licet reconciliatio cum Deo eodem momento fiat, tum quia sicut ultima dispositio ad formam causatur a forma, ita ultima dispositio ad gratiam et virtutes infusas causatur a gratia et charitate et virtute poenitentiae quae infunditur ; tum quia postea inservit ad perfectius dolendum de peccato remisso, ad dolendum de venialibus, ad propositum servandum praecavendi peccata futura, et ad satisfaciendum operibus poenalibus quibus reatus culpae peccati venialis vel reatus poenae temporalis penitus tollitur.

In ordine naturali, etiam necessarius fuisset actus poenitentiae, sed non videtur fuisse actus perfectae virtutis, quia de se insufficiens ad tollendum reatum culpae.

2. Ex eo quod S. Thomas, ubi doctrinam exponit de virtutibus in generali aut in specie, non loquitur de virtute poenitentiae, non esset concludendum eam non esse virtutem ab aliis distinctam. Methodus S. Thomae aliter explicari potest : sive quia in generali doctrina virtutum loquitur de iis quae homini necessariae sunt per se, dum poenitentia huic solum competit per accidens, in suppositione peccati commissi ; — sive quia sequitur expositionem Aristotelis, qui inter virtutes non reponit poenitentiam, cum haec in ordine naturali ad perfectionem virtutis non videatur assurgere ; efficacem vero poenitentiam supernaturalem Philosophus ignorabat.

Articulus IV.

De Actibus Poenitentiae.

S. Th. III, q. 85, a. 2, et ad 1 ; a. 3 et 4; q. 90, a. 2 ; suppl. q. 16, a. 3.

405. Triplex est actus elicitus poenitentiae :

1) *proprius et principalis* est *contritio* seu dolor de peccato commisso in quantum est offensa Dei, ex intentione illud emendandi et destruendi, seu cum proposito operandi ad deletionem peccati praeteriti (a. 2, ad 1) et non peccandi in futurum [1] (Lc. XV, 18) ; — actus *secundarii* sunt :

2) *confessio* i. e. dolorosa agnitio interna vel externa seu accusatio culpabilitatis (II Reg. XII, 13), et

3) *satisfactio* seu expiatio per poenas.

Quorum trium primus est praecipue in corde, alter in ore, tertius in opere. *Detestatio* autem peccati (Ps. CXVIII, 104), quae in contritione continetur, proprie non est actus poenitentiae, secus beati essent poenitentes ; sed ipsi necessario praerequiritur, quia si peccatum non haberetur ut malum detestandum, non possemus de illo dolere.

Horum omnium actuum haec est genesis : peccator
1° apprehendit peccatum commissum *ut malum*, et voluntas illud abominatur et *detestatur*, quia malum est, et hoc poeni-

1. « Proprius actus eius est in obiectum proprium, quod est peccatum commissum. Et ideo eius actus *principalis* scil. contritio secundum suam speciem respicit tantum peccatum praeteritum, sed ex consequenti respicit futurum » S. Thomas, in IV, d. 17, q. 2, a. 2, qc. 4.

tentiae praerequiritur : detestatio si perfecta sit, a charitate procedit ;

2° animadvertit malum esse *sibi praesens* in se vel in effectibus, et de eo dolet, et cum non possit sincere de peccato dolere nisi firmiter illud reparare ac destruere et in posterum vitare velit, id etiam proponit ; quod fit in *contritione;*

3° hunc dolorem exprimit et accusat *confessione;*

4° cum praeteritum malum etiam sit poenis reparandum, sponte oritur voluntas *satisfaciendi* operibus poenalibus.

406. Actus imperati poenitentiae multi esse possunt. — Omnes scil. illi quibus reparatur peccatum, ut oratio, eleemosyna, ieiunium, abnegatio sui ; omnes actus virtutum quatenus ordinabiles sunt ad satisfaciendum pro peccato, et a virtute poenitentiae ex voluntate satisfaciendi imperantur.

407. Reiicienda sententia Protestantium. — *Poenitentia itaque non est sola resipiscentia* seu propositum novae vitae, ut multi docent Protestantes post Lutherum, sine ullo peccati antea commissi dolore et detestatione.

Contritio enim, ait, ad iustificationem necessaria, nedum sit peccati detestatio, est terroris quidam sensus peccatori incussus, et ab eo passive susceptus, quo ad fidem in Christum excitetur. « Constat autem, ita confessio Augustana (1530), a. 12, poenitentia proprie his duabus partibus : altera (passiva) est contritio seu terrores incussi conscientiae, agnito peccato ; altera (activa) est fides, quae concipitur ex Evangelio seu absolutione, et credit propter Christum remitti peccata, et consolatur conscientiam, et ex terroribus liberat ».

Iamvero secundum Concilium Tridentinum, contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. *Declarat* igitur sancta Synodus hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere... (sess. 14, c. 4) ; imo *definivit* falsam esse poenitentiae notionem protestanticam seu duas tantum esse poenitentiae partes, terrores scil. conscientiae incussos et fidem qua credit quis sibi per Christum remissa peccata (sess. 14, can. 4) ; insuper contritionem quae paratur per detestationem peccatorum cum proposito melioris vitae esse verum et utilem dolorem, non coactum sed voluntarium ac liberum, et nos praeparare ad gratiam (can. 5). Unde certum est talem actum esse bonum et honestum.

Et merito. Nam :

A. Quamvis sensu etymologico μετάνοια idem sonet ac mentis mutatio, certum est usu biblico vocabulum non meram consilii mutationem, sed etiam praeteritae vitae detestationem, dolorem et expiationem significare ; sic v. g. dicebat Iob (XLII, 3-6) : « Ideo insipienter locutus sum... idcirco ipse *me reprehendo*, et ago poenitentiam in favilla et cinere ». Iterum ait David (Ps. L, 19) : « *Sacrificium* Deo spiritus *contribulatus; cor contritum et humiliatum*, Deus, non despicies » ; nec aliter Prophetae: « Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris... Proiicite a vobis omnes iniquitates vestras in quibus praevaricati estis et facite vobis cor novum et spiritum novum » (Ezech. XVIII, 30 ; Is. XXXVI, 31-32 ; Bar. II, 11-18 ; Ier. XXXI, 18-20). Praeterea S. Paulus poenitentes Corinthios alloquens explicite tristitiam commemorat ut verae poenitentiae elementum (II, Cor. VII, 9-10) : « Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam... Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur ».

B. Consonat ipsa ratio : 1) *Ex parte offensoris* semper id quod primo exigitur est reparatio offensae.

2) *Ex parte conversionis:* qui resipiscit et vitam in melius mutat, idcirco consilium mutat quia priorem vitam malam esse intelligit, secus enim nulla ratio esset mutationis. Atqui sicut amare bonum tenemur, ita et malum odisse, praesertim si a nobis fuerit commissum ; secus propositum novam ducendi pro Deo vitam non esset sincerum ; ergo poenitentia peccati detestationem essentialiter importat.

3) *Ex parte offensi*, reconciliatio cum persona offensa plus requirit quam cessationem iniuriae : ut enim ab homine veniam quis obtineat, primum detestationem ac dolorem iniuriae illatae manifestare debet, ut hoc dolore motus, alter iniuriam condonare velit. Eodem igitur modo peccator sese cum Deo habere debet.

Quodsi Patres dicant optimam poenitentiam esse novam vitam, non ita intelligendi sunt ac si poenitentia essentialiter esset nova vita, sed quod haec signum sit, optimum indicium, animae vere poenitentis.

Articulus V.

De Subiecto Poenitentiae.

S. Th. III, q. 85, a. 4 ; suppl. q. 1, a. 2 ; q. 3, a. 1 ; q. 16.

408. Subiectum proximum virtutis poenitentiae est voluntas. — Ita quia dolor rationalis est actus voluntatis ; et quia poenitentia est pars iustitiae, iustitia autem est in voluntate. Hinc dolor poenitentiae *essentialiter* distinguitur a dolore sensibili qui est passio appetitus

sensitivi, quique licet ex dolore spirituali saepe oriatur et sit eius signum, non tamen semper sequitur nec necessario ad poenitentiam requiritur.

409. Subiectum remotum est omnis homo peccati capax. — Actus enim proprius poenitentiae proprie dictae supponit peccatum ; unde habitus seu promptitudo ad poenitendum datur, non quidem illis qui peccare non possunt, sed illis qui sunt peccati capaces, etiamsi illius non sunt rei, ut prompti sint ad dolendum de peccato si quid antea commiserint vel postea forte committant. Habitus scil. est perfectio et promptitudo potentiae ad actum, et ideo non absentia actus sed sola absentia potentiae illum impossibilem reddit. Unde in casu sola impossibilitas peccandi vel se emendandi, non mera absentia peccati, virtutem poenitentiae impedit, « nec tamen sine exercitio est frustra, quia est perfectio potentiae naturalis » (Suppl. q. 16, a. 1, ad 1).

410. Corollaria. — Exinde facile deducuntur conclusiones sequentes. Virtus poenitentiae :

1) non fuit in Christo qui absolute est impeccabilis ab intrinseco ;

2) nec in Angelis qui peccare possunt sed quorum peccatum non est naturaliter remissibile (secus de potentia absoluta), quia voluntatem immobilem habent ac proinde priorem voluntatem naturaliter mutare non possunt ;

3) fuit tamen probabiliter in B. V., quia non absolute impeccabilis fuit sed solum moraliter et ab extrinseco ;

4) item in Adamo etiam ante peccatum ;

5) certo autem est in pueris baptizatis quibus infunditur simul cum gratia, et in iustis viatoribus ;

6) manet quoque in beatis, quamvis in iis alium habeat actum, scil. gratias agere Deo pro misericordia praestita relaxante peccata, et gaudere de satisfactione alias peracta (Suppl. q. 16).

Articulus VI.

De Poenitentiae Necessitate.

S. Th. III, q. 84, a. 5, et 7 ; q. 86, a. 2 ; q. 87, a. 1 ; suppl. q. 2, a. 3 ; q. 6, a. 5.

411. Status quaestionis. — Quaeritur an poenitentia sit necessaria ad iustificationem et salutem. Dupliciter aliquid dicitur necessarium ad finem : quatenus praecipitur a legitimo superiore, vel quatenus est medium quo non adhibito non obtineatur finis ; — unde hoc ultimum ita necessarium est, ut sine ipso etiam involuntarie et

inculpabiliter omisso finis obtineri absolute nequeat ; e contra primum ita praescribitur, ut qui voluntarie et culpabiliter omiserit peccet et ideo finem non consequatur, sed ille qui involuntarie et inculpabiliter omiserit nihilominus finem consequi possit. Iamvero :

1) Doctrina catholica est poenitentiam in genere, i. e. quamdam peccati detestationem ac retractationem, necessariam esse *necessitate medii* ad iustificationem et salutem, posito peccato mortali ; *controversum autem fuit an requiratur actus formalis poenitentiae, an sufficiat virtualis.*

Nam a) Scotistae et Nominales tenuerunt *virtualem* actum poenitentiae sufficere, qualis continetur in actu charitatis perfectae : est enim contradictorium amare Deum super omnia actu perfecto et velle peccatum supra Deum ; hinc in actu charitatis est *vis* ad conterendum de peccato, ita ut actus habeat *virtutem* producendi poenitentiam seu contritionem perfectam. Unde includit poenitentiam *in voto*. b) E contra Thomistae generatim requirunt actum poenitentiae *formalem*, quorum aliqui, ut Melch. Canus, putant illum semper requiri sine exceptione. c) Nihilominus insigniores Thomistae, conformiter ad principia S. Thomae, quem etiam sequuntur Suarez et multi alii, dicunt actum formalem per se requiri quando quis de suis peccatis cogitat, sed per accidens remissionem peccati per virtualem poenitentiam obtineri posse, quando quis ex oblivione vel inconsideratione de peccatis suis non cogitat[1].

2) *Communis theologorum sententia* est poenitentiam etiam necessariam esse *necessitate praecepti.*

Cui contradicere dicunt unum Fr. de Victoria[2], qui ait textus Scripturae intelligendos esse de sola necessitate medii quae existere potest sine necessitate praecepti, cum gratia, licet ad salutem necessaria, non cadat sub praecepto. Illogice tamen : quando enim medium necessarium non est quid habituale aut nobis extrinsecum, sed *actus* noster, eo ipso etiam est praeceptum.

412. *Thesis I.* **Supposito peccato mortali, certum est actum poenitentiae, saltem virtualem, esse in praesenti rerum ordine necessarium necessitate medii ad iustificationem et salutem.** — Dicitur :

1. S. Thomas III, q. 79, a. 3; q. 87, a. 1 ; cfr. Ioh. XIV, 21 ; I Ioh. IV, 7 ; Augustinus l. 2 contra Cresc., c. 12, n. 15 ; l. 14 de Civ. Dei, c. ult.; de Sp. et Lit., c. 32, n. 56 ; Gregorius, hom. 33 in Evang.
2. *De Septem Sacramentis*, q. 121.

a) *Certum est;* ita ad minus ex C. Trid., sess. 14, c. 1 et 4, sess. 6, c. 6 et 14, quod loquitur de poenitentia formali, ita ut haec requiratur saltem per se et regulariter.

b) *In praesenti ordine,* quia plures theologi existimant Deum *de potentia absoluta* posse condonare peccatum et gratiam infundere sine ullo actu poenitentiae vel retractatione peccatoris, sed id non facere quia sapientiae, iustitiae et sanctitati non convenit : hanc sententiam non expresse excludimus quamvis illam non veram censeamus.

c) *Posito peccato mortali,* quo nempe avertuntur a Deo fine ultimo : si enim peccatum sit veniale tantum, poenitentia, quamvis exoptabilis, necessaria non est ad iustificationem et salutem.

Probatur : 1) *Ex Scripturis* quae poenitentiam omnino exigunt, et salutem ita cum poenitentia coniungunt ut sine ea haberi non possit.

a) Ita frequenter *Prophetae,* v. g. Ieremias (XVIII, 8-10) : « *Si* poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei... ; si fecerit malum in oculis meis, non audiat vocem meam, poenitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei » (Cfr. XXXI, 18-20 ; Ioel II, 12-14). Item Ezech. (XVIII, 21-32) : « Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis... vita vivet et non morietur... si autem averterit se iustus a iustitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur ; in praevaricatione qua praevaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur » ; quae poenitentia ita necessaria est ut, si propheta non monuerit de illa facienda, nihilominus non erit venia impio absque illa (XXXIII, 8) : aeque scil. necessaria est quam perseverantia iusto ad praemium consequendum (XXXIII, 12-16). Unde Eccli. II, 22 (in Vulg.) : « Si poenitentiam non egerimus incidimus in manus Domini ».

b) Item *Christus* in N. T. « *Si* poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis » (Lc. XIII, 5; Matt. IV, 17 ; III, 2-8; Lc. III, 8).

c) Unde et *Apostoli* poenitentiam promulgarunt necessariam, tum ad Baptismum (Act. II, 38) : « Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum... in remissionem peccatorum vestrorum », tum ad remissionem peccati (Act. III, 19): « Poenitemini igitur et convertimini, ut deleantur peccata vestra » (Cfr. VIII, 22 ; XI, 18 et Apoc. II, 5).

Quibus omnibus poenitentia apparet conditio necessaria ut deleantur peccata. Ergo poenitentia, in praesenti ordine, cum remissione peccati et salute iungitur ut medium cum fine.

2) *Ex Traditione* quae constat ex historia Ecclesiae primitivae de disciplina poenitentiali.

Non solum Tertullianus, in tractatu : De Poenitentia, et Chrysostomus, in l. de Compunctione, ac in hom. 9 de Poen. (cfr. hom. 4 et 11), toti sunt in necessitate poenitentiae inculcanda ; sed eadem doctrina iam invenitur apud Pastorem Hermae, mand. IV, 2-3 ; simil. VII, 4 et 6 ; Iustinum, in dial. cum Tryph. n. 141; Irenaeum, adv. haer. I, 13, et Cyprianum, de Lapsis, et ep. 31. Postea apud Ambrosium, ep. 28 (alias 51); de Poen. II, 10 ; de Lapsu virg. 33-34 ; Augustinum, in Ps. XXX, 5 et in ep. 50 ad Bonif. ; Gregorium, hom. 20 in Evang., etc. Quam doctrinam ratam habuit Concilium Tridentinum, ut diximus.

3) *Ex ratione theologica :* Homini ex una parte imputatur peccatum, usquedum illud retractaverit ; — ex altera parte Deus nequit condonare peccatum cui homo habitu adhaeret, et nequit diligere nisi illum quem intrinsece dignum sui amoris reddat. Proinde nequit iustificare peccatorem absque huius voluntatis immutatione, i. e. nisi iste velit, nisi voluntarie aversus a Deo, etiam ad Deum voluntarie convertatur cum detestatione praedictae aversionis et proposito emendandi. Hoc autem est poenitentia (q. 84, a. 5, ad 2 ; q. 86, a. 2).

Accedit *ratio convenientiae.* Peccator salvari nequit nisi prius a Deo remissionem peccati sui obtinuerit. Atqui sine poenitentia, Deus saltem convenienter peccata remittere nequit : *sapientia* enim vetat, ne sibi reconciliet nec in amicitiam recipiat quem a se voluntarie aversum et in peccati amore obstinatum cognoscit ; id scil. vetat ne sui agendi ratione foveat peccatum ; — *iustitia* petit reparari quod laesum fuit, et prohibet ne offensa remittatur sine aliqua reparatione ; — *sanctitas* pariter, ne Deus sibi uniat aliquid impurum peccato adhuc adhaerens. Iamvero qui graviter peccavit manet a Deo aversus, habitualiter saltem, usquedum poeniteat ; neque offensam Deo irrogatam pro posse reparat, sed in ea perseverat, et peccato adhaerere pergit. Ergo Deus peccatum remittere nequit, attentis suis attributis, nisi peccator per actum poenitentiae ad Deum sese convertat, et ideo sine poenitentia peccator salvari nequit[1].

413. *Thesis II.* **Actus poenitentiae, supposito peccato mortali, etiam necessarius est necessitate praecepti naturalis et divini.** — Est sententia communis, a qua recedere videtur temerarium.

1. Tanquerey, *de Poenitentia*, n. 9, 2.

Probatur : 1) *Ex Scripturis* in quibus, ut diximus num. praec., Deus necessitatem poenitentiae tam emphatice, tam instanter, tot repetitis vicibus declarando, gravissimasque poenas minando impoenitentibus, satis clare manifestat se velle et praecipere ut omnes poenitentiam agere teneantur.

Praeterea a) teste Scriptura, qui poenitere renuit, inobedientiae convincitur et quidem gravis, cum gravi puniatur poena : « Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret,... ego quoque in interitu vestro ridebo » (Prov. I, 24-33 ; cfr. Is. I, et Ier. XVIII).

Aliunde b) Christus et Apostoli sub forma praecepti poenitentiam praedicaverunt : « Exinde coepit Jesus praedicare et dicere... Poenitentiam agite ; appropinquavit enim regnum coelorum » (Mt. IV, 17). « Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum » ; « Poenitemini igitur, et convertimini ut deleantur peccata vestra » (Act. II, 38 ; III, 19).

2) *Ratione :* a) *Vi iustitiae* erga Deum : quisque tenetur, vi iustitiae naturalis, reparare et compensare iniuriam alteri illatam ; atqui homo, per peccatum mortale, gravem iniuriam Deo irrogavit ; ergo ex praecepto naturali iustitiae, ad hanc iniuriam compensandam, tenetur poenitentiam agere.

b) *Vi charitatis* erga Deum et erga seipsum : Eo ipso quod obligamur ad diligendum Deum super omnia,eo ipso si peccavimus tenemur ad retractandum peccatum quod opponitur dilectioni Dei, et ita ex iure naturae, quia ex iure naturae tenemur Deum diligere super omnia. Similiter, posita ordinatione Dei veniam concedendi poenitentibus, ratio dictat, propter rectum amorem nostri, ut non negligatur medium necessarium et unicum ad salutem.

Et ita obligamur ex ipsa virtute et speciali praecepto poenitentiae. Specialis enim iustitia quae intercedit inter Deum offensum et nos, quaeque poenitentia vocatur, exigit ut obiectum ipsi directe oppositum, scil. iniuria Deo per peccatum illata reparetur et removeatur quatenus est obstaculum finis ultimi, Dei, qui est finis simpliciter ultimus in quantum est summum Bonum in se, et finis ultimus noster in quantum est summum bonum nostrum [1].

1. Virtus infusa, cum essentialiter sit medium ad finem ultimum, obligat *per se*, quando *per se* est medium necessarium ad iustificationem et salutem. Non ergo per accidens, sed per se obligat ad removendum id quod directe opponitur vel obstat fini ultimo.

414. Praeceptum poenitentiae non est negativum sed affirmativum, *et ideo non obligat pro semper seu pro singulis momentis, sed aliquando et tempore opportuno.* — Non ergo obligat *statim* post peccatum commissum, tum quia talis obligatio non est de natura praecepti affirmativi, tum quia nec fideles nec confessarii talis obligationis sunt conscii. Et quamvis peccator statim desistere a peccato et ab actuali affectu peccandi debeat, non tamen statim poenitere. Sed :

A. *Ipsa virtus et praeceptum poenitentiae* obligat *per se* i. e. in circumstantiis conditioni omnium peccatorum communibus :

1) *in articulo mortis*, et etiam in valde *probabili periculo mortis* (ex bello, partu laborioso, periculosa navigatione, etc.) vel *perpetuae amentiae ;* secus enim nunquam obligaret, cum tota ratio obligationis sit reconciliatio cum Deo ac aeterna salus, quae in casu exponitur proximo periculo ;

2) etiam *aliquoties in vita*, quia ille qui Deum graviter offendit ac reconciliationem diu negligit, videtur Deum ipsum negligere et contemnere, unde dilatio nimia conversionis in Scripturis graviter reprehenditur (Eccli. V, 8-9 ; Rom. II, 4-5) ;

3) *imo non tantum semel* (ut etiam praescribitur ecclesiastico praecepto), sed probabiliter etiam *pluries in anno*, ut etiam diximus de charitate (I, n. 972).

Id eruitur ex doctrina de necessitate gratiae habitualis ad observandam totam legem et ad vitandum peccatum mortale (I-II, q. 109, a. 4 ; De Ver. q. 24, a. 12). Ordinario scil. peccator per totum annum non abstinebit a novo peccato; non quidem ex defectu virium sufficientium, sed quia ille qui aversus est a fine facile agit contra finem, et qui conversus est ad finem contrarium saepe operatur propter istum, secundum quod Gregorius dicit (Mor. XXV, c. 9) : « Peccatum namque quod poenitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit ». Unusquisque enim operatur iuxta finem illum quem amat et intendit ; nec solet sibi eligere media difficilia ad finem alium quem minus amat. Cum ergo per peccatum mortale quis anteponat boni creati amorem dilectioni Dei et legis, fieri non potest ut, licet aliquem retineat affectum ad Deum et ad propriam salutem, ex illo infirmo affectu superet difficultates quae in mandatis universis per longum tempus occurrentibus reperiuntur, nisi suo toto animo salutem propriam et Deum ipsum efficaciter prae-

ferat omnibus aliis rebus. Haec autem est retractatio efficax seu poenitentia (cfr. I-II, q. 109, a. 8 ; De Verit. q. 24, a. 12).

Tempus autem quo praeceptum obligat magis determinari nequit, sed variat secundum varia individua, tentationes, circumstantias internas vel externas.

B. *Ipsa virtus et praeceptum poenitentiae obligat per accidens* i. e. occasione cuiusdam specialis circumstantiae, v. g. :

1) cum poenitentiam quis externe velit manifestare, secus enim illa manifestatio esset simulatio ;

2) cum ipsum poenitentiae sacramentum debeat aut velit recipere.

C. *Aliae virtutes et praecepta etiam aliquando obligant ad actum poenitentiae :*

1) quando tentationes oriuntur contra alias virtutes quae nonnisi per poenitentiae actum superandae sperantur ;

2) quando aliquis peccator debet vel intendit suscipere alia sacramenta aut quaecumque administrare ;

3) quando peccator debet vel intendit exercere actum alterius virtutis quae secus exerceri nequit : ita v. g. si velit elicere actum charitatis erga Deum.

At in his casibus obligatio non oritur ex ipso praecepto aut virtute poenitentiae, sed ex alio praecepto virtutis. Notetur autem praeceptum sanctificandi festa aut diem dominicam non importare obligationem actum poenitentiae eliciendi, cum status gratiae non requiratur ad Deum colendum et diem Domini servandam.

415. Animadversiones. — 1. Non solum datur praeceptum positivum poenitentiae, divinum scil. et ecclesiasticum, sed etiam *naturali iure* est poenitentia praescripta : « ex naturali enim ratione homo movetur ad poenitendum de malis quae fecit ; sed quod hoc vel illo modo homo poenitentiam agat, est ex institutione divina... De iure naturali est quod aliquis poeniteat de malis quae fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, et doloris remedium quaerat per aliquem modum, et quod etiam aliqua signa doloris ostendat..., sed sicut alia quae sunt de iure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis divinae,... ita etiam et poenitentia » (III, q. 84, a. 7, et ad 1).

2. Obligatio pluries poenitendi per annum, propter periculum relabendi in peccatum, quamvis theoretice videatur fundata, practice tamen laborat quadam incertitudine. Nam a) omnes non admittunt gratiam habitualem necessariam esse ad vitandum peccatum (quae est sententia S. Thomae), sed aliqui dicunt ad hoc sufficere gratiam actualem specialem ; — b) quamvis gratia sit moraliter necessaria ad vitanda *omnia* peccata, possunt tamen vitari *singula*, et ideo forsan non datur praeceptum comparandi statum gratiae ; — c) advertere deberent fideles periculum peccandi ex absentia gratiae et quidem periculum hic et nunc *proximum*, et quod non aliud medium supersit ad resistendum. Quod raro accidet. Unde in praxi peccatoribus talis obligatio non est imponenda, quamvis valde hortandi sint ut statim poenitentiam agant.

3. Ex dictis de praecepto poenitendi, sequitur a) propositum non poenitendi *esse speciale peccatum impoenitentiae*, quod directe opponitur virtuti poenitentiae et praecepto poenitendi ; — b) simplicem omissionem poenitentiae non esse peccatum impoenitentiae, nisi quando praeceptum poenitendi *per se* obligat ; — c) omissionem poenitentiae quando ad illam obligamur per aliud praeceptum, non esse peccatum contra poenitentiam, sed contra aliud praeceptum vi cuius exigebatur.

Articulus VII.

De Relatione inter Poenitentiae Virtutem et Sacramentum.

S. Th. III, q. 84, a. 1 et 7 ; suppl. q. 5, a. 1 ; q. 6, a. 1.

416. *Principium.* **Virtus poenitentiae, sicut eius actus, fuit** *peccatoribus* **omni tempore praecepta ac necessaria ad iustificationem et salutem ; post Christum autem et est necessarium Poenitentiae sacramentum.** — In V. L. scil. extitit poenitentia ut virtus, et erant actus eius : contritio, confessio saltem coram Deo, satisfactio ; in N. L. isti actus insuper fiunt sacramentum : sicut enim Christus elevavit matrimonium, scil. ipsum contractum coniugalem, ad dignitatem sacramenti gratiam significantis et efficientis, ita et ipsam nostram poenitentiam de peccatis post Baptismum commissis, i. e. actus quibus poenitentiam exercemus, elevavit ad dignitatem sacramentalis signi, quatenus sunt materia cui verba absolutionis accedunt tamquam forma, ita ut simul cum absolutione ad gratiam sacramentalem significandam et efficiendam cooperentur instrumentaliter. Tantum ergo abest ut per sacramentum superflua evaserit virtus, ut ipsius virtutis actus sint elementum sacramenti, atque praeter valorem ex

opere operantis, insuper de causalitate ex opere operato participare possint. Ad hoc tamen Christus unam requirit conditionem: voluit confessionem iam non fieri immediate Deo sed ministro ab ipso delegato. Et poenitentiam ita exercendam ut medium iustificationis instituit ac praecepit secundum verba Ioh. XX, 23 : *Quorum remiseritis...*

Ne tamen exinde concludatur poenitentiam in N. L. rigorosiorem exigi et difficiliorem quam in V. L., cum e contra mitior sit multum et commodior. Ad remissionem offensae exigitur ex natura rei poenitentia perfecta, i. e. contritio ex ipso amore charitatis procedens ; item ad remissionem poenarum, poenae debitae retributio stricte exigi potest ; denique nulla a Deo debetur specialis gratia peccatori poenitenti. Iamvero :

1) In V. L. ad remissionem peccati contritio perfecta exigebatur quae, non quidem iustis virtute poenitentiae instructis, sed peccatoribus a Deo aversis et peccato adhaerentibus est sat difficilis ; unde valde timere poterant homines suam poenitentiam non esse sufficientem, nisi exceptionaliter Deus ipse remissionem peccati per prophetam iis renuntiaret, uti fecit David per Nathan ; — in N. L. Deus non exigit contritionem perfectam, sed solam imperfectam, etiam minimam, sufficere voluit, dummodo sit sincera et se extendat ad omnia peccata mortalia, sub una conditione confessionis apud ministrum a Deo delegatum tamquam signi sincerae contritionis. Unde confitentes, conscii de sinceritate suae contritionis, confidere et moraliter certi possunt esse de remissione peccatorum, cum sacerdos nomine Dei absolvens iis remissionem renuntiet.

2) In V. L. sat rigorose poena exigebatur ; in N. L. multo plus de illa gratis remittitur ex absolutione sacramentali confitentibus data.

3) In V. L. dabatur sola gratia ex opere operantis ; in N. L. abundantior ex opere operato et specialis gratia ad non relabendum in peccata confessa.

Breviter Christus instituit *ritum* in quo sacramentum est ministrandum, scil. materiam et formam, quae sunt iudicialis processus et absolutio ministri ; — determinavit *modum* specialem quo actus poenitentis exerceri debent, scil. confessionem externam et satisfactionem a sacerdote impositam ; — ac poenitentiae tribuit *maiorem efficaciam* ex opere operato ad remissionem peccati et ad vitam gratiae obtinendam. Et ita poenitentia facta est opus in quo maxime elucet misericordia Dei et vis passionis Christi.

417. Sacramentum Poenitentiae definitur : *Sacramentum N. L., a Christo per modum iudicii institutum, ad remittenda homini contrito, confesso et satisfactionem promittenti, vi absolutionis sacerdotalis, peccata post Baptismum commissa.* Dicitur :

1) *Sacramentum N. L., a Christo per modum iudicii institutum,* ad indicandum genus : *sacramentum,* et differentiam : *per modum iudicii,* quod requirit duplex elementum scil. accusationem tamquam sacramenti materiam et pronuntiationem sententiae tamquam formam ;

2) *ad remittenda peccata,* ut exprimatur effectus proprius huius sacramenti ;

3) *homini contrito, confesso et satisfactionem promittenti ;* quae verba indicant dispositiones poenitentis quae sunt partes integrales materiae proximae huius sacramenti ;

4) *per absolutionem sacerdotis,* quo indicantur forma simul et minister ;

5) *peccata post Baptismum commissa ;* quibus verbis designatur *explicite materia remota, implicite subiectum* sacramenti, scil. homo baptizatus qui commisit peccata sive mortalia, sive saltem venialia.

418. Divisio tractatus. — Cum virtus poenitentiae in N. L. per sacramentum praecipue exerceatur, postquam egimus de natura et necessitate virtutis poenitentiae, in posterum dicemus de virtute et sacramento simul.

Tractatus dividitur in quinque partes :

Prima pars est : *De ipso sacramento Poenitentiae in se :* 1. de existentia, scil. tum a) potestatis clavium, tum b) ipsius sacramenti ; — 2. de elementis eius constitutivis : a) de materia remota, b) de materia proxima, c) de forma ; — 3. de eius institutione, necessitate et iteratione.

Secunda pars est : *De effectibus Poenitentiae :* 1. de remissione peccatorum mortalium ; — 2. de remissione venialium ; — 3. de remissione poenarum ; — 4. de reviviscentia virtutum et meritorum.

Tertia pars est : *De partibus Poenitentiae :* 1. de contritione, scil. de eius a) essentia et divisione, b) materia seu obiecto, c) qualitatibus, et d) effectu ; — 2. de confessione, scil. de eius a) necessitate, b) essentia, c) qualitatibus, et d) effectu ; — 3. de satisfactione, scil. de eius a) essentia,

b) qualitatibus, c) impletione per opera poenalia, et d) effectu.

Quarta pars est : *De ministro Poenitentiae :* 1. de eius potestate tum a) ordinis, tum b) iurisdictionis ; — 2. de concessione et limitatione potestatis : a) de iurisdictione in genere, b) de iurisdictione quam supplet Ecclesia, c) de restrictione iurisdictionis ad personas, d) de restrictione quoad peccata reservata ; — 3. de usu et officiis potestatis : a) ante confessionem, b) intra confessionem, c) post confessionem ; — 4. de abusu potestatis : a) de absolutione complicis, b) de sollicitatione ad turpia.

Quinta pars est : *De subiecto Poenitentiae :* 1. de requisitis ad capacitatem validae receptionis, ubi speciatim : a) de pueris, semifatuis, surdomutis ; b) de moribundis ; — 2. de requisitis ad dispositionem fructuosae receptionis, ubi speciatim a) de consuetudinariis et recidivis ; b) de occasionariis.

Sequitur appendix de ritu poenitentiali, indulgentiis et censuris [1].

---

1. In immensum iam crevit litteratura de Sacramento Poenitentiae ; quocirca illa sola quae magis utilia habemus scripta hic recensemus.

1. Inter *opera generalia :* S. Thomas, III, q. 84-90, et Suppl. q. 1-28, cum Commentariis et Opusculis Caietani ; item comm. quae confecerunt Arauxo, Ioannes a S. Thoma, Nugno Cabezudo, Gonet et Billuart, omnes ex Ordine Praedicatorum ; item Sylvius et Salmanticenses. Extra scholam thomisticam : Suarez et Lugo, e S. I.

2. Inter *tractatus dogmaticos :* Wirceburgenses, Palmieri, De San, Billot, Pesch, ex S. I. ; Mancini, Lottini et Hugon, ex O. P. ; Van Noort-Verhaar, *de Sacramentis*, II ; Diekamp ; etc.

3. Inter opera *moralia magis practica :* P. de Ledesma, O. P., *Summa de Sacramentis;* Martinez de Prado, O. P., *de Poenitentia;* S. Alphonsus, *Theologia Moralis*, et *Homo Apostolicus;* libri morales recentes, quales ediderunt Ballerini, Lehmkuhl, Génicot, Noldin et Vermeersch e S. I. ; Aertnijs, Marc et Wouters e C. SS. R.; Van der Velden, O. F. M. ; Prümmer, O. P. ; et Haine.

4. Inter opera *dogmatica simul et moralia :* Theologia Mechliniensis, *de Poenitentia;* Tanquerey ; et Chrétien, *de Poenitentia.*

5. Inter opera *canonica :* Blat, *Commentarium textus Codicis Iuris canonici*, l. III, *de Sacramentis ;* Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*, II ; Claeys-Bouaert et Simenon, *Manuale Iuris Canonici.*

6. Inter opera *historica :* Morinus, *de Disciplina in administratione Poenitentiae;* Petavius, *de Poenitentiae vetere in Ecclesia ratione Diatriba;* Sirmond, *Historia Poenitentiae publicae;* Frank, *Die Bussdisciplin der Kirche;* Hilgenfeld, *Die Ketzergeschichte des Urchristentums;* Pignataro, *de Disciplina Poenitentiali priorum saeculorum;* Funk, *Zur Altchristliche Bussdisciplin;* Battifol, *Études d'histoire et de théologie positive*, I ; Vacandard, *La pénitence publique de l'Église primitive; Études de critique et d'histoire religieuse*, II ; Rauschen, *Eucharistie und Buszsakrament* (gallice

PRIMA PARS.

DE IPSO POENITENTIAE SACRAMENTO.

QUAESTIO PRIMA.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI POENITENTIAE.

419. Ordo dicendorum. — Christus Dominus proprie instituit hoc sacramentum quando potestatem remittendi peccata, quae *potestas clavium* dicitur, apostolis contulit. Unde agendum est :

1° de existentia huius potestatis clavium, secundum documenta Scripturae et Traditionis ;

2° de existentia ipsius sacramenti, quod est huius potestatis effectus.

Articulus I.

De Existentia Potestatis Clavium.

S. Th., in Suppl. q. 17 et 18 ; q. 8, a. 1, ad 1.

420. Errores. — Circa potestatem clavium multi erraverunt, sive eam negaverint, sive indebite eam restrinxerint, sive male intellexerint eam aut eius originem divinam reiecerint.

A. Primis Ecclesiae temporibus potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa negarunt Encratitae, qui illa habebant

---

versum) ; Mayer, *Die Beichte als Bekenntnis der einzeln Sunden;* Tixeront, *La théologie antinicéenne; Le sacrement de pénitence dans l'antiquité chrétienne;* Götz, *Die Busslehre Cyprians;* Hünermann, *Die Buszlehre des H. Augustino; Busse und Bussdisziplin im Christlichen Altertum;* K. Adam, *Die Kirchliche Sündenvergebung nach dem H. Augustin; Die geheime Kirchenbusse nach dem H. Augustin;* Poschmann, *Die Sündenvergebung bei Origenes; Die Kirchliche Vermittlung der Sündenvergebung nach Augustin; Die abendländische Kirchenbusse im Ausgang der christlichen Altertums;* de Labriolle, *La crise montaniste;* d'Alès, *L'édit de Calliste; La théologie de Tertullien; La théologie de S. Cyprien;* Göttler, *Der H. Thomas von Aquin und die vortridentinischen Thomisten über die Wirkungen des Buszsakraments;* Schultes, *Reue und Busssakrament;* Schmoll, *Die Busslehre der Frühscholastik;* Teetaert, *La confession aux laïques dans l'Église latine depuis le VIIIe jusqu'au XIVe siècle.*

7. Inter opera *dogmatica simul et historica;* Vacant-Mangenot, *Dict. de Théol. cath.;* d'Alès, *Dict. Apol. de la foi;* Galtier, *De Poenitentia tractatus dogmatico-historicus;* d'Alès, *Prima delineamenta tractatus dogmatici de sacramento Poenitentiae.*

8. Inter *oratores*, Monsabré, *La Pénitence.*

irremissibilia, cum Christianos perfectos esse et a peccato abstinere oporteat ; alii eam indebite restrinxerunt, ut Montanistae, quibus se adiunxit Tertullianus, tria ponentes peccata irremissibilia : adulterium, idololatriam et homicidium ; quod Novatianus dixit de apostasia, eius autem discipuli de cunctis peccatis gravioribus, quae sunt ad mortem.

B. Potestatem remittendi peccata reiecerunt Protestantes, licet plures, ut Luther, haesitaverint an ideo negarent Poenitentiam esse sacramentum. Quod tamen sacramentum non remitteret peccatum ex opere operato, nam absolutio vim solum haberet excitandi fidem et declarandi peccatorum remissionem, non eam efficiendi. Sed Calvinus, quem multi secuti sunt, negavit Poenitentiam a Baptismo distingui seu ab eius memoria. Baptismus quidem excitat fidem peccata esse condonata et propositum novae vitae ; peccato autem rursus commisso, memoria Baptismi renovatur excitatio illius fidei novaeque vitae propositum. Anglicani tamen agnoscunt a sacerdotibus peccatores absolvi posse atque utilitatem confessionis admittunt, non autem eius necessitatem ; imo Ritualistae absolutionem dicunt esse sacramentum sed inter sacramenta minora reponunt.

C. Protestantes liberales solos charismaticos habent ut duces Ecclesiae primitivae a fidelibus electos. Initio poenitentia erat mere disciplinaris, non sacramentalis. Solus Deus remittebat peccata ; sed charismatici declarabant voluntatem Dei miserentis, antequam poenitentes reciperentur in Ecclesia, quod episcopi facere non poterant nisi simul charismatici essent. Postea, disparentibus charismatibus, id devolutum est episcopis qui, instituta hierarchia, veram potestatem sibi arrogarunt, et assumpserunt sanctificationis ministerium, cui valor agnitus est specialis [1]. Unde factum est ut fideles per eos cuperent sibi peccati solutionem impetrari ; ex quo natus est consuetudo ipsis manifestandi seu confitendi peccata. Qui mos prius apud monachos, dein inter fideles late fuit propagatus, adeo ut diceretur remissio peccatorum non esse nisi per sacerdotes. Tandem ipsa confessio hic inde fuit praecepta, imo universali Ecclesiae imposita in Conc. Lateranensi IV, a. 1215.

Speciatim, iuxta Lea [2], Christus qui in evangelio inculcat cultum internum in spiritu et veritate, non instituit ritum externum ad remittenda peccata, sed solam exigit dilectionem et poenitentiam cordis. Nec potestas peccata remittendi ritu sensibili agnoscebatur primis saeculis, nam disciplina quae

1. Huc etiam spectat quorumdam modernistarum propositio 46 : « Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Imo etiam postquam poenitentia tamquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur tamquam sacramentum probrosum ». Item prop. 47 : « Verba Domini : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*, minime referuntur ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit ».

2. *A history of auricular confession and indulgences*, 1896.

vigebat poenitentialis vim habebat reconciliandi cum Ecclesia in foro externo, non autem cum Deo. Patres enim multa recensentes media in remissionem peccatorum, inter ea absolutionem sacerdotalem non commemorant. Atque ipsa absolutionis verba non erant nisi preces quibus sacerdotes a Deo efflagitabant veniam, nullatenus autem formae sacramentales gratiam et veniam conferentes.

421. *Thesis.* **Christus Ecclesiae contulit potestatem omnia peccata post Baptismum commissa remittendi et retinendi, actu scil. vere iudiciali et per modum iudicii forensis.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 14, confirmante doctrinam Conc. Flor.

Definivit autem haec tria :

1. In Ecclesia catholica *peccata omnia* post Baptismum commissa remitti posse *quoties* fideles in ea labuntur (can. 1).

2. In ea esse *potestatem vere remittendi peccata* ac retinendi, et non solum praedicandi evangelium seu peccatorum remissionem (can. 2).

3. Hanc potestatem non esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, sed exerceri *per actum iudicialem*, qui requirit confessionem poenitentis (can. 3).

422. Doctrina catholica probatur ex Scripturis. — In Ecclesia veram esse potestatem remittendi peccata constat :

A. *Ex promissione potestatis clavium* in qua implicite continetur. Potestas promissa est Petro : « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam ; et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis » (Mt. XVI, 18-19) ; aliis autem apostolis promittitur similis potestas participata : « Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo » (Mt. XVIII, 18).

Hisce promittitur :

1° Petro potestas *suprema* in ordine ad regnum coelorum, quod est Ecclesiae finis, et consequenter ad regendam ipsam Ecclesiam. Claves enim tradere domus aut civitatis est locutio metaphorica exprimens supremam in domo aut civitate potestatem, uti constat ex usu constanti sacro atque profano [1].

1. Ita Diodorus Siculus referens inscriptionem sepulcri Isidis, ita habet : « Isis regina huius regionis, a Mercurio erudita, nam quaecumque

2° Petro et apostolis potestas *universalis* et illimitata *quaecumque* ligandi atque solvendi i. e. vinculum morale imponendi vel relaxandi, et quidem ita ut ipsis ligantibus aut solventibus in terris, id ratumhabeatur a Deo in coelis. Est autem triplex vinculum a regno coelorum prohibens : vinculum legis, vinculum peccati et vinculum poenae. Ab hoc ergo triplici vinculo solvere possunt, ac proinde remittere peccatum, quod est solum vinculum directe removens e coelo.

3° Potestas *in Ecclesiam exercenda*, non autem in eos qui foris sunt ; nam Petro promittitur in ordine ad ecclesiam aedificandam, et apostolis, in ordine ad delinquentes ecclesiae denuntiatos iudicandos et puniendos, uti patet ex contextu (v. 17) ; a potestate ergo baptizandi omnino distinguitur. Potestas autem erit *perpetua :* promittitur enim Petro tamquam fundamento Ecclesiae, quod ad sustentationem aedificii semper manere debet, apostolis vero ut Ecclesiae ducibus ; et ideo in Ecclesia semper est mansura.

Nec obstat quod, iuxta modum loquendi rabbinorum, solvere et ligare significent declarare licitum vel illicitum, secundum quod magistri benigniores solvere ab obligatione dicantur, rigidiores ligare. Sunt enim verba intelligenda iuxta subiectam materiam : unde si agitur de scholis, in quibus non est potestas auctoritativa sed solum declarativa, sensus est declarare licitum aut illicitum ; e contra quando sermo est de potestate clavium seu regendi, et de vero iudicio et excommunicatione qua quis reiicitur auctoritative ab Ecclesia, contextus exigit ut intelligantur de vera potestate obligandi vel ab obligatione solvendi.

B. *Ex missione facta Apostolis remittendi et retinendi peccata* (Ioh. XX, 21-23) : Iesus « dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis retenta sunt ». Quibus verbis non traditur mera facultas praedicandi remissionem peccatorum aut declarandi peccata poenitentibus esse remissa, ut contendunt Protestantes, sed potestas illimitata vere remittendi omnia peccata, nec solum quoad poenam sed quoad culpam, et quidem modo iudiciali exercenda. Unde est

---

ego ligavero nemo potest solvere » (Bibl. hist. I, 27) ; quae proinde significant potestatem regiam. Iosephus Flavius, de Bello Iud. I, c. 5, n. 2 : « Alexandrae se in potestatis societatem adiungunt Pharisaei, illi autem in feminae simplicis consuetudinem paulatim se insinuantes statim res omnes gubernant ita ut quosvis pro voluntate in exilium pellant et ab eo repellant, solvant ligentque », i. e. supremam potestatem exerceant. Item Is. XXII, 22 ; Apoc. I, 18 ; III, 7. Cfr. etiam Gen. XLI et Lc. XII, 42.

omnino distincta a potestate peccata remittendi per ministrationem Baptismatis.

1° Est potestas *vere remittendi peccata.* Nam a) Christus missionem apostolis tradit similem illi quam a Patre accepit, quaeque non solum erat praedicandi peccatorum remissionem sed ea vere dimittendi et destruendi [1]. — b) Unde signo sensibili insufflationis ipsis Spiritum sanctum impertitur, quo manifestaret potestatem tradi novam atque omnino singularem ; qualis non esset missio mere annuntiandi peccatorum condonationem, quod et fecerunt prophetae et quilibet fidelis praestare potest [2]. — c) Hinc utitur verbo activo *remiseritis* (ἀφῆτε), quod non exprimit statum quemdam passivum declarandum, peccata nimirum esse remissa, sed actionem positivam indicat a peccatis effective liberandi, ut constat ex usu biblico [3] et ex verbo cui opponitur : *retinueritis*, quod pariter actionem positivam requirit. — d) Quod si in altero inciso, verba : *remittuntur eis* et *retenta sunt*, iuxta ipsos Protestantes, intelligenda sint de vera peccatorum remissione aut retentione, in primo inciso eodem sensu sumenda esse nequit esse dubium. — e) Unde remissio ab apostolis facta est immediate efficax, ita ut adsit nexus verae causalitatis inter pronuntiationem remissionis ab apostolis et ipsam remissionem. Non enim dicit : Quorum i. e. quorumcumque remiseritis peccata, remittentur iis, sed remittuntur (ἀφέωνται) i. e. eo ipso remissa sunt, sicut ea quae retinueritis, sunt retenta. Nullatenus ergo agitur de praedicatione remissionis, quae non habet effectum immediatum infallibilem, nec de pronuntiatione remissionis iam factae, quae non penderet ab ipsis apostolis remittentibus sed ipsi ab ea.

2° Est potestas *remittendi non solam poenam sed ipsam peccati culpam* coram Deo. Nam a) locutio ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας significat et quidem constanter remissionem ipsius culpae [4]. — b) Quod in casu manifestius est, cum ipsa missio Christi ita sit ab apostolis perficienda et complenda, qui venerat ad ipsam culpam peccati auferendam [5]. — c) Unde apostoli, peccata

---

1. Mt. I, 21 ; IX, 2-13 ; XVIII, 11 ; Lc. V, 20, 32 ; VII, 47 ; XIX, 10 ; XXIV, 47 ; Apoc. I, 5.

2. Itaque non sermo fit de correptione fraterna quae a privato procedit et fit erga privatum, sed de missione publica quam Christus accepit a Patre, quaeque confertur per Spiritum sanctum scil. per charisma supernaturale ad missionem divinam executioni mandandam. Et hoc etiam ex eo apparet quod obiectum missionis sit remissio peccatorum, quae secundum Mt. IX, 2-4, fieri non potest nisi per potestatem divinam, et ideo requirit missionem divinam.

3. Mt. XVIII, 32, 35 ; Mc. XI, 25 ; Lc. VII, 47-49 ; XI, 4 ; Rom. IV, 7.

4. Mt. VI, 12, 14 ; IX, 5, 6 ; Mc. II, 5, 10 ; Lc. V, 20 ; VII, 47-49, XXIII, 34 ; Rom. IV, 5 ; VIII, 11 ; Iac. II, 13.

5. Mt. I, 21 ; IX, 13 ; XVIII, 11 ; Mc. II, 17 ; Lc. V, 32 ; XIX, 10 ; Rom. V, 10, 18, 19.

remittendo, agunt in virtute Spiritus sancti cuius proprium est a peccato mundare et illud delere.

3° Potestas est *exercenda actu iudiciali per modum iudicii forensis.* Etenim a) potestas confertur una et indivisibilis ad duos terminos contrarie oppositos, et ideo indiget per iudicium in ipso suo exercitio determinari ad unum vel alterum. — b) Nam retinere (κρατεῖν, *saisir, tenir*) plus est quam non remittere, sed est positive conservare vinculum peccati et impedire remissionem, ita ut non remittatur nec valeat remitti : est ligare seu obligare aliquem ut rursus compareat in iudicio et interea subiectus maneat, et praescribere conditiones, onera, satisfactiones requisitas ut remissionem consequatur. — c) Talis autem potestas, quae nomine Christi in tam gravi exercetur materia, non est arbitrarie pro libitu exercenda, sed prudenter et iuxta discretionem ; unde praerequirit iudicium de delictis a peccatore commissis ac de eius dispositionibus, quod sine eius confessione per se haberi non potest.

Est itaque potestas omnino diversa a potestate baptizandi et peccata per Baptismum remittendi, tum quia ad istam non limitatur cum appareat illimitate exercenda, erga quoscumque peccatores ; tum quia Baptismus abluit peccata, non formaliter remittit, unde ablatio peccatorum tribuitur externae ablutioni et virtuti aquae et Spiritus sancti ; tum quia in Baptismo non exercetur proprie actus iudicialis nec ulla est potestas retinendi : non baptizare enim non est positive retinere sed mere negative omittere. Quod si non distingueretur a collatione Baptismi, nulla esset potestas remittendi in membra corporis Ecclesiae exercenda. — Id etiam patet ex interpretatione Patrum.

423. Corollarium. — Ex praedictis constat potestatem remittendi peccata concessa esse *illimitatam,* quae se extendit ad omne genus peccatorum, ut verbis « quorum, i. e. quorumcumque, remiseritis peccata » manifestum est, cum dicantur sine restrictione. Id autem eo facilius intelligitur quod non sit nisi pars potestatis clavium quaecumque solvendi. Unde Petro petenti, Mt. XVIII, 21 : « Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei ? usque septies ? » respondit Iesus : « non dico, usque septies, sed usque ad septuagies septies » i. e. semper, sicut potestas solvendi quam nomine meo exercebis est indefinita.

Huic conclusioni plurima obiiciunt :

1° *Peccatum in Spiritum sanctum,* dicente ipso Christo, *esse irremissibile,* scil. non remitti neque in hoc saeculo neque in futuro (Mt. XII, 31 ; Mc. III, 28 ; Lc. XII, 10).

Resp. Peccatum in Spiritum sanctum de quo loquitur evan-

gelium, est illud Pharisaeorum peccatum quo miraculosa opera Christi, virtute Spiritus sancti facta ut homines salvarentur et a malo retraherentur, ex malitia tribuebant diabolo ; et ita malitiose contemnebant medium a Spiritu sancto praecise concessum ad homines convertendos. Unde hoc peccatum includit pravam dispositionem pertinaciae quae de se est permanens, et dum manet est obstaculum positivae resistentiae ad actionem gratiae divinae convertentis, et ita secundum naturam suam excludit remissionem. Quapropter difficillime et rarius et solum quasi miraculose remittitur, et vere dici potest moraliter irremissibile ; licet absolute irremissibile non sit per omnipotentiam Dei (q. 86, a. 1, ad 3 ; II-II, q. 14, a. 3).

2° Doctrinam ep. ad Hebr. de apostatis.

a) De iis dicitur VI, 4 : « *Impossibile* est enim eos qui semel sunt illuminati (Baptismate), gustaverunt etiam donum coeleste (S. Eucharistiam), et participes facti sunt Spiritus sancti (Confirmatione), gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque saeculi venturi et prolapsi sunt, *rursus renovari ad poenitentiam* ».

Resp. Non dicitur peccatum eorum non posse remitti, nec eos poenitere non posse ; sed affirmatur eos non posse omnino renovari, sicut fit per Baptisma, quia id est initerabile, ut interpretantur Athanasius, ep. 4 ad Serap., 13, et Chrysostomus in hom. 9 in h. l., 3 ; aut quia rudimenta fidei quae primam conversionem adduxerunt, ad hoc sunt insufficientia, ut intelligunt quidam moderni. — Alii minus bene exponunt de impossibilitate morali, eodem modo ac dictum est de peccato in Spiritum sanctum.

b) Item X, 26 : « Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam *non relinquitur pro peccatis hostia,* terribilis autem quaedam expectatio iudicii ».

Resp. Non dicitur apostatas non posse converti et poenitere, sed eos, dum in apostasia manent, carere hostia pro peccatis. Si enim ingrati erga Christum immolatum abierunt, non alia est pro iis hostia immolanda ad eos denuo redimendos. Qui scil. Christum abnegant non habent unde possint redimi, ut intelligunt Patres : Athanasius, Ambrosius, Chrysostomus, Epiphanius.

3. Verba I Ioh. V, 16 de peccato ad mortem : « Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est *peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis* ».

Resp. Peccatum ad mortem videtur esse illud apostasiae et infidelitatis quo divinitas Christi negatur a quo solo habemus vitam aeternam (v. 11-13) ; unde hoc peccatum est ad mortem. Non autem dicitur irremissibile, sed apostolus ait se non rogare ut oretur pro iis qui illud commiserunt. Unde est peccatum quod incurrit publicam excommunicationem ; orationes autem publicae pro excommunicatis non fiunt.

424. Doctrina catholica probatur ex Traditione. — Doctrina poenitentialis complectitur tres quaestiones :

a) an in primitiva Ecclesia erat potestas remittendi peccata post Baptismum commissa, et an habebatur instituta a Deo ; — b) an confessio erat necessaria ad peccatorum remissionem, illaque erat publica aut privata ; — c) an exercebatur illa potestas via absolutionis per episcopos aut sacerdotes dandae. Prima quaestio est de existentia sacramenti Poenitentiae, altera de confessione sacramentali, tertia de Poenitentiae ministro. In praesenti sola consideranda venit prima.

Iamvero non multa sunt monumenta I et II saeculi, et omnino pauca de Poenitentia, tum quia magnus erat fervor in Ecclesia primitiva, tum quia veritatibus fundamentalibus magis attendebant, tum quia rarius confitebantur, sive quia plura mortalia considerabant ut venialia, sive quia poenitentiam diu differebant cum esset valde rigorosa et ad eam tantum semel admitterentur. Accedit quod poenitentia est potius res practica et agenda, quam credenda et praedicanda. Ceterum etiam documenta circa Poenitentiam sunt deperdita, ut v. g. decretum quod Callisto videtur tribuendum, et quod solum novimus ex Tertulliano qui illud impugnat.

Et licet nondum omnino explicita inveniantur testimonia de potestate remittendi episcopis et presbyteris speciatim data pro peccatis post Baptismum commissis, nec de usu confessionis secretae, nec de obligatione confitendi omnia peccata mortalia, ac proinde *directe* argumentis historicis *certo* probari forsan non possit haec esse de iure divino, indirecte tamen certo constant ex doctrina Ecclesiae saeculorum sequentium, quae est semper eodem modo infallibilis et immutata. At *explicite* ab initio praedicatur ipsa poenitentia atque remissio peccatorum.

A. Scriptores ab initio saeculi II sat clare adstruunt peccata post Baptismum per poenitentiam deleri posse.

Ita Ignatius loquitur de illis qui poenitentia ducti redierint ad unitatem Ecclesiae (ad Philad. 3), et Irenaeus de haereticis ad Ecclesiam Dei conversis, qui exomologesim seu poenitentiam fecerunt (adv. haer. I, 13 et III, 3-4) ; alia exempla tradit Eusebius (H. E. V, 1 et 28) atque Dionysius Corinth. ait omnes lapsos, etiam haereticos, conversos esse rursus in communionem suscipiendos (ib. IV, 13) ; Hermas autem, in libro *Pastor*, pro omnibus peccatis post Baptismum commissis, etiam pro impudicitia, apostasia et idololatria, concedit poenitentiam, ad remissionem necessariam, at *semel* tantum, ne secus fideles ad peccatum inducerentur. Hoc ultimum post eum repetunt Clemens Al., Origenes, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus. Poenitentiam autem Hermas ita describit ut sub directione Ecclesiae fieri constet.

B. Saeculo III, Tertullianus, in libro *de Poenitentia*, ut remedium ordinarium, pro gravioribus etiam peccatis, post Baptismum lapsis semel concedendam, exhibet poenitentiam valde laboriosam : constat enim confessione, exomologesi [1] seu publica satisfactionum impletione, et reconciliatione seu absolutione ; hanc ab episcopo concedi scimus ex tractatu posteriore *de Pudicitia*. In hoc tamen opere Tertullianus, iam Montanista factus, peccata graviora habet irremissibilia, praesertim tria : adulterium aut fornicationem, homicidium, atque apostasiam aut idololatriam. Ita videtur impugnare Callistum pontificem, qui Romae statuerat absolvendum esse ab adulterio [2].

Pariter Origenes refert remissionem peccatorum, post poenitentiam semel concedendam (hom. 15 in Lev.), atque confessionem apud sacerdotes instituendam (hom. 17 in Lc. ; hom. 2 in Lev.) ; in quodam loco tamen tria peccata indicat irremissibilia (de or. 28).

Cyprianus quoque, in pluribus epistolis et in libro *de Lapsis*, defendit apostatis mere libellaticis poenitentibus sat facile esse concedendam remissionem ; ipsis vero sacrificatis, etiam si a martyribus obtinuerint libellum pacis, nonnisi in periculosa infirmitate, aut post longam poenitentiam atque re matura ab episcopis perpensa. Qui modus agendi, dum pluribus displicebat, fuit a presbyteris romanae Ecclesiae probatus ; contradicens postea Novatianus et reconciliationem apostatis denegans, in Concilio Romae habito fuit damnatus, sedente Cornelio. Quae omnia confirmata fuere in Conc. Carthaginensi, eodem anno (252) celebrato.

In Oriente Firmilianus (ep. 75) et Dionysius Alex. (H. E. VI,

---

1. Vox ἐξομολόγησις, etiam quandoque apud unum et eumdem scriptorem, usurpatur in triplici sensu : 1° pro ipsa confessione praeparatoria ad poenitentiam publicam ; 2° pro tota et laboriosa poenitentiae exercitatione, praesertim expiationis, ut in casu ; 3° pro agnitione publice facta a poenitente se esse peccatorem.

2. Alii illud edictum tribuerunt Zephyrino ; recentius quidam tribuunt Agrippino episcopo Carthaginensi. — Non tamen negat Tertullianus in Ecclesia esse potestatem remittendi peccata, sed existimabat remissionem non omnibus esse concedendam ; potestatem tamen dicebat Petro personaliter concessam, nec transmittendam episcopis, sed competere charismaticis et spiritualibus.

41-46) idem docent contra Novatianos ; atque plura alia habentur documenta quae episcopis potestatem remittendi peccata sine exceptione affirmant, ut Can. ap. 52 ; Can. Hipp. 3 ; Const. Eccl. Aeg. ; Didasc. ap., c. 5-10 ; et Gregorii Thaum. ep. can.

C. Saeculo IV denique, contra Novatianos generatim affirmant potestatem remittendi omnia peccata episcopis concessam.

Ita Ambrosius, in libro *de Poenitentia;* Pacianus, in ep. ad Sympronianum ; Chrysostomus, in opere *de Sacerdotio* III, 5-6 ; Gregorius Naz., or. 39; Ephraem, adv. haer. serm. 2; Aphraates (Patr. syr. I, p. 313-360) ; Hilarius, in Mt. XVIII ; Const. ap. VIII, 5.

Quod confirmatur, tum ex institutione, inde a saeculo III aut IV, *poenitentiariorum* seu sacerdotum quibus officium incumbebat peccatoribus imponendi poenitentiam et impertiendi absolutionem loco episcopi (H. E. V, 19 ; VII, 16) ; tum ex unanimi testimonio saeculorum sequentium. A saeculo V distinctio iam cepit institui inter poenitentiam publicam et privatam; illa semel tantum concedebatur, haec autem pluries, atque sic *paulatim* frequentior evasit et publicae exomologesi successit : ita mutatio introducta fuit in disciplina, quin fuerit mutata doctrina.

Ex quibus certo constat in Ecclesia agnitam fuisse potestatem dimittendi peccata post Baptismum commissa. Id testantur scriptores saec. III atque libri liturgici et canonici eiusdem fere temporis, et quidem e variis partibus Ecclesiae ; quae persuasio tam universalis de re tanti momenti fuisset impossibilis, nisi II° iam saeculo fuisset admissa et in praxim deducta. Secus Montanistae et Novatiani eam simpliciter negassent, atque ipsi fideles reclamassent si in re tam practica notabilis mutatio fuisset introducta, aut ipsae preces liturgicae adulteratae vel mutatae. De quibus nullum adest vestigium.

Praeterea 1) saeculo II interventus episcopi, non quidem expresse, implicite tamen asseritur. Ita Clemens Rom. delinquentes Corinthios monet « presbyteris subiici et informari ad poenitentiam » (ad Cor. LVII, 1) ; Ignatius vero nihil alicuius momenti in rebus spiritualibus fieri sine auctoritate episcopi (Trall. 2 ; Phil. 7), ut etiam dicit de ipso reditu ad Ecclesiae unitatem (Philad. 3) ; Hermas vero praepositis Ecclesiae poenitentiam renuntiat omnibus communicandam (vis. II, 4).

2) Potestas exercita fuit modo iudiciali : a momento scil. quo interventus episcopi explicite memoratur, describitur tamquam

iudicialis, uti constat ex edicto Callisti, et ex testimoniis Tertulliani, Cypriani aliisque documentis.

3) Potestas ad omnia peccata se extendit, cum primis temporibus nulla eius appareat restrictio, atque tantum saeculo III et in aliquibus solum ecclesiis tria peccata habita fuerint irremissibilia : non quidem ac si remitti non possint, sed ita quod Ecclesia ipsa remittere ea non velit, et remissionem relinquat soli Deo.

4) Poenitentia publica ad reconciliationem ducebat non solum cum Ecclesia sed etiam cum Deo, ita quod ipsam remittebat culpam. Constat ex verbis Callisti : « Ego delicta poenitentia functis dimitto », ex tota controversia cum Montanistis et Novatianis, ex comparatione fieri solita Poenitentiae cum Baptismo (Tertul. Poen. 7 et 9 ; Didasc. ap. 10 ; Hier. c. Pel. I, 33 ; Aug. de coni. adult. II, 16), ex ipsis formulis absolutionis quae a poena et culpa absolvunt ; et ex doctrina explicita Cypriani de Laps. 29, Ambrosii et Paciani l.c., Leonis ep.112 (al.108), c.2 [1].

425. **Puncta incerta et controversa.** — Quamvis potestas remittendi peccata indubie fuerit agnita, non omnia tamen clara sunt et indubitata quantum ad disciplinam poenitentialem, sed plura controversiae subiiciuntur.

1° *Utrum poenitentia publica tribus maximis peccatis fuerit generatim denegata.*

Ita non videtur factum ab initio ; saeculo II nullum apparet huius rei indicium sed sine restrictione proponitur remissio peccatorum. Tantummodo saeculo III talis disciplina extitit in quibusdam Ecclesiis, v. g. in Africa, etiam Romae, et, ut videtur, in quibusdam partibus Orientis, teste Origene. Sed rigorosa disciplina non duravit, nec in omnibus Ecclesiis apparet extitisse.

2° *Utrum iis peccatis etiam denegata fuerit reconciliatio in articulo mortis.*

Id etiam factum videtur in quibusdam Ecclesiis particularibus, non tamen ubique. Hoc asserere contradiceret Conc. Trid., sess. 14, c. 7. Ceterum Serapion Alexandriae tales delinquentes ad communionem ultimo momento admittebat (H. E. VI, 44) ; quod ceteroquin praescripsit Conc. Nic. I, can 13[2].

3° *Utrum absolutio quae dabatur in fine publicae poeni-*

1. Obiectiones videri possunt apud Galtier, o. c., n. 152-155 ; ubi etiam speciatim agitur de doctrina Augustini, n. 156-161.

2. Quidam theologi qui de disciplinis historicis parum curant, impossibile existimant absolutionem sacramentalem diutius vel et in articulo mortis quandoque fuisse denegatam : id enim opponitur iuri divino, cum poenitentia sit medium necessarium salutis et potestas

tentiae erat sacramentalis, vel an initio poenitentiae dabatur privata absolutio in foro interno, in fine vero absolutio publica in foro externo.

Absolutio in fine certo videtur fuisse sacramentalis, nam ex verbis formulae dabatur ad relaxationem culpae et poenae. An autem initio poenitentiae etiam dabatur absolutio in foro interno, historice non constat.

4° *Utrum prioribus saeculis, praeter poenitentiam publicam, viguerit alia poenitentia privata.*

Poenitentia publica, ut ex documentis constat, in usu erat non solum pro peccatis gravioribus sed etiam pro mediocribus seu levioribus, licet non pro minutis i. e. venialibus quae sine interventu potestatis clavium remitti possunt ; nec solum pro publicis delictis sed etiam pro occultis et secretis. Quo in casu confessio secreta sufficiebat, nec imponebatur publica, licet institui poterat ; at poenitentia satisfactoria publica erat, vel saltem post eam dabatur absolutio publice. An autem ita semper et ubique fiebat pro delictis occultis ; aut iuxta discretionem episcopi aut sacerdotis, prò illis, vel et aliquando pro publicis ob specialia adiuncta, sola iniungebatur poenitentia privata, clare definiri nequit. Poenitentiae privatae indicia existunt, non apodictica signa[1].

---

clavium in peccatorum salutem sit concessa, adeoque obligatorie exercenda. — At contra factum non stat argumentum. Respondent alii non adesse conflictum cum iure divino, quia 1) Christus reliquit Ecclesiae munus ordinandi exercitium potestatis remittendi peccata pro bono meliori Ecclesiae, et statuendi conditiones ad validitatem sacramenti, modo simili ac pro matrimonio. 2) Ceterum praeceptum confitendi urget in periculo mortis ; in decursu vitae determinatio relinquitur iudicio Ecclesiae. 3) Denique et praecipue, cum sacramentum Poenitentiae non sit insupplebile, dum peccatum remitti possit contritione perfecta.

Sed nec in articulo mortis absolute repugnat, quamvis incongruum videri possit, Ecclesiam in casu particulari absolutionem denegare et peccatorem relinquere soli iudicio Dei, etiam orando pro eius salute. Non enim repugnat Ecclesiam permittere, ut quis in poenam peccatorum moriatur excommunicatus, ac proinde sine sacramentis.

1. Satisfactio publice implenda aut absolutio publice largienda, primo intuitu videri posset incompossibilis cum lege sigilli. At lex sigilli non eodem rigore declarabatur sicut nunc fieri solet. Fideles illo tempore eam non urgebant nec videbant eius incompossibilitatem cum publicitate poenitentiae, ex hoc quod publicitas fiebat in familia et quod omnes peccatores sumus, ut ait Tertullianus. Poenitentia hoc tempore erat res socialis,non individualis. Unde in casu non aderat diffamatio iniusta; secus et in ipsa confessione posset videri diffamatio, praesertim quod nondum solebant confiteri venialia.

426. Animadversio. — *Sacramentum Poenitentiae, quamvis per modum actus iudicialis sit institutum, ab hoc tamen plurimum differt.*

1° *Fine :* hic intendit restitutionem ordinis et recompensationem offensae ad aequalitatem iustitiae secundum arbitrium iudicis ex iustitia vindicativa ; — illud intendit reconciliationem amicitiae cum Deo offenso et requirit redintegrationem, non quidem ad aequalitatem iustitiae sed solum secundum arbitrium misericordiae Dei offensi.

2° Hinc *processu iudiciali* etiam differt : in iudicio forensi actus processûs nullo modo procedunt ab ipso reo, sed alius est accusator, alius reus, alius testis ; hic delatio causae ab ipso reo fieri debet, et requiritur actio peccatoris contra seipsum ita ut ipse reus sit actor et simul accusator et testis.

3° Item *dispositione peccatoris :* in iudicio forensi non refert utrum reus voluntarie aut involuntarie in iudicium veniat, sed sufficit ut poenam a iudice latam patiatur sive sponte sive coacte, sive sit de poena contentus sive non sit. Hic autem requiritur ut sponte recompenset et voluntarie se submittat sacro Dei iudicio, ad quod concurrunt tres actus : a) *displicentia* offensae et voluntas eam recompensandi, quod fit *per contritionem* non in corde latentem sed actu externo manifestatam ; b) *accusatio* qua causam explicat et se submittit arbitrio sacerdotis loco Dei offensi, quod fit *per confessionem ;* c) *executio* compensationis impositae secundum arbitrium ministri Dei, quod fit *per satisfactionem* (q. 90, a. 2. Cfr. Billuart, diss. 1, a. 2).

Articulus II.

De Existentia ipsius Sacramenti.

S. Th. III, q. 84, a. 1 et 7.

427. Doctrina catholica. — Contra Protestantes, inter quos Poenitentiam esse sacramentum, aut saltem a Baptismo distinctum, plures negant, necessarium autem esse generatim omnes ; Conc. Trid., sess. 14, docet tria :

1° Christum Dominum sacramentum Poenitentiae instituisse, et quidem praecipue post suam resurrectionem per verba : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis... (c. 1) ;

2° Hoc sacramentum multis rationibus a Baptismo differre, quas dein exponit (c. 2) ;

3° Poenitentiae sacramentum esse lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus (ib.).

428. *Thesis.* **Ritus quo potestas peccata dimittendi exercetur, est verum N. Legis sacramentum a Baptismo distinctum.** — Est *de fide* ex C. Trid., sess. 14, l. c., can. 1 et 2.

Probatur : 1° *Ex Scripturis,* Ioh. XX, 23, ubi omnia elementa indicantur sacramenti : a) *signum sensibile,* nam potestas remittendi peccata exercetur actu iudiciali, qui actus, cum exerceatur erga homines, humano et externo modo debet peragi, et ideo saltem duo importat : sensibilem scil. peccatorum et contritionis manifestationem, et externam iudicis sententiam poenitentem absolventis ; b) *gratiae collativum,* nam sine infusione gratiae peccata deleri non possunt ; c) *a Christo institutum,* ut iam probatum fuit, et quidem *permanenter,* quia haec potestas data est Ecclesiae propter perpetuam necessitatem ; unde ab Ecclesia fuit perpetuo vindicata et exercita, ut iam diximus (n. 424).

Est autem sacramentum a Baptismo distinctum. Nam a) hic ablutione aquae confertur, Poenitentia sub forma iudicii forensis ; — b) in Poenitentia minister est iudex, non ita in Baptismo sed quilibet homo etiam simplex fidelis, imo infidelis ; — c) in Baptismo subiectum est homo nondum ad Ecclesiam pertinens, e contra in Poenitentia ; — d) gratia Poenitentiae est remissiva et ideo potest pluries concedi, e contra gratia Baptismi, quia est regenerativa, semel tantum conceditur.

Remissio directe significat solutionem a vinculo culpae in quantum est offensa Dei, unde formaliter est *condonatio* offensae imputabilis ; ablutio significat directe emundationem a macula et est causa auferens peccatum ut est inquinamentum animae, unde formaliter est *abstersio.* Remissio restituit gratiam in quantum convertit ad Deum et aufert aversionem a fine ; abstersio restituit gratiam in quantum est animae decor et debita perfectio.

2° *Ex Traditione.* Ab initio Patres Poenitentiam distinguunt a Baptismo, ut Ignatius, Hermas, Tertullianus (n.424); eam tamen cum Baptismo conferunt atque asserunt utroque peccata vere remitti gratiamque conferri licet diversimode. Ita v. g. Athanasius, in Mt. XVI, 19 ; Hieronymus, dial. adv. Pel. I, 23 ; Ambrosius, de Poen. I, 1-8 ; Augustinus, de coniug. adult. II, 16 ; ep. 128 ; de Bapt. V, 28 ; Pacianus, ep. 1 ad Sympr. (ap. Hier., de vir. ill., 106).

3° *Ratione convenientiae :* Sicut misericordia divina sacramentale remedium instituit Baptismi contra originale

peccatum, ita decebat quod aliud praeberet contra peccata actualia post Baptismum commissa, quo homines aeque certi redderentur de culpae suae remissione.

429. Corollarium. — Differentiae Baptismum inter et Poenitentiam enumerantur in Conc. Trid., sess. 14, c. 2, et ad sequentes reducuntur :

1. Materia et forma sunt diversae : in Baptismo ablutio per aquam sub expressa invocatione SS. Trinitatis ; in Poenitentia actus poenitentis et verba absolutionis.
2. Baptismus est adscriptio extranei in membrum Ecclesiae ; Poenitentia actus iudicialis ministri Ecclesiae in subditum reum.
3. Baptismus repeti nequit propter characterem impressum ; Poenitentia repeti potest quoties subditus Ecclesiae peccata declaraverit.
4. Effectus Baptismi est ablutio ab omni peccato etiam originali, ab omni culpa et poena ; effectus Poenitentiae est absolutio a peccato actuali, sed non ab omni poena, saltem ordinario.
5. Baptismus quia est emundatio per ablutionem non exigit opera laboriosa ; haec exigit Poenitentia quia est remissio delicti per sententiam iudicialem.
6. Baptismus est omnibus ad salutem necessarius, lapsis tantum Poenitentia.

430. Animadversio. — In sacramento Poenitentiae, sicut in aliis sacramentis, distinguuntur tria, ut notat S. Thomas, a. 1, ad 1 :

1° *Sacramentum tantum,* scil. signum sacrum externum quod significat et non significatur, et hoc in Poenitentia est absolutio ministri simul cum actibus externis poenitentis.

2° *Res sacramenti,* scil. fructus qui significatur et non significat, et hic est remissio peccatorum et gratia formaliter ad Deum convertens, quam interdum conscientiae pax et serenitas cum vehementi spiritus solatio consequi solet, ut ait C. Trid., sess. 14, c. 3.

3° *Res et sacramentum,* medium inter utrumque, quod significatur a signo externo et simul internum fructum sacramenti significat ; efficitur a signo externo et simul est causa postulans et conferens infusionem gratiae. Hoc est interior poenitentia quae significatur actibus externis et vi absolutionis fit, etiam si sit imperfecta, titulus sufficiens ad obtinendam ex opere operato gratiam peccati remissivam.

Quod ita forsan declarari potest : Iudicium seu sententia iudiciaria ius facit, quod affixum est ei in quo fundatur, v. g. in iudicio forensi ut ea quae allegata fuerunt in processu sint titulus iuridicus quod crimen non amplius imputetur vel aliquis e carcere liberetur, ita ut si allegata falsa sint, eo ipso ius evanescat vel sententia iudiciaria fiat invalida. Sed in tribunali poenitentiae, id quod absolutionem fundat non est nisi poenitentia, seu contritio interior iuridice cognita per actus externos poenitentis.

Ergo sententia absolutionis facit ut haec poenitentia interior sit titulus iuridicus ad remissionem peccati [1].

QUAESTIO SECUNDA.

DE ELEMENTIS CONSTITUTIVIS SACRAMENTI.

431. **Notiones.** — Elementa constitutiva sacramenti sunt materia et forma. Materia distinguitur *proxima*, quae, in sacramentis transeuntibus, est ipsa actio humana sensibilis seu caeremonia sacra ; et *remota*, quae est illud circa quod versatur actio sacra. In sacramento autem Poenitentiae sola materia proxima est materia *ex qua* constituitur sacramentum et quae ingreditur ipsam essentiam constitutam (n. 13, 4); — remota enim est tantum materia *circa quam :* ipsa non ingreditur compositionem sacramenti, sed est solum conditio necessario requisita circa quam mere exercetur actio sacramentalis, i.e. circa quam ponitur ipsa materia proxima ac pronuntiatur forma.

De quibus dicendum est in specie.

Articulus I.

De Materia Remota.

S. Th. III, q. 84, a. 2.

432. **Materia remota** est illa circa quam versatur ipsa poenitentia ; unde sunt omnia et sola peccata post Baptismum commissa removenda, et ideo ab aliquibus vocatur materia *removenda.* Distinguitur a theologis inter materiam necessariam et liberam, seu inter peccata quae, ut remittantur, necessario potestati clavium et sacramento sunt subiicienda, et peccata quae necessario non sunt subiicienda, valide tamen subiiciuntur.

433. *Thesis I.* **Materia remota necessaria sunt omnia peccata mortalia, post Baptismum commissa,**

1. Cfr. Iohannes a S. Thoma, *Cursus theol.*, de Sacr., disp. 33, a. 5 ; Ledesma, *Th. M. de Sacramentis*, de Poen. concl. 4 ; Billot, *De Ecclesiae Sacramentis* II, th. 4. Paulo aliter Horvath, *Die Sundenvergebung im sakramentalen Geschehen*, in *Divus Thomas* Fr. 1939.

nondum potestati Ecclesiae rite subiecta, ut detestanda et destruenda. — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 14, can. 7.

Dicitur :

1° materia *necessaria*, non ad validitatem seu constitutionem sacramenti afferenda, sed ad remissionem peccati et iustificationem obtinendam sacramento subiicienda ;

2° *peccata mortalia post Baptismum commissa*, ad excludendum tum peccatum originale de quo non datur poenitentia proprie dicta, tum peccata actualia ante Baptismum commissa, quia per Baptismum delentur, et quia potestas clavium non se extendit nisi ad eos qui Ecclesiae per Baptismum iam subiiciuntur ; unde Conc. Trid., sess. 14, c. 1, declarat hoc sacramentum fuisse institutum ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos ;

3° *nondum rite subiecta*, non vero : *nondum remissa*, quia si subiiciuntur clavibus in confessione sacrilega vel nulla, iterum sunt sacramento subiicienda, etiam si iam essent remissa contritione perfecta aut absolutione indirecta ;

4° *ut detestanda et destruenda*, quia peccata non sunt materia *ex qua* constituitur sed *circa quam* versatur sacramentum Poenitentiae, sicut morbus est materia medicinae. Et sic possent vocari materia proxima, quatenus poenitentia immediate in ea agit ; in oppositione tamen ad partes quasi materiales, quibus sacramentum Poenitentiae integratur, sunt materia remota.

Probatur : a) *Ex Conc. Trid.*, sess. 14, c. 5, can. 7.

b) *Ex verbis Christi*, Ioan. XX, 23, ex quibus patet independenter a potestate Ecclesiae nullum posse remitti peccatum mortale :

1° nec peccatum ab ipsa retentum, secus verum foret aliquod peccatum fuisse ab Ecclesia retentum et a Deo remissum, et sic falsa foret propositio Christi : *quorum retinueritis retenta sunt ;*

2° nec peccatum quod nondum subiectum fuit clavibus Ecclesiae : tunc enim omnia peccata possent remitti directe a Deo independenter a potestate Ecclesiae, cum sufficeret peccata ei nunquam subiicere ; et sic potestas a Christo Ecclesiae facta remittendi esset vana.

Unde si peccatum mortale posset remitti absque auctoritate Ecclesiae, aut concessa a Christo potestas retinendi foret falsa, aut potestas remittendi foret vana ; neutrum potest esse ; ergo omnia peccata mortalia post Baptismum commissa sunt materia necessaria sacramenti Poenitentiae.

Nec obstat ea remitti per contritionem perfectam ante susceptionem actualem sacramenti, quia non remittuntur nisi cum voluntate ea subiiciendi sacramento Poenitentiae, ac proinde cum subiectione intentionali ad potestatem Ecclesiae.

434. *Thesis II.* **Materia remota libera sed sufficiens sunt, tum veniale nondum clavibus subiectum, tum quodcumque peccatum actuale rite subiectum et remissum.** — Est *certum.*

Dicitur : materia *libera,* quia ad remissionem et iustificationem non est sacramento subiicienda, quamvis possit valide subiici.

Probatur 1ª pars : de peccato veniali :

a) *Ex verbis Christi,* qui fecit Ecclesiae potestatem remittendi quodcumque peccatum remissibile ; atque veniale est verum peccatum et remissibile ; ergo.

b) *Ex Conc. Trid.,* sess. 14, c. 5, can. 7 : « si quis dixerit non licere peccata venialia confiteri... a. s. » ; non autem liceret, si non esset materia sufficiens : tunc enim nullum foret sacramentum.

Probatur 2ª pars : de peccato iam remisso :

a) *Ex testimonio Benedicti XI* declarante hanc praxim salubrem (Const. *Inter cunctas,* 1304, in extrav. com., l. 5, t. 7, c. 1).

b) *Ex universali praxi* Ecclesiae, et omnium proborum, qui non solum in confessione generali, sed saepius alias subiiciunt absolutioni peccata iam dimissa (Conc. Trid., sess. 14, c. 5.)

c) *Ratione :* Peccatum, eo quod fuit semel commissum, ac vere offendit Deum ipsique fecit ius ad aversionem a peccatore et ad castigationem poenae, manet semper obiectum circa quod versari potest Dei potestas dimittendi seu renuntiandi iuri suo ; quae dimissio ex parte Dei fit per infusionem novae gratiae de se peccati destructivae.

Remittere peccatum est se obligare (per renuntiationem iuris) ad non utendum iure per offensam acquisito, in ordine ad aversionem a peccatore, per poenam insuper castigando. Atqui talis renuntiatio repetitis vicibus fieri potest, quia repetita renuntiatione significatur voluntas repetita non utendi iure quod aliquando fuit possessum, sive actu adhuc possideatur, sive iam fuerit renuntiatum : eodem modo ac religiosi qui emissam semel professionem saepius repetunt, et tribunalia rursus eamdem causam iudicant, et ipsi peccatores rursus dolent et veniam petunt de peccato iam remisso, et homines offensi eamdem offensam saepe sibi solent remittere. Ergo et Deus potest saepius remittere peccatum iam condonatum.

Singulis scil. vicibus quibus datur absolutio, ponitur novum motivum seu novus titulus impediens ne a Deo fiat usus illius iuris quod habuit, novus titulus et causa ad liberationem a peccato et ad redintegrationem amicitiae divinae. Cum autem in N. L. repetita remissio vel renuntiatio fiat sacramentaliter, i. e. per infusionem gratiae ex opere operato, singulis vicibus infunditur gratia, per se deletiva peccati, quaeque per se tollit peccatum si actu existat, et quae per accidens non tollit si actu non existat [1].

435. **Obiicitur :** Eodem modo traditur a Christo potestas remittendi peccata mortalia et venialia. Unde vel mortalia possunt remitti independenter a potestate Ecclesiae, vel et venialia sunt materia necessaria sacramenti.

Resp. Nego consequentiam. Traditur potestas eodem modo, at se non extendit ad peccatum mortale et veniale eodem modo, sed modo diverso pro diversitate materiae. Peccata sensu pleno sunt mortalia, quia totaliter avertunt a Deo quem plene offendunt, et ideo eorum remissio per se posset a Deo in perpetuum negari ; peccata venialia Deum offendunt secundum quid, quia non auferunt amicitiam cum Deo nec ius ad beatitudinem, et ideo per se aliquando sunt auferenda et a Deo remittenda. Unde potestas retinendi peccatum mortale talis est ut, negata ab Ecclesia remissione, perpetuo et ab ipso Deo negetur ; potestas erga veniale non est talis quia hoc est incapax retentionis perpetuae. Deus autem dedit Ecclesiae potestatem remittendi et retinendi peccata rationabiliter exercendam, sicut ipse exerceret, et *ideo* peccatum mortale potest perpetuo retineri ; peccatum veniale nec a Deo nec ab Ecclesia potest perpetuo retineri. Potestas itaque concessa est omnino universalis, sed pro natura materiae : Deus dedit potestatem remittendi quidquid est remissibile et retinendi quidquid est retentionis capax. Peccatum autem veniale, quamvis sit remissibile, non est capax retentionis perpetuae [2].

1. S. Thomas, Suppl. q. 18, a. 2, ad 4. — « Accedit ex S. Thoma, l. c., ait Haine (Th. M. III, de Poen., q. 13), magna bona ex talium confessione peccatorum provenire ; nam iterata contritione et confessione animus ab ipsis elongatur ; iterata absolutione plenior remissio poenae obtinetur ac poenitens magis contra relapsum roboratur ».

2. Quod ita illustrat Billuart, de Poen. diss. 5, art. 2 : « Disparitas est quod ex eo quod aliquis possit tollere maius impedimentum, recte colligitur posse tollere minus eiusdem ordinis ; et qui habet auctoritatem condonandi maiores iniurias, a fortiori posse et minores. Non sequitur autem quod ex eo quod quis potest apponere impedimentum pro re gravi, possit pro minori ; quod qui habet a superiore potestatem retinendi seu non remittendi graves iniurias, possit retinere leves : maior

436. Corollaria. — 1) Actus indeliberati hominis non sunt materia sacramenti Poenitentiae ; — nec per se imperfectiones deliberatae seu transgressiones consilii (ut si non responderis divinae inspirationi aut non feceris bonum quod potueris), nisi per accidens in quantum peccatum veniale includunt, quod sit earum causa aut effectus, uti facile fit si procedunt ex non recta intentione aut ex quadam levitate. Unde poenitentes non sunt praecise impediendi ne tales imperfectiones declarent, sed potius hortandi sunt ut etiam dicant quo motivo hos actus posuerint.

2) Susceptio valida Baptismatis, sed peccaminosa, est materia Poenitentiae : licet enim istud sacrilegii peccatum committatur tempore simul cum susceptione Baptismatis, est tamen natura posterius, cum sit Baptismatis profanatio, ac valorem eius non impediat sed tantum aliquem effectum, nempe gratiam. Post impressionem characteris scil. perseveravit saltem uno instanti, et ita fuit obex ad recipiendam gratiam, ac proinde accusandum est utpote post Baptisma commissum vel saltem continuatum ab homine christiano. Nam character prius natura infunditur quam gratia, ita ut, quando homo per sacrilegium ponat obicem gratiae baptismali, iam christianus sit, et hac ratione iam subiectus sacramento Poenitentiae quoad illud sacrilegium.

Articulus II.

De Materia Proxima.

S. Th. III, q. 84, a. 1, et 4.

437. Status quaestionis. — Circa materiam proximam varii fuerunt errores et sententiae :

1) Luther docuit terrores conscientiae incussos ex agnito peccato et minis Evangelii, simul cum fiducia certa remissionis obtentae, esse materiam proximam.

Sed a) id damnavit Conc. Trid., sess. 14, c. 3, can. 4 ; b) terrores isti non sunt actus poenitentiae, imo nec necessaria dispositio ad poenitentiam ; ipsa autem fiducia supponit remissionem iam factam.

---

enim requiritur auctoritas ad retinendas leves iniurias quam ad graves. Sit exemplum in humanis : legati a rege ad reconciliandos ipsius inimicos vel damnandos missi, inquirunt causas graves ex quibus facti sunt inimici, eas remittunt vel retinent secundum dispositionem reorum ; leves autem iniurias quae non causarunt inimicitiam possunt quidem remittere, cum possint graviores ; at retinere non possunt quia ad haec levia retinenda, quae non fuerunt causa inimicitiae, non sunt specialiter missi, et aliis modis independenter ab ipsis remitti possunt ».

2) Calvinus duas partes poenitentiae assignat pro eius materia, nempe mortificationem passionum et vitiorum, et studium bene vivendi.

Sed haec sequuntur poenitentiam ; et etiam sunt si non sint peccata. Unde non constituunt poenitentiam.

3) Plures scholastici putarunt materiam proximam esse in impositione manus, a sacerdote in signum iurisdictionis facta dum poenitentem absolvit. Quod tribuitur inter alios Gulielmo Parisiensi, atque Thomae Waldensi.

Sed a) iste ritus non habebatur ut essentialis, sed tamquam mera caeremonia, ut colligitur ex eo quod pluries in decursu poenitentiae super poenitentes publicos repetebatur[1], et ex eo quod peccata ab Ecclesia saltem aliquando sine ea remittebantur ; unde et Conc. Trid. de eo silet ; b) nec convenit tamquam materia huius sacramenti, ut ostendit S. Thomas, q. 84, a. 4 : « Impositio manuum in sacramentis Ecclesiae fit ad designandum aliquem copiosum gratiae effectum, quo illi quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiae esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti ; et in sacramento Ordinis, in quo confertur quaedam excellentia potestatis in divinis mysteriis... Sacramentum autem Poenitentiae non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiae, sed ad remotionem peccatorum, et ideo ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut nec ad Baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum ».

4) Disputatur inter S. Thomam et Scotum utrum actus poenitentis, nempe contritio, confessio, et satisfactio, sint vera materia proxima ex qua et ideo pars intrinsece constitutiva sacramenti.

a) Docet Scotus[2] iudicium esse solam pronuntiationem sententiae, et ideo totam essentiam sacramenti esse in absolutione ; actus vero poenitentis esse aliquid extrinsecum sacramento et dici materia sed improprie, seu quasi materia, quia extrinseca conditio et dispositio. Unde in hoc sacramento non est nisi

---

1. Triplex commemoratur impositio : prima adhibebatur quando poenitentia publica imponebatur, secunda repetebatur super poenitentes quoties ab ecclesia post catechumenos dimittebantur, sed haec potius erat ritus benedictionis, tertia in reconciliatione fiebat.
2. In IV Sent., d. 14, q. 4, n. 3, et d. 16, q. 1, n. 7.

forma; — vel si quis materiam et formam distinguere malit, dicere poterit cum Maldonato: absolutionem ut est externa caeremonia esse materiam, ut vim habet significandi esse formam; aut cum aliis Scotistis: verba in quantum significant remissionem esse materiam, in quantum eam efficiunt esse formam[1]. Porro antiquiores Scotistae, et, ut videtur, ipse Scotus[2], actus poenitentis intelligebant, non meras esse dispositiones, sed *conditiones extrinsecas sine quibus* praecedenter manifestatis *non* potest minister sufficienter cognoscere causam et sententiam ferre, ac proinde esse *absolute necessarias ad validitatem sacramenti*. Ita v. g. Frassen, Montefortino, Herinx, Maior, Occam, Gabriel Biel, Almainus, Maldonatus. Moderniores autem Scotistae, et etiam Ballerini, Berardi, etc. actus considerant ut solas dispositiones ad *dignam* sacramenti receptionem, ac proinde non semper absolute necessarium esse ut externe manifestentur; — sed ista sententia, utpote omnino recentior, non habet fundamentum in traditione Ecclesiae.

b) E contra S. Thomas iudicium ait consistere in toto processu iudiciali; et ideo actus poenitentis ad essentiam sacramenti pertinere tamquam partem intrinsece constitutivam; unde sunt vera materia proxima ex qua constituitur sacramentum simul cum absolutione tamquam forma. Et ita non solum omnes Thomistae, sed etiam S. Bonaventura, Alexander Alensis, Richardus, Suarez, Vasquez, Bellarminus, Lugo, Salmanticenses, Billot, imo etiam quidam Scotistae ut Brancatus et Mastrius.

c) Mediam viam inivit Durandus, quem secutus est Marsilius, dicens: solam confessionem esse materiam sacramenti, non autem contritionem quae non est sensibilis, quia per se est interna, nec satisfactionem quae sequitur ad sacramentum: contritio scil. est dispositio ad sacramentum Poenitentiae, et satisfactio est fructus. — Sed haec sententia est antiquata, et merito. Contritio enim est sensibilis per confessionem, et confessio non est nisi sit dolorosa; satisfactio autem non solum est fructus sed et complementum sacramenti. Unde de tribus actibus poenitentis unum et idem est dicendum.

1. Haec tamen explicatio non est ad rem, quia non spectat compositionem physicam signi sacramentalis distinctivi Poenitentiae, sed compositionem logicam seu metaphysicam quae omnibus sacramentis est communis.

2. Ait actus poenitentis « ad sacramentum poenitentiae, ad hoc ut *digne* recipiatur, requiri » (in IV, d. 16, q. 1, n. 7), sed id intelligendum de requisitis ad validitatem.

Nam, d. 14, q. 4, a. 4, ex eo quod absolutio sit « quaedam sententia absolvens reum », deducit corollarium quod doctrina de sacramento poenitentiae *subalternatur doctrinae de iudiciis* et etiam doctrinae de sententiis »... « et pro tanto potest sacramentum poenitentiae dici sacramentum iudiciale et iudicium sacramentale », quatenus scil. terminat processum.

Unde in *Rep. par.* in IV, d. 16, q. 1, n. 12: « Absolutio enim sacramentalis... praesupponit et exigit (eos actus)... ad hoc quod poenitens sit *capax signi* sacramentalis absolutionis ».

438. *Thesis.* **Tres poenitentis actus: contritio, confessio et satisfactio sunt materia proxima sacramenti Poenitentiae.** — Ita communius et conformius ad sensum traditionalem.

Probatur: A. *Ex modo loquendi Conciliorum.* Florentinum, in decr. ad Armenos, post declaratam necessitatem materiae et formae in quolibet sacramento, ait: « Quartum sacramentum est Poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes ». Tridentinum autem, postquam sess. 14, c. 2, dixerit hoc sacramentum « a Baptismo differre... materia et forma quibus sacramenti essentia perficitur », ait c. 3: « sacramenti Poenitentiae formam in qua praecipue (non unice) ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, etc... Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Poenitentiae partes dicuntur ».

Quibus positis, dicimus thesim enuntiatam esse sensum obvium Conciliorum et totius Ecclesiae, si termini eorum sumantur proprie.

1) Nam si actus poenitentis essent tantum conditiones aut dispositiones extrinsecae, non essent partes *ad integritatem sacramenti requisitae;* secus Concilium Tridentinum loqueretur omnino improprie.

2) Concilia materiam et formam aliorum sacramentorum distincte commemorant, et de Poenitentia nullam aliam materiam assignant nisi tres actus poenitentis; ergo illi actus sunt vere materia proxima huius sacramenti; — nisi dicatur eius materiam fuisse praetermissam, quod in re tanti momenti non videtur posse admitti.

Obiiciunt: a) Concilium dixisse *quasi materiam*, non vero materiam. — Resp.: Ita vocantur actus poenitentis quia ponuntur loco materiae externae et corporalis; ut ipse Catechismus Conc. Trid. iam explicat (de Poen., n. 17): « neque vero hi actus *quasi materia* a Sancta Synodo appellantur, quia verae materiae rationem non habeant, sed quia eius generis materiae non sint, quae *extrinsecus* adhibeatur (scil. elementum corporeum), ut aqua in Baptismo, et chrisma in Confirmatione ». Ceteroquin Concilia, ita loquendo, nihil faciunt nisi transcribere verba ipsius S. Thomae dicentis in opusc. 5, de art. fid. et Eccl. sacr.: « Quartum

sacramentum est Poenitentia, cuius *quasi materia* sunt actus poenitentis »[1].

b) Conc. Trid. dixisse actus poenitentis esse partes *integrales*, non essentiales ; ergo non pertinent ad intrinsecam constitutionem essentiae sacramenti. — Resp. : Partes integrales pertinent ad completam constitutionem intrinsecam entis corporalis, et etiam possunt esse ipsi essentiales, uti cor et cerebrum in homine.

B. *Ex Rituali Rom.*, de Poen., c. I, n. I : « Cum ad illud constituendum tria concurrant, materia, forma, et minister : illius quidem remota materia sunt peccata, proxima vero sunt actus poenitentis, nempe contritio, confessio, et satisfactio ; forma vero, illa absolutionis verba : Ego te absolvo, etc. ».

Essentia ergo sacramenti constituitur et actibus poenitentis et absolutione ministri. Atqui dispositio vel conditio dici nequit materia, nec est id ex quo constituitur essentia sacramenti ; sed tantum de veris partibus aut vera causa id verificatur. Ergo.

C. *Ratione :* Poenitentiae sacramentum est institutum per modum iudicii forensis. Sed iudicii forensis duplex est pars constitutiva : elementum determinans, scil. sententia prolata a iudice quae processum iudicialem complet et terminat, et elementum determinabile, scil. accusatio, testificatio, etc., uno verbo instructio causae quae iudicium inchoat. Ergo in sacramento Poenitentiae duplex est pars constitutiva, quarum una est : accusatio, testificatio, emendatio, etc. poenitentis, altera : sententia absolutionis. Prob. min. : Sola verba sententiae, v. g. absolutionis, seorsum considerata non sunt actus iudicialis, sed mera oratio vel locutio quaedam, et non constituunt iudicialem actum, nisi ut informant et terminant processum. Ergo ipsa *significatio* sententiae absolutionis ut actus iudicialis, et ideo ut signum sacramentale, pendet ab actibus poenitentis, qui proinde ad intrinsecam constitutionem ipsius signi sacramentalis in se concurrunt. Alias scil. absolutio non esset sacramentalis.

Confirmatur : a) Sicut forma Baptismi sine ablutione non *sacramentaliter* (seu symbolice) significaret purificationem animae, ita verba absolutionis sine iudiciali processu non significant iudicialiter, nec proinde sacramentaliter, remissionem peccati[1]. Ita, v. g. verba Christi apud Mt. IX, 2 : *Remittuntur tibi peccata tua*, non sunt absolutio sacramentalis.

b) Poenitentia interior vi absolutionis elevatur ad dignitatem signi sacramentalis et fit titulus et causa remissionis peccati, tamquam *res et sacramentum* (q. 84, a. I, ad 3). Sed ad istam dignitatem elevatur, non tantum ut absolutione signata, sed etiam ut iuridice cognita et exterius significata per actus externos poenitentis (n. 430). Ergo non sola absolutio, sed etiam actus externi poenitentis connaturaliter elevantur ad dignitatem sacramenti externi, et illud intrinsece constituunt. Eodem modo ac in Ordine ac Matrimonio : eo ipso quod potestas sacra et vinculum coniugale elevata fuerunt ad dignitatem signi sacri, etiam signa externa quibus potestas traditur aut vinculum constituitur, connaturaliter elevata fuerunt ad hoc quod essent sacramentum externum.

c) Si sola absolutio esset totum sacramentum, istud non esset (sicut omnia alia sacramenta) signum symbolicum seu caeremoniale similitudine rei sensibilis significans ; sed mere conventionale sicut omnis sermo humanus.

d) Sacramentum vocatur *confessionis* seu *poenitentiae*, quod supponit confessionem vel poenitentiam esse partem constitutivam, secus sacramentum ab extrinseco elemento denominaretur[2].

e) Satisfactio est pars sacramenti, docente Conc. Trid., sess. 14, c. 2 et 3, can. 4, et *operatur ad perfectam remissionem poenae;* unde videtur ad ipsum signum practicumpertinere ; et a fortiori, dicendum est de aliis actibus magis necessariis.

439. Obiiciunt Scotistae : 1° Iudicium est essentialiter sola sententia iudicis.

Resp. : Ita arbitrarie limitatur iudicium, nam in sensu communi, iudicium etiam intelligitur totus processus iudicialis, non sola sententia quae ipsum terminat et quae habetur ut complementum essentiale iudicii.

---

1. Cfr. III, q. 84, a. I, ad I.

1. Ne dicatur cum De San : ex eo quod significatio formae, scil. absolutionis, nequeat concipi sine materia seu actibus poenitentis, solum probari materiam esse necessariam conditionem, sed exinde stricte non sequi quod sit pars constitutiva signi sacramentalis. — Resp. : Non solum est conditio sine qua non concipitur significatio formae, sed habetur plus : ipsa significatio formae *in se* pendet a materia et *completur* per materiam. Nam, sicuti in Baptismo aqua necessaria est, non quidem ad significationem verborum formae secundum se, sed tamen ad eorum significationem *sacramentalem*, seu ad significationem formae ut formae ; ita in poenitentia actus poenitentis non sunt necessarii ad significationem verborum absolutionis secundum se, sed ad significationem *iudicialem* formae *ut* formae, seu absolutionis ut informantis processum iudicialem. Unde ipsa significatio formae (*ut formae*) *in se* pendet a materia ; et ideo materia *concurrit* ad significationem ; et ita non solum est conditio, sed pars constitutiva signi sacramentalis.

2. Sacramentum impositionis manuum vocari potuit ; sed haec caeremonia indicat ipsum exercitium potestatis clavium, quod est elementum essentiale et constitutivum, non ita actus poenitentis in sententia Scoti.

2° Solus sacerdos est minister sacramenti, quia solus habet potestatem clavium ; ergo solus actus sacerdotis absolventis, non actus poenitentis perficiunt sacramentum, secus et poenitens esset minister.

Resp. : Sacerdos potestatem debet exercere iudicio forensi, quod non fit sine instructione causae ; unde absolutio non valet nisi ut exercetur in processu iudiciali. Aliud scil. est quaerere de subiecto potestatis clavium, et aliud de ritu vel modo quo potestas clavium exerceri debet. Ex eo quod Christus potestatem clavium dederit solis sacerdotibus, non sequitur eam solo actu sacerdotis sine alio actu vel signo externo esse exercendam. — Nec tamen poenitens est minister, sed ille qui applicat et coniungit formam materiae, et efficit compositum : poenitens ministrat materiam, sed non ministrat sacramentum.

3° Sola absolutio, non actus poenitentis, significat et confert gratiam peccati remissivam ; ergo.

Resp. : a) Poenitentia externa de se est solum signum quod significat poenitentiam interiorem ; haec ex virtute absolutionis elevatur ad dignitatem sacramenti et titulus fit ac causa gratiae peccati remissivae ; ergo ex absolutione poenitentia externa iam significat poenitentiam interiorem esse titulum et causam gratiae. b) *Insuper* absolutio *de se* sine actibus poenitentis non habet suam significationem et virtutem, sed absolutio ut terminans processum iudicialem. Ergo actus poenitentis simul cum actu ministri sunt unum signum practicum, et sic non solum signum, sed et causa efficiens instrumentalis gratiae peccati remissivae.

4° Secundum Conc. Trid., sess. 14, c. 4, contritio est dispositio ad sacramentum cum fructu recipiendum ; ergo non est pars sacramenti.

Resp. : Antequam a sacerdote assumatur tamquam materia coniungenda formae, solum est dispositio poenitentis ; ut coniuncta autem cum forma iam mera dispositio non est.

5° Praxis Ecclesiae est absolutionem moribundis concedere qui etiam nullum *exterius* edunt signum contritionis aut confessionis ; ergo isti actus non sunt pars signi sensibilis necessaria et constitutiva, sed sola dispositio.

Resp. : a) Ex praxi nihil probatur, quia absolutio datur sub conditione ; unde valde incertum est an valeat. Et ideo ad summum ex illa praxi eruitur quandam tenuem probabilitatem tribui sententiae Scoti, non autem demonstrative certam esse. b) Etiam in sententia S. Thomae praxis intelligitur, quia moribundus, antequam fuerit sensibus destitutus, potuit verbis aut signis contritionem manifestare ; aut etiam signa actualiter exhibet sacerdoti praesenti, quamvis non advertantur a circumstantibus. Et quia id aliqua cum probabilitate praesumitur, ideo tantum sub conditione absolvitur. c) In sententia Scoti eadem solvenda est difficultas, quia externam manifestationem peccati et contritionis habet ut conditionem necessariam ad valorem iudicii sacramentalis.

440. Conclusio. — In praxi, sententia recentiorum Scotistarum non videtur probabilis. Ad minus solide probatur actus poenitentis esse conditiones ; esse partes intrinsecas sacramenti videtur etiam verum.

Articulus III.

De Forma.

S. Th. III, q. 84, a. 3 ; Opusc. 22.

441. *Thesis I.* **Forma conveniens et legitima est : Ego te absolvo...,** vel verba formaliter aequivalentia, v. g. : *ego tibi remitto, condono..., absolvatur Petrus a peccatis.* — Ita decretum Conc. Flor. pro Arm. ; et Conc. Trid., sess. 14, c. 3.

Probatur ex S. Thoma, III, q. 84, a. 3 :

« Cum sacramenta N. L. efficiant quod figurant..., oportet quod forma sacramenti significet id quod in sacramento agitur proportionaliter materiae sacramenti. Unde forma Baptismi est : *Ego te baptizo*, et forma Confirmationis : *Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis*, eo quod huiusmodi sacramenta perficiantur in usu materiae ; in sacramento autem Eucharistiae, quod consistit in ipsa consecratione materiae, exprimitur veritas consecrationis cum dicitur : *Hoc est corpus meum.* Hoc autem sacramentum, scil. Poenitentiae, non consistit in consecratione alicuius materiae, nec in usu alicuius materiae sanctificatae, sed magis in remotione cuiusdam materiae scil. peccati, prout peccata dicuntur esse materia Poenitentiae... Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur : *Ego te absolvo;* nam peccata sunt quaedam vincula... Unde patet quod haec est convenientissima forma huius sacramenti : *Ego te absolvo* ». « Ergo dicendum quod ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi quibus Petro dixit (Mt. XVI, 19) : *Quodcumque solveris super terram* » (ib. ad 1). « Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertinet ad primam auctoritatem Dei, scil. ut dicatur : *Ego te absolvo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* » (ad 3).

Breviter : forma debet exprimere exercitium potestatis clavium seu potestatis remittendi peccata, ministris Ecclesiae concessae, nomine Dei exercendae, cuius sacramentum Poenitentiae est usus et effectus ; quod praestat forma : *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris*, etc.

442. *Thesis II.* **Forma debet exprimere exercitium potestatis clavium, seu potestatem remittendi peccata ab ipso ministro, sacerdote.** *Unde 1° non sufficit*

forma mere deprecativa ; sed, 2° si *apparenter*, materialiter et *quoad modum loquendi* aliquando fuerit aut sit *deprecativa*, saltem *secundum sensum debet esse formaliter indicativa*.

Probatur primum : a) Forma debet indicare exercitium potestatis clavium, seu solvendi peccata. Petere autem non est solvere. Ergo non sufficit forma mere deprecativa, sed debet esse forma indicativa saltem quoad sensum.

b) Pronuntiatio formae est actus iudicialis (Conc. Trid., sess. 14, c. 6 et can. 9). Atqui sententia iudiciaria non est deprecatio : iudicare enim est actus habentis potestatem ; deprecari est actus supplicantis. Ergo idem actus non est iudicium et deprecatio sub eodem respectu.

Probatur secundum : Forma secundum constructionem grammaticam deprecativa, secundum sensum partialiter debet aequivalere formae indicativae seu enuntiativae. Nam absolutio sacramentalis est sententia iudiciaria. Sed non esset sententia iudiciaria, nisi aliquo modo significaretur a) *potestas iudiciaria* in pronuntiante, b) *huius usus*, et c) *actualis effectus*, scil., ius concessum in ordine ad remissionem peccatorum. Ergo.

443. Conclusiones. — Hinc 1° *convenit forma expresse et formaliter indicativa*, quae enuntiat usum actualem potestatis iudiciariae in ordine ad remissionem peccatorum de praesenti praestitam. Nam, ut ait S. Thomas, a. 3 :

« Ista forma assumitur ex ipsis verbis Christi, quibus Petro dixit (Mt. XVI, 19) : *Quodcumque solveris super terram*. Et tali forma Ecclesia utitur in sacramentali absolutione » (ad 1). At « in quibusdam absolutionibus quae in Ecclesia publice fiunt, sicut in prima et completorio, et in coena Domini, absolvens non utitur oratione indicativa, ut dicat : *Ego te absolvo*, sed oratione deprecativa, cum dicit : *Misereatur vestri omnipotens Deus*, vel : *Absolutionem et remissionem tribuat vobis omnipotens Deus* » (Obi. 1a). « Huiusmodi autem absolutiones in publico factae non sunt sacramentales, sed sunt orationes quaedam ordinatae ad remissionem venialium peccatorum. Unde in sacramentali absolutione non sufficit dicere : *Misereatur tui omnipotens Deus*, vel : *Absolutionem et remissionem tribuat tibi omnipotens Deus*, quia per haec verba sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit ut fiat » (ad 1).

2° Attamen *per se valida esse potest deprecativa*, si ratione circumstantiarum sufficienter ostendat ministrum absolvere et remittere peccata, aut si Ecclesia hunc sensum ipsi adnexerit.

Constat a) *ex historia :* Initio enim et per decem priora saecula, *in utraque Ecclesia* omnes formae quae noscuntur adhibitae fuerunt deprecativae, v. g. *Deus, ei condona, eum absolve vel relaxa*, etc.[1]

b) *ratione :* Formula deprecativa, cum intentione absolvendi, et ratione adiunctorum, scil. : causa cognita, ab eo qui potestatem habet remittendi, et habetur ab omnibus ut iudex qui vere remittit licet non propria sed Dei auctoritate, sufficienter ostendit (sive implicite, sive etiam explicitis verbis, v. g. : « per ministerium meum », aut mentione potestatis clavium concessae) sacerdotem esse Dei ministrum et nonnisi auctoritate eius absolvere ; nec impedit quod sacerdos sit iudex vereque ministerialiter absolvat, praesertim si Ecclesia ita praescribat vel toleret et usus sit communis. Tunc sensus erit : « Absolutus sis seu absolveris per me, per ministerium meum ». Ita et formula : *Benedicat vos omnipotens Deus*, non a laico sed a sacerdote prolata, a quo petitur benedictio iuxta consuetum ritum Ecclesiae, significat : Ego vos auctoritate Dei benedico ; item absolutio a censuris saepe datur modo deprecativo, et tamen est actus iudicialis. Et verba : *Baptizatur servus Christi*, aequivalent formae Baptismi : Ego te baptizo.

Nec obstat Ecclesiam non posse mutare materiam et formam sacramentorum a Christo institutam, quia non omnes sacramentorum formae semper a Christo fuerunt omnino determinatae secundum uniformitatem materialem, sed solum secundum significationem ; unde si Ecclesia ius habet ultimam determi-

1. Quod constat ex Sacramentariis (v. g. Gelasiano) et Poenitentialibus ; et ex *concordi* testimonio Patrum, v.g. Ambrosii, de Spiritu S°, III, 18 ; Hieronymi, in Ps. 28 ; c. Lucif., n. 5; Augustini, de Bapt., c. Don. V, 20 ; serm. 99 ; Leonis M., ep. 108 ad Theod. etc. ; qui *semper* alludunt ad deprecativum formulae modum, nunquam ad indicativum. — A saeculo autem XI°, in ecclesia *latina* incipit transitus a formulis deprecativis ad indicativas, ambaeque simul adhibentur ita ut deprecativae addatur formula indicativa. Usus tamen formulae deprecativae perduravit, ita ut initio saeculi XIII[1] adhuc vigeret, quod scimus ex testimonio Gulielmi Altissiodorensis, Gulielmi Parisiensis, et Hugonis Cardinalis, et ex ipso opusculo S. Thomae *de forma absolutionis*, qui defendens formam indicativam, id tamen simpliciter negare non potuit (c. 2 et 5). At paulo post, indicativa forma communiter recepta fuit; ita tamen ut preces concomitantes vestigium sint antiquae disciplinae.— In Ecclesia vero *orientali*, post saeculum XIII mansit forma deprecativa, et hodie manet apud Graecos non unitos, imo apud unitos qui versantur extra Europam, et in Ecclesia Coptorum Alexandrina. At plures, etiam inter Schismaticos, formam indicativam ab Ecclesia latina mutuati sunt, ut Iacobitae, Armeni, Copti, Russi, Rumeni ; item Graeci uniti qui versantur in partibus Europae, et Maronitae ; Rutheni vero schismatici forma utuntur quae est simul deprecativa et indicativa.

nationem formae definiendi, nihil prohibet quin forma deprecativa, cum intentione manifestata sententiam iudicialem ferendi, possit esse valida. Qui autem aliter sentirent, videre deberent quomodo suam theoriam cum factis conciliare possent. Itaque forma indicativa est expressior et magis convenit potestati iudiciali, quae ministris Ecclesiae competit, quia certum est eos non solum postulare ut fiat remissio sed eam ut instrumenta Dei potestative operari ; sed etiam legitimari potest forma deprecativa, quia minister non nomine proprio sed nomine et auctoritate Dei remittit ; unde dicit quasi imperative : Absolvat te Deus, i. e. nomine Dei pronuntio quod Deus te absolvere debet.

3° Nihilominus *practice in Ecclesia latina adhiberi potest sola forma indicativa.* Cum in Ecclesia occidentali enim iam a pluribus saeculis indicativae formulae usus praescriptus sit, merito de valore formulae deprecativae in Ecclesia latina dubitari potest.

Ecclesia enim potest praescribere unam formam ut validam, et declarare potest aliam non esse legitimam, et ideo non iam habere sensum indicativum ; potest statuere conditiones exercendi actum iudicialem et formam unicam authenticam : potest enim non concedere iurisdictionem nisi pro forma indicativa. An autem ista fuerit intentio Ecclesiae, non est certum, sed dubium. Unde quia id saltem incertum est, abstinendum est a forma deprecativa tamquam dubia[1].

444. Forma significat usum et effectum potestatis clavium, i. e. remissionem ipsius peccati seu culpae a ministro factam, **ita ut sensus sit : ego vere remitto tibi culpam.**— Quod indicat definitio Conc. Trid., sess. 14, can. 9 ; unde « res et effectus sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo » (Conc. Trid., sess. 14, c. 3).

Hinc A. *sensus formae non est :*

1° *Ostendo vel declaro te absolutum* scil. in facie Ecclesiae.

Ita contra Protestantes, qui dixerunt peccatum remitti sola fide, non vi sacramenti, et absolutionem « non esse actum iudicialem, sed *nudum* ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat esse absolutum », quod a Trid. (can. 9) expresse fuit damnatum. Et contra Petrum

1. Sunt et formae *imperativae*, sed illae reducuntur ad deprecativas, si nempe dirigantur ad Deum, v. g. absolvat te Deus, indulgeat, valent : Deus ei condona, indulge ; aliae ad indicativas seu enuntiativas, si dirigantur ad poenitentem, v. g. absolvere a me, absolvere a Deo, i. e. Deus per ministerium meum te absolvit.

Lombardum et alios veteres qui idem asserebant, sed sensu valde diverso, nam admittebant assistricem Dei virtutem operantis per se solam interius quod exteriori absolutione significatur, quin veram causalitatem instrumentalem ministro vel eius sententiae tribuerent quantum ad remissionem peccati, sed solum quoad remissionem in facie Ecclesiae ; quod tamen cum doctrina Conc. Trid. non satis cohaeret.

Et sane a) sacramenta efficiunt quod figurant ; atqui Poenitentiae forma significat remissionem peccati ; ergo eam efficit. Sicut ergo forma Baptismi : ego te baptizo, non significat : ostendo te ablutum, sed abluit ; ita forma Poenitentiae non solum ostendit hominem absolutum, sed absolvit (III, q. 84, a. 3, ad 5) ;

b) secus enim potestas clavium enervaretur : frustranee data fuisset Apostolis si nihil possent nisi ostendere, cum omnis doctus et prudens (discussione conscientiae) id facere posset.

2° *Nec sensus est : absolvo te a poena*, uti interpretati sunt Richardus a S. Victore et quidam scholastici, ac Baius.

Nam a) est contra sensum obvium formae et Ioh. XX, 23 : *a peccatis;* b) iuxta Conc. Trid., sess. 6, c. 15, poena aeterna una cum culpa remittitur ; ergo si forma non remittit culpam, nec remittit poenam aeternam ; c) iuxta idem Conc., sess. 14, c. 1, sacerdos habet potestatem ad *reconciliandos* fideles post Baptismum lapsos ; reconciliatio autem fit per remissionem culpae et non solius poenae (cfr. prop. 57 et 58 Baii damn.). Et d) tunc « non exigeretur voluntas suscipiendi effectum clavium ad culpae remissionem, sicut non exigitur votum suscipiendi alia sacramenta quae non ordinantur ad culpae remissionem sed contra poenam » (Suppl. q. 18, a. 1).

3° *Nec sensus est : absolvo te ab obligatione iterum peccata subiiciendi clavibus*, uti habet S. Bonaventura, IV Sent., dist. 18, p. 1, a. 2, q. 1.

Nam a) est contra sensum obvium formae et Ioh. XX, 23 : solvere *a peccatis;* b) absolutio a confessione venialium, vel peccatorum iam remissorum, iam nullam haberet significationem et non valeret.

4° *Nec sensus est : ego do tibi gratiam de se remissivam peccati*, ut ait Suarez, de Poen., disp. 19, sect. 2, n. 13-20.

Nam verba directe significant remissionem peccati et solum indirecte gratiam, quia in praesenti ordine non remittitur gravis offensa sine infusione gratiae. Verba scil. ex se, id est ex institutione humana, non directe significant gratiae collationem, quamvis eam producant ex institutione Christi secundum significationem sacramentalem. Sensus ergo potius est : ego tibi remitto peccata per infusionem gratiae. — Cui non obstat quod

tunc remissio antecedit infusionem gratiae. Nam remissio, ut cessio iuris divini ad aversionem praecedit infusionem gratiae, et hanc consequitur ablatio seu expulsio peccati.

B. Sed *sensus formae est : ego iudicialiter tibi sacramentum* (seu signum practicum sacrum, vel titulum et causam) *absolutionis* (i. e. remissionis) *impendo*, ut habet S. Thomas, q. 84, a. 3, ad 5, et in opusc. *de forma absolutionis*, c. 3 ; a. v. iudicialiter facio ut tibi debitum sit quod a peccato libereris. Unde verificatur sensus absolutionis, etiam si quis iam sit in statu gratiae, vel si ex defectu subiecti gratia non conferatur.

445. Ad validitatem formae requiruntur verba essentialia : *Absolvo te*, et probabiliter etiam : *a peccatis*.

1° *Certo* requiruntur : *Absolvo te*, quia effectum sacramenti, modum iudicialem quo efficitur, et subiectum recipiens satis declarant.

2° *Probabiliter* etiam : *a peccatis*, quia verba : absolvo te, non satis determinata sunt et possunt intelligi de absolutione a censuris vel a poenis, quamvis tamen probabiliter ex ipsa praevia peccatorum confessione res sufficienter indicetur ; in praxi autem addenda sunt quia in ministratione sacramentorum faciendum est quod est tutius: quod si omissa fuissent, forma foret repetenda sub conditione.

3° E contra, *essentialia non sunt : ego*, in lingua latina, et *tuis*, quia sufficienter includuntur in : absolvo te ; pertinent tamen ad integritatem formae.

4° *Nullo modo requiruntur verba : in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, quae nec a Christo praescribuntur nec in antiquis formulis inveniuntur.

Hinc a) voluntaria omissio vel substantialis corruptio verbi essentialis, aut verbi quod probabiliter est tale, semper est peccatum mortale, quia sacramentum irritat vel periculo nullitatis exponit, et poenitentem privationi gratiae sacramentalis ;

b) absolutio sub forma aequivalenti, quamvis graviter illicita, valida est, v. g. si diceretur : remitto vel condono tibi ; absolvo vos aut excellentiam vestram ; aut absolvatur talis a peccatis, etc., quia remanet idem sensus et solum est mutatio accidentalis ;

c) sola omissio verborum : *in nomine Patris...* censetur levis transgressio legis ritualis.

446. Modus quo forma proferri debet ad validitatem requisitus est a) **ut sit ore prolata,** b) **in praesentem directa,** c) **independenter a conditione suspensiva in futurum.**

A. *Ore prolata verbis proprie dictis*. De quo forsan aliquis dubitare posset, quia sacramentum istud institutum fuit per modum iudicii ; ergo quod requiritur rigorose ad ferendam sententiam in aliis iudiciis, sufficere posset et in hoc iudicio. In aliis autem sufficit scriptum, nutus, et generatim quodcumque signum quo valeat manifestari sententia. Ergo et in hoc sacramento verba proprie dicta possent non requiri ; quod confirmatur exemplo matrimonii in quo nutus potest sufficere. Nihilominus verba proprie dicta ore prolata requiruntur ad validitatem. *Probatur :*

a) *Ex verbis Eugenii IV* (in Conc. Flor., decr. pro Arm.) docentis sacramenta perfici tribus, quorum unum sunt verba tamquam forma, quibus deficientibus non existit sacramentum. Et quamvis postea dixerit de matrimonio *regulariter* perfici verbis, ita indicans posse aliquando fieri sine verbis, haec tamen exceptio non apponitur nisi pro matrimonio et ita confirmat regulam; imo dicitur forma poenitentiae esse verba absolutionis quae sacerdos *profert*, cum *dicit*, quod de solis verbis proprie intelligi potest.

b) Item *ex Conc. Trid.* dicente sess. 14, c. 3 : « sacramenti Poenitentiae formam... in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo*, etc. »

c) Ratio desumitur ex institutione Christi quam Traditio et consuetudo Ecclesiae perpetuo manifestavit in facto et doctrina.

Discrimen autem cum matrimonio est : a) quod non novum quid instituit Christus Dominus quasi sacramentum, sed ipsum matrimonium elevavit ad dignitatem sacramenti ; b) in matrimonio ad hoc requiruntur verba ut comparti innotescat consensus; in aliis autem sacramentis non ad hoc requiruntur verba ; c) matrimonium est ex natura sua pro omnibus etiam mutis, ideo non requiruntur verba ad valorem ; quoad poenitentiam ex natura sua non est inconveniens quod muti non possint absolvere.

Hinc in *praxi* : 1. sententia opposita, quae olim fuit plurium, non habet fundamentum ;

2. unde non est attendendum ad hoc, quod ait Sporer, in casu extremae necessitatis sacerdotem mutum posse, deficiente omni alio sacerdote, absolutionem nutu vel scripto dare ;

3. attamen necesse non est ut verba audiantur, sed sufficit ut sint de se audibilia ; imo prudentia potius postulat ut non alta, sed submissa voce proferantur, ne circumstantes advertere possint quemdam absque absolutione dimitti.

B. *In praesentem directa*. Verba : *te* absolvo, supponunt poenitentem esse moraliter praesentem. Praesentia autem moralis ea est, intra quam homines, altiori voce loquentes,

inter se loqui et audiri possunt et solent ; quod S. Alphonsus cum aliis multis putat *certo* extendere posse ad 20 *circiter* passus, praesertim ubi poenitens nondum est egressus ab aspectu confessarii ; si vero distantia sit maior, vel si confessarius et poenitens sint in diversis cubiculis omnino separatis, absolutio *dubia* erit, et ideo ab ea, extra casum extremae necessitatis, est abstinendum, quia in tali dubio faciendum est id quod est tutius. Hinc *in praxi :*

1. Si poenitens a confessionali exeat antequam absolutio data fuerit, tuto potest absolvi si certo cognoscatur intra paucos passus esse ; quod ad 20 circiter potest extendi, si a confessario adhuc videatur ; secus benigne ad confessionale revocetur. Quod si iam longe absit nec inveniri possit, res committatur Deo; postea autem, si ad confessionem redeat, moneatur ut de omnibus suis peccatis etiam praeteritis doleat, et absolvatur.

2. Absolvi potest moribundus iam e porta cubiculi.

3. In praelio multitudo militum absolvi potest, quamvis quidam multum distent, quia efformant unum quid morale et hac ratione omnes sunt sufficienter praesentes.

4. In casu necessitatis absolvi possunt (*sub conditione*) ii omnes qui aliquo sensu percipiuntur etiam in confuso, v. g. e tecto ruentes, labentes in flumen vel mare, in incendio iacentes, etsi a longo tantum aspiciantur, dum aliquo modo *probabile* sit illos moraliter esse praesentes, quia aliquo modo sensibili coram confessario adsunt.

C. *Independens ab omni conditione suspensiva in futurum.* Sacramenta enim statim operantur effectum suum quem possunt, neque est in potestate ministri suspendere in futurum. Tempore enim quo sacramentum confertur, effectus non producitur, cum incerta sit conditionis executio, et suspensa remaneat sacerdotis intentio quae requiritur ad validitatem sacramenti ; tempore autem quo conditio verificatur, iam non existit sacramentum, nec proinde effectum producere valet. Hinc :

1. Invalida est absolutio sub conditione de futuro incerto, v. g. *absolvo te si infra mensem restitueris.*

2. E contra sub conditione de *praesenti* vel *praeterito* valet, si verificatur conditio, v. g. *absolvo te si vivis, si es capax, si restituisti, si te non absolvi*, etc. Haec enim effectum non suspendit, nam verificata conditione, absolutio est reipsa absoluta, ac proinde eodem modo ac haec valet et statim suum effectum producit.

3. Conditio *si es dispositus*, utpote de praesenti, non officit validitati, licet quidam hoc negaverint ; non tamen est opportune adhibenda in praxi. De quo postea dicetur, n. 617.

447. Corollaria. — Exinde deduci possunt *practica corollaria :*

1° *Illicitam esse et invalidam absolutionem, sive per litteras sive per internuntium datam absenti, etiam hoc modo confitenti* [1], tum quia non fit verbis vocalibus, tum quia non fit in praesentem.

Ceteroquin natura sacramenti Poenitentiae videtur exigere ut, ex modo quo ministratur, *per se* saltem *possit* sacerdos fieri certus de *actuali* poenitentis statu ; ad quod requiritur confessio praesens et absolutio praesentis ; nec internuntius gerit vices poenitentis quoad dispositionem. Propter quod Clemens VIII, die 20 iunii 1602, in Congregatione S. Officii, ad minus ut *falsam, temerariam* et *scandalosam*, damnavit hanc propositionem : « licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absenti absolutionem obtinere », mandavitque ne ullo unquam casu ad praxim deducatur. Ex quo sequitur absolutionem non solum esse illicitam sed et invalidam, secus enim aliquando, saltem in extrema necessitate, ad praxim posset licite deduci.

2° *Invalidam quoque esse absolutionem datam absenti, etsi confessio facta fuerit sacerdoti praesenti*, propter eadem motiva.

3° Item *invalidam esse absolutionem datam praesenti, sed vi confessionis in absentia factae*, et hic et nunc nullo modo nec in generali renovatae. Deest enim tunc materia praesens (scil. confessio), ac proinde absolutio non esset sacramentalis, utpote non informans materiam, nec magis certificatur sacerdos de *actuali* statu poenitentis.

Fertur quoque Clementem VIII pronuntiasse, se adductam propositionem damnasse et prohibuisse non solum copulative sed divisive, de absolutione et confessione seorsum ; et certissime Paulus V, in Congregatione S. Officii 14 iulii 1605, declaravit decretum valere in sensu diviso, ita ut contrariam interpretationem e scriptis Suarez expungi iusserit.

---

1. Id admiserunt olim plures ut Petrus Paludanus, Adrianus, Sylvester, quorum sententia secundum P. Soto teneri potest. Iohannes a S. Thoma pro ipsa insuper affert I. Medina, *de conf.*9 ; et Navarrum, *Summa c.* 21, n. 30. Contra eam stant Caietanus et Ledesma et generatim recentiores ; atque adducuntur S. Thomas III, q. 84, a. 3, ad 3 ; a. 4, ad 3 ; et IV Sent., d. 1, q. 1, a. 3, ad 3 ; d. 14, q. 1, a. 1, qc. 1, ad 2 ; d. 17, q. 3, a. 4, qc. 3, ad 3 ; S. Bonaventura et S. Albertus M. in IV Sent. ; Alexander Alensis, III, q. 60, m. 1, a. 1; Richardus in IV, d. 17, a. 2, q. 5 ; Ferrariensis, c. Gent. IV, c. 72.

4° Unde, ut axioma solent dicere : *invalidam esse absolutionem*, sive a) *absens confiteatur et absens absolvatur*, sive b) *praesens confiteatur et absens absolvatur*, sive c) *absens confiteatur et praesens absolvatur*.

5° Nihilominus *non esse improbatam praxim absolvendi moribundos sensibus destitutos*, qui confessionis desiderium manifestarunt, de quo per adstantes testimonium habetur, ut declaravit Clemens VIII.

Nam tunc adest confessio praesentis facta praesenti per adstantes, quasi per interpretes. Ut enim ait Billuart, de Poen., diss. 7, art. 3, § II, « praesens est poenitens, praesentes adstantes, praesens confessarius, et per testimonium adstantium praesens ipsa confessio ». Poenitens scil. praesens est, et eius confessio moraliter continuatur et exprimitur ore adstantium, ita ut moraliter certus esse possit sacerdos de statu actuali poenitentis, cum nullo modo verisimile sit illum, stante mortis periculo, bonam dispositionem mutasse.

6° Denique *invalidam esse, vel saltem valde dubiam, absolutionem per telephonium*, aut per longum canalem phoneticum.

Nam secundum modum naturalem et ordinarium colloquendi, non sunt poenitens et confessarius ad invicem praesentes, et aestimatione communi hominum, colloquium censetur fieri inter absentes : simplex communicatio nondum est praesentia. Imo neque ipsa vox loquentis auditur in telephonio, sed solum perfecte reproducitur; artificiosa autem translatio vocis non sufficit ut absolutio quae poenitentem attingit sit vere vocalis. Unde, ad summum, in casu extremae necessitatis, et tantum sub conditione, posset sic poenitens absolvi, defectu modi certioris.

Quod si S. Poenitentiaria, 1 iulii 1884, quaestioni circa hoc propositae, rescripsit *nihil esse respondendum*, videtur voluisse significare : quaestionem non ad se spectare, sed ad S. Officium.

QUAESTIO TERTIA.

DE INSTITUTIONE, NECESSITATE ET ITERATIONE SACRAMENTI POENITENTIAE.

S. Th. III, q. 84, a. 5-10.

448. *Thesis I.* **Christus sacramentum Poenitentiae instituit post resurrectionem, et quidem convenienter.** — *Prima pars* est *de fide*, ex Conc. Trid., sess. 14, c. 1.

Probatur : Christus principaliter instituit sacramentum Poenitentiae quando contulit potestatem iudiciariam absolvendi et retinendi : est enim sacramentum Poenitentiae per modum iudicii institutum. Atqui Christus id fecit post resurrectionem, ut constat ex Ioh. XX, 21-23. Ergo.

Dicitur : *principaliter*, quia antea potestas promissa fuit *implicite* (Mt. XVI et XVIII), quamvis non concessa explicite.

Altera pars : convenientia, ita *probatur* a S. Thoma, a. 7 :

« In hoc sacramento actus poenitentis se habet sicut materia ; id autem quod est ex parte sacerdotis qui operatur ut minister Christi, se habet ut formale et completivum sacramenti.

Iamvero *a*) *materia*, etiam in aliis sacramentis, praeexistit a natura, ut aqua, vel ab arte, ut panis ; sed quod talis materia ad sacramentum assumatur, institutione indiget hoc determinante. Sed *b*) *forma* sacramenti et *c*) *virtus* ipsius totaliter est ex institutione Christi, ex cuius passione procedit virtus sacramentorum.

Sic ergo 1) huius sacramenti *materia* praeexistit a natura : ex naturali enim ratione homo movetur ad poenitendum de malis quae fecit ; sed quod hoc vel illo modo homo poenitentiam agat, est ex institutione divina. Unde et Dominus *in principio praedicationis suae indixit hominibus ut* non solum poeniterent, sed etiam *poenitentiam agerent*, significans determinatos modos actuum qui requiruntur ad sacramentum.

2) Sed id quod est *formale* et pertinet ad officium ministrorum, *determinavit cum dixit Petro* (Mt. XVI, 19) : *Tibi dabo claves regni coelorum...*

3) *Efficaciam* autem huius sacramenti et originem virtutis eius manifestavit *post resurrectionem* (Lc. XXIV, 47), ubi dixit quod *oportet praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes*, praemisso de passione et resurrectione. Ex virtute enim nominis Iesu Christi patientis et resurgentis hoc sacramentum efficaciam habet in remissionem peccatorum.

Et sic patet convenienter hoc sacramentum in hac nova lege institutum fuisse ».

449. *Thesis II.* **Sacramentum Poenitentiae non est omnibus absolute necessarium ad salutem,** quia sine ipso possunt salvari baptizati, sive parvuli sive adulti, qui non peccaverunt; **sed aliquibus ex suppositione peccati, scil. peccatoribus lapsis post Baptismum, est necessarium, et quidem in re, vel in voto saltem implicito.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 6, can. 29, et sess. 14, c. 2, can. 1, contra Protestantes qui omnes negant

hanc necessitatem, etiamsi sacramentum admittant vel eius utilitatem agnoscant.

Dicitur : a) *in re vel in voto*, quia contritio perfecta extra sacramentum, cum sit ultima dispositio ad gratiam, semper importat iustificationem antequam in re suscipiatur sacramentum, non tamen sine voto sacramenti in ea incluso, ut ait C. Trid., sess. 14, c. 4. Et ideo, quamvis remissum sit peccatum, remanet obligatio absolutionem accipiendi ;

b) *in voto saltem implicito*, prout aliquo modo includitur in omni contritione perfecta, etiamsi aliquis non cogitet de susceptione sacramenti, sive ex inadvertentia, sive ex oblivione, sive ex ignorantia invincibili : qui enim diligit Deum super omnia et sincere dolet de peccato, implicite vult adhibere media a Deo instituta tamquam necessaria ad remissionem obtinendam. Atqui sacramentum Poenitentiae necessarium est medium. Ergo voluntas illud recipiendi aliquo modo includitur in contritione perfecta.

Probatur : Necessarium est ad salutem peccatoris quod peccatum ab eo removeatur. Atqui hoc est impossibile sine medio a Christo instituto in quo operatur virtus passionis eius ad remissionem peccati ; Christus autem applicat virtutem passionis per sacramenta, et inter sacramenta nullum aliud invenitur pro remissione peccatorum post Baptisma commissorum, nisi Poenitentia. Ergo sacramentum Poenitentiae ad salutem peccatoris est necessarium.

Confirmatur : Data est ministris Ecclesiae potestas clavium quoad regnum coelorum, i. e. non solum aperiendi regnum sed et claudendi, non solum peccata solvendi sed et ligandi, non solum remittendi sed et retinendi peccata. Atqui frustranea esset haec potestas, si aliter posset obtineri remissio peccati. Ergo (C. Trid., sess. 14, c. 5).

Hinc in traditione solet Poenitentia vocari *secunda post naufragium tabula*[1] (C. Trid., can. 2).

450. *Thesis III.* **Sacramentum Poenitentiae est pluries iterabile.** — Est *de fide* ex praedicatione universali Ecclesiae, contra illos qui primis Ecclesiae temporibus affirmabant semel tantum post Baptisma fieri posse poenitentiam, saltem pro peccatis gravioribus ; item contra Montanistas et Novatianos qui relapsis post Baptismum

1. Ita Hier., ep. 130 (al. 8), n. 6 ; Tert., de Poen. IV ; Pacian. ep. I, n. 5 ; Ambr., de Virg. laps, 8. Cfr. Aug., serm. 392.

in graviora delicta omnem veniam denegabant. Constat quoque ex Conc. Lat. IV, et ex Trid., sess. 14, c. 2, can. 1.

Probatur : 1° *Ex verbis Christi :* a) *directe ex verbis institutionis* (Ioh. XX, 23), quibus Christus dedit sacerdotibus potestatem remittendi peccata sine ulla restrictione vel limitatione, adeoque toties peccatores rite dispositi ad eos accesserint ;

b) *indirecte ex praecepto misericorditer condonandi* (Mt. XVIII, 21) ; ex quo ita arguit S. Thomas, a. 10 :

« Homo inducitur ad misericordiam exemplo divinae misericordiae, secundum illud Lc. VI, 36 : *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est.* Sed Dominus hanc misericordiam discipulis suis imponit, ut saepius remittant fratribus contra se peccantibus ; unde sicut dicitur, Mt. XVIII, 21, Petro quaerenti : *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei ? usque septies ?*, respondit Iesus : *Non dico tibi usque septies sed usque septuagies septies* (i. e. semper). Ergo etiam Deus saepius per poenitentiam veniam peccantibus praebet, praesertim cum doceat nos petere, Mt. VI, 12 : *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus* ».

2° *Ex Ecclesiae praxi*, quae iam a multis saeculis constans est et universalis, in eadem etiam peccata relapsos absolvendi toties quoties vere poenitentes accedant.

3° *Ratione :* Aliqui negarunt poenitentiam posse iterari, quia « putabant adeo grave esse peccatum, quod aliquis committit post veniam impetratam quod non sit possibile ipsum remitti ; in quo quidem errabant, et ex parte peccati, quod etiam post remissionem consecutam potest esse sive gravius sive levius quam fuerit primum peccatum remissum ; et multo magis contra infinitatem divinae misericordiae quae superat omnem numerum et magnitudinem peccatorum, secundum Ps. L, 1... Et ideo misericordia Dei peccantibus post poenitentiam veniam praebet absque ullo termino. Unde manifestum est quod poenitentia pluries est iterabilis » (a. 10).

451. Corollaria. — 1. Multiplex est ratio cur Poenitentia, dum Baptismus iterari nequit, ipsa tamen iterari potest. Nam a) Poenitentia non imprimit, sicut Baptismus, indelebilem characterem ; b) Baptismus principaliter est contra peccatum originale non iterabile, Poenitentia contra actuale quod iteratur ; c) Baptismus habet totam efficaciam a passione Christi sine actu nostro, et ideo sicut passio est una ita et Baptismus, Poenitentia etiam requirit actum nostrum et ideo eius iterationem suscipit ; d) Baptismus est regeneratio, Poenitentia quaedam sanatio ; semel autem aliquis generatur, sed pluries sanari potest, quamdiu in hac vita erit.

2. Poenitentia *interior*, qua quis dolet de peccato commisso *debet durare usque ad finem vitae :* semper enim debet homini displicere quod peccavit, quae displicentia dolorem causat in eo qui est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita ; — poenitentia vero *exterior*, qua quis exteriora signa doloris ostendit et verbotenus peccata sua confitetur sacerdoti absolventi et

iuxta eius arbitrium satisfacit, non debet semper durare, sed *usque ad determinatum* tempus secundum mensuram peccati (a. 8).

3. Attamen poenitentia *continua* esse, non debet *secundum actum*, quod est impossibile, quia necesse est quod actus cuiuscumque virtutis interpoletur ad minus somno et aliis quae ad necessitatem corporis pertinent ; — sed *secundum habitum*, in quantum homo nunquam aliquid contrarium poenitentiae faciat, et propositum habeat quod semper sibi praeterita peccata displiceant (a. 9).

SECUNDA PARS.

DE EFFECTIBUS POENITENTIAE.

452. **Effectus proprius Poenitentiae** est sanatio reparativa a peccato actuali post Baptismum commisso.

Unde a) negative remittit et aufert 1) omne peccatum mortale cum poena aeterna, 2) peccata venialia, 3) poenam temporalem debitam, saltem partialiter ; — b) positive : 4) restituit gratiam gratum facientem, cum virtutibus et merito bonorum operum, et in sacramento tribuit speciale auxilium contra vulnera peccati, ad non relabendum.

Hinc quatuor quaestiones, in quibus simul spectanda venit virtus Poenitentiae et sacramentum.

QUAESTIO PRIMA.

DE REMISSIONE PECCATORUM MORTALIUM.

S. Th. III, q. 86 et 88.

453. *Thesis I.* **Poenitentia in hac vita delet omnia peccata mortalia.** — Est *de fide* ex Symbolo Leonis IX, ex Conc. Lat. IV, et ex Trid., sess. 14, c. 2, can. 1.

Constat ex universalitate promissionis Dei in V. T. : « Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor amplius » (Ez. XVIII, 22), et Christi in N. T., sine restrictione dicentis : « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis » (Ioh. XX, 23).

Sane, si aliquod peccatum non posset per Poenitentiam deleri in hac vita, ideo esset, vel quia aliquis de peccato poenitere non posset, vel quia Poenitentia non habet vim delendi peccata. Non primum, quia hoc esset tollere libertatem arbitrii, cuius proprium

est esse in hac vita flexibile in bonum et malum[1], et derogare virtuti gratiae per quam efficaciter moveri potest cor cuiusvis hominis ad poenitendum, et quocumque Deus voluerit inclinari (Prov. XXI, 1). — Non secundum, quia a) hoc repugnat divinae misericordiae infinitae, quae affligitur de malitia (Ioel II, 13) : vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo vellet peccatum deleri quod Deus delere non vellet ; b) item derogaret virtuti passionis Christi per quam operatur Poenitentia : Christus enim satisfecit pro peccatis totius mundi (I Ioh. II, 2). Ergo.

454. *Thesis II.* **Poenitentia non delet peccata sine intrinseca immutatione voluntatis peccatoris, per gratiam Dei,** i. e. sine actu poenitentiae saltem implicito seu voluntate saltem implicita retractandi et reparandi peccatum ex gratia Dei efformata. — Primum est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 6, can. 9, et 11 ; sess. 14, c. 4, can. 4 ; et fusius probatur in tr. de gratia. Alterum saltem est *certum* et patet ex iis quae diximus de poenitentiae necessitate, n. 412.

Constat tum ex parte peccatoris, tum ex parte Dei condonantis.

a) *Ex parte peccatoris* offendentis, qui peccati manet reus, usquedum illud retractaverit : est enim aversus a Deo fine ultimo et conversus ad creaturam, voluntarie privatus gratia et amicitia Dei, iniurius in Deum et odio dignus. Atqui sine immutatione intrinseca eius voluntatis non intelligitur conversus ad Deum et non conversus ad creaturam, aut retractasse abdicationem amicitiae et gratiae, et sic non esse amplius iniurium Deo et eius odio dignum. Ergo (I, n. 517).

b) *Ex parte Dei* offensi et condonantis : repugnat enim aeternae eius iustitiae, veritati et sanctitati, habere ut iustum et bonum illum qui intrinsece est iniustus et cuius voluntas alligatur peccato, habere ut amicum et amore suo dignum qui est inimicus et odio dignus, se convertere ad illum qui voluntarie manet ab eo aversus. Ergo Deus, eo ipso quod peccatum remittit, pecca-

---

1. « In operibus Dei non est aliquid frustra, sicut nec in operibus naturae : hoc enim et natura habet a Deo. Frustra autem aliquid moveretur, nisi posset pervenire ad finem motus. Necesse est ergo quod id quod natum est moveri ad aliquem finem, sit possibile venire in illum finem. Sed homo, postquam in peccatum cecidit, quamdiu status huius vitae durat, remanet in eo aptitudo ut moveatur in bonum, cuius signa sunt desiderium de bono et dolor de malo, quae adhuc in homine remanent post peccatum. Est igitur possibile hominem post peccatum iterum redire ad bonum, quod gratia in homine operatur... Hinc est quod dicit Isaias I, 18 et Prov. X, 12. Hoc etiam quotidie a Domino non frustra petimus dicentes : *Dimitte nobis debita nostra.* Per hoc autem excluditur error Novitianorum qui dixerunt quod de peccatis quibus post Baptismum peccat homo veniam consequi non potest ». S. Thomas, C. G. III, 156.

torem reddit bonum et amore dignum, ex impio facit iustum, et sic voluntatem eius mutat, quod sine retractatione peccati esse nequit.

Haec itaque inter condonationem et gratiam hominis, ac condonationem et gratiam Dei est differentia, quod prima potest esse mere extrinseca, altera necessario est intrinseca : « potest scil. contingere quod homo remittat offensam, qua offensus est alicui, absque aliqua immutatione voluntatis eius ; non autem contingere potest quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis eius » (a. 2).

455. *Thesis III.* **Poenitentia delet omnia peccata mortalia simul, quia unum remitti nequit sine altero.** — *Certum* est. *Probatur :*

1° Peccatum mortale remittitur in quantum tollitur offensa Dei per gratiam : « offensa scil. directe opponitur gratiae : ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus quod repellat eum a gratia sua » (a. 2). Sed omne peccatum mortale contrariatur gratiae divinae et excludit eam. Ergo impossibile est quod unum peccatum sine alio remittatur.

2° Peccatum mortale non potest remitti sine actu sincerae poenitentiae, ut patet ex n. praec. Atqui non potest esse vera poenitentia nisi sit de omnibus peccatis mortalibus : poenitentia enim detestatur peccata sub ratione omnibus communi, in quantum sunt contra Deum (a. 3). Ergo.

3° Peccata mortalia sunt inter se connexa secundum aversionem a Deo : quodlibet enim dissolvit amicitiam cum Deo (I, n. 445). Atqui is cui dimittitur peccatum, recipitur in amicitia Dei. Ergo non potest tolli unum sine alio.

456. Animadversiones. — 1. Peccata ita delentur ut non redeant per sequens peccatum, ad modum quo opera bona reviviscunt per gratiae recuperationem. Quamvis enim improprie et secundum quid dici possint redire, in quantum per peccatum novum homo privatur gratia et fit reus poenae aeternae sicut prius erat, et in quantum peccatum novum gravius est propter ingratitudinem maiorem, non tamen proprie et simpliciter redeunt, quia peccator non contrahit privationem gratiae ex eadem causa seu ex eodem actu peccaminoso (Rom, XI, 29 ; Ez. XVIII, 30; Ps. L, 11-12 ; Is. I, 18; Mich. VII, 19). Et ideo non est Deo exosus et damnandus propter peccata olim admissa etiam condonata.

2. Poenitentia nostra considerari potest dupliciter : ut actus virtutis et ut pars sacramenti, et utroque modo est causa remissionis peccati, sed diversimode : ex opere operantis vel ex opere operato.

a) In quantum est actus virtutis, efficit retractationem et compensationem peccati, et sic est *causa efficiens* remissionis quantum ad remotionem offensae quae est impedimentum ad gratiam

remissivam, sed est solum *causa dispositiva seu materialis* quantum ad infusionem gratiae.

b) In quantum est pars sacramenti, est *causa efficiens instrumentalis,* quae ad ipsam infusionem gratiae et ad ipsam condonationem peccati et poenae operatur instrumentaliter ; « et sic patet quod remissio culpae est effectus poenitentiae secundum quod est virtus, principalius secundum quod est sacramentum » (q. 86, a. 6).

3. Sacramentum Poenitentiae remissionem peccati producit ex opere operato, non ex merito aut dispositione hominis operantis, v. g. ex fide aut contritione, sed ex virtute operis seu operati, scil. ipsum signum quod ponitur nomine Christi vim habet gratiam conferendi et delendi peccatum. Dispositio nostra est mera conditio ; causa efficiens gratiam producens est ipsum signum sacramentale ut Dei instrumentum, scil. absolutio quae communicat vim sacramentalem ipsis actibus poenitentis etsimul cum iis effectus operatur.

Quapropter contra Protestantes, qui contendebant peccata per fidem remitti et absolutionem sacerdotis non esse nisi nudum ministerium pronuntiandi et declarandi peccata esse per fidem remissa, definivit C. Trid. : « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tamen credat se esse absolutum... a. s. » (can. 9).

Simile quid antiquitus docuerunt quidam Scholastici cum P. Lombardo : absolutione sacerdotis proprie non dimitti peccata sed ostendi ea esse remissa aut retenta et homines esse ligatos vel solutos ; sensu tamen prorsus diverso. Non enim dicebant peccata sola fide seu fiducia dimitti, quam fidem excitabant praedicando remissionem peccatorum, sed simul per contritionem et ministerium sacerdotum. Secundum Protestantes, contritio et absolutio non sunt conditio sine quibus non ; sed vel medium, licet non necessarium, obtinendi iustificationem ex opere operantis quatenus excitabant fidem, vel signum et nuda declaratio fidei habitae et remissionis obtentae. Scholastici ea habent ut conditiones sine quibus non, ita ut divina virtus sit exterius assistens in sacramento, et concomitanter efficiens ut quod sacerdos solverit in terris Deus solvat in coelo. Unde operatio ministri ostendit praesentem operationem Dei per quam in sacramenti collatione culpa remittitur, non autem est nuda declaratio sine effectu.

Quod tamen non est sufficiens, quia ita Deus operaretur solum *cum* sacerdote, non vere *per* sacerdotem.

QUAESTIO SECUNDA.

DE REMISSIONE PECCATORUM VENIALIUM.

S. Th. III, q. 87 ; Q. D. de Malo 7, a. 2 et 12.

457. *Thesis I.* **Peccata venialia delentur charitatis fervore seu actuali exercitio quod virtualiter et implicite includit horum peccatorum displicentiam.**

Probatur : Unumquodque tollitur per suum oppositum. Atqui peccatum veniale non contrariatur habituali gratiae vel charitati, sed solum retardat actum eius ne in Deum feratur, in quantum nimis inhaeret bono creato : sic enim in actu quo committitur impedit charitatis exercitium. Ergo tollitur per aliquem motum gratiae vel charitatis, seu per actum quo removetur inordinata adhaesio ad res temporales.

Aliis verbis : Peccatum veniale non tollit gratiam habitualem et habitualem ordinationem ad Deum finem ultimum, sed solum actualem tendentiam ad Deum : est enim actus qui mere non refertur ad Deum. Ergo tollitur et remittitur actu qui ad Deum tendit et qui actum praecedentem retractat seu retractationem peccati includit.

Hinc : 1) *Nequit remitti sine aliquo motu poenitentiae,* saltem virtuali et implicito, illud retractante et reparante : ut enim diximus n.412, homo peccati manet reus donec illud retractaverit.

Nam cessante actu voluntario quo homo recedit vel sese separavit aliqualiter a coniunctione ad Deum, non statim ad Deum redit et coniungitur, « sed requiritur motus voluntatis contrarius primo motui, sicut si aliquis sit distans alicui per aliquem motum, non statim cessante motu fit ei propinquus sed oportet quod appropinquet rediens per motum contrarium » (I-II, q. 86, a. 2).

Atqui, per peccatum mortale mens omnino avertitur a Deo, utpote contra charitatem agens, per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis ne prompte in Deum feratur... Et ideo sicut peccatum mortale remitti non potest quamdiu voluntas peccato adhaeret (seu non retractat), ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causa (scil. adhaesione ad peccatum) manet effectus » (q. 87, a 1), scil. reatus culpae qua homo aliqualiter separatur a Deo.

2) *Non tamen* a) *requiritur motus poenitentiae formalis,* sicut pro unoquoque peccato mortali, ad quod remittendum est per se necessarium ipsum Poenitentiae sacramentum, et quod per accidens solo actu charitatis remitti potest, non tamen sine voto formalis poenitentiae ; — b) *nec sufficit sola habitualis displicentia,* quae habetur per solum habitum charitatis vel poenitentiae virtutis, quia sic charitas non compateretur peccatum veniale quod patet esse falsum ; — sed c) *per se sufficit virtualis displicentia* et implicita retractatio, qua « aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret » (a. 1).

3) *Requiritur* autem *motus ex gratia habituali* factus seu *ex charitate formatus* (a. 3 ; a. 2, ad 1 ; a. 4, ad 2). Remissio peccati enim non potest fieri nisi per opus satisfactorium gratum et acceptum Deo fini supernaturali ; sed nullum opus est gratum et acceptum Deo fini supernaturali, nisi fiat ex gratia habituali a persona Deo grata et accepta. Ergo.

Aliis verbis : Remissio peccati est opus gratuiti favoris et acceptationis divinae ; opus autem gratuiti favoris et acceptationis divinae supponit Dei amicitiam ; ergo.

4) Imo *omnis bonus motus ex gratia habituali factus,* quo peccatum veniale displicet, etiamsi non ex motivo charitatis fiat, *videtur sufficiens* ad remittendum illud veniale quod retractat, — nec requiritur contritio perfecta aut determinati gradus vel intensionis. Remittitur enim peccatum veniale per actum ex gratia factum et charitate formatum qui illud sufficienter retractat. Atqui omnis contritio seu displicentia etiam imperfecta et minima, dummodo sit vera et sincera, peccatum veniale sufficienter retractat, et si fiat a iusto in statu gratiae est ex gratia habituali et charitate formata. Ergo sufficit ad remissionem cuiuscumque peccati venialis. Confirmatur : Charitas imperat omnibus virtutibus supernaturalibus et ideo actus omnium virtutum ea formantur, etiamsi non immediate ex eius motivo procedant.

458. *Thesis II.* **Peccatum veniale remitti potest sine nova infusione gratiae habitualis.**

Probatur : Unumquodque tollitur per suum oppositum. Atqui peccatum veniale non contrariatur habituali gratiae vel charitati. Ergo ad illud tollendum non requiritur nova infusio gratiae habitualis vel charitatis. Et ideo, remitti potest, etiam extra sacramentum ex solo opere operantis, etiam contritione imperfecta.

459. *Thesis III.* **Peccatum veniale remittitur solo fervore charitatis** qui eius displicentiam includit. — Quamvis multae aliae causae recenseri soleant (C. Trid., sess. 14, c. 5), ad hanc unam reduci possunt, quia non sunt nisi media ad fervorem charitatis procurandum, ac non im-

mediate remittunt sed mediante actu virtualis poenitentiae. Quod ita fere ostendit S. Thomas, Q. D. de Malo 7, a. 12 :

« Per fervorem charitatis peccata venialia remittuntur ; et ideo quaecumque nata sunt excitare fervorem charitatis possunt causare remissionem peccatorum venialium.

« Actus autem charitatis ad voluntatem pertinet ; quae tripliciter ad aliquid inclinatur : a) aliquando ex sola ratione aliquid demonstrante ; b) aliquando ex ratione simul et aliquo interiori instinctu qui est a causa superiore scil. Deo (motione speciali gratiae actualis) ; c) aliquando autem cum hoc etiam ex inclinatione habitus inhaerentis.

Ergo 1) sunt quaedam quae causant remissionem peccati venialis in quantum inclinant voluntatem ad ferventem charitatis actum secundum tria praedicta, et sic per sacramenta N. L. venialia peccata remittuntur, quia et ratio ea considerat ut salutares medicinas, et divina virtus in iis secretius operatur salutem, et etiam per ea confertur habitualis gratiae donum ». Ista remittunt *ex opere operato : certo* ita faciunt quae directe instituuntur ad remissionem peccati, scil. Baptismus, Poenitentia, Extrema Unctio, et etiam Eucharistia quae est remedium contra quotidianas culpas ; insuper secundum S. Thomam idem dicendum est de aliis sacramentis, quia gratia quae infunditur nata est excitare liberum arbitrium ad fervorem charitatis et peccati detestationem, nisi tamen impedimentum sit ex parte subiecti.

2) « Quaedam sunt quae causant remissionem venialis peccati secundum duo praedictorum : non enim causant gratiam sed excitant rationem ad aliquid considerandum quod excitat charitatis fervorem et etiam pie (i. e. recte) creditur (propter orationem Ecclesiae) quod virtus divina interius operatur excitando dilectionis fervorem », uti fit in sacramentalibus v. g. aspersione aquae benedictae, confessione generali et absolutione sacerdotis ante communionem, oratione in ecclesia dedicata, unctione corporis, etc. : ista remittunt *ex opere operantis Ecclesiae.*

3) « Quaedam vero sunt quae causant remissionem venialis peccati solummodo excitando charitatis fervorem per modum considerationis, sicut oratio dominica, tunsio pectoris, et omnia opera bona, non quidem semper, sed quando includunt virtualem peccati contritionem ». Ista remittunt *ex solo opere operantis* poenitentis.

« Attamen omnia ista causant remissionem peccatorum venialium in quantum inclinant animam ad motum poenitentiae qui est detestatio peccatorum vel implicita vel explicita » q. 87, a. 3, ad 1.

460. Corollaria. — 1. Peccata venialia saepius non tolluntur immediate a sacramento Poenitentiae, quia plerumque iam sunt remissa actu contritionis praecedente absolutionem ; at tunc rursus absolutione condonantur eodem modo ac peccata mortalia iam antea dimissa (n.434) ; aliquando tamen fit ut non deleantur ante absolutionem : 1) si coniuncta sunt peccatis mortalibus, quia tunc simul cum iis remittuntur ; 2) si contritio sit sufficiens ad aliquorum, sed non ad omnium venialium remissionem : tunc gratia a sacramento collata excitare potest ad contritionem sufficientem de aliis non remissis (n. 459). — At etiam, si nunquam ab ipso sacramento delerentur, non esset inconveniens, nam secundum S. Thomam, q. 65, a. 1, ad 8 : « nullum sacramentum N. Legis institutum est directe contra venialia ». Et tamen in hoc casu non superflue subiicerentur venialia sacramento, non solum quia instituendo confessionem facilius contritionem de peccatis habeant fideles, sed etiam quia sacramentum confert tum ad pleniorem remissionem quoad poenam, tum ad remissionem certiorem quia inter venialia possent esse mortalia, tum ad gratiam specialem sanativam et de se praeservativam a peccatis confessis.

Hinc non requiritur attritio determinatae intensitatis vel gradus ad obtinendam remissionem peccati venialis extra sacramentum Poenitentiae, uti tenent multi recentiores cum Lugo, qui aiunt attritionem non sufficere ad delenda quaecumque venialia extra sacramentum Poenitentiae, sed ad pauciora vel plura secundum quod sit ex meliore motivo, cum maiore intensitate vel duratione, aut cum pluribus bonis operibus. Etenim a) omnis etiam minima contritio de peccato veniali, si sit sincera, est retractatio eius, ut dictum est (n. 457); b) peccatum veniale non opponitur determinatae intensitati seu gradui charitatis, quia nihil aufert nec minuit de charitatis habitu, cui non opponitur ; c) sicut minima contritio perfecta sufficit ad remissionem omnium peccatorum mortalium, ita minima contritio imperfecta ex gratia facta sufficit ad remissionem omnium venialium.

Nec huic doctrinae obstat sensus communis fidelium qui peccata confitentur ad obtinendam venialium remissionem : id enim faciunt, sicut pro peccatis mortalibus remissis, ad certiorem remissionem ac pleniorem atque contra relapsum ; vel potius credunt sacramentum efficaciam habere ad remissionem venialium quin praecise cogitent qualis illa sit.

2. Non tamen omnis affectus in Deum aut res divinas est virtualis poenitentia respectu omnis peccati venialis, sed tantum respectu illius quod displiceret si occurreret, sicque non quodlibet peccatum veniale tollitur per quemlibet affectum in Deum, sed illud solum cuius dictus affectus est virtualis displicentia. Unde plena erit remissio, si nullus omnino affectus retineatur ad veniale.

3. Hinc unum peccatum veniale remitti potest sine altero, quia aliquis potest habere poenitentiam virtualem circa aliquod peccatum et non circa alia, unde impeditur remissio quoad illa quibus adhaeret. A fortiori possunt remitti mortalia, quin remittantur venialia.

4. Actus charitatis tam insignis ut detestaretur quodcumque veniale, remissionem omnium obtinet, non tamen omnium poenarum, ut nunc est dicendum.

QUAESTIO TERTIA.

DE REMISSIONE POENARUM.

S. Th. III, q. 86, a. 4 et 5 ; q. 87, a. 3, ad 3 ; suppl. q. 18, a. 2.

461. *Thesis I.* **Poenitentia, per solam contritionem perfectam, vel per contritionem imperfectam in sacramento, una cum culpa remittit poenam aeternam peccato mortali debitam ex parte aversionis.**— Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 6, c. 14 et can. 30.

Probatur : Poenitentia non remittit mortale peccatum nisi per infusionem gratiae habitualis gratum facientis. Sed gratia habitualis nos reddit participes divinae naturae, Dei amicos eiusque filios adoptivos, atque iure haeredes vitae et beatitudinis aeternae. Ergo poenitentia una cum culpa peccati mortalis, remittit poenam aeternam.

462. *Thesis II.* **Poenitentia simul cum culpa mortali aut veniali remittit, saltem partialiter, poenam temporalem debitam peccato ob conversionem inordinatam ad creaturam et honorem Deo inde subtractum.**

Quod facit dupliciter : a) *contritione et confessione*, quae, propter erubescentiam, iam includunt reparationem quamdam honoris divini per peccatum laesi ;

b) *satisfactione*, praesertim quae est a sacerdote imposita, atque, ut ait Trid., sess. 14, c. 3, ad plenam perfectamque remissionem peccatorum concurrit.

Quae ex opere operantis id facere possunt dum fiant in ipsa iustificatione aut in statu gratiae ; sed vi absolutionis fiunt titulus et causa remissionis poenae ex opere operato.

463. *Thesis III.* **Poenitentia, etiam in sacramento, simul cum culpa etiam mere veniali,** *non semper* **totam remittit poenam, sed** *ordinario* **remanet poena temporalis subeunda ad honorem Deo subtractum plene restituendum.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 6, c. 14, can. 30, et sess. 14, c. 8, can. 12.

Sic etiam homo cui damnum illatum fuit ab inimico, remittit culpam offensori dum iste reconciliationem quaerendo veniam petit, sed exigit nihilominus reparationem damni illati.

Probatur : 1° *Ex Scripturis*, scil. tum *ex exemplis* illorum qui, remissione peccati obtenta, nihilominus poenam subire debent (Adam, Moyses et Aaron, David), tum *ex verbis* quae hortando consulunt imo praecipiunt poenitentialem satisfactionem (Ioël II, 12 ; Dan. IV, 24 ; Lc. III, 8).

Nec iuvat dicere cum Luthero has poenas solum ordinari ad emendationem ; nam ex contextu patet etiam infligi in castigationem.

2° *Ex perpetua traditione*, scil. non solum a) ex *antiqua et constanti praxi Ecclesiae*, definitione C. Trid. authentice firmata (sess. 6, c. 14, can. 30 ; sess. 14, c. 3 et 8, can. 4, 12, 13, 15), — sed etiam b) *explicitis testimoniis* v. g. Tert. de Poen. 9 ; Cypr. de laps. ; Orig. hom. 3 in Iud. 2 ; hom. 9 in Lev. ; Ambr. in Lc. VII, 156 ; de Poen. II, 6 ; Bas. hom. attende, 4 ; Hier. in Ioël I, 13 ; Aug. c. Faust. XXII, 67 ; in Ps. L, 11 ; Greg. Mor. IX, 34 ; — insuper c) ex *connexione cum dogmate Purgatorii.*

3° *Ex ratione* stricte probari nequit, cum Deus posset simul poenam remittere et culpam ; ostendi tamen potest ita rationabiliter fieri :

A. *Ex natura peccati et eius remissionis.* In remissione peccati non mutatur poena aeterna in temporalem, uti dixerunt Scotus et Suarez, nam remissio poenae aeternae naturaliter sequitur remissionem culpae seu aversionis a Deo: per gratiam enim restituitur amicitia Dei et ius ad vitam aeternam, unde non potest homo aeternaliter separari a Deo et mereri poenam aeternam damni, et per consequens haec poena totaliter tollitur. Ceterum, ut notat Caietanus, verba absolutionis absolvunt, non mutant. — Sed dicendum cum S. Thoma (q. 86, a. 4, et in IV Sent., d. 14, q. 2, a. 1, qc. 2) satisfactionem requiri, quia ordinario non sufficienter reparatur conversio indebita ad creaturam.

In peccato enim duplex est inaequalitas, opposita scil. amicitiae et iustitiae ; aequalitas nempe amicitiae laeditur in affectu, aequalitas iustitiae in effectu seu in rebus. Utraque autem laesio est reparanda. Nam a) divina amicitia violatur aversione a Deo, quae meretur poenam aeternam, et recompensatur contritione quae est recompensatio amicitiae violatae et aequalitatem amicitiae restituit (quantum homini possibile est) ; b) etiam honor

Deo debitus ei subtrahitur conversione indebita ad creaturam, qua lex violatur, atque impeditur ne Deo honorem debitum omnibus actibus tribuamus ; quod meretur poenam temporalem (I, n. 524). Iamvero hoc *ordinario* non totaliter recompensatur uno actu contritionis, quo non semper totus honor redditur qui fuit sublatus ; unde remanet temporalis poena ad aequalitatem iustitiae restituendam.

Saltem *ordinario :* exceptionaliter enim fieri potest, ut omnis poena tollatur, si contritio sit extraordinaria et valde magna sive ex parte charitatis sive ex parte doloris sensibilis.

Itaque : Quod sublatum est aversione a Deo nequit totaliter reddi, et ideo Deus recompensationem perfectam non exigit, sed contentus est imperfecta (n. 396); honor sublatus conversione ad creaturam potest totaliter restitui,et ideo etiam a Deo exigi potest.

B. *Ex differentia Baptismi et Poenitentiae* (a. 4, ad 3 ; suppl. q. 18, a. 2). In Baptismo homo recipit totaliter virtutem passionis Christi, quae de se sufficiens est ad remittendam omnem culpam et poenam : quia scil. per aquam et Spiritum sanctum, Christi commortuus est peccato et in eo *regeneratus ad novam vitam*, novus homo factus, in quo *nihil de vetere* (quantum ad animam) manere debet ; et ideo in Baptismo nulla poena remanet pro praecedenti peccato. Sed in poenitentia non mutatur homo in aliam vitam, quia non est regeneratio sed *sanatio* quaedam per proprios actus obtinenda, qua in pristinam vitam reparatur ; et ideo consequitur virtutem passionis Christi, non totaliter, sed secundum modum et dispositionem propriorum actuum qui sunt materia sacramenti Poenitentiae, sicut aqua Baptismi : in sanatione enim manent reliquiae morbi usque ad perfectam restitutionem. Unde non statim, per primum actum poenitentiae quo remittitur culpa, solvitur reatus poenae, sed completis omnibus actibus, inter quos etiam est satisfactio sufficiens praestanda.

Et sane, Poenitentia instituta est per modum iudicii, cuius etiam est punire delicta. Hinc, ait Conc. Trid., divinae iustitiae ratio exigere videtur ut qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aut saltem non cum tanta malitia, cum maiore indulgentia recipiantur quam qui gratiae Dei quam receperint ingrati, Spiritum s. contristaverint et scienter templum Dei violaverint. Unde aequum est ut ab his satisfactio exigatur (sess. 14, c. 8).

464. Obiiciunt Protestantes Scripturas quae affirmant Deum gratis remittere peccata, ita ut non recordetur eorum, nec ea amplius noceant (Ezech. XVIII, 22 ; XXXIII, 11-12). — At dicitur Deus a) *gratis* remittere peccata, scil. ipsam eorum culpam et poenam aeternam, non vero adnexam poenam temporalem ; — b) *non recordari* peccatorum, quia peccata non redeunt, et peccatorem conversum non considerat Deus ut inimicum, licet amicum poenis purget ; — c) *impietatem* peccatorum *non nocere*, quia opera poenalia non nocent, et quia iustus habet unde satisfaciat.

465. Animadversiones.— 1. Poenitentia remittit poenam temporalem non solum *ex opere operantis*, quia homo qui iustificatur vel iustus iam est poenitendo honorem a Deo ablatum partialiter restituit, sed etiam *ex opere operato*, quia vi sacramenti actus nostrae poenitentiae fit titulus et causa efficiens remissionis saltem partialis poenae debitae, et quidem a) ita ut amplius valeat ad expiandum peccatum quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus, i.e. etiam si ita factum non sufficeret ; b) imo etiam valeat ad remissionem maiorem quam obtineret eadem poenitentia ex merito proprio.

2. Si remanere potest poena temporalis, quia subtracto effectu ex parte aversionis, remanere potest quidam effectus ex parte conversionis inordinatae ad creaturam, a fortiori nil prohibet quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ad peccandum et infirmitas ad bonum ex praecedentibus actibus causatae, quae vocantur *reliquiae peccati;* ad quas auferendas ordinario unus actus est insufficiens. Remanent tamen *debilitatae* et diminutae, ita ut homini non dominentur, et hoc magis per modum dispositionis quam per modum habitus, quia retractantur.

3. Itaque sicut « Deus totum hominem perfecte curat ; sed quandoque subito sicut socrum Petri statim restituit perfectae sanitati, *ita ut surgens ministraret illis*, ut legitur (Lc. IV) ; quandoque autem successive sicut dictum est de caeco illuminato (Mc. VIII). Et ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem non solum remissa culpa sed sublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de Magdalena (Lc. VII). Quandoque autem prius remittit culpam (per gratiam operantem) et postea (per gratiam cooperantem) successive tollit peccati reliquias » et poenas (a. 5, ad 1).

QUAESTIO QUARTA.

DE RESTITUTIONE VIRTUTUM ET REVIVISCENTIA MERITORUM.

S. Th. III, q. 89.

466. *Thesis I.* **Poenitentia simul cum gratia habituali restituit omnes virtutes infusas.**

Probatur : Poenitentia non remittit peccatum mortale nisi mediante infusione gratiae habitualis gratum facientis (n. 454). Atqui ex gratia habituali fluunt omnes virtutes infusae, sicut ex anima potentiae. Ergo per poenitentiam simul cum gratia habituali omnes virtutes restituuntur.

467.*Thesis II.* **Poenitentia restituit merita bonorum operum ; unde opera bona virtutis viva, in statu**

gratiae et charitate facta, et per peccatum mortificata, per poenitentiam reviviscunt. — Est *certum.*

Thesis agit de operibus *vivis,* quae in charitate et gratia facta, a principio supernaturali inhaerente in se valorem supernaturalem et meritorium habent ; *sed mortificatis,* quae per subsequens peccatum mortale quod aufert gratiam impediuntur a suo effectu qui est perducere ad vitam aeternam, quatenus ad augmentum gratiae et vitam aeternam amplius perducere non valeant : haec merita restituuntur. Non autem de operibus *mortuis* seu honestis in statu peccati factis, quia ista ab initio et sine valore et merito sunt supernaturali, ac proinde nunquam in futurum possunt acquirere valorem quem non habent : non vixerunt et ideo rursus revivere non possunt ; — nec a fortiori de operibus *mortiferis* seu malis quae hominem gratia privant et sunt peccata mortalia : haec destruuntur per poenitentiam nec reviviscunt (n. 456, 1).

Probatur : 1° *Ex fontibus revelationis,* scil. ex verbis Scripturae traditione interpretatis. Ex sola Scriptura res peremptorie demonstrari nequit, quia verba afferenda stricte possunt aliter intelligi ; at cum Patres iis utantur ad proponendam reviviscentiae doctrinam, habetur argumentum ex traditione. Ita verba ad peccatores directa, Gal. III, 4 : *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa,* ita intelliguntur : si conversi fueritis, passiones illae non erunt sine causa sed iterum valebunt, ut explicant Hier. in h. l., Ambr. l. 1 in Lc., Chrys. hom. 10 in Gen. — Similiter Hebr. VI, 10 : *Non enim iniustus Deus ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis,* videntur indicare Deum non obliturum bona charitatis opera eorum qui post peccatum poenitentiam agunt sed ea esse remuneraturum. Atque ita interpretantur Epiph. haer. LIX, 2 ; Chrys. hom. 10 in Gen. ; Athan. or. de blasph. in Sp. s. ; Aug. de fide et op. 14.

2° *Ex Concilio Tridentino,* sess. 6, c. 16, quod tres solum ponit conditiones ad meritum : 1) opera sint *in Deo facta,* scil. sub influxu gratiae divinae, 2) sint hominis *iusti,* 3) *qui in gratia moriatur ;* et non addit quartam : quod non fuerint mortificata. Unde ait can. 32 : *si tamen in gratia decesserit,* non autem : si in gratia semper permanserit.

3° *Ratione :* Causa remanens, sed carens suo effectu ob impedimentum, effectum producit impedimento sublato. Atqui opera in charitate facta seu procedentia ex intrinseco principio inhaerente vitae supernaturalis, si secundum se spectantur, per peccatum mortale nil amittunt de iis quae pertinent ad eorum vitam, et ideo semper in acceptatione divina manent, quatenus *de se* digna vitae aeternae ; licet per accidens inefficacia sunt ad ducendum in vitam aeternam propter impedimentum peccati, et a suo effectu impediuntur quatenus peccator est vitae aeternae indignus. Ergo, impedimento peccati sublato, producunt suum effectum. Hoc autem impedimentum tollitur per poenitentiam. Ergo per poenitentiam opera mortificata recuperant suum effectum, seu *efficaciam* vere perducendi in vitam aeternam illum qui ea perfecit ; quod est reviviscere.

468. **De modo seu gradu quo virtutes restituuntur et merita reviviscunt** disputatur inter theologos. — Omnes quidem admittunt et merita totaliter reviviscere sicut antea erant et ad totum praemium ad quod de se valebant ; unde nulla est differentia *ex parte ipsius reviviscentiae,* sed tota differentia provenit ex eo quod aliter concipiunt ipsum meritum vitae aeternae et augmentum gratiae.

A. Multi recentiores, post Nominales, ut Vasquez, Suarez, Lugo et alii, praesertim ex S. I., habent actus nostros ut *solas causas morales et meritorias* gratiae et gloriae, atque dicunt omnes actus mereri determinatum gradum gratiae et gloriae et ideo virtutes et merita semper restitui in eodem gradu gratiae quo existebant ante peccatum. Unde etiam dicunt (quod incredibile videtur) peccatorem semper resurgere in gratia maiore illa quam habebat, eo quod determinatum gradum gratiae pro omnibus praecedentibus operibus recuperet et insuper novum gradum pro praesenti dispositione.

Praecipuum eorum fundamentum est a) non posse intelligi bonorum operum meritum et reviviscentiam, nisi unicuique operi detur speciale praemium i. e. specialis gradus gratiae et gloriae ; secus non plus mereremur pluribus operibus quam uno ; — b) nec opera peccatoris totaliter reviviscerent ; — et c) peccata remissa poena aeterna punirentur, privatione scil. determinati gradus gratiae et gloriae correspondentis.

B. E contra veteres : S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus et Thomistae : Caietanus, S. Antoninus, Bannez, Sylvius, Contenson, ad quos recentius accessit Billot, habent actus nostros non solum esse *causas morales et meritorias,* sed *et insuper dispositivas,* atque dicunt omnia opera bona mereri gratiam et gloriam sed non in determinato gradu, nisi sub conditione quod adsit ad illum

gradum proportionata dispositio (C. Trid., sess. 6, c. 7). Unde, ait S. Thomas, « secundum quod motus liberi arbitrii in poenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc poenitens consequitur maiorem vel minorem gratiam. Contingit autem intensionem motus poenitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiae quam fuerat illa a qua ceciderat per peccatum ; quandoque autem aequali, quandoque vero minori. Et ideo poenitens quandoque resurgit in maiori gratia quam prius habuerat, quandoque autem in aequali, quandoque etiam in minori, et eadem ratio est de virtutibus quae ex gratia consequuntur » (a. 2).

Ratio *generalis* est principium philosophicum quod qualitates quae admittunt plus et minus, in maiore vel minore gradu existunt secundum diversam dispositionem subiecti. Unde opera bona non sunt obtentura augmentum gratiae, nisi momento quo ad illud aderit proportionata dispositio. — Ratio *specialis* est opera reviviscere sicut antea erant, scil. ita ut mereantur augmentum gratiae sub conditione quod adsit conveniens ad hoc dispositio. Haec abest, sed non propter praecedens peccatum sed propter indispositionem actualem. Ergo opera reviviscunt ad totum praemium ad quod quantum est de se et ratione sui se extendebant.

Respondent argumentis prioris sententiae :

Ad 1m. Opera esse meritoria etiam si non obtineant speciale praemium, quia idem praemium potest dari pluribus titulis : magna est perfectio moralis habere gloriam coelestem non solo titulo gratuito haereditatis sed etiam ut coronam operum, et eo maior est perfectio quo ex titulo plurium operum obtinetur. Ita Christus qui ius habebat ad gloriam corporis, idem ius meruit suis operibus, et non tantum uno sed omnibus.

Ad 2m. Reviviscunt totaliter *ut sunt secundum se*, quia, ut dictum est, post peccatum sicut antea merentur determinatum gradum gratiae dummodo adsit conditio requisita, scil. conveniens et proportionata dispositio nostra (a. 2, ad 2).

Ad 3m. Non remanet poena aeterna, quia poena est id quod meritorie est a peccato. Peccatum mortale meretur privationem gratiae ut sic, sed non privationem in determinato gradu, ut constat ex eo quod ex gravissimo peccato potest sequi amissio minimae gratiae et ex minimo etiam amissio maximae gratiae; unde restituta gratia in quocumque gradu eo ipso omnis poena privativa aufertur.

C. Post controversiam quidam thomistae recentiores sententiam intermediam elegerunt, dicentes non omnem gratiam restitui si non adsit dispositio, aliquem tamen gradum maiorem reddi propter merita praecedentia, v. g. si quis habeat dispositionem ad gradum 5m, recuperabit gratiam in gradu 10o: ita Soto, Nugno, Alvarez, Ledesma, Gonet, Billuart. Sed hoc non est secundum principia S. Thomae de conformitate proportionata ad dispositiones, nec est secundum principia prioris sententiae secundum quam opera totaliter reviviscunt. Unde videtur relinquendum tamquam illogicum ; et ceteroquin in nullo fundatur.

469. Corollarium. — Differentia est inter peccata et opera bona. Peccata *secundum se* radicaliter destruuntur et abolentur a Deo per poenitentiam sub gratia factam : non ita quod actus peccatorum non praecesserint, sed quod non habeant vim impediendi gratiam ; — opera meritoria cum sint gratiae non valent *secundum se* destrui et aboleri ab homine et ideo solum per accidens impediuntur a suo effectu, quia peccatum mortale reddit hominem incapacem praemii (a. 5, ad 1). « Remissio peccatorum, ait S. Thomas, in IV, d. 22, q. 1, a. 1, ad 6, est principaliter opus Dei sed mortificatio meritorum praecedentium est opus hominis. Homo autem sua actione non potest evacuare simpliciter opus Dei, quamvis possit impedire ne sibi prosit ; et ideo homo per peccatum sequens non potest remissionem praecedentium peccatorum annullare. Potest autem sua actione evacuare quod per ipsum factum est, et ideo potest mortificationem praecedentium meritorum per merita sequentia poenitens annullare, praecipue gratia adiutus ».

470. Animadversiones. — Ex doctrina generali de sacramentis colligitur :

1o Gratiam sacramentorum ante lapsum receptorum, peccatore per poenitentiam sese convertente, restitui dummodo in ipso remaneat titulus sacramentalis ad gratiam recipiendam. Ita Baptismi, Confirmationis, Ordinis gratia reviviscit tota vita durante, quia semper manet character indelebilis ; gratia Extremae Unctionis et Matrimonio durante eadem aegritudine et eodem coniungio (n. 58).

2o Sacramentum Poenitentiae maiorem gratiam concedere ex opero operato quam solus actus virtutis Poenitentiae ex opere operantis. Inter dispositiones nostras et gratiam ex opere operantis concessam requiritur aequalitas arithmetica, sed inter dispositiones et gratiam sacramenti ex opere operato sola aequalitas proportionalitatis.

3o Sacramentum Poenitentiae, ad differentiam virtutis, etiam dare specialem gratiam sacramentalem, quae est sanativa peccatorum clavibus subiectorum, et ideo speciale confert auxilium ad non relabendum in haec eadem peccata.

TERTIA PARS.

DE PARTIBUS POENITENTIAE.

S. Th. III, q. 90.

471. Notiones. — Dum in theologia *de partibus Poenitentiae* sermo instituitur, non intelliguntur partes essentiae seu elementa, quae constituunt sacramentum secundum suam totalitatem, scilicet materia et forma, de quibus dixi-

mus supra ; sed *partes unius elementi*, scilicet *solius materiae*, quae *dici solent integrales* secundum analogiam ad res materiales. Sicut in homine distinguuntur plures partes ex quibus integrum fit corpus humanum : cerebrum, cor, pectus, brachia, crura ; ita in sacramento Poenitentiae elementum materiale integrum habetur et ita perfectio Poenitentiae integratur ex pluribus actibus (a. 1 et 2).

Sicut autem in homine, inter partes integrales, quaedam sunt *etiam essentiales* sine quibus substantia humana esse non potest (v. g. cor, cerebrum), et aliae *mere integrales* sine quibus homo esset sed non esset completus (brachia, crura, nasus), ita in sacramento Poenitentiae duae partes sunt sine quibus esse non potest : contritio et confessio ; tertia sine qua non esset integrum : satisfactio [1].

472. Tres sunt partes integrales sacramenti Poenitentiae. — *Certum* est. *Probatur :*

1° *Ex doctrina Ecclesiae :* Conc. Flor., decr. pro Armenis ; et Trid., sess. 14, c. 3 et can. 4.

2° *Ex ratione theologica :* Poenitentia intendit recompensationem peccati, non in quantum haec est restitutio ordinis laesi et redintegratio aequalitatis iustitiae (ut facit iustitia vindicativa), sed in quantum est reconciliatio amicitiae inter Deum et hominem ; unde in ea fit recompensatio offensae secundum voluntatem offendentis et offensi, i. e. secundum spontaneam oblationem ex parte peccatoris offendentis et secundum arbitrium Dei offensi.

Atqui ad talem recompensationem requiruntur tria : 1° voluntas recompensandi, quod fit per contritionem, 2° subiectio facta arbitrio sacerdotis loco Dei peccatum remittentis, quod fit in confessione, 3° recompensatio secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione.

Et ideo contritio, confessio et satisfactio sunt partes integrales Poenitentiae (a. 2).

---

1. Supponitur tamen semper animi dispositio ad satisfaciendum quae includitur in contritione, et sine qua non esset vera contritio.

473. Animadversiones. — 1. *Contritio, confessio et satisfactio sunt partes Poenitentiae in quantum est sacramentum,* non in quantum est virtus.

Nam actus poenitentis qui multiplicantur non sunt partes habitus, ex quibus scil. habitus constituitur, sed *effectus* eius. « Unde relinquitur quod partes assignentur Poenitentiae in quantum est sacramentum, ad quod actus humani comparantur ut materia » proxima (a. 1, ad 2). Et ideo quamvis contritio sit principalior actus poenitentiae ut est virtus, et principalior dispositio poenitentis, confessio tamen principalitatem habet in quantum est pars sacramenti seu signi sensibilis, quia est per se sensibilis, dum contritio de se sensibilis non sit sed « virtualiter in quantum implicat propositum confitendi et satisfaciendi » (a. 2, ad 1). Unde S. Thomas : « Poenitentia, in quantum est sacramentum, praecipue in confessione perficitur, quia per eam homo ministris Ecclesiae se subdit, qui sunt sacramentorum dispensatores » (Suppl. q. 10, a. 1).

2. *Non partes sunt subiectivae* (sicut species), quibus adesset aequaliter *tota virtus* Poenitentiae, — *nec potentiales*, quibus *tota* adesset *essentia* sed non tota virtus (sicut essentia animae in singulis potentiis), — *sed* recte dicuntur *integrales*, quia *singulis* nec tota essentia nec tota virtus adest [1], sed omnibus simul ex quibus Poenitentia integratur (q. 90, a. 3).

3. *Non tantum sunt partes*, quia ad invicem ordinantur (secundum ordinem virtutis et temporis), et ita unitae disponunt ad absolutionem ut formam, *sed insuper sunt dispositiones* ad gratiam sacramentalem recipiendam, imo una cum forma, absolutione, sunt signum et causa gratiae.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE.

S. Th., Suppl. q. 1, a. 1.

474. Contritio, etymologice a *conterere*, significat in corporalibus actionem qua res solida et dura ad minimas partes reducitur ; unde, per similitudinem, in spiritualibus significat illam dispositionem animi, qua cor peccato induratum frangitur et totaliter reducitur, ita ut affectum peccati totaliter dimittat. Est scil. dolor comminuens

---

1. In *sola* tantum contritione, tota poenitentia continetur secundum virtutem, licet non secundum essentiam : « fundamentum enim quodammodo virtute continet totum aedificium, et hoc modo contritio continet virtute totam poenitentiam » (a. 3, ad 2).

voluntatis duritiem, et quasi fractio cordis usque ad minutas partes (a. 1).

Generaliore sensu significat quemcumque dolorem seu displicentiam etiam imperfectam de peccato ; sensu stricto significat dolorem de peccato perfectum seu charitate formatum, et sic opponitur displicentiae et contritioni imperfectae, quae est accessus ad perfectam contritionem et dicitur *attritio*, quasi fractio cordis in magnas partes quin sit perfecte comminutum (a. 2, ad 3).

475. *Thesis.* **Contritio est necessaria necessitate medii et praecepti.**— Quod sufficienter demonstratum est ex necessitate virtutis Poenitentiae (n. 412), et explicite docetur a Conc. Trid., sess. 6, c. 14, et sess. 14, c. 4, can. 4, contra Protestantes, qui dicebant totam poenitentiam esse solam resipiscentiam seu propositum novae vitae, sine peccatorum commissorum dolore et detestatione, aut expiatione.

Catholicam veritatem demonstrant :

a) *Scripturae* quae dicunt actum primarium Poenitentiae : contritionem, scil. dolorem et detestationem requiri ad destructionem peccati (Ioël II,12 ; Ier. VIII, 6 ; XXXI, 18-20 ; Ez. XVIII, 30,31 ; Ps. L, 6, 19 ; VI, 7 ; Is. XXXVIII, 15 ; II Cor. VII, 7 9, 10 ; Ps. XXXI ; Act. II, 38).

b) *Patres* qui compunctionem, contritionem, detestationem peccati necessariam habent : Hermas, simil. VII, 6 ; Iust. dial. n. 14 ; Tertul. de Poenit., c. 8 ; Cypr., ep. 31 ; Ambros. de Poen., l. II, c. 10 ; Chrysos. de Comp., l. I, n. 10.

c) *Ratio theologica :* Ubique retractatio offensae est id quod primo exigitur ex parte offensoris ; apud Deum autem nulla valet retractatio nisi incipiat a dolore *cordis*, quia Deus intuetur cor.

QUAESTIO PRIMA.

DE ESSENTIA ET OBIECTO CONTRITIONIS.

S. Th., Suppl. q. 1 ; q. 2, a. 1-5.

476. **Definitio contritionis.** — Sensu generaliore, a Conc. Trid., sess. 14, c. 4, definitur contritio : « *Animi dolor ac detestatio de peccato cum proposito non peccandi de cetero* ». Quae definitio tamen communis est contritioni requisitae in V. et in N. L. ad remissionem peccatorum ; at

in N. L. requiritur etiam, iuxta Concilium : « *votum* praestandi reliqua quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur ». Sic autem accepta contritio, ita definiri potest cum S. Thoma : *dolor pro peccato assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi* (q. 1, a. 1). Quae definitio aequivalet definitioni C. Trid. Dicitur :

1) *dolor*, et non sola detestatio : quamvis enim sine odio et detestatione dolor esse non possit, potest tamen sine tristitia et dolore esse detestatio, ut in beatis. Dolor est detestatio mali nos afficientis, tristitia scil. de malo aliquatenus nobis coniuncto et in nobis praesente[1] ; est autem detestatio, non mera displicentia, sed displicentia efficax quae tendit ad destructionem mali ;

2) *assumptus*, scil. voluntarie ; unde est dolor voluntatis, non autem sensibilis, qui non semper est in nostra potestate, quamvis iste aliquando sequatur et possit pertinere ad sacramentale signum sensibile ;

3) *pro peccatis commissis* : materia circa quam versatur dolor est peccatum, ut tale, non ut poena sed ut culpa, ut offensa Dei destruenda ;

4) *cum proposito...* : non est essentia contritionis, sed effectus. Dolor enim esse potest in eo qui non cogitat de futuro ; attamen in dolore virtualiter et implicite continetur propositum, quatenus dolor importat voluntatem se subiiciendi praecepto divino confessionis et satisfactionis ad peccatum destruendum, et non amplius peccandi in futurum.

Hinc tria necessaria ad contritionem : odium, dolor, propositum. Est enim contritio praesuppositive in odio, formaliter in dolore, consecutive in proposito.

477. **Contritio est actus virtutis.**— Nam voluntatis peccandi annihilatio et comminutio est de se bona, « quia hoc est detestari propriam voluntatem qua peccatum est commissum ». Est actus *poenitentiae*, quia est actus virtutis illius cuius est pec-

1. « Detestatio, notat Van Noort, *De Sacramentis*, t. II, n. 42, est causa doloris, quare qui dolet, eo ipso habet detestationem. Et vice versa, necessario dolemus, si malum quod detestamur percipimus ut nobis coniunctum. Quapropter dolor et detestatio ita connectuntur, ut, qui suum peccatum detestatur, de eo doleat, et qui de eo dolet, illud necessario detestetur ». Cfr. S. Thom., I-II, q. 35, a. 1.

catum praeteritum detestari et destruere, quod pertinet ad poenitentiam (a. 2).

478. Obiectum contritionis. — Contritio est *dolor respiciens* et comminuens voluntatis in peccatis duritiem (qua in suis terminis stat et legi Dei non cedit), atque *retractans offensam Dei. Unde proprium eius obiectum est culpa*, non in abstracto considerata sed ut commissa, in qua durities cordis et affectus ad peccatum invenitur.

1) Hinc est de omnibus peccatis *actualibus*, quia in omnibus est quaedam durities voluntatis quae legi Dei non cedit, vel eam transgrediendo, vel omittendo, vel praeter eam agendo.

2) Non est de *futuris*, quia non sunt malum voluntati coniunctum nec in iis voluntas iam induratur ; — est tamen de iis ex quadam consequentia, quatenus ab iis praecavet.

3) Nec est de *poenis*, cum in iis non inveniatur durities voluntatis et non sint Deo iniuriosae ; quamvis de iis possit esse mera displicentia.

4) Nec de peccato *originali*, quod non provenit ex duritie voluntatis nostrae, quia nostra voluntate non est inductum sed ex vitiatae naturae origine contractum ; unde de eo non potest dari retractatio, quamvis possit esse dolor et simplex displicentia.

5) Nec de peccatis *alienis* ut alienis, quia contritio debet esse in illo in quo durities voluntatis praecessit. Possumus tamen de illis dolere et pro illis satisfacere ; insuper contritionem habere de nostra ad ista peccata cooperatione.

479. Corollarium. — Non est actus contritionis si quis dolet quod non doleat de peccatis, quia ipsius doloris obiectum non est peccatum commissum seu offensa Dei, sed ipse defectus doloris ; *in timoratis* tamen ordinario est *signum* contritionis, scil. quod vere doleant, quia nimis timent se non habere dolorem sufficientem, quem non satis magnum existimant aut non sentiunt.

QUAESTIO SECUNDA.

DE QUALITATIBUS ET DOTIBUS CONTRITIONIS.

480. Materia tractanda. — Contritio, ut transiens in actum externum, est pars materiae sacramenti et ita ad constitutionem signi sacramentalis concurrens ; ut est interna in corde, est dispositio necessaria ad gratiam sacramenti. Sive perfecta sive imperfecta, *ut suos producat effectus*, debet

1) quibusdam vestiri conditionibus, scil. esse a) veram et internam, b) supernaturalem, c) summam, d) universalem ;

2) propositum includere non peccandi de cetero, quod sit a) verum seu absolutum, b) firmum, c) efficax, d) universale ;

3) insuper ordinari ad sacramentum Poenitentiae, si quis illud recipere et in eo remissionem peccati obtinere intendat.

Hinc tres articuli.

Articulus I.

De Dotibus ipsius Contritionis.

S. Th., Suppl., q. 2, a. 6 ; q. 3, a. 3 et 4.

481. *Principium I.* **Contritio debet esse vera et interna,** i. e. corde et animo vere concepta. — Ita *ratione essentiae :* est enim *animi* dolor et peccati *detestatio*, quae indicant actum voluntatis (Ioël II, 12-13 ; Ez. XVIII, 31). Et sane contritio, utpote reparatio peccati, ab illo fonte procedere debet a quo peccata procedunt, i. e. a corde seu voluntate (Mt. XV, 19) ; unde est retractatio pravae voluntatis, qua peccator sincere intra se dicit : vellem peccatum non commisisse et volo illud in sequelis extirpari, et, si possem de novo agere, vellem non peccasse, ac ita facere hic et nunc paratus est.

Insuper in sacramento Poenitentiae, *ut sit pars sacramenti*, dolor aliquo modo oportet esse externus et sensibiliter manifestatus ; ac requiritur, non solum de se, sed omnino et semper, *formalis et explicitus*, uti patet ex C. Trid., ad sacramentum exigente ipsam contritionem seu *dolorem* (sess. 14, c. 3 et 4), qui solus est actus poenitentiae : est scil. actus positivus quo voluntas vere et explicite dolet ac detestatur peccatum ut est offensa Dei. Talis itaque actus est conditio necessaria ut absolutio sit actus iudicialis ac sit valida.

Hinc non sufficit 1) *mera externa recitatio* vel lectio formulae, sine interno affectu voluntatis ;

2) nec *contritio existimata*, qua quis bona fide putat esse contritus, dum revera non est : haec potest excusare poenitentem a sacrilegio sed defectum partis necessariae supplere nequit ; sicut nec aqua existimata sufficit ad Baptismum ;

3) nec in ordine ad sacramentum Poenitentiae sufficit dolor *virtualis* et *implicitus* in actu alius virtutis, v. g. in actu charitatis, quamvis practice vix dari possit amor Dei super omnia absque dolore formali de peccatis, in illo qui de his cogitat : actus scil. charitatis, qui est poenitentia virtualis, sufficit ad remissionem peccati sed non ad valorem sacramenti Poenitentiae, quia non est institutus ut signum sacramentale et pars integralis sacramenti, sicut nec in Eucharistia sufficit panis virtualis vel vinum virtuale ;

4) nec sufficit *propositum non peccandi de cetero:* hoc enim potest stare cum complacentia in peccato praeterito ; nec *dolor implicitus in proposito*, quia non est formalis ;

5) nec sufficit *dolor implicitus in desiderio dolendi*, v. g. si optes dolere vel doleas te non dolere, nam pars sacramenti est ipse dolor de peccato, non desiderium doloris, neque dolor de absentia doloris ;

6) neque etiam *dolor implicitus in desiderio absolutionis* seu in voluntate desiderante percipere fructus sacramenti, etiamsi habeantur tantum venialia vel mortalia iam remissa quasi materia confessionis ;

7) nec sufficit *dolor de peccato in abstracto*, sed de peccato prout a confitente reo commissum est.

482. *Principium II.* **Contritio debet esse supernaturalis.** — Et quidem a) tum subiective, *ratione principii*, ita ut eliciatur ex supernaturali auxilio Dei seu gratia inspirante et adiuvante, ut definivit C. Trid., sess. 6, can. 3 ; unde et idem Conc. explicite dicit attritionem esse donum Dei et impulsum Spiritus Sancti moventis (sess. 14, c. 4) ; b) tum obiective, *ratione obiecti* seu motivi, ita ut eliciatur propter motivum supernaturale, i. e. supernaturaliter per lumen fidei cognitum et spectans ad salutem, cuiusmodi est ipse Deus sub aliqua ratione vel aliquid respiciens Deum, sed ita ut spectetur Deus, non finis naturalis, sed tamquam finis supernaturalis lumine fidei cognitus. Unde non sufficit dolor naturalis propter motivum mere naturale sine relatione ad Deum finem supernaturalem. Hinc damnavit Innoc. XI prop. 57 : *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

Probatur: Medium enim debet esse proportionatum fini, et dispositio eiusdem ordinis ac res ad quam disponit. Atqui contritio est medium et dispositio ad gratiam *omnino* supernaturalem, scil. ex parte principii et obiecti. Ergo actus contritionis debet esse supernaturalis utroque modo, non solum ex parte principii et gratiae sed et ex parte obiecti seu motivi. Et sane actus essentialiter, totus quantus est, dependet ex obiecto, quia non est nisi tendentia ad obiectum, sicut et motus ad terminum ; unde non est actus *in se* supernaturalis, nisi et obiectum sit supernaturale (I, n. 188).

Hinc a) non sufficit peccati dolor naturalis tantum, scil. propter motivum mere naturale, quatenus scil. rectae rationi opponitur, sicut nec dolor propter philosophicam turpitudinem peccati, propter indignitatem eius intrinsecam absque relatione ad Deum, vel propter infamiam vel poenam naturalem absque hac relatione, vel propter effectum peccati, v. g. morbum, etc.

b) nec sufficit dolor mere ob Deum auctorem naturae elicitus sola rationis lumine notum, sed oportet referatur ad Deum finem supernaturalem lumine fidei cognitum. De quo in praxi non erit difficultas, quia apud fideles ita per se fiet.

483. *Principium III.* **Contritio debet esse appretiative summa.** — Ita *ratione proportionis*, ut sit dolor omnium maximus : *secundum appretiationem* tamen, qua poenitens intellectu suo peccatum super omnia mala aestimet, et ex hac aestimatione voluntate illud detestetur plus quam omne aliud malum ; adeo ut dispositive paratus sit quodvis bonum amittere aut detrimentum pati potius quam peccatum perpetrare, ac pro nullo velit illud committere ; secus enim voluntas non averteretur absolute et pro omni casu a peccato.

Probatur: 1° Etenim contritio iam dispositionem involvere debet qua (mediante saltem absolutione) Deo placere fiat possibile. Atqui, si quis praeferret Deo aliquod bonum creatum, non posset Deo placere, secundum illud Christi (Mt. X, 37) : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Ergo contritio dispositionem involvere debet qua quis omne bonum creatum amittere praeferat potius quam offendere Deum.

2° Tanto magis aliquid displicere debet, quanto magis contrarium placere. Atqui quod opponitur peccato, scil. finis ultimus, magis appretiative debet placere quam omne aliud bonum : omnia enim sunt appetenda propter finem ultimum. Ergo contritio, quae dolet de peccato opposito, debet esse dolor summus, seu dolere super omnia mala (q. 3, a. 1).

Confirmatur: a) Ex Ioël II, 12 et ex C. Trid. (sess. 14, c. 4) secundum quod contritio excludere debet omnem affectum ad peccatum, et omnem peccandi voluntatem; quod praestare nequit nisi sit appretiative summa: nisi enim quis peccatum aestimet et detestetur ut maximum malum, quandoque eliget peccatum potius quam malum quod apprehenditur ut maius.

b) Recta ratio postulat ut odio appretiative maximo prosequamur id quod est reapse maximum malum; atqui peccatum, utpote offensa Dei quodammodo infinita, et privans hominem maximis bonis, est omnium malum maximum; ergo.

Non tamen requiritur :

1) Ut contritio sit *intensive summa,* ita ut vehementia superet omnes alios dolores et toto vel maximo animi conatu doleat [1].

a) Nam sic contritio esset difficillima et moraliter impossibilis pro multis, quod in scrupulos iniiceret, quia poenitentes saepius nec intensitatem nec intensitatis gradum distinguere possunt ; unde et praxis confessariorum non solet talem contritionem exigere a fidelibus.

b) Intensitas, vehementia, acerbitas non pertinet ad essentiam doloris, nec variat speciem : contritio etiam minus intensa est dolor super omnia scil. appretiative. Quilibet gradus charitatis, quia est conversio totalis ad Deum, excludit peccatum ; unde et quicumque gradus contritionis. Unde S. Thomas (q. 5, a. 3) : « quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat (i. e. peccatum super omnia detestetur), omnem culpam delet ».

c) Quinimo dolor intensive summus non videtur possibilis ; nec *a*) summus simpliciter et absolute, cum Dei gratia possit semper magis et magis augeri ; — nec *b*) summus relative ad mala huius vitae : id enim non semper est in nostra potestate, quia in statu praesenti vehementius movemur a sensibilibus et ab obiectis propinquioribus et propriis nostrarum facultatum, quam a bonis rationis et spiritualibus quae nobis non sunt propria obiecta nec nobis tam propinqua. Et tunc quoque sequeretur absurdum, quod ex duobus qui aeque intense dolent, unus iustificaretur, alter non, v. g. si unus intense dolet de peccato sed intensius de morte patris, non iustificaretur, et qui de hac remissius, iustificaretur ; — nec *c*) summus relative ad vires gratiae a Deo hic et nunc concessae, quia nemo potest scire quanta sit illa intensitas quae requiritur, et quia omnino arbitrarie Deus exigeret maiorem contritionem pro minore peccato.

1. Dixerunt plures contritionem requiri non solum appretiative sed et intensive summam. Quod triplici sententia diversa explicatum fuit : 1) aliqui requirebant intensionem summam absolute possibilem, ut Adrianus VI, in IV, *de Poen.*, q. 2 ; — 2) alii, summam relative ad alia bona dilecta, ut Petrus de Soto, *de Inst. Sacr.*, lect. 14-15 ; — 3) alii denique intensionem summam quam Deus novit, relativam scil. ad vires gratiae, uti Lupus, Ledrou, Berti, Juenin, Morinus, Witasse, Gazzaniga.

2) A fortiori, non requiritur *contritio sensibilis,* seu dolor qui in appetitum sensitivum redundet et in teneros cordis affectus, suspiria, lacrymas erumpat ; nec proinde magis sensibilis quam ille, quem saepe sentimus propter temporalia damna aut cognatorum et amicorum mortem.

Contritio enim in sensibilitate non residet, sed in voluntate, utpote dolor rationalis ; nec sensibilis dolor est semper in nostra potestate, cum appetitus sensitivus non obediat rationi ad nutum ; denique fieri potest ut aliquis, absque sensibili dolore, vehementius doleat quam alius qui ad emotiones huiusmodi pronus sit.

3) Nec requiritur ut *comparatio* instituatur *explicita inter peccatum et cetera mala* (nam sufficit virtualis et implicita), nec interdum esset utilis, quia non raro erit periculosa si explicite infirmioribus proponatur.

« Manifestum est enim, ait S. Thomas, Quodl. I, 9, quod sicut delectabilia plus movent in particulari considerata quam in communi ; ita terribilia plus terrent si in particulari considerantur, et aliqui sunt qui in minore tentatione non cadunt, qui forte in maiore caderent. Sicut... aliquis non refugeret pati mortem cum Christo ; sed si descenderet ad considerandum singulas poenas, magis retraheretur. Et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem et praebere occasionem peccandi » (Cfr. q. 3, a. 1, ad 4).

Sed satis est si voluntas sit parata ad omnia mala perferenda potius quam peccatum committere ; — nec erit necessarium ut *singula* mala perpendat, sed sufficit confidere gratiam sibi dandam ad extremum etiam ferendum, si necesse esset, potius quam Deum offendere. Imo satis erit si propter Deum peccator detestetur peccatum, de eo doleat, et consequenter iam nolit peccare

Perfectioribus tamen utiles esse possunt tales comparationes, quia sic expresse peccata summe detestantur, et affectum erga Deum ostendunt, ac voluntatem ad tales casus, si evenerint, magis paratam reddunt.

4) Nec requiritur *dolor aequalis pro omnibus peccatis,* quamvis sit semper super omnia alia mala.

Sed maior aestimative esse potest et minor, imo debet, iuxta gravitatem peccati : quanto enim malum est maius, tanto maior dolor esse potest (a. 3).

484. *Principium IV.* **Contritio debet esse universalis.** — Ita *ratione materiae,* quoad mortalia commissa et non-

dum clavibus rite subiecta, etiam ignota et memoriae non occurrentia. Nam :

a) Nullum peccatum mortale sine poenitentiae sacramento potest remitti, et peccatum de quo dolor non habetur est peccatum non subiectum poenitentiae ; ergo.

b) Dolere debemus de peccatis quatenus sunt offensa Dei, a Deo avertens et amicitiam divinam privans ; sed haec ratio ad singula et omnia mortalia se extendit ; ergo de omnibus et singulis dolere debemus : unumquodque scil. exigit contritionem [1].

c) Sine contritione nullum remittitur peccatum ; atqui unum peccatum mortale nequit remitti sine altero, quia non potest quis esse amicus Dei et inimicus, a Deo aversus et ad Deum conversus ; ergo nullum remittitur mortale sine contritione de omnibus [2].

d) Unde Scripturae peccatores urgent ad *omnia* peccata retractanda, ut veniam obtinere valeant (Ez. XVIII, 30-31).

Hinc 1) non sufficit ut quis de multis peccatis *diversis doleat* ex motivo quod est alicui speciale, scil. ob turpitudinem ipsi propriam, v. g. si quis furtum oderit propter specialem turpitudinem, non ideo detestatur luxuriam.

2) Non tamen requiritur ut poenitens singula mortalia percurrat et formaliter ac *distincte* de singulis doleat, sed sufficit ut virtualiter et implicite ea detestetur ex motivo omnibus communi. Dupliciter scil. contritio potest esse *explicite universalis* seu explicite se extendere ad omnia mortalia : a) si poenitens de singulis cogitans totidem distinctos dolores eliciat ; b) si unico actu doloris poeniteat de omnibus quae distincte in memoria habet. Item *implicite universalis* etiam duplici modo fieri potest : a) *formaliter implicite*, si poenitens in confuso cognoscat se commisisse plura peccata mortalia et ex motivo universali doleat de omnibus peccatis suis ; b) *virtualiter*, si poenitens de uno alterove peccato distincte cogitet, et de illo tantum doleat, sed ex motivo omnibus communi (eodem modo ac credens unum articulum fidei propter auctoritatem Dei revelantis, virtualiter implicite omnes admittit veritates revelatas de quibus valet motivum formale). Ita v. g. si dolet quia peccatum infinito bono repugnat, vel quia aeterna beatitudine privat, vel quia meretur poenam aeternam gehennae, vel communem habet turpitudinem ut est contra Deum summum legislatorem aut benefactorem. Haec contritio sufficit ; debet tamen poenitens cognoscere omnia

1. III, q. 86, a. 3.
2. Ibid.

peccata distincte, non ad contritionem, sed ut confessio sit integra.

3) Nec requiritur ut simul doleat de omnibus aut aliquibus *venialibus*, quae non avertunt a fine ultimo nec amicitiam divinam destruunt, quia mortalia possunt remitti sine venialibus, et unum veniale sine altero. Unde sicut non tenemur ista confiteri, et unum possumus confiteri sine altero, ita nec in sacramento tenemur de istis dolere, et de uno possumus dolere sine altero. Attamen,

a) si quis sola venialia accuset, sub gravi tenetur contritionem habere saltem de uno (numerice spectato), quia secus deesset materia sacramenti et sacramentum esset nullum ;

b) si quis, simul cum aliis de quibus dolet, declaret venialia de quibus non dolet, et appareat ita agere *unice* ob bonum finem, v. g. ut melius a directore cognoscatur, vel humilitatis causa, vel ad promovendum dolorem, etc., quin velit illa subiicere absolutioni, non peccat ;

c) si autem declaret illa ut materiam sacramenti, saltem venialiter peccat, quia inordinatio est, tamquam materiam sacramenti, cum materia apta simul ponere aliam ineptam, et simulatio est petere veniam de eo de quo non dolet. Quodsi ita ex inconsideratione aut negligentia agat, est leve ; si ex contemptu, videtur peccatum grave [1].

485. Animadversiones. — 1. Excepto casu quo aliquis fidem aut spem amiserit, non requiritur ut distincte eliciantur actus fidei aut spei, sicut nec votum sacramenti ; sed sufficit illa efformare in quantum continentur in omni sincera contritione quae sine illis existere nequit.

2. Pro venialibus sufficit dolor de eorum frequentia, quia haec specialem includit difformitatem.

3. Optimum erit, si ad singula mortalia diversae speciei saltem graviora, proprius et distinctus contritionis dolor habeatur ; item, cum venialibus, se accusare et dolere de peccato gravi vitae anteactae, vel de aliquo peccato veniali sed maioris gravitatis.

4. Ad dolorem contritionis non requiritur duratio seu mora temporis, quia est actus spiritualis qui in instanti exerceri potest ; quamvis tamen ordinario requiratur mora temporis in eius praeparatione (III q. 84, a. 8, ad 1). Unum instans sufficit ut

1. Ne dicatur : apponere aliquid pro materia sacramenti quod apponi nequit, semper includere simulationem et falsitatem in re gravi ; ut patet in eo, qui sacerdoti consecraturo, inter plures hostias triticeas, apponeret aliquas papyraceas. Nam, ut notat Haine, *Th. M.*, III, *de Poen.*, q. 28, « non valet paritas ; quia forma consecrationis directe cadit super materiam consecrandam, et ideo si aliqua materia apponatur falsa, forma falsificaretur ; at forma absolutionis directe cadit super ipsam personam absolvendam, quae etiam in isto casu capax est absolutionis. Et ideo, esto quis in confessione aliqua venialia commisceat, de quibus non dolet, non per hoc peccat graviter », saltem necessario et semper.

homo ex iusto fiat peccator ; item ut e peccatore fiat iustus. Hinc axioma : *Homo in momento emendatur a gratia*. Cfr. II Reg. XII, 13 ; Ez. XVIII, 21-24, 26-27, 31-32 ; II-II q. 45, a. 4.

Articulus II.

De Dotibus Propositi.

S. Th. III, q. 84, a. 10, ad 4 ; q. 87, a. 1, ad 1 ; Suppl., q. 2, a. 4.

486. *Principium I.* **Propositum ad contritionem requisitum est deliberata voluntas non peccandi de cetero.** — Requiritur ad sacramentum, secundum Conc. Trid. quod, tradens definitionem contritionis quae est pars sacramenti, ait « esse dolorem... cum proposito » (sess. 14, c. 4).

Requiri autem *necessario* ad sacramentum apparet :
1) Ex ipso Conc. Trid. quod ponit propositum in definitione contritionis ; quod vero ibi ponatur quasi pars essentialis patet ex parallelismo cum loco ubi sermo est de attritione : ibi enim dicitur attritionem disponere cum sacramento ad iustificationem « si voluntatem peccandi excludat ».
2) Ex rationibus intrinsecis : Ad remissionem peccati requiritur vera voluntas detestandi, seu omnino avertendi se a peccato et convertendi se ad Deum. Atqui sine proposito non amplius peccandi id fieri nequit. — Aliunde si quis vere doleat de peccato super omnia, ratio formalis doloris est peccatum sub aliqua speciali ratione esse contra Deum. Atqui peccatum esse contra Deum verificatur in peccato futuro sicut in praeterito cum sola differentia accidentali temporis. Ergo.

487. *Principium II.* **Propositum potest sufficere implicitum nec necessario requiritur explicitum** [1]. — Explicitum et formale est actus specialis voluntatis, a dolore distinctus, quo aliquis statuit se velle emendare vitam seu abstinere a peccato ; implicitum seu virtuale est illud quod includitur in sincera contritione, et est realiter dolor : qui enim *ex motivo universali* serio dolet se peccasse, vere proponit implicite non amplius peccaturum.

Hoc ultimum potest sufficere, nec necessario et ex natura rei requiritur propositum explicitum, cum non sit de essentia contritionis, quae etiam ex solo proposito implicito et virtuali sufficit ad sacramentum, cum, ut requirit Trid., voluntatem

1. Cfr. Gury-Ballerini, *Th. M.*, II, n. 462.

peccandi excludat. Unde 1) sufficit implicitum propositum, si quis de peccatis vitandis in futurum non cogitet ; 2) si autem cogitaverit, etiam connaturaliter debet elicere propositum explicitum, secus enim esset signum contritionem non esse sinceram, et summam. In praxi itaque a) ante confessionem hortandi sunt poenitentes ad propositum explicitum, ad maiorem securitatem et certitudinem de propria eorum dispositione ; b) post confessionem factam, si propositum non adfuerit explicitum, non sunt inquietandi.

488. *Principium III.* **Propositum quatuor requirit qualitates : debet esse absolutum, firmum, efficax et universale.**

1° *Ratione essentiae* debet esse *absolutum*, i. e. debet existere hic et nunc voluntas absoluta non peccandi iterum, sed peccatum cavendi in posterum.

Ideo non sufficit *quodcumque* simplex desiderium non peccandi, neque velleitas, neque voluntas conditionata, v. g. vellem amplius non peccare si possem, si non urgeret tentatio, nisi tam difficile et molestum mihi esset, etc. Neque sufficit voluntas non peccandi ad tempus, v. g. non peccabo per mensem.

2° *Ratione proportionis* propositum debet esse *firmum*, i. e. ita in voluntate radicatum ut hic et nunc adsit voluntas non peccandi, non obstante cuiuscumque mali metu vel cuiuscumque boni amore ; quare neganda foret absolutio ei qui non sit *hic et nunc* dispositus, ut *generaliter* malit omne malum pati et quovis bono carere, potius quam Deum iterum offendere.

Dictum est : a) *Hic et nunc*, i. e. actuali *voluntate ;* nec requiritur ut ita in futurum maneat, nam potest quis mutare voluntatem. Unde firmum propositum voluntatis non excludit timorem vel dubium, vel et aliqualem *intellectus* praevisionem futuri relapsus ex propria inconstantia aut fragilitate cognita, dummodo non sit cum absentia omnis fiduciae vel cum desperatione, vel et proinde cum omnimoda certitudine relapsus, sed cum Dei auxilio emendatio habeatur ut possibilis et intendatur.

Propositum enim non requirit positivum iudicium se non amplius peccaturum. Nam propositum est actualis dispositio *voluntatis*, quae est peccati detestativa et vult conservare hanc detestationem. Iudicium vero pertinet ad *intellectum* qui, nota voluntatis inconstantia, potest praevidere lapsum esse possibilem, imo *probabilem*. Unde propositum non hoc iudicium excludit ; sed solum iudicium de certo relapsu et impossibili vitatu : spes enim est de bono futuro *possibili*.

b) *Generaliter* i.e. in genere seu in confuso, nam iuxta commu-

nem Doctorum sententiam cavendum est confessario ne poenitenti proponat in particulari mala ferenda vel bona relinquenda. Nam fieri potest et reapse fit, ut aliquis generaliter velit omnia perferre mala potius quam admittere peccatum, qui iam nollet si distincte et in individuo vivaciter proponerentur. Verum quidem est hoc propositum generale esse remissum et multo minus perfectum quam propositum aliud ; attamen ex sententia communi et certa theologorum est sufficiens, et revera qui ita proponit vere vult super omnia peccatum vitare [1].

Firmitas propositi non efficit ut propositi violatio novum per se reatum constituat, sicut ex violato voto vel promissione. Propositum enim non est votum, quia non fit Deo sed erga semetipsum ; neque est promissio, quia promissio fit alteri : et quamvis propositum fiat aliquo modo in obsequium Dei, non est tamen promissio Deo facta.

3° *Propositum* etiam oportet *ratione efficientiae* sit *efficax*, ita ut peccator hic et nunc velit adhibere media necessaria ad vitandum postea peccatum, et specialiter velit occasiones proximas peccandi mortaliter fugere, remittere offensas, odia et inimicitias deponere, et restituere pro iniuriis. Ratio est quia finis intentio, si sit vera, debet movere ad quaerenda media necessaria.

Efficacia requiritur affectiva, non effectiva. Nam a) respicit voluntatem praesentem et efficit ut, quamdiu propositum maneat in animo, tamdiu peccator nequeat iterum peccare. b) Non est autem efficacia eventus futuri, quatenus ex eo quod propositum sit hic et nunc efficax, sequatur peccatum de facto in posterum numquam iam committi ; secus satis esset semel propositum bonum elicere ut aliquis numquam iam peccet. Unde, ex eo quod, post habitum propositum, aliquis frequenter relapsus sit in idem peccatum mortale, non necessario inferes eum non habuisse propositum efficax. Itaque propositum debet esse efficax affective, et ex eo quod non fuerit effective efficax, nequit concludi neque fuisse affective (cfr. III, q. 84, a. 10, ad 4).

Hinc quaestioni : utrum propositum debet esse *constans*, ut possit dici efficax, resp. : per se negative, quia mutabilis est voluntas humana. *Per se*, nam si poenitens statim et sine ulla fere resistentia relabatur, hoc erit motivum suspicandi poenitentem proposito vere efficaci caruisse. Generatim qui efficaciter proponit, non adeo facile propositi sui obliviscitur, et saltem per aliquod tempus breve conatus adhibere et perseverare solet.

4° *Propositum* denique *ratione materiae* debet esse *universale*, i. e. debet se extendere ad omnia mortalia non tantum patrata sed *quaecumque* in posterum vitanda.

1. Cfr. Ballerini-Palmieri, *de Poen.*, n. 458.

Non tamen requiritur 1) ut de *singulis* peccatis vitandis *speciale* propositum efformetur, sed sufficit generale de omnibus in genere ex motivo universali. Neque requiritur 2) ut se extendat ad venialia. Quod si sola venialia declarentur, ad validitatem sacramenti requiritur saltem a) propositum de uno veniali declarato, scil. de vitando peccato omnino simili in iisdem omnino circumstantiis, seu de omnibus peccatis, non quidem eiusdem speciei, sed eiusdem omnino conditionis ; vel b) de vitando certo genere venialium ; vel c) de vitandis gravioribus ; vel d) de vitandis plene deliberatis ; vel e) de minuendo numero venialium (S. Th. III, q. 87, a. 1, ad 1). Propositum etiam haberi potest de vitandis singulis venialibus seu de omnibus distributive vitandis, non autem de omnibus collective vitandis, quia singula vitare possumus, omnia autem simul vitare nobis est impossibile.

Articulus III.

De Contritione ad Sacramentum ordinata.

489. *Principium I.* **Ad validitatem sacramenti Poenitentiae, contritio debet aliquo modo referri et dirigi ad absolutionem, eique moraliter uniri.** — Id enim necessarium est ad constituendam materiam proximam sacramenti et ita integritatem et unitatem signi sacramentalis. Etenim :

Confessio requiritur sacramentalis seu facta ad absolutionem obtinendam. Atqui ad hoc non omnis confessio est sufficiens, sed sola confessio dolorosa ; confessio autem est dolorosa per contritionem. Ergo contritio debet aliquomodo fieri ad obtinendam absolutionem.

Prob. min. : sacramentum institutum per modum iudicii requirit accusationem : habet enim id speciale quod instructio causae fit per accusationem, quam ipse reus instituit ut veniam consequatur per sententiam iudicis absolventis. Atqui simplex narratio non est accusatio, sed ista debet fieri cum odio peccati et dolore, et ordinari ad absolutionem obtinendam. Ergo existere debet contritio et ordinari ad absolutionem, ut accusatio constituatur in ratione accusationis.

490. *Principium II.* **Contritio ad absolutionem ordinari eique moraliter uniri debet aliquo modo quo-**

cumque, quin specialiter determinetur modus quo id fieri debeat. — Itaque :

1) Contritio non requiritur *actualis*, quae scil. in confessione actu existat aut immediate eam praecedat; sed sufficit ut maneat *virtute*, quatenus praecesserit non revocata (sive formaliter per actum contrarium, sive virtualiter per actum peccaminosum) *et* moraliter censeatur perseverare ita ut in confessionem influat, uti patet ex illo qui absolvitur distractus aut dormiens, vel imo in ipsa confessione de dolore nihil cogitat, sed antea contritus in confessione manet distractus.

2) Nec requiritur ut oriatur *ex praevia intentione explicita et reflexa confitendi seu suscipiendi sacramentum*, sed sufficit quod ista intentio *postea accedat* et ita contritio referatur ad sacramentum ; nam si quis occasione concionis aut lectionis excitetur ad dolorem (quin cogitet de absolutione) et dein ex dolore ad confessionem moveatur, hic habetur bene dispositus, quamvis iste confessionem instituat ex dolore et non doleat ex intentione confitendi.

3) Nec requiritur *formalis et explicita relatio* ad confessionem *ut sacramentum*, sed sufficit *implicita*, quae semper habetur quando poenitens in ordine ad absolutionem dat signum doloris sui praecedentis.

Unde sufficit vel confessio ex motivo doloris — vel dolor ex motivo confessionis — vel confessio cum rememoratione doloris anterioris. Confessio scil. erit sacramentalis, si dolor aliquomodo ad confessionem referatur, « sive a) *antecedenter*, ut quando dolor de peccatis elicitur ex fine seu intentione confessionis faciendae, v. g. si cras volens confiteri, ideo hodie examino conscientiam et dolorem de peccatis elicio ; sive b) *concomitanter*, ut si nunc nil cogitans de facienda confessione, elicias dolorem et exinde motus proponas cras vel proxima occasione confiteri et reipsa, dolore non revocato, in proxima occasione confitearis ; sive c) *consequenter*, ut si hodie doleas de peccatis, nil cogitans de confessione facienda, cras autem facto proposito confitendi, referas primum dolorem pridie habitum ad istam confessionem, absque novo dolore elicito » (Haine, Th. M. III, de Poen., q. 30).

4) At non sufficit si *nullo modo* dolor referatur ad confessionem, « ut si hodie doleas non cogitans de confessione crastina, nec cras confitens recorderis doloris hesterni,

invalide confiteris, nisi novum dolorem concipias, quia pars debet referri ad compartem, et confessio sacramentalis et valida debet esse dolorosa, qualis non potest esse nisi per dolorem aliquo ex his modis ad se relatum ». Ita Billuart, de Poen., diss. 4, a. 8, pet. 2, resp. 4°.

491. *Principium III.* **Contritio praecedere debet ipsam absolutionem, non tamen ipsam confessionem.** — Debet praecedere absolutionem, quia secus confessio non est dolorosa ; et quia in iudicio cognitio causae debet praecedere sententiam iudicis, et haec sequitur omnes alios actus praevios. Non tamen praecedere debet ipsam confessionem quidquid aliqui dixerint, quamvis tamen melius et prudentius sit, ne postea distractionibus perturbatus, confitens non satis serio ante absolutionem doleat.

Id testatur unanimis praxis confessariorum qui solent, secundum Rit. Rom., tit. III, c. 1, n. 18, excitare ad contritionem eamque exigere a poenitente, non ante sed post confessionem. Et sane, ut confessio sit dolorosa sufficit : 1) quod referatur ad dolorem qui sequitur, et ex intentione et spe fiat contritionis sequentis et absolutionis ; quod tamen videtur necessario iam includere quoddam initium odii et doloris de peccato ; — aut etiam certius (pro illo qui velit de ratione allata dubitare) : 2) quod confessio continuetur dum dolor existat, et iste influat in confessionem moraliter continuatam eamque informet, « in quantum, ait Billuart (ib. resp. 3°), quamdiu poenitens flectit aut humiliter petit seu expectat sententiam iudicis, tamdiu censetur moraliter perseverare in facta confessione, eamque ipso facto continuare », atque se implicite reum fateri ac veniam petere[1].

Unde, etiam si ab aliquo mera narratio, non accusatio, facta fuerit peccatorum suorum, ex eo quod subsequenter dolens expectet absolutionem, narrationem iam dolore informatam ipso facto continuat, i. e. accusationem facit atque ad absolutionem ordinat. Et ipsa expressio contritionis est nova accusatio eorumdem peccatorum.

492. **Animadversiones practicae.** — 1. Actus contritionis semel elicitus in ordine ad absolutionem perseverare potest non solum per horas sed et per unum vel alterum diem, dummodo non retractetur et *perseveret in effectu* v. g. voluntate confitendi, fuga occasionum, frequentioribus precibus, etc. Tale inter-

1. « Prior narratio seu completa accusatio postea informatur per consequentem contritionem, et ut sic informata subiicitur clavibus ab ipso poenitente postulante vel expectante absolutionem » Suarez, disp. 20, sect. 4, n. 30.

vallum non destruit moralem unionem inter varias partes actus iudicialis, nec proinde iudicii sacramentalis. Quanto autem tempore perseveret contritio, prudenter diiudicandum est ex variis circumstantiis : facile censetur durare ultra diem, si confessio ex solo dolore instituatur ; e contra ad diem aut per multas horas tantum, si etiam ex devotione, obligatione, consuetudine, etc. In praxi, ad maiorem fructum et securitatem praestat contritionem actualem elicere.

2. Quando poenitens, statim vel paulo post absolutionem, peccatum etiam grave accusat ex oblivione omissum, non requiritur ut novus actus contritionis explicite eliciatur, modo fuerit concepta ex motivo universali. Contritio enim antea concepta ex motivo universali adhuc perseverat, et se extendit ad peccatum oblitum, et per novam accusationem ad novam absolutionem ordinatur ; imo dolor explicitus videtur adesse in actu accusandi hoc peccatum. In praxi tamen hortandi sunt poenitentes ut de novo actum contritionis eliciant.

3. Quodsi intervallum sit longius ideoque dubitetur an contritio sufficienter perseveret, requiritur novus dolor, etiam pro peccatis iam absolutis et nunc de novo declaratis : dolor enim praeteritus, etiam de iisdem peccatis, nullo certo modo ordinatur ad novum iudicium sacramentale, et proinde est repetendus.

QUAESTIO TERTIA.

DE DIVISIONE CONTRITIONIS.

S. Th., Suppl., q. 1 et 5 ; q. 10, a. 1 ; q. 18, a. 1.

493. Contritio distingui solet in perfectam et imperfectam. — Quae distinctio non invenitur explicite proposita apud Patres, qui solam contritionem, poenitentiam, detestationem peccati ex toto corde necessariam praedicabant ac varia eius motiva indicabant, sed non distinguebant varias dispositiones secundum perfectionem motivi aut efficaciae. Saeculo autem XII° distinctio fieri cepit [1], quae duplici modo intelligi potest :

a) *ratione efficaciae*, ut saepius invenitur apud veteres : contritio imperfecta est si Deus diligitur in se sed non super omnia ; perfecta si etiam diligitur super omnia ;

b) *ratione motivi*, ut apud modernos : perfecta innititur

1. Primus, apud quem distinctio occurrit, refertur esse Alanus ab Insulis, in *Regulis de sacra theologia*, reg. 85.

perfecto motivo charitatis quo Deus diligitur propter se, et est proprie contritio ; imperfecta innititur motivo inferiori et est attritio. Quae tripliciter distinguuntur :

1) *ratione originis et secundum causam :* perfecta oritur ex amore supernaturali perfecto charitatis seu amicitiae erga Deum, summum bonum absolute et in se, infinite perfectum, in se et propter se amabilem ; imperfecta, ex amore supernaturali imperfecto concupiscentiae erga Deum, bonum et perfectum relative ad nos et amabilem nobis, quia est summum bonum nostrum, cuius fruitione erimus beati, et quia summe bonus erga nos, a quo cuncta fuerunt beneficia suscepta ;

2) *ratione motivi seu obiecti formalis* et *secundum essentiam :* perfecta est ex motivo charitatis, in quantum peccatum est offensa contra Deum, summum bonum in se super omnia amabilem et dilectum ; imperfecta ex motivo inferiore, in quantum peccatum turpe est et recedit ab honestate et lege Dei, vel in quantum poenam meretur iustissimi iudicis seu inducit poenam a Deo infligendam ;

3) *ratione efficaciae* et *secundum effectum :* perfecta ad iustificationem sufficit *per se*, et ideo sine reali susceptione sacramenti ; imperfecta de se ad iustificationem non sufficit, sed ex institutione Christi *de facto* sufficit cum reali susceptione sacramenti.

Duplex est amor Dei : a) amor *perfectus*, quo Deus amatur propter se, et ideo *super omnia simpliciter*, etiam super nos ipsos et super omnes creaturas ; b) amor *imperfectus*, quo amatur *super omnia desiderabilia et concupiscibilia*, non propter se sed propter bona quae largitur, non quia bonus in se est sed quia bonus nobis : motivum scil. est divina perfectio ut bona et amabilis nobis, imo ut summum bonum cuius fruitione beati aliquando erimus. Hinc amor imperfectus abstrahit a relatione ad bonitatem intrinsecam infinitam Dei, ita ut Deus ametur super omnia bona nostra sed nondum super nos ipsos : id tamen non positive excludit, quod esset malum, sed ab hoc abstrahit, et ita non est malum sed minus perfectum. Unde ex opposito : contritio perfecta detestatur peccatum ut summum malum in se et *simpliciter*, super omnia mala absolute ; imperfecta detestatur ut summum malum nostrum, super omnia mala nostra, et sic est summa *secundum quid*.

Ex quibus intelligitur contritionem imperfectam non importare totam reparationem peccati, etiam illam quae humanae fragili-

tati est possibilis, et ideo non assurgere ad perfectionem virtutis ; sola contritio perfecta scil. est actus proprius et perfectus virtutis Poenitentiae.

Articulus I.

De Ipsa Contritione Perfecta.

494. *Thesis.* **Contritio, charitate perfecta, peccata etiam mortalia remittit absque sacramenti Poenitentiae reali susceptione, non tamen sine eius voto.**

Propositio hisce terminis generalibus enuntiata est *certa* ex Conc. Trid., sess. 14, c. 4, contra Lutherum et Protestantes qui negant contritionem disponere ad iustificationem ; Concilium autem « docet..., etsi contritionem (hanc)... aliquando *charitate perfectam* esse contingat, hominemque (tunc) Deo reconciliare prius quam hoc sacramentum actu suscipiatur ; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam ». Quem effectum semper obtinere quando contritio charitate est perfecta, et non solum rarissime, in casu extremae necessitatis, certum est contra Baium et Iansenium[1], ex damnatione prop. 31, 32, 70 et 71 Baii[2].

Dicitur : a) contritio *charitate perfecta*, scil. animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, ex motivo charitatis perfectae in Deum propter se summe dilectum ; unde obiectum formale ipsius est summa Dei perfectio propter quam Deus est amabilis super omnia et offensa Dei detestanda et reparanda ;

b) *absque sacramenti Poenitentiae reali susceptione*, quia contritio perfecta ex natura sua remissionem peccati convenientissime expostulat et ex Dei promissione infallibiliter confert ;

c) *non tamen sine eius voto*, quia, cum sacramentum Poenitentiae et ideo sacramentalis confessio sit in N. L. necessaria, non potest peccator vere esse contritus nisi velit delicta sua clavium potestati subiicere, scil. necessa-

1. Id quoque docuit Estius, *in IV Sent.*, d. 17, § 2-3.
2. « Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti », prop. 71.

ria media et praecepta Christi implere[1]. Non tamen requiritur semper ut votum sit explicitum, sed si quis necessitatem sacramenti ignoret vel illius non recordetur, sufficit implicitum in generali voluntate implendi omnia quae ad salutem sunt necessaria.

Exinde sequitur :

1) votum per se non habere *vim* delendi peccatum, nec contritionem ratione voti, sed totam vim esse a contritione perfecta ;

2) proinde votum requiri non quasi sacramentum futurum, prout in Dei praevisione esset causa moralis remissionis peccatorum, nec quasi remissio fieret conditionate : si nempe suscipiatur sacramentum ; sed ipsam contritionem cum hoc voto iustificare, quatenus ex voto ponitur sufficienter *conditio* in hac oeconomia N. L. ad peccati remissionem requisita ;

3) hominem, sic iustificatum, teneri ex praecepto divino peccata mortalia, per contritionem iam remissa, sacerdoti accusare tempore opportuno ; secus votum suscipiendi sacramentum non esset sincerum. — Nec absolutio sacerdotis in hoc casu est inutilis, cum operetur gratiam ex opere operato, quae non remittat peccata iam remissa sed magis iustificet, ac speciale auxilium addat gratiae sacramentalis.

495. Probatur efficacia contritionis perfectae :

1) *Ex Scripturis*, quae docent eos, qui ad Deum toto corde convertuntur eumque perfecte diligunt, statim iustificari. Atqui contritio perfecta dicitur ex eo quod charitate est perfecta. Ergo, si charitas iustificat, et contritio perfecta.

Maior constat a) ex variis testimoniis V. L. (Prov. VIII, 17 ; Ez. XVIII, 21-24 ; XXXIII, 12 ; Deut. IV, 29 ; Ioël II, 12-13), quibus apparet peccatores potuisse sine sacramento obtinere remissionem peccatorum ; quod saltem intelligendum est de illis qui actu nobilissimo convertuntur qualis est poenitentia ex charitate perfecta, seu, ut explicite dicitur, qui Deum diligunt et ad eum convertuntur ex toto corde[2] ;

b) a fortiori, id valet de N. T., in quo ceteroquin apparet hominem, si diligit Deum charitate perfecta, eo ipso a Deo

1. Ita iam ante Conc. Trid. certum erat propter prop. 1 Petri de Osma : « Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves » ; quae 9 aug. 1478 damnata fuit ut erronea et catholicae fidei contraria, at ab auctore fuit revocata.
2. Non obstant verba Christi : « *Remittentur ei* peccata multa, quoniam dilexit multum » (Lc., VII, 47) : graece enim legitur : ἀφέωνται i. e. *remissa sunt*.

diligi, ita ut vivat (Lc. X, 27-28), et Deus veniat ad hominem et mansionem faciat apud eum (Ioan. XIV, 23), et homo maneat in Deo et Deus in homine (I Ioan. IV, 16), cui seipsum manifestat (I Ioan. IV, 7-9, 13), et qui ita ex Deo natus iam peccatum habere nequeat (I Ioan. III, 9).

2) *Ex Traditione*, quae a) thesim supponit, tum in doctrina de Baptismo desiderii seu flaminis ; tum in eo quod confessio non sit instituenda ante susceptionem sacramenti vivorum ; imo nec ante celebrationem Eucharistiae, si desit copia confessarii et adsit necessitas celebrandi ; — b) eam explicitis testimoniis enuntiat.

Ita Tertul., de Bapt. 18, c. 4 ; de Poen., c. 4 ; Cyprianus, de Lapsis, c. 36 ; de Mortalitate, 17 ; ep. X, 5 ; XII, 1 ; LXXIII, 23 ; Pacianus, ep. 3 ad Symp., n. 8 ; Chrys. in II Tim., hom. 7, n. 8 ; l. 2 de comp. ; or. in S. Rom. I, 1 ; Ambrosius, or. de obitu Val[1], 51-53 ; Augustinus, l. IV, de Bapt., 21, 78 ; in I ep. Ioan., I, n. 6 ; V, n. 10 ; serm. XXXIV, 3, 5 ; Enchir., c. 65 ; Greg., II in Reg., c. III, 12, 26 ; hom. in Ev. II, 33 ; Leo M., ep. 91 et 108 ; Petrus Chrys., serm. 94 ; Bernardus, Bapt., n. 7 et 8 ; etc.[1].

3) *Ratione convenientiae :* Licet perfectissima ad Deum conversio ac contritio non adaequate compenset offensam Deo irrogatam, nec adaequet infinitatem iniuriae, propter infinitam inter Deum et hominem inaequalitatem, sed maneat iniuria donec Deus *liberaliter* remittat, ex *aequitate* tamen decet omnino infinitae bonitati ut remittat habenti contritionem perfectam, tum quia est perfectissima dispositio quae a peccatoribus haberi potest, tum quia amorem Dei purum importat et ita ad divinam amicitiam optime disponit.

Non enim convenit divinae bonitati, ut creaturam, ope divini auxilii, sese rectificantem circa ultimum finem, et perversitatem quantum possit a se abiicientem, adhuc repellat. Facienti scil. quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Nec id mutatum reputetur ex institutione sacramenti Poenitentiae. Cum enim lex positiva non mutet naturam rerum, perfecta contritio ex natura sua sufficiens dispositio ad gratiam, eamdem vim instituto sacramento retinet.

496. Animadversiones. — 1) Probationes allatae in thesi

1. Cfr. Galtier, *de Poenitentia*, n. 67-69.

procedunt de contritione quocumque gradu charitatis formata, quae semper includit conversionem actualem et habitualem ad Deum. Amor enim appretiativus super omnia non potest consistere cum affectu seu voluntate peccandi. Unde valent de quocumque gradu, non solum de contritione valde intensa. Nullus igitur gradus intensitatis requiritur, sed minimus gradus est sufficiens, quidquid multi theologi olim docuerint (ante et post Trid.), tenentes contritionem non esse charitate perfectam nisi sit valde intensa ; quorum sententia tamen non est damnata[1]. Cfr. S. Thomas, Suppl. q. 5, a. 1 ; a. 3 ; II-II q. 45, a. 4.

2) Ne putetur actu contritionis nunquam remitti peccatum, cum illud iam remittatur actu charitatis ex cuius imperio contritio perfecta procedit. Nam haec duo fiunt simul in uno instanti, testante S. Thoma, q. 85, a. 6 et I-II, q. 113, a. 8 ; ita ut secundum ordinem causae materialis et dispositivae ex parte subiecti contritio natura praecedat, e contra secundum ordinem causae efficientis ex parte agentis praecedat charitas.

3) Quidam theologi alia motiva praeter charitatem perfectam dixerunt sufficere ad perfectam contritionem et ad remissionem peccatorum extra sacramentum ; sive quodcumque motivum quod spectat Deum, v. g. ex virtute religionis, poenitentiae, obedientiae, gratitudinis sumptum, quo detestamur peccatum non ut est contra Deum summe amabilem, sed ut iniurium Deo eiusque iuribus et voluntati oppositum (Scotistae, v.g. Brancatus, Minges) ; sive motivum amoris concupiscentiae et spei, quo amamus Deum ut summum bonum nostrum (ut pauci moderni : Bolgeni, Hurter, Palmieri, Egger).

Haec sententia a) est omnino gratuita, in nullo argumento Scripturae vel Traditionis fundata ; — b) a Conc. Trid. ignota, quod unum motivum indicat contritionis perfectae, et hoc ubi eam ab attritione ex professo distinguit ; imo videtur omnia alia motiva ad attritionem reducere, cum turpitudo peccati est in eo quod sit contra ius, cultum, obedientiam Dei, et motivum spei (Deus possidendus) reducatur ad motivum timoris (beatitudinis amissae) ; — c) nec quadrat cum ratione : actus enim religionis

1. Qui ad tres classes pertinent : 1) Alii dicebant detestationem ex motivo charitatis, *si sit appretiative summa*, esse contritionem perfectam ; et detestationem *efficacem ex motivo charitatis* esse appretiative summam ; at *intensio requiritur ut si efficax*. Ita multi antiqui scholastici docere dicuntur, ut v. g. S. Anselmus, Hugo Victorinus, Magister Sententiarum, Rolandus, Gulielmus Ant., Albertus M., Richardus de S. Victore, S. Bonaventura ; item Scotus, Faber, Hicquaeus, Maior, Massilius, Ockam, Gabriel, Abulensis, Thomas Argentinas. — 2) Alii dicebant detestationem ex motivo charitatis, si sit appretiative summa, esse contritionem perfectam ; sed *detestatio efficax non semper est appretiative summa*. Ergo gradus ulterior requiritur ultra efficacitatem. Ita Pallavicini et Gisbertus. — 3) Alii denique ad perfectam contritionem requirebant *appretiative simul et intensive summam ;* quos iam supra indicavimus, p. 422. — Variae istae sententiae non sunt directe contra Conc. Trid. quod eas formaliter damnare non intendit. Mens tamen Patrum non fuit dubia et per omnia doctrinae nunc generatim receptae favebant.

vel amoris concupiscentiae non est dispositio sufficiens (seu ultima) ad habitum charitatis seu amoris amicitiae erga Deum super omnia amatum. Sic enim Deus non amatur plus quam bonum creatum ; quam bonum virtutis religionis quod est quid creatum, aut quam bonum nostrum quod est aliquid infra Deum ; — nec homo iam seipsum aestimat minus quam Deum et Deum plus quam se[1]. Unde homo non sese convertit toto corde, nec facit totum quod potest ad peccati remissionem ; et ideo Deus non tenetur ipsi remittere nec ex aequitate aut decentia.

4) Inter theologos disputatur pro contritione perfecta, sicut pro charitate, utrum ad obiectum formale scil. infinitam bonitatem sufficiat unum attributum divinum, an requiratur bonitas formaliter infinita ut est aggregatio seu cumulus omnium perfectionum. Moderni multi dicunt sufficere unum attributum, quia in uno attributo implicite includuntur omnia alia et summa bonitas Dei, ac proinde contritio iam est propter ipsum Deum summe amabilem. Alii verius dicunt : si homo abstrahit vel non attendit aliis attributis, haec non sunt obiectum sui amoris, nec Deus infinite perfectus et summe amabilis formaliter concipitur, quo nihil melius detur et supra quem nihil desiderandum remaneat (II-II q. 23, a. 5, ad 2 ; Q. D. de Char., a. 6).

5) Quidam auctores distinguunt inter amorem charitatis seu amicitiae erga Deum, qui sufficit, et amorem simplicis benevolentiae, qui non sufficit, ad contritionem perfectam. Ita inter alios Billuart. At, licet verum sit de amore benevolentiae naturali erga Deum auctorem naturae, non valet de amore benevolentiae supernaturali erga Deum auctorem et finem ordinis supernaturalis : hic enim, si sit super omnia, iam est verae amicitiae quia fundatur in communicatione bonorum eiusdem vitae divinae, dum Deus iam amatur ut se amicabiliter communicans in visione beatifica[2]. Quod si non sit super omnia, nec erit attritio sufficiens ad obtinendam peccati remissionem.

---

1. Imo, pro virtute religionis aut alia morali, Deus, etiamsi sit finis cui, non tamen est finis qui seu obiectum nostri actus.

2. Nequit invocari S. Thomas, II-II, q. 27, a. 2, quia ab actu charitatis distinguit benevolentiam. Non enim distinguit actum charitatis a supernaturali *amore benevolentiae*, sed a *mera benevolentia* absque amore, quae « est simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non praesupposita unione affectus ad ipsum » ; dum « amor... importat quamdam unionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scil. amans aestimat amatum quodammodo ut unum sibi,... et sic movetur in ipsum ». « Sic ergo, concludit S. Doctor, in dilectione secundum quod est actus charitatis, includitur quidem benevolentia ; sed dilectio sive amor addit unionem affectus ».

Quod si ab adversariis non amor benevolentiae intelligeretur, sed sola benevolentia seu merus actus volendi bonum, sane verum dicerent ; sed animadversio non esset ad rem, cum ita non indicarent speciale motivum, quia in omni sincera contritione etiam imperfecta et formidolosa necessario et semper includitur voluntas reparandi peccatum, quod est velle bonum Deo.

Articulus II.

De Attritione seu Contritione imperfecta.

497. Attritio necessaria et sufficiens ad remissionem peccatorum in sacramento Poenitentiae est dolor de peccatis commissis, qui non ex motivo perfecto charitatis sed ex alio motivo supernaturali inferioris ordinis, scil. vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae metu concipitur et poenarum (quatenus a Deo infliguntur ut homo a peccando abstineat), cum proposito non peccandi de cetero.

Ex duplici motivo, secundum Conc. Trid., sess. 14, c. 4, *concipi potest :* « *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae* (i. e. poenae damni et sensus) et *poenarum* (temporalium Purgatorii et huius vitae) *metu* », ad quem etiam pertinet desiderium beatitudinis amissae (can. 5). Ad haec duo omnia alia motiva facile reducuntur. Praeter oppositionem enim peccati ad bonum Dei *infinitum* in se, quam respicit contritio perfecta, non est oppositio peccati nisi ad bonum *nostrum*, sive ad bonum *honestum* cui opponitur turpitudo peccati, sive ad bonum *delectabile* quod Deus in poenam peccati aufert.

Primum motivum nobilius est cum consideret peccatum ut oppositum rectitudini ordinis moralis, quatenus a Deo statutus vel quatenus est ex motivo supernaturali fidei cognitus, v. g. ut est iniuria, ingratitudo,inobedientia, iniustitia erga Deum, maculans animam, etc. Posterius motivum, licet minus nobile, est tamen bonum et utile ; ad quod intelligendum *duplex Dei timor* distingui potest : timor *filialis*, quo quis ex amore et reverentia Deum offendere timet, timet scil. malum culpae propter Deum, quia est offensa Dei optimi Patris, quod pertinet ad contritionem perfectam ; — timor *servilis*, quo Deus timetur tantum propter poenas quas minatur, vi cuius quis non solum ab ipso malo abstinet sed et affectum ad peccatum deponit, at propter poenam ; timet scil. malum poenae a Deo infligendae et culpam propter poenam, ita ut timor sit motivum attritionis, non autem conditio sine qua non haberetur attritio. Hinc timorem filialem non positive excludit sed ab eo praescindit, et ideo timor servilis non est malus sed imperfectus (I, n. 822-823).

A praedictis distinguitur et alius omnino est timor *serviliter servilis*, quando quis opus malum vitat, retinens tamen peccati affectum, ita dispositus ut poena sit conditio sine qua non vitandi peccatum : *si* non esset poena, vellem peccare ; timet

scil. solam poenam, et quidem ut summum malum, magis quam culpam. Sed tunc non est verus timor Dei, quo scil. homo ad eum convertitur et vitat peccata, sed est peccatum quod verum Dei timorem positive excludit ; unde potius quam timor Dei, dicendus est timor mere mundanus et pravus.

Iamvero : 1) Luther et Protestantes contendunt timorem simpliciter servilem non esse vere utilem et honestum, sed facere hypocritam et magis peccatorem; pariter Iansenistae (Quesnellus, syn. Pist.) dixerunt non inhonestum, sed inordinatum et malum, quia est ex amore sui.

2) Plures catholici tenuerunt solam attritionem non sufficere ad remissionem peccatorum consequendam in susceptione sacramenti, sed requiri perfectam contritionem ; hanc autem non remittere peccatum sine sacramento, nisi certum gradum intensitatis habeat seu intensive sit super omnia.

Contra quos duplex statuitur thesis.

498. *Thesis I.* **Attritio concepta ex turpitudine peccati, amissione beatitudinis et aeternae damnationis incursu, potest esse verus et utilis dolor, ad gratiam remote praeparans.** — Sic enuntiata est *definita* a Conc. Trid. contra Lutherum, sess. 14, can. 5.

In c. 4 autem Concilium ita docet :

« Illam vero contritionem imperfectam quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam disponit »[1].

Probatur : 1) *Ex Scriptura :* Ille timor est bonus et utilis qui in Scripturis commendatur et praecipitur ut ad iustificationem conducens. Atqui ita est de timore servili poenarum (Ps. CX, 10 ; Eccli. I, 27, 28 ; Prov. I, 7 ; Mt. X, 28 ; Lc. XII, 4-5).

2) *Ex Traditione Patrum :* a) verbis Christi citatis frequenter utuntur ad ostendendum timorem gehennae esse vere salutarem ; b) timorem iudicii et gehennae proponunt tamquam motivum detestandi et fugiendi peccatum ; v. g. Tertull., de Poen. XI, 1 ; — Clemens Alex., Strom. VII,12;

1. Cfr. prop. 14 et 15 damn. ab Alex. VIII ; 60, 61, 62, 67 Quesnelli ; 25 syn. Pist.

— Chrys., hom. 15 ad pop. Ant. n. 2 ; — Aug., serm. 161, c. 3 ; in ep. I Ioan. tr. 9, c. 4 ; Enarr. in Ps. CXXVII, 8[1] ; — Greg., in I Reg. exp. V, 11.

3) *Ratione theologica :* A. *Attritio non est mala.* Attritio ex metu gehennae tria importat : voluntatem fugiendi poenam, quae per modum finis se habet, — peccati detestationem quae est medium ad finem, — ordinationem huius medii ad finem obtinendum. Atqui haec tria bona sunt et utilia, imo necessaria ut tali motivo homines plurimum in officio contineantur. Ergo.

Prob. min. : a) honestum est inferni poenas fugere, cum sint aliquod malum et ideo odio dignum, et beatitudinem prosequi sit bonum ;

b) peccati detestationem esse bonam nemo est qui neget ;

c) ordinare autem fugam peccati ad vitationem poenae tamquam ad finem non est malum, cum sit medium aptum, et Deus ipse, sicut omnis legislator, poenarum minatione utatur ad nos a peccato deterrendos. — Aliunde peccator qui peccatum fugit propter poenam vitandam, non excludit altius motivum, quasi diceret poenam esse summum et principale malum, et sic finem ultimum in bono proprio poneret, sed abstrahit a motivo superiore : si enim excluderet, esset timor serviliter servilis. Unde motivum attritionis non est nobilissimum, sed non est turpe.

B. Imo *attritio remote disponit ad contritionem.* Attritio sponte sua ad perfectam contritionem et charitatem tendit eamque in proposito continet.

Nam qui ex gehennae metu efficaci odit peccatum, hoc detestatur tamquam gehennae causam, ac proinde dispositus est ad faciendum quidquid oportet ut, vitando peccatum, et infernum vitet. Ad hoc autem requiritur ut sibi proponat firmiter servare omnia praecepta, quorum primum et praecipuum est amor Dei super omnia. Ergo ex timore gehennae inducitur ad Deum ipsum amandum. Est scil. dispositus ponere actum charitatis *quando* oportet, sed non hic et nunc ponit.

499. *Thesis II.* **Ad remissionem peccatorum in sacramento Poenitentiae consequendam, non requiritur contritio perfecta, sed sufficit attritio.** — Thesis non est definita nec theologice certa, sed est moraliter certa et *tuta*, utpote *doctrina nunc communis*, contra plures theologos antiquos[2].

1. De mente S. Augustini, cfr. Galtier, *De Poenitentia*, n. 112-114

2. Thesim tenent S.Thomas et Thomistae generatim, Scotus, Durandus, Aureolus, Suarez et Iesuitae, S. Alphonsus et omnes recentes. E

Probatur : 1) *Ex Conc. Trid.*, sess. 14, c. 4, si *sensu obvio* intelligatur. Concilium describit partes sacramenti Poenitentiae et primo loco contritionem. Unde loquitur de contritione in quantum est pars sacramenti ; quam distinguit duplicem : perfectam et imperfectam, et dicit eam *aliquando* esse perfectam. Unde contritio quae est pars sacramenti non est semper perfecta, sed ad sacramentum etiam sufficit imperfecta ; cui ceteroquin definitio contritionis a Concilio tradita convenit.

Confirmatur : in Conc. declaratur duplicem esse contritionem, perfectam quae peccatorem Deo reconciliat priusquam sacramentum actu suscipiatur ; imperfectam seu attritionem quae « eum ad Dei gratiam, in sacramento Poenitentiae impetrandam *disponit* », i. e. proxime et sufficienter disponit, seu sufficit. Auctores quidem rigidiores istud verbum *disponit* intellexerunt de dispositione *remota*, non autem de dispositione proxima ad iustificationem. Id tamen prohibet a) parallelismus inter contritionem quae est dispositio proxima et attritionem ; item b) quod attritio etiam *sine sacramento* remote disponit ad gratiam, uti patet ex exemplo Ninivitarum a Concilio allato; unde inutiliter et inepte adderetur : in *sacramento;* denique c) cum Trid. non meminerit dispositionis proximioris in sacramento, definitio foret manca et doctrina incompleta.— Aliunde si Concilium verbo *disponit*, non autem *sufficit*, usum est, id factum est ne expresse damnaretur opinio antiquata P. Lombardi ; sed mens Concilii satis constat ex disputationibus inter Patres Tridentinos habitis [1].

2) *Ex varia ratione theologica :* Si contritio perfecta ad absolutionem praerequireretur,

a) peccatores nunquam vivificarentur sacramento Poenitentiae ac sacerdotis ministerio, cum iam contritione iustificati essent ; quod contradicit C. Trid., sess. 14, c. 1 et 3, can. 3 (cfr. can. 9), dicenti per sacramentum Poenitentiae peccata *vere* remitti ; et male conciliatur cum damnatione prop. 59 Baii : « Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo qui poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat ; ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur » ;

b) sacramentum non causaret id ad quod primario est institutum, scil., auferre peccatum mortale, et tunc nulla

---

contra S. Anselmus, Hugo a s. Victore, Magister Sententiarum, Rolandus, Albertus M., Richardus a s. Victore, S. Bonaventura, Pallavicini, Juenin, Berti, Ledrou, Gazzaniga, Ch. Lupus, Morinus.

1. Cfr. Theiner, Act. T. I, p. 531-600.

esset differentia inter sacramenta vivorum et mortuorum, nec Poenitentia esset secunda post naufragium tabula ;

c) arctior esset via salutis et difficilior in N. L., quam in V. L., cum nunc etiam requiratur confessio ; imo eadem dispositio requireretur ad iustificationem ex opere operato et ad iustificationem ex opere operantis, cum tamen ad istam necessaria sit dispositio expostulans gratiam, ad illam sufficiat dispositio quae removet obstacula gratiae scil. voluntatem peccandi seu adhaesionem peccato.

3) *Ex universali praxi* confessariorum et fidelium, qui non requirunt contritionem perfectam ut sacramentum ministrent vel suscipiant ; item ex praxi Ecclesiae sedulo moribundos absolvendi etiam quando gravissime deliquerant ; imo moribundo non denegatur absolutio dummodo hic *probabiliter* est attritus. Quod in thesi opposita non explicatur : vel moribundus contritionem habet et tunc non indiget absolutione ; vel est solum attritus et tunc absolutio est inutilis.

500. Quaestio de dispositionibus ad attritionem requisitis. — *Attritio* ad remissionem peccatorum necessaria *supponit certas animi dispositiones :* coniungi debet cum *fide*, secus non esset supernaturalis ; et cum *spe veniae*, secus nullum esset propositum melioris vitae. *Disputatur* autem *an* insuper *requiratur initium dilectionis*, seu an attritio ex solo metu gehennae concepta absque dilectione Dei ad iustificationem sufficiat in sacramento Poenitentiae.

Occasionem disputationis praebuit Conc. Trid., sess. 6, c. 6 describens conditiones ad iustificationem modo generali requisitas : « Disponuntur autem ad ipsam iustificationem, dum excitati divina gratia, *fidem* ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes... et... a divinae iustitiae *timore*, quo utiliter concutiuntur,... in *spem* eriguntur fidentes... Deum sibi propitium fore illumque tamquam omnis iustitiae fontem *diligere incipiunt*,... ac *propterea* moventur adversus peccata per *odium aliquod et detestationem, hoc est per poenitentiam* quam ante Baptismum agi oportet ; denique *proponunt*... » Hinc

1) dixerunt aliqui simul cum attritione requiri amorem Dei propter se dilecti, scil. initialem actum charitatis vel saltem benevolentiae, sive

a) actum charitatis sed remissum (non intensum), dicentes contritionem perfectam requiri ad sacramentum Poenitentiae,

quia sola contritio valde intensa peccatum remittit sine sacramento ut supra notavimus[1]; sive

b) initialem amorem Dei propter se dilecti, quo non diligitur super omnia bona, quamvis efficaciter retrahat ab omni peccato (Pallavicini, Bossuet) ; sive

c) saltem amorem quemdam benevolentiae erga Deum, ut S. Carolus Borr., Billuart, Sardagna, Simonet, Diekamp, etc.

2) alii tenent non requiri amorem charitatis, sed non alium nisi amorem concupiscentiae et spei, qui actus debet *explicite et specialiter* elici, ut Tournely et Wirceburgenses ;

3) denique secundum alios nullus requiritur actus explicitus et formalis amoris, sed sufficit attritio ex metu gehennae sincera quae voluntatem peccandi excludit. Ita Fr. de Victoria, M. Cano, Valentia, Dom. Soto, Vasquez, Suarez, Lugo, Gonet, Gotti, S. Alphonsus, Ballerini, et quasi omnes moderni.

Iamvero videtur requiri aliquis amor Dei, saltem concupiscentiae, seu initium dilectionis, non tamen specialis ; sed iste de facto continetur in omni sincera attritione quae voluntatem peccandi excludit, aut attritionem connaturaliter sequitur. Adest enim voluntas seu desiderium conversionis, in quo implicite continetur amor iustitiae reparandae et Dei qui est fons iustitiae. Et ita aliquatenus conciliari possunt plures sententiae oppositae.

Talis amor videtur autem sufficere, nam nulla adest ratio affirmandi aliquem requiri amorem specialem. Etenim : ille amor sufficit qui proxime disponit ad iustificationem in sacramento, dum obstacula gratiae removet. Atqui amor concupiscentiae erga Deum Summum Bonum nostrum in attritione inclusus disponit ad iustificationem : ex illo attritio detestatur peccatum ac spem veniae includit et voluntatem peccandi excludit (seu adhaerentiam ad peccatum), quae est obstaculum gratiae. Ergo non probatur amor nobilior requiri, praeter amorem concupiscentiae in attritione inclusum. Quodsi amor perfectior requireretur, videretur Ecclesiam non posse permittere sententiam oppositam.

Verba autem C. Trid. a) intelligi *possunt* de amore concupiscentiae et spei erga Deum ut nobis bonum : isto enim Deum amare incipiunt tamquam *iustitiae fontem*, ex amore scil. iustitiae sibi acquirendae; isto etiam moventur adversus peccata, quia sufficienter est aptus ad odium peccati producendum. Et nihilominus adest *initium dilectionis*, quatenus in attritione *includitur* : 1) *in dolore* quo peccator intendit reddere Deum propitium, et redire ad amicitiam divinam, quod est accessus ad charitatem ; 2) *in proposito* quo vult servare totam legem divinam, ac proinde legem primariam charitatis ; 3) *in spe veniae* qua vult pervenire ad vitam aeternam et perfectissimam Dei amicitiam, et ita habet dilectionem charitatis pro ultimo fine.

b) Forsan tamen melius intelliguntur de dilectione proprie dicta Dei propter se amati, quia decretum Concilii videtur reproducere articulum S. Thomae III, q. 85, a. 5[1]. Sed omnes actus descripti a Tridentino non sunt absolute et aeque necessarii ad iustificationem cum sacramento : ita v. g. timor nunquam necessarius est, quamvis ordinario adsit ; quidam semper necessarii sunt sive extra sive intra sacramentum, uti fides et spes ; alius solum extra sacramentum, scil. actus charitatis. Unde vox : *propterea* non indicat consequentiam solius dilectionis sed omnium actuum praecedentium, qui tamen non omnes semper sunt necessarii, ita ut odium et detestatio ac poenitentia pendeant ex fide (timore) et spe si cum sacramento, etiam ex initio dilectionis perfectae si sine sacramento iustificatio fiat.

Ceterum, secundum Concilium, non *necessario* requiri amorem Dei propter se, patet tum ex disputationibus habitis in Concilio, tum ex theologis qui interfuerunt Concilio, quorum plures non requirunt talem amorem Dei propter se in sacramento Poenitentiae[2]. Haec itaque sententia sufficienter tuta est in praxi, quia opposita in nulla ratione solida fundatur.

501. Obiiciunt : 1) Dolor de peccato ob motivum gehennae importat voluntatem peccandi saltem conditionate, si non esset gehenna.

Resp. *Dist.:* voluntatem peccandi importat per se, *nego;* per accidens *subd.:* quandoque, *conc.*, semper, *nego.* — Si quis doleat ex metu gehennae, dicens in corde suo quod, si gehenna non esset, vellet peccare, peccat non solum conditionate, sed absolute ; at hoc non est ex metu gehennae praecise et in se considerato, sed ex pravo affectu voluntatis, qui reponit in evitatione gehennae ultimum finem. Si autem simpliciter doleat de peccato ob metum gehennae, tunc gehenna est motivum doloris, quod est bonum et ex natura sua ordinatur ad Deum, et ideo mediate tendit in id quod est verus ultimus finis.

2) Si quis ex solo metu gehennae detestatur peccatum, virtualiter seu aequivalenter habet hunc actum : vellem peccare nisi infernum timerem.

R. Cum sciat peccatum ducere ad infernum, hunc timet et aversatur propter se, et peccatum eiusque affectum propter ipsum. Unde potius dicit : cum detur infernus, quem metuo et fugere volo, nullatenus volo peccare.

1. Cfr. pag. 440.

1. Cfr. in IV Sent., d. 14, q. 1, a. 2, qc. 2-3; et d. 20, q. 1, a. 1, qc. 1, ad 1.

2. Cfr. Palmieri et Pesch, *o. c.*, et Périnelle, *L'attrition d'après le Concile de Trente et d'après S. Thomas d'Aquin.*

Non excludit itaque nec includit alia motiva, sed ad illa viam parat. Unde non recte dicitur quod, secundum praesentem dispositionem, non doleret ex alio motivo, si non esset infernus.

3) Perversum est ordinare maius bonum ad minus, et odisse maius malum ad vitandum minus. Qui autem habet timorem servilem, maius malum, scil. peccatum, odio habet ad vitandum minus, scil. infernum. Ergo.

R. a) *Dist.:* Perversum est ordinare maius bonum ad minus, ut ad ultimum finem, *conc.;* secus, *nego.* Orantes enim pro bono temporali, ordinant cultum Dei ad finem temporalem.

b) *Nego minorem:* gehenna non est minus malum ; nam non solum importat malum poenae, sed et malum culpae, aversionem a Deo.

4) Attritus plus timet poenam quam culpam.

R. *Dist.:* timet plus intensive, *conc.;* plus appretiative, *subd.:* si comparationem institueret et excluderet positive alia motiva, *conc.;* si non excludit, *nego.*

5) Dolere tantum propter poenam est malum.

R. *Dist.:* cum exclusione positiva alterius motivi, *conc.:* id sane est malum ; cum praecisione simplici ab alio motivo, *nego:* id est bonum.

6) Si servilitas mala est, ergo et timor servilis.

R. *Dist.:* servilitas intrinseca actui reddit actum malum, *conc.*, ut in timore serviliter servili quo *poena habetur ut summum malum;* — servilitas extrinseca actui reddit actum malum, *nego*, ut in timore simpliciter servili, quo *poena habetur ut malum;* quod est rectum. Tunc scil. servilitas non est intrinseca operi, sed operanti, quatenus homo adhuc est in statu servilitatis seu peccati mortalis, conversus ad temporale bonum ; est scil. vitium timentis et dolentis, non timoris et doloris. Unde timor aut dolor malus non est.

7) Attritio ex timore poenae non causat displicentiam peccati secundum se, sed tantum ut est inductivum poenae ; ergo non tollit affectum peccati secundum se.

R. *Dist.:* non tollit directe et immediate affectum peccati secundum se, *conc.;* non tollit indirecte et mediate, *nego.* Nam indirecte saltem et mediate attritus non vult peccatum secundum se, cum nolit id quod ducit ad poenam ; directe illud non vult propter infernum.

8) Multi tamen ita comparati sunt, ut peccarent si metus inferni eos non cohiberet ; ergo in iis latet affectus ad peccatum.

Nego cons. Ex actibus conditionate futuris nemo bonus est aut malus. Nam multi, si Dei vel virtutis amore non ducerentur, de facto peccarent, et tamen ideo non dicunt hic et nunc : vellem peccare, nisi Deum aut virtutem diligerem. A pari, pro illis qui ducuntur timore servili.

502. Animadversio. — Qui dicit : *peccarem, si non esset*

infernus, vel id intelligit de actuali voluntate conditionata : si impune possem, peccarem ; et tunc nulla adest sincera attritio ; — vel de iudicio intellectus coniecturali : tam infirmus sum, ut praevideam me peccaturum fore si non esset infernus ; et id cum vera et sincera attritione componi potest.

503. Corollaria. — 1°) *Poenitens*, recipiendo sacramentum, *ex attrito fit contritus*, non quidem 1) sensu formali et proprio, quod attritio fiat formaliter contritio perfecta, cum sint duo actus motivo et specie distincti ; actus autem numerice idem nequit mutari quoad substantiam, nec esse ex diverso motivo vel diverso principio, v. g. a sola gratia actuali vel a virtute infusa ; sed 2) sensu materiali et improprio, ex parte subiecti, quatenus poenitens qui ex actu contritionis imperfectae denominatur attritus, nunc ex vi sacramenti denominari potest contritus, utpote habens gratiam qua informitas seu imperfectio contritionis, i. e. defectus seu absentia charitatis, tollitur : tum a) ratione habitus charitatis et poenitentiae, qui infunditur, quo fit contritus *habitu*, potens contritionem perfectam elicere ; tum b) ratione actus supernaturalis quo voluntarie gratiam et charitatem acceptat, quatenus attritio iuncta sacramento aequivalet contritioni quoad effectum productum, nempe peccati remissionem.

2°) Hinc *poenitentia*, quae *necessaria* est necessitate medii, *est vel contritio perfecta*, saltem virtualis, *cum voto* sacramenti, *vel contritio imperfecta formalis in sacramento.*

3°) *Hortandi* tamen sunt et excitandi *poenitentes ad amorem Dei et contritionem perfectam*, maioris perfectionis et securitatis causa. Nec tam difficile esse talem contritionem habere, testatur S. Thomas [1].

QUAESTIO QUARTA.

DE EFFECTU CONTRITIONIS.

S. Th., III, q. 86, a. 6 ; Suppl., q. 5 et q. 9, a. 1.

504. Contritio est causa remissionis peccatorum et infusionis gratiae. — Cum contritio possit considerari dupliciter : ut est pars sacramenti et ut actus virtutis poenitentiae, utroque modo sed diversimode effectum obtinet : ex opere operato et ex opere operantis.

1) *In quantum est pars sacramenti*, simul cum reliquis partibus, scil. confessione et absolutione, est causa efficiens instrumentalis, quae ad ipsam infusionem gratiae

1. Quodl. IV, a. 10 ; in Ioh. lect. 6, n. 6, v. 44 C. Gent. IV, 72 ; in IV Sent., d. 22, q. 2, a. 1, sol. 3.

et ipsam condonationem peccati et poenae operatur instrumentaliter.

2) *In quantum est actus virtutis*, non est causa formalis iustificationis quae unica est, iustitia qua Deus nos iustos facit (ut certum est ex Conc. Trid., sess. 6, c. 7), seu gratia gratum faciens ; — nec causa efficiens, quia Deus solus iustificat (c. 7) ; — nec causa meritoria (c. 6 et 7, can 3 et 4 ; sess. 14, c. 4). Quamvis enim contritio efficiat retractationem et compensationem peccati, et sic *efficienter* concurrat ad remotionem offensae, quae est impedimentum gratiae remissivae (III, q. 85, a. 2, ad 3), attamen solum est causa dispositiva seu quasi materialis quantum ad gratiam recipiendam : dispositio enim reducitur ad causam materialem. Quae tamen dispositio nostra principaliter est a Deo nos movente per gratiam. — Nam :

a) *Contritio perfecta*, etiam extra sacramentum (cum solo tamen eius voto), causat dispositive, tamquam ultima dispositio seu « quasi necessitas » ad gratiam ; qua dispositione posita, secundum Dei liberalem ordinationem, statim gratia infunditur.

b) *Attritio* de se causat dispositive sed remote, et causat sufficienter gratiam simul cum sacramento.

« Et sic patet quod remissio culpae est effectus poenitentiae secundum quod virtus est, sed principalius secundum quod est sacramentum » (III, q. 86, a. 6).

505. Contritio, etiam parva seu remissa, est sufficiens :

1) ad delenda etiam magna peccata, dummodo ad rationem contritionis pertingat, quia peccatum displicet quantum debet i. e. super omnia mala ;

2) attamen quo maior et intensior sit, eo magis remissionem peccati et poenae ac infusionem gratiae obtinet ;

3) imo potest esse tam magna et intensa, tum ex parte charitatis, tum ex parte doloris sensibilis quem voluntarie excitet, ut sufficiat ad delendum omnem culpam et omnem poenam.

506. Quaestio : *Utrum sacramentum Poenitentiae possit*

esse simul validum et informe seu infructuosum [1] *?* — De hoc quaerunt moderni theologi occasione doctrinae de dotibus et effectu contritionis.

a) Multi recentiores negant, quia dispositio ad gratiam requisita est et pars sacramenti, unde si hoc validum est, dispositio sufficiens ad iustificationem scil. attritio adest ac proinde etiam fructus statim obtinetur ; quodsi non adsit attritio, nec validum est sacramentum.

b) Multi tamen alii existimant contritionem, quae est necessaria pars ad valorem sacramenti Poenitentiae, non esse omnino eamdem ac illa, quae est dispositio sufficiens ad iustificationem et fructum sacramenti. Quam sententiam plures recentiores restringunt ad duos casus : 1) quando quis duplicis peccati reus, ex invincibili oblivione, de altero tantum doleat propter turpitudinem ipsi specialem et hoc solum confiteatur ; 2) quando quis ex ignorantia invincibili crederet non esse peccatum mortale accedere ad sacramentum sine dolore de omnibus, dum tamen dolor ex motivo speciali adesset de aliquo. Hisce in casibus ipsis videtur sacramentum esse validum, quia homo apponit materiam, scil. confessionem formaliter integram et verum dolorem efficacem alicuius peccati cum proposito absoluto, et tamen non confertur gratia, quia datur obex : contritio enim non est universalis, cum aliud peccatum non sit retractatum. Ita Suarez, Lugo, Salmanticenses et alii, quorum doctrinam probabilem putat S. Alphonsus. — Attamen valde dubitare licet, an dari possit alicuius summa et efficax contritio *propter Deum* quae non sit universalis. Insuper, si informitas sacramenti Poenitentiae ita restringenda esset ad duos casus valde raros et quasi metaphysicos, parum faceret ad praxim et practice negligi posset.

c) Veteres autem theologi latius admittebant informitatem, et aliter distinguebant : inter contritionem quae est necessaria pars ad esse sacramenti, et contritionem quae est dispositio necessaria ad iustificationem. Prima utpote pars signi sacramentalis, est contritio ut externe et sensibiliter manifestari potest et moraliter certo a confessario diiudicari, scil. quod sit interna et sincera, supernaturalis et universalis ; — sed ad iustificationem requiritur plus, etiam contritio summa, qua homo ita est dispositus, ut peccatum habeat summum malum et efficaciter velit omnia mala pati, potius quam illud committere : hoc autem non est sensibile et fugit experimentum humanum, nec potest moraliter diiudicari ; unde non pertinet ad signum sensibile sacramenti. Quoties ergo aliquis priorem contritionem habeat, scilicet supernaturalem, et altera careat, scilicet appretiative summa, hic et nunc inconscius tamen defectuosae dispositionis, sed se existimans rite dispositum (secus enim esset simulata et ficta contritio), sacramentum est validum sed infructuosum ; adveniente autem ulteriore dispositione, fructus suos operatur et reviviscit. Quod tantum semel fiet, quia una

1. De quo confer *Revue Eccl. de Liége*, nov. 1909, et juil. 1910.

reviviscentia ius ad remissionem peccati absolute concessum est exhaustum.

Cui non obstat doctrina Conc. Trid. (sess. 14, c. 4) quod, loquens de contritione, quae primum locum habet inter partes poenitentiae, nullam agnoscit praeter illam quae voluntatem peccandi excludat. Potest enim id a Concilio requiri quatenus necessarium sit ut contritio etiam sit sufficiens tamquam dispositio ad iustificationem. Non enim ait id exigi ad hoc quod contritio sit pars ipsius materiae sacramenti.

Ultima sententia non est certa, sed vere probabilis, tum intrinsece ob rationes indicatas, tum extrinsece ex auctoritate multorum, quorum testis est S. Thomas, q. 9, a. 1, docens dari confessionem informem. Quem ita interpretantur Capreolus, Durandus, Paludanus, S. Antoninus, Soncinas, Bernardus de Gannaco, Caietanus, Dom. Soto, Sylvester, Candidus, Petrus de Soto, Melchior Canus, Ledesma, Iohannes a S. Thoma et plures alii ; nuperrime Billot, De Smet, Van Noort, Vermeersch, etc.[1]. Unde in praxi ad illam sententiam est attendendum, v. g. in quaestione an absolutio danda sit, vel non sit, sub conditione, et sub quanam conditione ; ita ut in praxi nunquam dandum sit sacramentum sub conditione : *si es dispositus*, sed sub conditione : *si es capax*, ne scilicet impediatur, si quae daretur, reviviscentia sacramenti.

CAPUT II.

DE CONFESSIONE.

507. Confessio ad sacramentum Poenitentiae requiritur, quia id institutum fuit per modum iudicii. Ad iudicium requiritur *accusatio*. In hoc autem iudicio non est accusator, nec actor, nec testis, nisi ipse reus, qui proinde debet manifestare delicta sua. Quod *fit confessione qua subiicit peccata Deo, mediante huius ministro*.

Ante Christum non erat sacramentum Poenitentiae, nec proinde confessi sacramentalis ; existebat tamen quaedam peccatorum confessio tamquam actus virtutis poenitentiae. Et quidem :

a) In V. L. erat triplex, scil. 1° *confessio Deo facta* ad facilius remissionem peccatorum obtinendam (Prov. XXVIII, 13 ; Eccli. IV, 31) ; — 2° *confessio generalis* qua summus sacerdos impuritates populi Israël semel in anno publice recitabat, ut describitur Lev. XVI, 20-21 ; — 3° *confessio alicuius peccati distincta* quae fiebat *sacerdotibus*, qui sacrificium pro peccato determinato offerebant (quia victima diversa erat pro peccatorum diversitate),

1. Etiam favet Kiselstein in *Revue Eccl. de Liége*, janv. 1924.

vel et quando restitutio facienda erat (Lev. IV, 3-31 ; V, 1-13 ; VI, 1-7 ; Num. V, 6-7).

b) Ioanne proximum Christi adventum iam annuntiante et praeparante, Iudaei qui in poenitentiam petebant baptismum Ioannis, confitebantur peccata sua ut efficacius propositum agendi poenitentiam manifestarent (Mt. III, 6 ; Mc. 1, 5).

c) Post Christum autem *confessio specifica et distincta facta sacerdoti* iam necessaria est ad validitatem Poenitentiae tamquam sacramenti (Conc. Trid., sess. 14, c. 5), unde vocatum fuit ἐξομολόγησις i. e. *declaratio*[1]. Quae confessio instituta fuit ab ipso Christo Domino, et de iure divino necessaria est pro omnibus et singulis peccatis mortalibus (Ibidem, can. 6 et 7) ; modus tamen publice confitendi, quamvis non sit vetitus et ab aliquibus adhibitus in peccatorum et sui humiliationem, exemplum aliorum, aut Ecclesiae aedificationem, non est de praecepto, et ideo ab initio Ecclesiae etiam exstitit confessio secreta, quae non est a mente Christi aliena, nec inventum humanum. Ita definivit Conc. Trid., sess. 14, c. 5, reddens simul rationem theologicam necessitatis confessionis distinctae et specificae omnium peccatorum : « Constat enim sacerdotes 1° iudicium hoc (de peccatis ad remissionem), incognita causa exercere non potuisse, neque 2° aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint ».

QUAESTIO PRIMA.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS.

Articulus I.

De Confessionis Necessitate Medii.

S. Th., Suppl., q. 6, a. 1, 2, 6.

508. Errores. — Circa confessionis institutionem aut necessitatem multi erraverunt :

a) *Wicleff* saec. XIV, confessionem habebat, non tamquam a Deo institutam, sed ut inutilem, dicens « si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis » ; quae propositio est 7a inter damnatas a Conc. Constantiensi.

b) *Petrus de Osma* docebat peccata mortalia sola contritione deleri sine ordine ad claves (prop. 1), et confessionem de peccatis in specie esse ex statuto universalis Ecclesiae, non ex iure divino

1. Usurpatur tamen etiam vox pro tota et laboriosa poenitentiae actione, ut diximus, p. 367.

(prop. 2), nec esse faciendam de peccatis manifestis, sed solum de secretis (prop. 4) ; quae propositiones tamquam falsae et catholicae fidei contrariae damnatae fuerunt a Sixto IV, 9 Aug. 1478, et ab auctore retractatae.

c) *Luther* initio quidem retinuit confessionem peccatorum gravium et manifestorum ut saluberrimam (prop. 8 damn. a Leone X, 15 iun. 1520), postea non solum negavit esse institutam a Christo, sed etiam impugnavit praeceptum ecclesiasticum, imo modum quo in Ecclesia fit dicebat esse « cruentissimam carnificinam ».

d) *Calvinus* (Inst. III, 4) contendebat auricularem confessionem et distinctam, non a Christo, sed ab Innocentio III in Conc. Later. IV institutam, et esse Ecclesiae noxiam.

e) *Erasmus* etiam negavit talem confessionem habere fundamentum in antiquitate.

f) *Eybel* contendit poenitentiam antiquitus institui ad remissionem peccati ut est delictum contra Ecclesiam ; non extitisse confessionem secretam nisi ut remedium quo consulebantur opera poenitentiae quibus remissio obtinebatur coram Deo ; hodiernam autem Ecclesiae consuetudinem esse abusum institutioni Christi contrarium. Quae ut falsa vel et haeretica damnavit Pius VI, Const. *Mediator*, 11 nov. 1784.

g) *Rationalistae* et *Protestantes liberales* docent confessionem esse institutum ecclesiasticum ex lenta disciplinae poenitentialis primitivae evolutione : ad istam initio pertinebat aliqua confessio publica ; dein, propter usurpationem a sacerdotibus potestatis remittendi peccata, confessio requirebatur distincta ; postea facta est secreta ; et denique habita est ut obligatoria, quod, post disputationem, sancivit Conc. Lat. IV.

h) *Protestantes* ceteroquin omnes, *etiam* maxime *orthodoxi* ut Ritualistae, licet confessionis utilitatem agnoscant, tamen eius necessitatem negant.

509. *Thesis.* **In N. L. iure divino, iis omnibus qui post Baptismum graviter peccaverunt necessaria ad remissionem peccatorum et salutem est confessio sacramentalis, et quidem omnium et singulorum peccatorum mortalium.**— Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 14, c. 5, can. 6 et 7 ; quod definivit tria :

1° *divinam institutionem* confessionis ;

2° eius *necessitatem* ad salutem, scilicet ad remissionem peccatorum ; — quae proinde est necessitas *medii* ad finem, et cum agatur de actu humano ponendo, consequenter etiam adest necessitas praecepti ;

3° eius *obiectum*, scilicet omnia et singula peccata mortalia.

Probatur : I. *Ex Scripturis :*

A. *Institutio divina confessionis.* Christus instituit sacramentum Poenitentiae *per modum iudicii* (Mt. XVI, 18-19 et XVIII, 18 ; Ioh. XX, 23), ita ut ministri non possint, pro libitu, ligare aut solvere, remittere peccata aut retinere, sed solum iuxta leges aequitatis et prudentiae. Atqui tale iudicium proferri nequit sine praevia confessione omnium peccatorum mortalium. Ergo talem confessionem Christus instituit ut necessariam ad sacramentum Poenitentiae.

1° Nam iudicium aequum et prudens ferri non potest nisi cognita causa, et quidem distincte et in particulari, uti constat ex iudiciis humanis ; ceterum unumquodque peccatum mortale per se solum est causa distincta ; — et aliunde causa regulariter cognosci nequit absque poenitentis confessione, qui *solus* a) peccata sua *secreta* revelare potest, aut b) etiam externorum veram *malitiam*, quae ex interno actu cognitionis et voluntatis pendet, ac c) *probationem verae poenitentiae*.

2° Praeterea potestas collata fuit peccata remittendi aut retinendi ; quae sane non indiscriminatim est exercenda pro libitu ministri sed secundum statum et interiores dispositiones poenitentis ; de quibus aeque iudicare est impossibile sine confessione distincta et integra gravium peccatorum.

3° Denique potestas retinendi est *potestas imponendi conditiones* sub quibus conceditur remissio, ita ut sub alia et alia conditione posita absolvatur qui hoc vel illo modo peccaverit. Ad quod requiritur distincta et integra peccatorum accusatio, sine qua aequitas servari non posset in imponendis poenis et remediis assignandis.

Ergo Christus, concedendo Ecclesiae potestatem remittendi peccata per modum iudicii, eo ipso instituit confessionem, et quidem distinctam et integram.

Nec sufficit cognitio dispositionum poenitentis, quia iudicium fit non tantum de dispositionibus et de culpabilitate, sed etiam de peccatis : agitur enim de *peccatis* remittendis vel retinendis. Et sine horum cognitione recta aestimatio culpabilitatis et dispositionum foret impossibilis, nam haec supponit cognitionem criminum et de gravitate criminum. Ad sententiam igitur iudicialem debet cognosci id *a quo* absolvitur, et id *propter quod* absolvitur.

B. *Necessitas confessionis.* Christus instituit ut omnia peccata mortalia post Baptismum commissa non aliter remitterentur, quam per iudiciariam sacerdotis absolventis sententiam in iudicio sacramenti Poenitentiae, iuxta Ioh. XX, 23 : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.*

1° Nam Christus in Ecclesia tribunal constituit ad remissio-

nem aut retentionem peccatorum. Sed, quando princeps in regno suo tribunal statuit ad causarum cognitionem, quae respiciunt non lites privatas sed ipsam societatem et observantiam legum,eo ipso voluntatem manifestat ut sit via necessaria ad has causas terminandas, et ut rei cogantur ad se sistendum coram tribunali ad lites terminandas cum lege ; secus enim vana esset et illusoria iudicum potestas quae impune contemneretur. Ergo.

2° Potestas remittendi et retinendi peccata non est nisi speciale exercitium potestatis clavium. Atqui potestas clavium supponit vim obligandi omnes fideles in peccatum lapsos, ut ad illam recurrant pro huius vinculi solutione et regni coelorum apertione : quid enim prodesset habere potestatem clavium aut ligandi et solvendi, si alii possent aperire aut solvere? Ergo.

3° Peccatum non remittitur a Deo, Apostolis (et sacerdotibus) retinentibus : *quorum retinueritis retenta sunt*, i.e. si retinueritis vos, retineo et ego ; si non remiseritis vos, non remittam et ego. Ergo peccator non potest obtinere remissionem, nisi recurrendo ad potestatem Apostolis concessam et ad tribunal sacramenti Poenitentiae ; secus enim frustra retinerent, et vana aut falsa forent verba Christi (cfr. supra, n. 437).

Breviter : sententia iudicialis fertur in ea quae in iudicio sunt allata, et ideo, quoad sacramentum Poenitentiae, in peccata declarata. Oportet autem, iuxta id quod iam probatum est, omnia et singula peccata mortalia subiicere sacramento Poenitentiae seu potestati clavium. Ergo omnia et singula debent declarari in confessione. — Et ideo a primis temporibus confessio habebatur ut necessario connexa cum debito exercitio potestatis clavium, et ita implicite habebatur de iure divino ; ut nunc est ostendendum.

II. *Ex Traditione*, seu *ex praxi et fide Ecclesiae*[1]. In qua agnoscitur implicite aut explicite, tum existentia confessionis sub forma publica aut secreta, tum confessionis necessitas et quidem ex iure divino.

1) *Existentia confessionis :* a) *initio implicite*, quatenus impositioni publicae poenitentiae praemittitur cognitio delicti iuridica (Didasc. II, in quibus tres referuntur casus n. 16-18, n. 38-41, et n. 42-43), vel publica cognitio erroris aut schismatis (Ep. Corn. ; P. L. III, p. 718 sq.), vel examen causae (Conc. Carth., anno 251 ; Cypr. ep. 55 et 57, et hoc quoque supponitur in ep. Dyon. Cor., H. E., l. IV, 23) ;

b) tum *explicite sub forma publica :* ita Iren. adv. Haer. I, c. 13, n. 5 ; Tertull., de Poen., c. 9 ; Cypr. de Lapsis, c. 28 et 29 ; Orig., Hom. II in Lev. 4 ; Lact., Div. Inst., l. IV, 30 ; Ambr. de Poen., l. II, c. 1 et 6 (quod et in vita Ambrosii, n. 39 refert Paulinus) ;

1. Conferri possunt Morinus, De San, Pignataro, Battifol, Vacandard ; e manualibus : Tanquerey, *o. c.*, n. 101-121 ; Galtier, *o. c.*, n. 421-435 ; Van Noort, *o. c.*, n. 76-82 et 87.

c) ac etiam *sub forma secreta*, scilicet confessio auricularis seu privata : ita Orig., hom. II in Ps. XXXVII, n. 6 ; Petrus Alex. (apud Mai, Spic. Rom. T. VII, p. 465) ; Athan., fragm. c. Nov. ; Aphraates, Dem. VII, n. 3-4 ; Socrates et Sozomenes (in H. E., l. VII, c. 16) ; Basilius, ep. 217, can. 34 ; Greg. Nyss., ep. can., can. 6 ; Ambr., de Poen., l. II, c. 6 et 9 ;

d) denique *discrimen inter utramque*, ut Aug., serm. 351, n. 9 ; Innoc. I, ep. ad Dec. XXV, 7, 10 ; Leo M., ep. 168.

2) Insuper *necessitas confessionis :* implicite Clem., ep. ad Cor., c. 44 et 57; ps.-Clem., II ad Cor. VIII, 3 ; Iren., l. I, c. 13, n. 7, et Orig., hom. 2 in Ps. XXXVII, n. 2 et 6 ; hom. 3 in Lev., n. 4 ; hom. 17 in Luc. ; explicite Methodius, de Lepra, 6, 7-9 ; Aphraates, l. c. ; Socrates et Sozomenes, l. c. ; Chrys., hom. 30 in Gen., n. 1 et 3 ; Greg. Nyss., l. c. ; Basil., reg. brev., n. 228 ; Ambr., de Poen., l. II, 7 ; Hier., in Eccli., c. X ; Pacianus, Par. ad Poen., n. 8 ; Aug., serm. 351, n. 9 ; in Ps. CI, 2-3 ; serm. 67, n. 1-2 ; in Ioan., tr. XXII, 7 ; serm. de Poen. (ap. Mai, N. Bibl. P., t. I, p. 455) ; Leo M., ep. 168, c. 2.

3) Denique *necessitas* confessionis est *ex iure divino*, vi institutionis Christi, quia connectitur cum potestate clavium a Christo concessa, uti videre est apud Cypr., ep. 55, c. 29 ; Ambros. et Pacian. l. c., Aug., serm. 392, n. 3 ; Leonem M., ep. 108, etc.

Ex quibus sequitur confitenda esse omnia et singula peccata mortalia. Etiam occulta et interna, ut explicite tradunt Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Basilius, Pacianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Innocentius I, etc., omnes autem implicite, cum doctrinam de confessione connexam proponant cum potestate clavium, extra quam non datur remissio peccatorum.

Itaque, ineunte saltem saeculo III, ex Origene, Tertulliano, Cypriano, scimus in universa Ecclesia esse praxim confessionis ut propriam Ecclesiae catholicae et apostolicam, nemine contradicente ; unde non est recentis institutionis, secus in re tanti momenti et tanti oneris oppositio facta fuisset et dissensus. Ergo ita iam extitit, saltem a medio saeculo II. Hac autem aetate adhuc vivebant auditores apostolorum vel immediati eorum discipuli, sub quorum oculis non introducta talis praxis fuisset, quin ad novitatem clamassent ; cuius rei nullum apparet indicium.

III. *Ex convenientiis rationis* confirmatur[1]. Convenienter admodum a poenitente exigitur actus confessionis, si consideretur sive ex parte Dei, sive ex parte hominis, sive ex parte societatis.

1. Cfr. P. Félix, *Pourquoi on se confesse et pourquoi on ne se confesse pas?;* Bougaud, *Le Christianisme et les temps présents*, t. V, ch. 6; Tanquerey, *o. c.*, n. 123-125 ; Ferrerius Companus, *De Biecht. Een groote maatschappelijke weldaad;* M. Lamarche, O. P., *De la Confession*, in *Revue Dominicaine*, mai 1923 ; Dict. Apol., art. *Pénitence*.

a) *Ex parte Dei offensi*, quia dolorosa confessio, ut *humiliatio* satis dura, ab una parte aliquatenus reparat iniuriam superbiae et inobedientiae Deo per peccatum illatam, et ab alia parte etiam apud homines magnam vim habet ad promerendam veniam.

b) *Ex parte hominis poenitentis*, cui valde utilis est ad facilitatem veniae, securitatem et consolationem. Ante peccatum, praevisum onus omnia interna secreta explorandi et confitendi hominem *a peccato absterret;* post peccatum, attenta illorum consideratio et sincera confessio mire confert ad *pacem et consolationem animae*, et adiuvat ad *emendationem vitae*. Cum autem nemo sit iudex in propria causa, amico et duce indigemus, tum ad aperienda ipsi et securius *diiudicanda secreta cordis*, ac *sananda vulnera*, tum ad *praxim virtutum*, tum ad *progressum in vita spirituali*.

c) *Ex parte societatis*, tum domesticae, tum civilis, cui utilis est. Confessio enim causa vel occasio est, quod lites et dissidia componantur, inimicitiae deponantur, bona ablata restituantur, scandala praeveniantur aut reparentur, etc. Uno verbo, reddit facilem observantiam legum et moralitatis.

Abusus autem non provocantur ab ipsa confessione, sed a fragilitate aut malitia hominum. Et quia Ecclesia hac in re cautissime procedit, relative rari sunt ; ac beneficiis longe maioribus abunde compensantur.

510. Corollaria. — 1. Ex praedictis apparet *progressum quemdam et evolutionem adfuisse in praxi et in expositione dogmatis*. Divina institutio et necessitas confessionis non explicite sed implicite continentur in Scripturis ; materia confessionis solum generali et confuso modo designatur ; et de tempore quo urget confessio aut modus quo sit instituenda nil statuitur.

2. Inde etiam factum est quod *pauca adsunt explicita testimonia Ecclesiae primitivae*, et quod minus frequenter confitebantur fideles, eo vel magis quod plerumque erant ferventiores, et quod doctrina de pluribus peccatis gravibus non erat adhuc perfecte determinata : qui autem a gravibus immunes erant, aut se existimabant, non accedebant ad sacramentum, nam mos nondum vigebat accusandi venialia ; lapsi vero non pauci deterrebantur ob laborem et diuturnitatem Poenitentiae, et ideo plus aequo differebant.

3. Attamen *omnia elementa essentialia ab initio adsunt* et obligatio confessionis agnoscitur, quamvis modus diversis temporibus valde diversus fuerit. Non igitur instituta confessio fuit ab Innocentio III in Conc. Lat., nec a Leone Magno invecta.

4. *In demonstranda thesi abstinendum a quibusdam testimoniis* Scripturae aut Traditionis, quae licet primo intuitu, aut forsan probabilius, videantur confessioni sacramentali alludere, stricte tamen non probant. Ita v. g. Act. XIX, 18 ; Iac. V, 16 ; I Ioh. I, 8-9 ; sed ista respective *possunt* intelligi de generali quadam accusatione facta communitati, aut de confessione facta prudenti viro consilii causa, aut de confessione coram solo Deo. Et similiter Didache IV, 14 ; Clem. Rom., ad Cor. 51 ; ep. Barn., c. XIX, 12 ; nam ista etiam apte intelligi possunt de confessione rituali ante s. communionem, qualis adhuc hodie in usu est.

5. Doctrinae de confessionis necessitate *non opponitur sententia Chrysostomi*[1]. Refert iste Nectarium, occasione abusus, in Ecclesia Constantinopolitana abolevisse (a. 386), non quidem usum confessionis, sed a) munus poenitentiarii qui praeerat publice poenitentibus, b) delationem criminum occultorum ad iudicem ecclesiasticum, c) obligationem agendae publicae poenitentiae et publicae confessionis pro criminibus coram poenitentiario accusatis. Alibi enim et ipse inculcat necessitatem confessionis, uti patet tum ex eius verbis, ut in hom. 30 in Gen., n. 1, aut dum monet *ne erubescant aut pudeant* poeniteri (hom. 4 in Laz., c. 4 ; hom. 2 de Poen., n. 1), aut dicat : « *sacerdoti vulnus manifesta* » (hom. 3 ad pop. Ant., n. 5) ; tum ex approbatione eius doctrinae, quae nullam suspicionem ingerit coaetaneis qui omnes confessionem admittebant. Quod si dicat confitendum solum *coram Deo*, ex locis parallelis et aliorum similibus verbis patet non exclusisse confessionem sacerdoti faciendam, sed intelligendus de confessione quae fit in secreto, coram solo legato Dei, et non coram ecclesia tota, seu *in theatris*, ut ipse dicit in hom. 4 in Laz., c. 4.

6. *Nec opponitur Decretum Gratiani*, in quo legitur : « Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, uti Graeci, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent ; quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam » (C. XXXIII, q. III de Poen., d. 1, c. 90). Iste non negat necessitatem confessionis, de qua hoc tempore non movebatur quaestio, et quam absolute affirmat ; sed alludit quaestioni : utrum sola contritio iustificet impium antequam confessus sit et satisfecerit, seu utrum sola cordis contritione absque confessione quisquis possit Deo satisfacere ; et respondet a) esse qui dicunt veniam sine confessione sacerdoti facta obtineri posse ; b) dein oppositam esse sententiam ; c) denique, reservata sua sententia, recitat conclusionem praedictam. Videns enim, ex una parte, tota traditione affirmari necessitatem confessionis, et ex altera parte multos iustificari sine confessione propter contritionem (perfectam), viam aptam conciliationis non inveniens rem in medio reliquit[2].

---

1. De hoc conferri possunt Tanquerey, *o. c.*, n. 111-112 ; Galtier, *o. c.*. n. 438-452 ; Van Noort, *o. c.*, n. 81.

2. Ita fere Kiselstein in *Revue Eccl. de Liège*, mars 1928, allegans d'Alès, *de Sacr. Poenitentiae* (1926), p. 105 ; Galtier, *de Poenitentia* (1923), n. 367 et 372 ; Teetaert, *La confession aux laïques dans l'Église latine* (1926), p.127 et 237 ; Hugueny, *Gratien et la confession*, in *Revue des Sc. phil. et théol.*, 1912, p. 81 ; Debil, *La première distinction du de Poenitentia de Gratien*, in *Revue d'Hist. eccl.*, 1914, p. 251, 442 ; Cavallera, *A propos de l'histoire du sacrement de Pénitence* in *Bull. de litt. eccl.*, 1923, p. 172.

Articulus II.

De Confessionis Necessitate Praecepti.

S. Th., Suppl. q. 6, a. 3 et 5 ; q. 8, a. 4 et 5.

511. Duplex datur de confessione praeceptum : divinum et ecclesiasticum. — Divinum, uti constat ex articulo praecedenti, obligationem determinat, non autem tempus quo impleri debet ; — ecclesiasticum praefinit tempus aliasque circumstantias.

512. Praeceptum divinum non obligat statim post peccatum mortale, sicut nec ipsa poenitentia seu contritio « non est de necessitate salutis corporalis, ait S. Thomas, quod statim medicus quaeratur, nisi quando necessitas curationis incumbit, et similiter est de malo spirituali » (q. 6, a. 5, ad 2) ; unde nullo unquam tempore Ecclesia iniunxit confessionem immediatam, nec fideles talis obligationis sunt conscii. Nihilominus :

A. Praeceptum *obligat per se :*

1° *Certo,* in articulo et in valde probabili periculo mortis, aut amentiae perpetuae, aut alterius impedimenti ob quod praevidere quis potest se nunquam habiturum occasionem confitendi peccata.

Ita, sive periculum oriatur ex morbo, sive ex pugna, aut condemnatione iudicis, aut periculoso puerperio, vel ex incisione chirurgica, vel ex valde periculosa navigatione, aut ex quacumque alia causa. Qui enim, in tali periculo positus, divinum praeceptum non implet, temere se exponit proximo periculo nunquam implendi ; unde censetur illud non velle adimplere, cum medium necessarium negligat, quod sane idem est ac praeceptum violare.

2° *Probabiliter,* aliquoties in vita, quia peccator videtur teneri non diu remanere in peccato mortali, utpote qui alias in novum peccatum sit lapsurus ; medium autem ordinarium surgendi a peccato est confessio. Quod valet saltem de illo qui non possit contritionem perfectam aut non velit illam elicere [1].

1. Cfr. Quodl. I, 11.

In praxi quoad hoc non est difficultas, cum Ecclesia decreverit saltem singulis annis esse confitendum : cum enim Christus ad hoc obligaverit indeterminate, et illud determinandum reliquerit Ecclesiae, cumque etiam contritione perfecta (cum voto sacramenti) praeceptum naturale poenitentiae impleri possit, *per se* nequit urgeri a poenitentibus quod confiteantur pluries quam sit in praecepto Ecclesiae determinatum, et id servare *per se* sufficit [1].

B. *Per accidens et ratione alterius praecepti* naturalis aut positivi tenemur ad confitendum :

1° quando sacra communio recipienda est, si communicaturus in peccato mortali versatur nondum clavibus nec indirecte remisso (Conc. Trid., sess. 13, c. 7 ; Cod. Iur., can. 856) ;

2° quando requiritur status gratiae, v. g. ad aliud sacramentum vivorum recipiendum, et simul peccator non potest aut non vult actum contritionis perfectae elicere ;

3° quando gravis tentatio aut pravus habitus sine confessione superari nequit. Cum tamen saepe alia sint media, ad hoc potius hortandi quam cogendi sunt peccatores [2].

In omnibus his casibus obligatio non oritur ex ipso praecepto confessionis, unde huius omissio non est peccatum contra praeceptum divinum confitendi, sed contra aliud praeceptum vi cuius confessio exigebatur. Non oritur obligatio statim confitendi, ex periculo obliviscendi peccata, quia nullum existit praeceptum illa memoriter retinendi seu providendi ne peccata oblivioni dentur, sed unicum praeceptum est confitendi ea peccata quorum post diligens examen conscientiam habemus.

513. Praeceptum ecclesiasticum, postquam plures et diversae in Ecclesiis particularibus iam vigebant pro variis temporibus leges particulares, saec. XIII in Conc. Lat. IV. (1215) impositum est universale : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia

1. *Per se;* nam per accidens, si confessarius iudicaret omnino necessarium esse alicui ad perseverandum, posset imponere frequentiorem confessionem.

2. Alii addunt : *in regressu ad Ecclesiam,* etiam si sub conditione iteretur Baptismus (S. Off., 17 dec. 1868 ; S. C. P. F., 12 iul. 1869). Sed hoc non est nisi praeceptum ecclesiasticum confessionis annuae, quia dum in foro externo Baptismus praesumitur validus, Ecclesia urget praeceptum confitendi singulis annis. De quo vide nostras *Quaestiones de Variis Peccatis in sacramentali confessione medendis,* c. II, § A, q. 1, n. XIV.

sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere..., alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura » ; quod confirmatum est Conc. Trid., sess. 14, c. 5, can. 8 ; et substantialiter in Cod. Iur. retentum, can. 906. Porro praeceptum illud non praecise latum fuit propter communionem paschalem, quia diversus est finis utriusque, et ideo qui propter aliquam causam non potest sacram communionem recipere, debet nihilominus semel in anno confiteri.

In quo praecepto indicantur sex, scil. confessionis praeceptae subiectum, — obiectum, — modus, — frequentia, — minister, — et poenae in transgressores.

1° *Subiectum praecepti* est : *omnis utriusque sexus fidelis* ; quibus verbis indicantur omnes *baptizati* iique soli, qui conscii sunt peccati mortalis nondum declarati in valida confessione[1] ; etiam *pueri*, qui ad annos discretionis pervenerint i. e. *ad usum rationis* (uti constat ex can. 906), quo scil. inter bonum et malum discernere possint et capaces sint peccati mortalis.

Hinc pastores tenentur

a) pueros instruere circa confessionem iam a septennio, et quandoque antea, si iam rationis usu gaudeant ;

b) absolvere debent eos qui peccatum *mortale* etiam *dubium* accusant, dummodo sint rite dispositi ; et in dubio de sufficienti discretione aut dispositione, isti sub conditione (si es capax) sunt absolvendi, ne scil. forte in peccato remaneant ;

c) graviter errant confessarii qui pueros sibi commissos absolvere nolunt ante primam communionem, quem abusum reprobavit Pius IX in ep. ad ep. Galliae, 12 mart. 1855.

2° *Obiectum praecepti* est quod : *omnia peccata sua confiteatur*. Quod certo de venialibus intelligi nequit, quia nullus omnia confiteri potest (S. Thomas q. 6, a. 3, ad 3), sed de solis mortalibus[2]. Ecclesia enim suo praecepto non

1. Etiam haereticus, cuius tamen, sicut et aliarum legum ecclesiasticarum, transgressio coalescit in unum peccatum cum ipsa haeresi formali, quia per istius confessionem facile intelligitur.

2. Posset tamen Ecclesia praecipere sub gravi confessionem venialium : ita v. g. religiosis aliquando *sub gravi* in quibusdam regulis imponebatur hebdomadaria vel quindena.

voluit nisi determinare magis praeceptum divinum, statuendo confessionis tempus ; praeceptum autem divinum non obligat nisi ad confessionem mortalium, uti constat ex Conc. Trid., sess. 14, c. 5.

Ex quo sequitur eum qui mortaliter per annum non peccavit, stricte loquendo ad confitendum non teneri. Expedit tamen ut venialia habens a confessione annua non abstineat ; imo olim dixerunt plures illum teneri « ut se sacerdoti repraesentet et se ostendat absque conscientia mortalis esse » (S. Thomas, l. c.), sed talem obligationem, hodie saltem, existere non probatur, nisi aliquando per accidens, ratione scandali.

3° *Modus confessionis* est, ut *confiteatur fideliter*, quo significatur non satisfieri praecepto per confessionem *voluntarie* invalidam seu sacrilegam, uti constat ex damnatione prop. 14 ab Alex. VII, et ex can. 907 ; nec per confessionem *involuntarie* nullam, quia non est vera confessio nec per illam finis praecepti obtinetur, reconciliatio cum Deo.

Et sane : confessio requiritur sacramentalis, quia Ecclesia magis determinare intendit praeceptum divinum, et quia Conc. Lat. addit : « iniunctam poenitentiam studeat adimplere ». Hinc qui absolutionem non recepit, sive ob defectum contritionis, sive ob peccatum reservatum, sive ob aliam rationem, non satisfacit. Unde in casu adhuc urget praeceptum (Conc. Trid., sess. 14, c. 5).

4° *Frequentia confessionis* his verbis determinatur : *saltem semel in anno*, tum quia fieri potest ut, ex alio praecepto quam illud ecclesiasticum annuae confessionis, teneamur saepius in anno, tum quia Ecclesia desiderat quod etiam pluries confiteamur quam semel in anno. Qui annus computatur : secundum alios, a tempore quo primum mortale peccatum committitur, — secundum alios, a 1ª ianuarii ad sequentem ianuarium, — secundum alios, a Paschate ad sequens Pascha, et iste modus servatur a fidelibus et est in praxi facilior, — secundum alios tandem, ab ultima confessione ; unde in praxi sufficit si non intercedat moraliter plus quam annus inter duas confessiones.

Hinc 1° qui, incepto anno, praevidet se non amplius habiturum copiam confessarii ante annum elapsum, et aliunde est

conscius peccati mortalis, tenetur praevenire et confessionem instituere dum habet confessarii copiam, quia incepto anno iam adest et obligat praeceptum et ideo id impleri debet tempore quo moraliter est possibile ; — non tamen tenetur, nec potest, anticipare pro anno sequenti, quia praeceptum istud anni sequentis nondum adest aut obligat ;

2° e contra si quis, mortalis peccati conscius, non confessus fuerit intra praescriptum tempus (infra annum), confiteri debet quamprimum, et quo diutius differat eo gravius peccat, quia tempus statutum fuit non ad finiendam sed ad urgendam obligationem. — Quod si anno sequenti in novum peccatum lapsus sit, non tamen tenetur bis confiteri, sed una et eadem confessione satisfacit qua confitetur peccata mortalia tam praeteriti quam praesentis anni : sic enim adimplet totum finem praecepti, reconciliationem cum Deo.

5° *Minister legitimus* cui confiteri debemus, olim erat in lege determinatus : *proprio sacerdoti* i. e. Pontifici, episcopo aut parocho ; sed hodie legitima consuetudine haec dispositio abrogata est, ita ut non solum ex privilegio, sed quilibet possit, saltem generatim et ordinario, confiteri cuilibet sacerdoti *iurisdictionem* habenti.

Tempore autem S. Thomae lex confitendi proprio sacerdoti adhuc vigebat, et nihilominus scripsit : « Peccaret autem, si non esset facilis ad praebendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi quod potius sine confessione morerentur quam *tali* sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis damnationis laqueum iniiciunt, et per consequens sibi ipsis » (q. 8, a. 4, ad 6).

6° *Poena* duplex a Conc. Lat. additur pro transgredientibus praeceptum, scil.prohibitio ab ingressu ecclesiae, seu excommunicatio, et privatio sepulturae ecclesiasticae ; sed utraque est ferendae, non latae, sententiae, et ideo non incurritur nisi post episcopi sententiam.

In novo Iure nulla amplius directe edicitur poena contra violatores praecepti ; attamen canon 1240 sepultura ecclesiastica privat peccatores publicos et manifestos, ad quos pertinere possunt qui praeceptum istud non adimplent.

QUAESTIO SECUNDA.

DE ESSENTIA CONFESSIONIS.

S. Th., Suppl., q. 7.

514. **Definitio confessionis.** — *Confessio sacramentalis est accusatio voluntaria propriorum peccatorum post Baptismum commissorum a poenitente facta legitimo sacerdoti in ordine ad veniam virtute clavium obtinendam.* Indicatur

1° *genus : accusatio*, non simplex narratio modo historico peracta, aut a fortiori ad excusationem facta vel ostentationem, sed manifestatio qua quis peccata sua declarat ut reus, quaeque fit per modum reprehensionis et vindictae in seipsum ;

2° *qualitas : voluntaria* seu spontanea, non coacta, ut distinguatur ab illa quae fit in foro externo ;

3° *obiectum seu materia : propriorum peccatorum*, scil. actualium, *post Baptismum commissorum ;* nam materia non sunt peccatum originale, nec peccata aliena, nec merae imperfectiones ;

4° *subiectum : a poenitente*, i. e. cum dolore et contritione, sine quo non esset actus poenitentiae ;

5° *finis cui : facta legitimo sacerdoti*, tamquam proprio huius tribunalis iudici, scil. sacerdoti legitime designato et qui legitime habet potestatem ordinis et iurisdictionis ; unde facta laico vel sacerdoti non habenti iurisdictionem, non est revera sacramentalis sed tantum existimate ;

6° *finis qui seu effectus : in ordine ad veniam ;* unde si fiat solum consilii aut solatii causa, vel intentione irridendi vel pertrahendi confessarium in peccatum, non est confessio vere sacramentalis ;

7° *causa* qua obtinetur effectus : *virtute clavium*, i. e. sacramentalis absolutionis, *obtinendam*, ita ut non sit sacramentalis confessio generalis quae in officio divino vel ante s. communionem recitatur (art. 1).

515. **Confessio est actus virtutis.** — Ratio est, tum quia est praecepta, tum quia in sui ratione conditionem implicat quae ad virtutem pertinet, scil. quod confitens profert ore id quod mente tenet ; secus enim non esset vera confessio sed fictio. Ergo

de se est actus virtutis ; licet mala fieri possit si debitis circumstantiis non vestiatur (art. 2).

Est actus virtutis poenitentiae. Quamvis enim confessio veri absolute et per se pertineat ad virtutem veritatis, confessio veri cui additur specialis ratio boni et quae importat specialem difficultatem, ad specialem virtutem pertinet, v. g. confessio fidei ad fidem, confessio beneficiorum Dei ad religionem, confessio in iudicio facta ad iustitiam. Atqui confessio peccatorum importat specialem rationem boni, quia est ad agnitionem et emendationem culpae, et specialem difficultatem. Ergo est actus virtutis specialis. Haec autem est poenitentia, ad quam pertinet recognitio proprii peccati quae est via ad ipsam confessionem et ipsa erubescentia confessionis. Ergo (art. 3).

516. Animadversio. — Quia actus virtutis naturalis est de iure naturae, confessio in generali considerata est de iure naturae in quantum poenitens ad confessionem naturaliter inclinatur. Tamen determinatio circumstantiarum est de iure divino. Unde ius naturae inclinat ad confessionem, mediante iure divino quo circumstantiae determinantur (art. 2, ad 1).

QUAESTIO TERTIA.

DE DOTIBUS CONFESSIONIS.

517. Materia tractanda. — Multae sunt qualitates seu dotes ad confessionem requisitae vel utiles, imo praeter hoc quod confessio *ore* facienda sit, sexdecim a theologis cum S. Thoma (suppl. q. 9, a. 4) enumerantur, his versibus expressae :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata.

Quarum solum tres exigunt elucidationem, illae scil. quae requiruntur propria ratione confessionis in quantum est confessio, scil. ex hoc quod sit manifestatio. Manifestatio enim potest plus minusve impediri per imperfectam expressionem, per subtractionem, et per falsitatem. Ad quod avertendum confessio debet esse vocalis, integra et fidelis.

Articulus I.

De Necessitate confessionis vocalis.

S. Th., Suppl., q. 9, a. 3.

518. *Principium I.* **Confessio debet esse vocalis i. e. verbis expressa, non autem nutu, signis aut scriptis.** — *Probatur :*

1) *Ex usu communi Ecclesiae.*

2) *Ex bulla Benedicti XI, Inter cunctas,* § 1 : « Nisi articulus necessitatis occurrat, sacerdoti facienda est *oris* confessio ».

3) *Rationem* assignat S. Thomas, in a. 3 :

« Confessio... secundum quod est pars sacramenti, habet determinatum actum, sicut et alia sacramenta habent determinatam materiam ; et sicut in Baptismo ad significandam interiorem ablutionem assumitur illud elementum cuius est maximus usus in abluendo, ita in actu sacramenti ad manifestandum ordinarie assumitur ille actus quo maxime consuevimus manifestare, scil. proprium verbum. Alii autem modi sunt in supplementum istius ».

519. *Principium II.* **Confessio vocalis non requiritur ex ipsa sacramenti essentia, aut divino praecepto, sed ex consuetudine** quae vim legis ecclesiasticae obtinuit, ita ut graviter peccaret ille qui absque ulla causa vellet *tantum* per signum aut scripturam confiteri, dum facile voce uti potest. Iusta vero existente causa, confessio signis aut scripto licite fieri potest, v. g. 1) si poenitens sit mutus ; aut, propter aegritudinem, linguam impeditam, turbationem, nonnisi cum magna difficultate loqui possit ; aut, propter nimiam verecundiam, anxietatem, vel scrupulos, integre sua peccata declarare nequeat ; — item 2) si confessarius sit surdaster et non possit poenitentem audire, quin adstantes illum etiam audiant.

Quibus casibus a) poenitens, si non sit mutus, saltem dicat : « de peccatis quae in hac charta scripta sunt, me accuso » ; aut indicet nutibus hanc scripturam ordinari ad confessionem et absolutionem ; quod tamen ad validitatem non absolute requiritur ; b) etiam *deberet* poenitens ita confiteri si urget praeceptum confessionis, quia incommodum scribendi non est tantum ut excuset a gravi praecepto (etiam divino) confessionis. Nec obstat quod homo non tenetur scribere peccata ne memoria

excidant, nam nullum datur praeceptum peccata memoriter retinendi ; et ceteroquin necessitas confessionis ex se est multo maior quam necessitas integritatis materialis.

520. Animadversio. — Notentur verba S. Thomae, ad 2 : « In eo qui usum linguae non habet sufficit quod per scriptum aut per nutum, aut per interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam possit ; quamvis homo non possit vel debeat Baptismum accipere nisi in aqua, quae est omnino ab exteriori, et nobis ab alio exhibetur. Sed actus confessionis est ab intra et a nobis ; et ideo quando non possumus uno modo, debemus, secundum quod possumus, confiteri ».

Articulus II.

De Integritate confessionis.

S. Th., Suppl., q. 9, a. 2.

521. *Principium I.* **Confessio debet esse integra ita ut uni et eidem confessario tota materia necessaria simul subiiciatur quae nondum fuerit rite subiecta clavibus,** i. e. omnia et singula peccata mortalia declarentur quae sint declaranda.

Integritas est duplex : 1) *formalis seu subiectiva* consistit in accusatione omnium mortalium quae poenitens hic et nunc, spectatis omnibus adiunctis, pro sua capacitate post diligens examen moraliter potest et debet confiteri secundum practicum conscientiae dictamen, quamvis aliqua omittat ex iusta causa ; — 2) *materialis seu obiectiva* complectitur absolute omnia peccata mortalia quae post Baptismum realiter sunt commissa et nondum clavibus rite subiecta. Ex quibus constat posse confessionem a) esse integram *materialiter et non formaliter*, ut si quis confiteatur omnia peccata mortalia cum debitis circumstantiis, sed erronee putet veniale quod commisit esse mortale illudque reticeat ; b) e contra esse integram *formaliter et non materialiter*, ut si quis confiteatur omnia mortalia quae post diligens examen repererit, sed unum ex oblivione inculpabili omittat ; c) denique esse integram *materialiter et formaliter simul*, ut si quis post diligens examen recordetur omnium peccatorum mortalium quae commiserit illaque accurate confiteatur.

Iamvero *utraque integritas iure divino necessaria est* ad validitatem sacramenti Poenitentiae, *ita* tamen *ut formalis* integritas *de necessitate medii*, et *in re ac* proinde *semper* sit necessaria, et *semper de praecepto ;* integritas *materialis* de necessitate medii solum *in voto*, et de *necessitate praecepti* per se et *regulariter*, ita ut causae excusantes esse possint. Unde per se loquendo confessio debet esse integra materialiter, per accidens sufficit integritas formalis ; ita ut graviter peccet qui omittit aliquod peccatum quod hic et nunc declarare potest et debet. Utrumque constat ex C. Trid., sess. 14, c. 5.

Requiritur dicta integritas :

1° *Ex parte remissionis peccatorum :* confessio enim divino iure necessaria est ad remissionem peccatorum mortalium, sicut et contritio. Atqui unum peccatum mortale sine altero remitti nequit. Ergo confessio sicut et contritio debet se extendere ad omnia mortalia. « Sacerdos, ait S. Thomas (ad 2), confessionem audiens vicem gerit Dei, et ideo debet ei fieri hoc modo confessio sicut fit Deo contritio. Unde sicut non esset contritio, nisi quis de omnibus peccatis quae memoriae occurrunt contereretur, ita nec esset confessio, nisi quis de omnibus quae memoriae occurrerint confiteatur ».

2° *Ex munere iudicis et medici* quo insignitur confessarius, quia sine confessionis integritate nec a) iudicium sacramentale rite exercere, aestimando scil. dispositiones poenitentis esse proportionatas quantitati culpae, nec b) aequitatem in statuendis poenis servare potest (C. Trid., sess. 14, c. 5). Quod ita declarat S. Thomas, in c. : « In medicina corporali oportet quod medicus non unum solum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi, eo quod unus morbus ex adiunctione alterius aggravatur, et medicina quae uni morbo competeret, alteri nocumentum praestaret. Et similiter est in peccatis, quia unum aggravatur ex adiunctione alterius, et illud quod uni peccato esset conveniens medicina, altero incentivum praestaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit... Et ideo de necessitate confessionis est quod homo omnia peccata confiteatur quae in memoria habet ; quodsi non faciat non est confessio, sed confessionis simulatio ».

522. *Principium II.* **Ad integritatem confessionis iure divino, necessario declaranda sunt omnia peccata mortalia secundum numerum, speciem infimam, et circumstantias speciem mutantes.** — Ita Conc. Trid., sess. 14, c. 5, can. 7. Et quidem declaranda sunt :

1° *secundum numerum*, nam unumquodque peccatum

mortale per se solum constituit causam distinctam, quae necessario ad tribunal clavium est deferenda ;

2° etiam *secundum speciem*, et circumstantias speciem mutantes : res enim quae iudiciali sententiae subiiciuntur, debent iudicibus innotescere, saltem per se et regulariter loquendo, non in communi tantum, sed in particulari et secundum infimam speciem ;

3° denique *omnia peccata mortalia simul*, quia impossibile est remissionem quaerere unius mortalis peccati, non quaesita simul remissione omnium quae onerant conscientiam.

Declaranda igitur sunt :

A. Ipsa *mortalia peccata*, ait Conc. l. c., et non solum eorum malitiae, et quidem :

1° *Secundum actum interiorem* rationis et voluntatis.

2° Et *secundum ipsum actum etiam externum*, si opere externo fuerit consummatum peccatum, quia

a) et hoc est a Deo prohibitum v. g. non occides, non furtum facies ;

b) est unum quid in genere moris cum actu interno estque verum peccatum (*actus voluntarius inordinatus*) licet non distinctum numero et malitia a peccato interno, imo actus externus peccatum integrat estque pars ultimo consummans aliam compartem scil. actum internum, a quo differt sicut species completa ab incompleta et opus consummatum ab opere incepto ;

c) quia ita legem integritatis intelligit consuetudo universalis. Unde non sufficit accusare : intentionem habui vel propositum committendi furtum aut adulterium, sed furatus sum vel adulter.

3° Imo etiam, propter similes rationes, *secundum effectum externum* praevisum aliquo saltem modo, voluntarium et culpabilem (v. g. mortem ex vulnere inflicto aut veneno ministrato, abortum e pharmaco sumpto, pollutionem ex lectione prava, blasphemias aut omissionem sacri ex ebrietate), quia ipse vel est externum peccatum vel saltem actum peccati complet et ultimo terminat, et ita est *inordinatio voluntaria ;* — non tamen merus effectus materialiter malus utpote omnino involuntarius, vel, antequam evenerit, efficaciter retractatus, est declarandus, nisi per accidens ratione poenae, irregularitatis, reservationis incurrendae, aut ratione reparationis faciendae.

B. Peccata *secundum numerum :* omnia et *singula*, ait Conc., i. e. tot sunt accusanda quot sunt commissa, secus enim aliquid celaretur. Unde :

a) Si quis recordetur de certo et praeciso numero, hic est dicendus ; v. g. per se non sufficit confiteri : aliquoties blasphemavi, saepius sacrum omisi, etc., et peccat graviter ille qui scienter

vel ex negligentia culpabili exponit numerum maiorem vel minorem.

b) Si quis post diligens examen recordetur tantummodo de approximativo numero, hic est dicendus addendo particulam *circiter* vel *plus minusve*, quae particula significat numerum dictum distare a numero reali modica quantitate per excessum vel defectum, et quidem secundum proportionem ad quantitatem numeri : ita v. g. secundum S. Alphonsum, circa 3 intelligitur 2-4, circiter decies 8-12, circa triginta 27-33, circa centum 95-105, circa mille 950-1050.

c) Si neque approximativum numerum valeat aliquis memorare, dicat numerum approximativum singulis diebus vel hebdomadibus vel mensibus vel annis commissorum peccatorum. Quod praesertim verificatur apud peccatores qui peccati habent consuetudinem, v. g. sufficit ut meretrix dicat : per duos annos in meretricio permansi et quoties occasio fuit, etiam coniugatis, vel et aliquando clericis, me praebui ; vel concubinarius : per 3 annos in concubinato vixi ; vel alius : obvias quascumque mulieres etiam cognatas, coniugatas, sacras concupivi, aut : de rebus turpibus quavis data occasione cum sociis locutus sum ; in variis casibus simul indicans aliquo modo peccati maiorem vel minorem frequentiam.

d) Si nihil praecise nec approximative valeat poenitens revocare, dicat utrum frequentissime, frequenter vel aliquando peccatis determinatis peccaverit (a pueritia — ante vel post matrimonium initum — occasione habitationis, etc.) Ita v. g. pro peccatis mere internis valde frequentibus : per plures horas pravis cogitationibus indulsi, per mensem frequenter grave malum apprecatus sum, per 2 menses fui in desideriis pravis.

e) Si post confessionem approximativam *excessus* notabilis detegatur ita ut accusatio fuerit notabiliter minor, oportet corrigere, non autem si excessus sit parvus, quia iste includitur in numero approximativo, aut si defectus detegatur ita ut accusatio fuerit notabiliter maior, quia minus in maiori includitur ; — e contra qui numerum certum expressit, si postea recordetur etiam semel plus peccasse, tenetur omissam vicem declarare quia non erat in accusatione inclusa.

C. Peccata *secundum speciem infimam* moralem : non in genere sed *in sua specie*, ait Conc., i. e. non suprema sed infima, iuxta sensum obvium et proprium verborum, seu secundum malitiam suam formalem qua ab aliis distinguuntur, quatenus aliquod peccatum proprio suo obiecto completo constituitur et ab aliis distinguitur, vel quatenus opponitur virtuti vel praecepto in particulari et suo formali modo proprio opponitur ; secus non declararentur uti sunt. Ita v. g. non sufficit declarare se peccasse mortaliter, vel contra iustitiam vel contra castitatem aut charitatem, sed quale peccatum contra illas commissum

fuerit : an furtum vel contumelia vel detractio, — an iudicium temerarium, odium, discordia vel scandalum, — an fornicatio vel adulterium vel stuprum vel pollutio etc. Cfr. Alex. VII, prop. 25 [1].

Quodsi aliquis non distinxerit sufficienter speciem infimam vel eius non recordetur, sufficit ipsi supremam confiteri vel genus vel solummodo se peccasse mortaliter, secundum quod plus vel minus de peccato distinxerit aut recordetur. Ita v. g. qui non distinguit inter cogitationes et desideria prava, dicat : cogitationibus turpibus consensum dedi ; qui non distinguit sermones malos de obscenis, impiis, peccatis commissis laete rememoratis, provocatione ad malum, sufficienter accusat dicendo se habuisse sermones turpes.

D. Peccata *secundum circumstantias speciem mutantes*, ut habet expresse C. Trid. et can. 901, quae novam scil. et diversam speciem moralem addunt et peccatum diversae speciei constituunt. Quod evidenter intelligendum est de solis circumstantiis quae addunt speciem gravem seu mortalem. Ita v. g. circumstantia sacri pro furto rei sacrae vel e loco sacro ; pro scandalo, circumstantia personae superioris quae ex pietate vel iustitia curam spiritualem habeat de aliquo ; circumstantia personae coniugatae in peccato luxuriae, etc. De quibus cfr. tr. de Act. Hum. et de Peccatis et tractatus speciales virtutum et praeceptorum.

Non accusandae sunt circumstantiae leviter aggravantes vel minuentes, — imo *nec probatur* accusandas esse *notabiliter* aggravantes, tum quia non mutant substantialiter statum peccatoris, tum quia C. Trid. solum rememorat circumstantias speciem mutantes. Et haec est sententia S. Thomae [2]. Excipe tamen

a) *per se*, si circumstantiae ita aggravant ut de veniali faciant mortale (aut vice versa), quia sic substantialiter mutatur status peccatoris ac materia libera in necessariam (aut e contra) ;

b) *per accidens*, si necesse sit ratione poenae aut inhabilitatis aut reparationis, — vel si confessarius ut iudex ad cognoscenda vel melius cognoscenda statum, dispositiones, obligationes poenitentis, ut medicus ad remedia indicanda, de iis interroget, v. g. de consuetudine, occasione, relapsu, effectibus, complicitate, etc. Cfr. prop. 58 damn. ab Innoc. XI [3].

1. « Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem non explicando copulam ».
2. In *IV Sent.*, d. 16, q. 3, a. 2 sol. 5.
3. « Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem ».

Ceterum fideles solent declarare circumstantias notabiliter aggravantes et ad hoc sunt hortandi, nisi sint scrupulosi, quia talis declaratio conducit tum ad pacem conscientiae procurandam, tum ad humilitatem promovendam, tum ad pleniorem animae poenitentis manifestationem, unde erga poenitentem officium iudicis et medici perfecte exercere valebit confessarius. — Excipe tamen peccata contra castitatem ; in qua materia, ordinario saltem, ea quae sunt stricte necessaria et modo quidem verecundo sunt declaranda.

Notetur autem praedicta omnia esse declaranda, non secundum cognitionem et scientiam maiorem aut theologicam quam postea aliquis acquisivit, sed secundum cognitionem et scientiam quam de peccatis habuit momento quo illa commisit, quia secundum hoc solum sunt voluntaria. Nihil enim volitum nisi praecognitum.

523. **Quaestio : Quid faciendum in dubio an aliquid sit declarandum ?** — Hic recolere oportet, ex tr. de prudenti conscientia : A) dubium posse versari circa tria : 1) an peccatum fuerit *commissum*, 2) an certo commissum fuerit *grave*, 3) an certo commissum et grave fuerit *confessum ;* B) aliud dubium esse a) *negativum* in nulla vel levi ratione fundatum, b) aliud *positivum* in gravi et solida (licet non certa) ratione fundatum.

Iamvero A. *Dubium negativum*, quia in ratione levi est fundatum, censetur non adesse et esse nullum ; unde si nulla vel levis ratio adest existimandi peccatum fuisse commissum, vel commissum fuisse grave, non adest obligatio confitendi ; e contra si nulla vel levis ratio adsit existimandi peccatum grave commissum fuisse confessum, manet obligatio confitendi. Ita secundum principium: Melior est conditio possidentis.

B. *In dubio positivo* 1) *de commissione* peccati gravis, per se non adest obligatio illud confitendi, tum quia C. Trid. ait esse obligationem confitendi peccata quorum *conscientiam* i. e. certam cognitionem habemus, et non : prout sunt in conscientia ; tum quia absolutoi regulariter non potest dari de peccato dubio, unde non est materia sacramenti necessaria. *Per accidens* potest dari obligatio, scil. ad consilium petendum in dubio practico an aliquid sit licitum, ne postea incerte agendo quis peccet ; item et in articulo mortis, si deficiat contritio perfecta, deberet confessio institui saltem declarando aliquod peccatum certum.

2) *In dubio de gravitate* peccati commissi, Probabilistae negant obligationem confitendi quia lex incerta non obligat, etiam probabilior ; — Probabilioristae et Aequiprobabilistae affirmant si probabilius sit peccatum esse grave, quia in dubio verisimilius est agendum. Et hic est usus communis apud fideles, probatus a S. Thoma, q. 6, a. 4, ad 3.

3) *In dubio de confessione* peccati gravis commissi, Probabilistae negant obligationem confessionis, quia obligatio incerta fit et ideo in praxi est nulla ; — Probabilioristae et Aequiprobabilistae recentes affirmant si non sit *probabilius* peccatum iam fuisse confessum, quia legi certae non satisfit adimpletione dubia ; a. v. manet obligatio usquedum verisimilius fuerit impleta.

Ita *speculative*, in praxi autem unusquisque suum systema sequatur, sed ne imponat aliis. Insuper inspicienda etiam sunt categoriae et qualitates et adiuncta poenitentium, quibus tamquam coniecturis saepius ex praesumptione solvi dubium potest ; nimirum

a) *in 1° dubio :* si habituati in peccato dubitant quod commiserint, praesumptio est eos commisisse et obligationem adesse ; e contra si timorati, censentur non commisisse et non obligantur ad confessionem ;

b) *in 2° dubio :* si rudes vel ignari dubitant de materia gravi, tenentur confiteri quia non sciunt conscientiam efformare dicendo se non obligari, imo et vix possunt discernere quid sit mortale ; e contra docti. Item si scrupulosi et timorati dubitent de plena advertentia et consensu, censentur non peccasse graviter ; e contra si laxi dubitent, censentur graviter peccasse ;

c) *in 3° dubio :* qui diligens examen instituere solent, si post multum tempus dubium occurrat, non tenentur quia moraliter certum est peccatum fuisse confessum ;

d) insuper *per accidens* adest obligatio, ut dictum est sub B, in 1° ;

e) denique peccata dubia confiteri semper suadendum est omnibus, exceptis scrupulosis.

524. Corollarium. — Ex praedictis sequitur non probari obligationem iterum accusandi peccatum iam ut dubium accusatum, nunc autem cognitum ut certum.

Obligationem urget S. Alphonsus, quia secundum C. Trid. confiteri debemus peccata quorum conscientiam i. e. cognitionem certam habemus ; accusatio autem certa non includitur in accusatione dubia.

Id nihilominus incertum est quia peccatum istud fuit directe remissum, cum sacerdos ab illo absolverit conditionate : si vere commissum fuerit. Unde non debet iterum accusari, sicut nec peccatum undecimum de quo nunc esset aliquis certus qui

confessus sit se peccavisse circiter decies, aut sicut peccatum quod nec poenitens nec confessarius sciebat esse mortale, si postea noscatur certo fuisse mortale. Quae duo etiam admittuntur a S. Alphonso.

Ad argumentum ex C. Trid. deductum respondetur : illud dictum esse verum de peccatis nondum directe subiectis et remissis.

525. *Principium III.* **Ab integritate materiali ad confessionem requisita, iusta causa sive ignorantiae, sive impotentiae physicae aut moralis excusare potest, ita ut tunc sufficiat sola integritas formalis.** — Ad impossibile enim nemo tenetur ; imo lex positiva non obligat cum gravi incommodo extrinseco. Causa scil. non solum physica esse potest, sed etiam moralis seu magna difficultas, non quidem illa quae confessioni est intrinseca et per se ipsi coniungitur, quantumvis gravis illa sit, uti magna repugnantia vel verecundia, timor reprehensionis, amissio famae penes confessarium, ut si religiosus debeat confiteri peccatum grave sacerdoti saeculari, parochus suo vicario nepoti, poenitens pius et notus suo confessario, etc. ; sed extrinsecum incommodum quod confessionem per accidens reddit valde difficilem.

Quae causa excusat quamdiu existit. Unde 1) causa vere existere debet non solum respectu unius, sed etiam respectu cuiusvis confessarii, qui sine gravi incommodo adiri possit ; — 2) manet obligatio confitendi peccata omissa, ut directe remittantur, et ideo cessante causa excusante, iam sunt in confessione declaranda ; — 3) attamen non sunt accusanda *quamprimum* ita ut statim confitendum sit, sed solum in confessione proxime sequenti, ut constat ex prop. 11 damn. ab Alex. VII [1].

Causae autem excusantes reducuntur ad tres, quae sunt ignorantia seu oblivio — impotentia physica — impotentia moralis.

A. *Ignorantia* vel oblivio ab integritate excusat 1) si poenitens, praemisso diligenti examine, alicuius peccati mortalis non recordetur ; — 2) si recordetur in examine, in confessione ex inadvertentia omittat ; — 3) si ex igno-

1. « Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere ».

rantia vel errore non graviter culpabili iudicet peccatum commissum esse veniale et illud non confiteatur. Quod verum est etiam si ignorantia proveniat ex gravi culpa praecedenti, v. g. distulendo confessionem ultra annum, modo ipsa ignorantia non sit graviter culpabilis.

Notetur autem, ad vitandam oblivionem, illum qui infirma praeditus est memoria, non teneri peccata scribere : id enim est exquisita diligentia et medium extraordinarium ad quod nemo obligatur, et facile includit quoddam periculum manifestationis ; unde non est praxis communis nec usus apud timoratos et diligentes.

B. *Impossibilitas physica*, seu absoluta oriri potest ex defectu virium, ex defectu temporis, et ex defectu loquelae.

1° *Ex defectu virium :* a) si ita deficiant ut poenitens non sufficienter loqui aut cogitare valeat, v. g. si infirmus incepta confessione deficiat, vel si sit in periculo deficiendi antequam confessio finiatur, vel, a fortiori, si iam sit sensibus destitutus ; b) si sacerdos ipse sit probabiliter moriturus antequam totam confessionem audire valeat.

2° *Ex defectu temporis*, instante scil. naufragio, incendio, vel pugna, ita ut omnes quibus mors immineat non possint audiri ; quod etiam valet si peste infecti in publico nosocomio omnes audiri non possint propter angustiam temporis. Quo casu sufficere potest brevis confessio alicuius peccati minus infamantis, vel omnes simul quodam signo fateri possunt se esse peccatores et dolere de peccato (v. g. manus attollendo vel pectus percutiendo), et deinde absolvi una forma : Ego vos absolvo ab omnibus censuris et peccatis.

Non tamen excusat magnus concursus poenitentium in festo solemniori, nam si haec ratio admitteretur, multi ex industria ad sacramentum accederent tali tempore et periculum adesset indignos absolvendi. Aliunde poenitentes, quorum confessio audiri nequit, ad alium diem differri possunt, quod incommodum non est sat magnum ut ab integritate confessionis excuset. Unde et Innoc. XI praxim contrariam proscripsit (prop. 59)[1]. Hinc ad alios dies utiliter remittuntur, si possibile sit, confessiones piorum vel illorum qui longius confitentur.

1. « Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae ».

3° *Ex defectu loquelae :* a) *mutus :* si iste non sufficienter sit educatus ut possit integre per signa confiteri, tenetur scribere, vel si nec id possit, nutibus manifestare peccata sua in quantum fieri potest ; quod si scribatur confessio, curandum est confessario ut scriptura statim laceretur ; — b) *ignarus idiomatis confessarii*, si non possit alium adire confessarium a quo intelligatur : iste peccata sua meliore quo fieri potest modo, verbis aut signis confiteatur, quae sufficiant saltem ad exprimendum aliquod peccatum in specie, vel si id sit impossibile, ad manifestationem peccatorum in genere.

Non tamen uti tenetur interprete (S. Off., 28 febr. 1533), tum ob periculum revelationis, tum quia gravius onus est confiteri laico[1]. Potest tamen confessio per interpretem fieri, si placeat, dummodo praecaveantur abusus et scandalum, ac interpres admoneatur de obligatione servandi secretum (S. C. de P. F., 16 iul. 1638 ; can. 903 et 889, § 2). « Sic autem fieri potest (Haine, Th. M. III, q. 49) : a) interpres avertat faciem a poenitente ; b) recitet ipsi in suo idiomate interrogationes generales a confessario alta voce factas circa praecepta decalogi et Ecclesiae ; c) interea poenitens ad singulas interrogationes nutu significet confessario, an peccaverit necne, simulque numerum peccatorum digitis exprimat, quantum fieri potest. — Ceterum missionarius, ignorans linguam regionis, sat commode confessiones excipere poterit, si dicat nomina praecipuorum et frequentiorum peccatorum ex lingua regionis, eaque enuntiet coram poenitente, qui nutu capitis significabit se deliquisse, ubi opus erit »[2].

C. *Impotentia moralis* excusat generatim eos qui non possunt integre confiteri sine gravi incommodo confessioni extrinseco, vel sui, vel confessarii, vel alterius tertii, sive sit temporale sive spirituale. Unde hae tres conditiones *simul* ad eam requiruntur : a) ut non possit inveniri alius confessarius apud quem possit sine gravi incommodo institui confessio ; b) ut confessio hic et nunc sit necessaria nec commode differri possit ; adest tamen ratio sufficiens non differendi si *urgeat* praeceptum annuae confessionis aut communionis paschalis, si moralis sit necessitas communicandi aut celebrandi ita ut non possit omitti sine

1. Nec obstat dictum S. Thomae, q. 9, a. 3, ad 2 : quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri ; id enim intelligitur intra latitudinem praecepti.
2. Etiam utilitatis esse potest schema elaboratum, a d'Herbigny, *Prudens sexdecim linguarum confessarius etiam sine ulla scientia linguarum*.

scandalo vel infamia, aut si secus poenitens diu (i. e. ultra triduum, imo per unum diem iuxta alios) cum periculo mortis vel aeternae salutis in statu peccati mortalis remanere cogeretur ; c) ut ea tantum omittantur peccata vel circumstantiae quae sine gravi incommodo declarari nequeant, v. g. peccata interna luxuriae etiam cum specie infima et occasio peccati interni accusanda sunt, si externum genus accusari in specie nequeat.

Grave damnum poenitentis, confessarii aut tertii excusans esse potest :

1) *Periculum vitae*, si tempore pestis confessarius timeat contagionem, tempore persecutionis poenitens graviter timeat emissarios : tunc enim, audito uno vel altero peccato, potest sacerdos absolvere.

2) *Periculum famae*, quando rationabiliter timetur ne, ex integra confessione, poenitens graviter diffametur, non quidem apud confessarium, sed apud alios :

a) Si poenitens non possit confiteri nisi aliis audientibus qui removeri non possint, quod potest accidere in nosocomiis quando alius infirmus prope adiacet confitenti aut in eodem lecto ; cum vulneratis quando medicus debet adesse aut alii qui eos curent ; cum feminis parturientibus quando medicus adesse debet aut obstetrix. — Quod verificatur etiam in casu surdi vel surdastri, cuius surditatem confessarius advertit tantum in progressu confessionis, iis in adiunctis in quibus ad sacristiam duci non posset, quin suspicio oriretur quod grave peccatum commiserit : tunc enim confessarius abstineat ab interrogationibus, nec alta voce iniungat ut alio tempore redeat, ac levem poenitentiam imponat [1], ne secus circumstantes intelligant gravia peccata a poenitente fuisse commissa. Quando vero surditas ante confessionis inceptionem advertitur, poenitens regulariter ducendus est ad sacristiam vel alium locum, ubi absque periculo revelationis interrogari possit, nisi tamen prudens ratio obstet. — b) Si confessio, ut sit integra, valde prolixa esse debet, iis in adiunctis in quibus adstantes valde probabiliter ex prolixitate inferrent poenitentem reum esse multorum ac gravium peccatorum, ut si sacerdos mox celebraturus, moribundus iam antea sacrilege confessus viaticum suscepturus, infans ad primam communionem accessurus, ordinandus ad suscipiendos ordines iam paratus, confessione generali aut prolixiore indigeret et non posset integre confiteri quin adstantes reum suspicarentur. Haec excusatio tamen non semper adest, quotiescumque confessio prolixa instituenda est, nam in ordinariis adiunctis nullum notabile periculum infamiae inde oritur, cum varias ob causas

1. Saepe confessarius potest poenitentiam imponere quae e circumstantibus non advertatur, v. g. poenitenti ostendendo rosarium vel coronam precatoriam.

soleant quidam poenitentes longam moram apud confessarios trahere [1].

3) *Periculum violationis sigilli :* a) si *gravi* de causa poenitens timeat ne confessarius legem sigilli frangat et confessionem revelet, sive directe (quod rarissimum sane est), sive indirecte v. g. altius erigendo vocem quando mortalia accusantur, ita ut adstantes eum audire possint ; aut ne ex indiscretione confessarii poenitens privationem officii vel sustentationis subeat ; b) si ipse confessarius suum peccatum confiteri non posset, quin peccata in confessione audita manifestaret v.g. si, statim post confessionem auditam, diceret se graviter peccasse nomen complicis inquirendo, vel male absolvendo simoniacum : ita enim manifestaretur poenitentem aliquod peccatum mortale commisisse.

4) *Periculum scandali* quod timeretur ex confessione oriundum sive poenitenti sive confessario sive utrique : a) si poenitens, ob suam fragilitatem sibi notam et expertam, vereatur ne diutius aut minute recogitando peccata turpia, iis iterum consentiat ; b) si serio timeat ne, confitendo quaedam peccata carnalia, ad turpia sollicitetur a confessario quia v. g. scit id sibi vel aliis contigisse ; c) si serio timeat ne, integra confessione, in peccatum inducatur confessarius cuius fragilitatem perspectam habet, v. g. accusando desideria prava peccandi cum ipso ; d) si confessarius, propter sui vel poenitentis fragilitatem, valde probabiliter timeat ne, diligentius interrogando, seipsum aut poenitentem scandalizet ; quae sane rarissime occurrunt.

5) *Periculum damni spiritualis aut temporalis :* a) si poenitens sit morosus et nimium scrupulosus in accusandis et explicandis peccatis : cum enim sit ibi magna difficultas confessionis et timeatur damnum poenitentis et ne fiat confessio odiosa, potest prudens confessarius, quando necessarium iudicaverit pro bono poenitentis, abrumpere confessionem et absolvere ; b) si gravi de causa poenitens timeat ne ex manifestatione peccati incurrat odium confessarii, iniustam persecutionem, officii vel sustentationis privationem, aut ne confessarius utatur notitia acquisita in damnum proximi v. g. eiiciendo famulam quacum poenitens peccavit.

Notetur autem varias istas causas fidelibus in concionando non esse exponendas, ne seipsos decipiendo novas excusationes inveniant et periculo exponantur multa reticendi: haec confessario, non fidelibus, scitu necessaria sunt.

1. Requiritur itaque, notat Vermeesch, *Th. M.*, III, n. 542, c, ut « prolixa confessio quasi certum argumentum foret plurium peccatorum ». Unde, ait Noldin, *Th. M.*, III, n. 286, 1°, « hoc tamen non valet nisi in iis adiunctis, in quibus adstantes ex prolixa confessione necessario ad magnam peccatorum copiam concludere debeant... In ordinariis autem adiunctis non licet nisi vaga aliqua suspicione ex prolixa confessione ad multitudinem peccatorum concludere, quia complures aliae sunt rationes, ob quas poenitentes diutius apud confessarium morantur (Cfr. Ballerini-Palmieri, V, n. 249) ; sed periculum vagae suspicionis non est ratio excusans ab integritate confessionis ».

526. An adsit obligatio confitendi peccatum quod explicari nequit sine periculo diffamandi tertiam personam aut etiam revelandi ipsum complicem ?— Id quaerunt theologi occasione integritatis confessionis : periculum enim esse potest diffamandi tertiam personam quae fuit occasio vel obiectum peccati, v. g. sororem gravidam percussam, viduam gravidam occisam ; aut etiam revelandi complicem, ut saepe contingere potest de peccatis quae committuntur inter coniuges, parentes et filios, cognatos vel affines, vel socios in iisdem negotiis. Iamvero :

1) Poenitens tenetur crimen alterius occultare quantum potest, et ideo a) certe tenetur adire alium confessarium cui complex ignotus sit, si absque incommodo fieri possit neque excuset iusta et proportionata causa ; b) item poenitens non potest nec tenetur peccatum declarare quod non sit materia necessaria confessionis (scil. mortale remissum, aut veniale), ne illud confitendo grave peccatum alterius manifestetur : quia deest ratio proportionata et sufficiens.

2) Extra hos casus potest poenitens, imo probabilius debet, confiteri integre, etiam cum periculo manifestandi grave peccatum alterius. Licitum enim est revelare crimen alterius ob iustam et legitimam rationem, praesertim quod revelatio non sit nociva cum non adsit periculum ulterioris divulgationis, quia confessarius ad secretum stricte tenetur [1]. Ceteroquin complex committens peccatum et sciens alium debere confiteri, videtur cedere iure suo et implicite permittere illam revelationem. Et ista est praxis communis fidelium, nec dubitant de eius liceitate aut obligatione, quamvis tamen, quia aliqui aliter sentiunt, ad manifestationem peccati alterius stricte obligari non possint.

Ratio autem sufficiens manifestandi est necessitas vel magna utilitas, v.g. a) si urgeat periculum mortis aut praeceptum annuae confessionis vel communionis paschalis, b) si specialis adsit utilitas scil. communionem mox recipiendi, c) si grave sit poenitenti omittere confessionem aut communionem, d) si alias privaretur beneficio indulgentiae extraordinariae, e) si secus per totam diem in mortali manere cogeretur et hoc ipsi durum esset, f) si poenitens nonnisi reluctanter alteri confessario posset suam conscientiam aperire, vel privaretur speciali solatio quod apud ordinarium confessarium invenit.

3) Confessarius numquam potest obligare poenitentem ad revelandum ipsi, tamquam confessario, nomen complicis sub poena denegandae absolutionis (quod severe prohibuit Ben.XIV, a. 1745 et 1746 sub poena suspensionis ferendae sententiae ; cfr. can. 888, § 2), imo regulariter nec potest directe inquirere. Et esset peccatum mortale ex genere suo, quia haec praxis reddit sacramentum odiosum et sine causa inducit poenitentem ad infamandum complicem. Attamen confessarius propter rationem proportionatam potest, sive inquirere medio indirecto, sive imponere denuntiationem complicis extra confessionem faciendam.

a) Hinc non prohibetur de *qualitatibus* complicis interrogationes facere, quae necessariae videntur ad integritatem confessionis vel ad detegendam naturam occasionis proximae, etiamsi exinde indirecte cognoscatur complex, v. g. utrum in eadem domo maneat, sit voto ligatus, cognatus, affinis, etc., uno verbo : non quis, sed qualis sit.

b) Imo potest, gravissima de causa, ob bonum commune (v.g. ad vitandum aliorum corruptionem), obligare poenitentem, etiam sub poena denegatae absolutionis, ad complicem extra confessionem denuntiandum superiori, v. g. patri, domino, magistro, etc., imo et sibi ipsi si sit simul superior.

c) Ac ipse potest licite excipere nomen complicis si poenitens potius indirecte per confessarium quam directe superiori velit denuntiare ; quo casu petat ut extra confessionem denuntiatio excipiatur, ne confessio odiosa fiat eis qui de hac re forsan sint audituri. Generatim tamen denuntiatio per confessarium non expedit, nisi poenitens nolit alteri rem manifestare.

527. Corollaria. — Ex supradictis intelligitur :

1) *Requiri per se accusationem specificam et distinctam pro materia necessaria*, scil. pro mortalibus nondum rite subiectis, nec genericam sufficere *ad valorem;* nisi in casu necessitatis.

2) E contra *in materia libera, per se non requiri specificam et distinctam* sed *ad validitatem* sufficere genericam, quia ex una parte semper est eadem essentia sacramenti, et ex alia parte

1. Ita S. Thomas, in IV Sent., d. 16, q. 3, a. 2, qc. 5 ad 5 ; opusc. ad lect. Bisunt. Item S. Raymundus, S. Bonaventura, S. Antonius, Caietanus, Sylvester, Medina, Billuart, Suarez, Lugo ; ac S. Alphonsus qui id habet probabilius. Negant Cano, P. de Soto, Ledesma, Navarrus, Valentia, Bonacina, Diana.

nulla est necessitas confitendi materiam liberam; nisi forsan tota materia declararetur omnino generaliter, et nullum peccatum magis determinate. — *Ad liceitatem* vero certo non sufficere per se, confessionem omnino vagam et generalem, tum quia universalis consuetudo Ecclesiae exigit confessionem aliquomodo distinctam (sicut et exigit vocalem), tum quia per se et in ordinariis adiunctis, extra casum necessitatis, iudicium requirit materiam aliquomodo in specie determinatam. Unde si quis sola venialia confiteatur aut iam remissa, non sufficit dicere : accuso me de peccatis, vel venialia mea confiteor, vel olim peccavi graviter, sed debet saltem indicare genus peccati aut contra quamnam virtutem fuerit vel praeceptum.

Diximus: *per se; nisi forsan...* Nam confessio omnino generalis indirecte et per accidens potest esse invalida ex gravi illiceitate, uti constat ex declaratis[1].

3) *Materiam dubiam aut meras imperfectiones non esse materiam sufficientem.* Unde in casu poenitens addat peccatum saltem veniale ; et si non faciat, confessarius interroget de peccatis quae communius committantur (v. g. contra charitatem, patientiam, veracitatem, officia status, etc.) et, si nil certi obtineat, quaerat peccatum vitae anteactae. Quoad imperfectiones autem, in iis latet saepe aliquod veniale motivi inordinati aut intentionis malae, quando scil. non ex rationabili motivo fiunt ; unde si frequentes imperfectiones accusentur, in iis admiscentur venialia, sed hortandi sunt poenitentes ut dicant potius quo motivo vel affectu inordinato hos actus posuerint.

528. Animadversiones. — 1. Ad peccata sua integre confitenda, requiritur per se et regulariter examen conscientiae, cum ordinaria diligentia instituendum. De quo vide nostras *Quaestiones de Variis Poenitentium categoriis,* c. 1, q. 1.

2. Poenitens clare et distincte, quantum potest, peccata cum requisitis omnibus exponere debet ; et si advertat confessarium ea non audivisse aut non intellexisse, tenetur ea repetere, prout accidere potest si quis confiteatur sub sono organi, aut confessario surdastro, aut somnolenti. Imo si quis de industria ita confiteretur ut non intelligeretur, sacrilegium committeret et confessio iteranda foret.

3. Casu quo confessio noscatur *incompleta,* complenda est in confessione proxime sequenti (prop. 11 damn. ab Alex. VII),

1. Hinc magis speculative id verum est quam practice, ut notat Suarez, disp. 23, sect. 1, n. 10 : « Fortasse *speculative* tantum loquendo posse hoc defendi... Nihilominus tamen practice negandum est propter incertitudinem materiae. Dico ergo, licet homo absolute non teneatur speciem peccatorum venialium confiteri, tamen supposito quod velit confiteri, teneri ad exhibendam materiam omnino certam, si potest, et ideo debet aliquod peccatum veniale in particulari suo arbitrio confiteri : adiuncta vero necessitate seu impotentia aliud dicendi, sine dubio illa materia sufficiens erit. »

secus haec non esset integra ; — si noscatur quacumque de causa *invalida,* repetenda est, et quidem modo distincto et ex integro si apud alium confessarium instituatur ; si vero apud eumdem, modo generali aut plus minusve speciali prout opus sit ut in confuso recordetur status poenitentis seu confessionis praeteritae ; — si noscatur *sacrilega,* insuper accusandum est peccatum sacrilegii, vel et plura si aliae fuerint confessiones factae cum memoria sacrilegii praecedentis [1].

Articulus III.

De Fidelitate confessionis.

S. Th., Suppl., q. 6, a. 4.

529. *Principium.* **Confessio debet esse fidelis i. e. vera et sincera, hoc sensu quod absque falsitate et mendacio fiat, ita ut poenitens confiteatur peccata prout sunt in conscientia,** scil. certa ut certa, dubia ut dubia, mortalia ut mortalia, etc., et in declaratione non deficiat, ut in peccatis commissis negandis aut minuendis, neque excedat, in iis exaggerandis aut in fictis culpis adiiciendis. De quo triplex potest enuntiari regula :

I. *Mentiri in confessione circa rem gravem necessario declarandam,* ex natura sua, est grave mendacium perniciosum et grave sacrilegium, scil. si fiat circa materiam necessariam ad integritatem confessionis aut circa dispositiones ad absolutionem requisitas, quia est in re gravi pervertere iudicium sacramentale ac decipere iudicem, et ita confessio non esset integra et ideo esset irrita et absolutio invalida ; quod etiam ipsi poenitenti esset graviter perniciosum.

Sic per se graviter peccat ille qui in confessione negat circumstantiam gravis peccati speciem mutantem, — qui peccatum mortale nondum confessum inficiatur, aut ita tegit vel dimisse dicit ut a confessario vix intelligi possit, — qui certo mortale confitetur ut dubium vel vice versa, — qui ex malitia se accusat de gravi non commisso, — qui mortalium numerum auget nisi forsan fiat ex scrupulo, animi perturbatione, simplicitate aut ignorantia, ad maiorem securitatem, — qui recenter commissum expresse aut aequivalenter fatetur ut peccatum antiquum iam antea declaratum (aliter si accusatione id in dubium relinquitur), — qui consuetudinem, relapsum, occasionem, de qua confessarius

1. De confessione iteranda, sicut et de confessione generali, plura dicuntur in op. *Quaestiones de variis Poenitentium categoriis,* c. 1, q. 6.

interrogat, falso negat aut hanc declarationem, ne a confessario petatur, studiose declinat.

II. *Mentiri circa rem levem vel circa materiam gravem liberam* est *per se* sacrilegium veniale, quia id iudicium non pervertit in re gravi, nec facit sententiam irritam, nec sacramentum reddit invalidum, aut eius effectum impedit. Sic leviter peccat qui falso se accusat de peccato levi quod non est commissum, — vel veniale quod commissum est negat, — aut negat mortale quod iam rite est accusatum.

Per accidens tamen posset esse mortale a) si poenitens falso se accusaret de veniali, aliam non afferens materiam, vel b) si negaret quae dicere tenetur ad confessarii iudicium rite efformandum aut ad munus medici exercendum, v. g. respectu habitus, consuetudinis, occasionis, restitutionis iniungendae aut satisfactionis, remedii contra relapsum, etc., uno verbo si confessarius interrogaret de illis aut de materia libera tamquam pertinentibus ad praesentem materiam gravem (cfr. prop. damn. 58, ab. Inn. XI [1]).

III. *Mentiri circa rem quae ad confessionem non pertinet*, v. g. circa nomen, aetatem, parentes, domicilium, etc., aut falsam narrando historiam, quamvis in sacro tribunali dicatur inter confitendum, non est *hac ratione* sacrilegium, quia nullatenus pervertit iudicium sacramentale.

Unde peccatum manet quale antea erat, mortale vel veniale ; — mendacium tamen leve cum confessione miscere, *alia ratione* est venialis irreverentia erga sacramentum, scil. peccare eodem tempore ac remissio peccatorum quaeritur ; grave autem mendacium est sacrilegium mortale quia indispositum reddit ad absolutionem.

530. Corollaria practica. — Ex praedictis intelligitur :

1) *Per se* non mentiri nec peccare, saltem graviter, illum qui mortale peccatum recenter commissum negative *non* declarat *ut recens*, sed nova peccata mortalia non distinguit ab antiquis remissis et ea miscet, ita tamen ut positive non affirmet sed in dubium relinquat quod sint antea remissa, v. g. qui in confessione generali non distinguit peccata mortalia ab ultima confessione patrata, etiam si de industria faciat ad occultandum tempus quo commissa fuerint. Non enim est mendacium sed aequivoca locutio.

1. « Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem ».

Per accidens tamen circumstantia temporis esset declaranda si necessarium foret ob proximam removendam occasionem, aut ob casum reservatum, aut si secus species peccati non intelligeretur et ita confessarius iustum iudicium ferre aut congruam poenitentiam imponere non posset, v. g. scire non posset an peccatum turpe fuerit ante vel post matrimonium, ante vel post votum castitatis commissum. Unde de hoc potest confessarius interrogare et tunc poenitens tenetur respondere.

2) E contra *per se* mentiri et peccare graviter illum qui peccatum mortale nondum accusatum, post ultimam confessionem commissum, positive confitetur *ut non recens*, sed ut antiquum iam antea declaratum, sive explicite dicendo : « accuso me de tali peccato quod antea iam declaravi », aut « quod anno praeterito patravi », sive aequivalenter hac utendo formula : « dein me accuso de peccatis totius vitae aut vitae praeteritae, praesertim de hoc... ». Est enim positive decipere confessarium in re gravi scil. in materia necessaria confessionis, circa rem scitu necessariam.

Quod proinde grave est, non solum si alia non declararentur mortalia recentia et ideo falso existimaretur poenitens esse in statu gratiae, aut si alias poenitentiam effugeret convenientem, vel ignoraretur esse in occasione proxima, sed per se et generatim : tum quia unumquodque mortale est causa distincta et separata clavibus subiicienda (n. 522), tum quia mendacium in tali casu est de se graviter perversurum confessarii iudicium, eodem modo ac mortalibus commissis addere unum non commissum est peccatum grave. Et quamvis circumstantia temporis de se non sit declaranda, non potest tamen *positive* excludi cum falsitate in accusatione de praecepto facienda ; quia peccator, positive eam excludendo, negat eo ipso se recenter peccasse, quod falsum est, et sic accusat peccatum quod non fecit antea et negat peccatum quod nunc fecit.

3) *Per se* non peccare, saltem graviter, illum qui fingit se instituere confessionem generalem et tamen aliquod peccatum mortale antea confessum voluntarie omittit ; imo nullatenus peccare si iusta adsit causa reticendi.

Nisi tamen peccatum illud mortale propter quamdam rationem esset necessario exponendum : tunc enim peccaret graviter.

4) *Per se* non peccare illum qui venialia uni confessario, nempe ordinario, mortalia vero alteri, extraordinario accusat, non quidem si absolutionem a venialibus obtineat antequam a mortalibus absolvatur (tunc enim priorem

absolutionem sine debitis dispositionibus sacrilege accipit), sed si prius absolvatur a mortalibus, postea a venialibus [1], dummodo id fiat ex honesto motivo v. g. verecundiae causa aut ne forte periculo exponatur mortale reticendi ; quod si intendat deceptionem confessarii ordinarii, propriam gloriam vel aliud quid inordinatum, est peccatum leve.

Per accidens tamen est graviter peccaminosum, si grave periculum adsit ex eo quod status poenitentis confessario ordinario sit ignotus, v. g. si poenitens ita ageret ad liberius peccandum, aut ita remaneret in occasione proxima, aut si iuvenis faceret ut posset admitti ad professionem religiosam aut statum clericalem, dum alias ob consuetudinem peccandi forsan arceretur.

5) *Per se* non peccare graviter illum qui vocem aut sexum simulat vel alia media adhibet ne a confessario agnoscatur, dummodo omnia sua mortalia aperiat ; nam necesse non est ut poenitens nominatim cognoscatur. Imo existente legitima causa atque recta intentione habita, huiusmodi dissimulatio non est peccaminosa.

Per accidens tamen esset peccatum grave si fieret ex industria a consuetudinario vel recidivo, ad decipiendum confessarium et facilius absolutionem extorquendam, aut si ita non iam intelligeretur peccati species, ut si femina simulans sexum virilem confiteretur procuratum abortum, quem in seipsa procuravit.

531. Animadversiones.— 1. Praedictae occultationes per se et generatim non sunt approbandae, sed potius reprobandae, quia perfectae sinceritati nocent.

2. Poenitens tenetur interroganti confessario sincere respondere, quoties hic *legitime* interrogat v. g. de habitu, tempore, relapsu, occasione proxima, uno verbo de iis sine quibus prudens iudicium ferri nequit.

3. Si vero interrogatio manifeste indiscreta sit, ut facile fiat si versetur circa nomen, patriam, habitationis locum, an alibi confessus sit, etc., poenitens non tenetur respondere, cum haec ad sacramentalem confessionem non spectent, imo si iusta adsit causa, potest restrictione uti in suis responsis.

1. Imo secundum aliquos non solum posset hoc tacere confessario ordinario, sed etiam dicere : a diebus quindecim non accessi, subintelligendo : ad te ; sed hoc non videtur admittendum nisi sit ratio sat gravis ita agendi.

QUAESTIO QUARTA.

DE EFFECTU CONFESSIONIS.

S. Th., Suppl., q. 10.

532. Confessioni plures tribuuntur effectus. — *Secundum S. Thomam :*

1) Vere *liberat a morte peccati.* Quod *ex vi absolutionis* facit simul cum aliis partibus poenitentiae, sicut materia sacramenti ex vi formae ; et tamen magis competit confessioni quam contritioni et satisfactioni.

« Poenitentia, in quantum est sacramentum, praecipue in confessione perficitur, quia per eam homo ministris Ecclesiae se subdit, qui sunt sacramentorum dispensatores. Contritio enim votum confessionis adnexum habet, et satisfactio pro iudicio sacerdotis, cui fit confessio, taxatur. Et quia in sacramento Poenitentiae gratia infunditur per quam fit remissio peccatorum, sicut in Baptismo, ideo eo modo confessio ex vi absolutionis coniunctae remittit culpam, sicut et Baptismus. Liberat autem Baptismus a morte peccati, non solum secundum quod actu suscipitur, sed etiam secundum quod in voto habetur... Et similiter dicendum est de confessione adiuncta absolutioni » (a. 1).

Hinc a) contritio, si fuerit perfecta, non liberat a culpa nisi in quantum votum de confessione adiuncta absolutioni continet ;

b) et tamen postmodum in actu confessionis et absolutionis gratia augetur ;

c) si autem dolor non fuerit sufficiens ad contritionem perfectam, sed sola sit attritio, in actu confessionis et absolutionis remissio peccati dabitur, dummodo obex gratiae non praebeatur.

2) Etiam confessio *liberat a poena*, et quidem dupliciter : a) *ex ipsa vi absolutionis*, et sic in voto existens in contritione perfecta liberat a poena aeterna sicut a culpa ; in re existens per vim clavium idem facit cum contritione imperfecta ; et insuper obtinet diminutionem poenae temporalis : « haec poena restat in purgatorio patienda,... et est improportionata viribus poenitentis in hoc mundo viventis ; sed per vim clavium in tantum minuitur quod proportionata viribus poenitentis remanet, ita quod satisfaciendo se in hac vita purgare potest » ; — b) « *ex ipsa natura actus confitentis*, qui (utpote opus satisfactionis et poenale) habet

poenam erubescentiae adnexam ; et ideo quanto aliquis pluries de eisdem peccatis confitetur, tanto magis poena minuitur » (a. 2).

3) Ideo *aperit paradisum :* a paradisi enim introitu prohibetur aliquis per culpam et reatum poenae ; sed haec impedimenta confessio amovet ; et ideo dicitur paradisum aperire (a. 3). Quod facit vi clavium, quae sunt claves regni coelorum.

4) Et *spem tribuit salutis :* spes enim remissionis peccatorum non est nobis nisi per Christum. Atqui homo per confessionem se subiicit clavibus Ecclesiae ex passione Christi vim habentibus. Ergo recte dicitur quod confessio spem salutis tribuit (a. 4). Et quamvis « ex actibus non potest esse spes salutis principaliter, sed ex gratia Redemptoris,... quia confessio gratiae Redemptoris innititur, ideo spem salutis tribuit, non solum ut actus meritorius, sed etiam ut pars sacramenti » (ad 1).

533. **Animadversio.**— Notat Billot, o.c., de Poen., th. 18 : « Ex praemissis consequitur... : non dari sacramentum validum et informe ex defectu ipsius confessionis. Ratio est quia vel conscit homo inter confitendum, se committere defectum gravem contra confessionis legem, vel non. Si conscit, ergo confessio non est amplius formaliter integra, et deest id quod essentialiter requiritur in ratione partis ; unde tollitur validitas sacramenti. Si non conscit, ergo hoc ipso nihil ex parte confessionis desideratur quominus sacramentum, non validum modo sed et fructuosum existat. — Solum dubitari posset de casu in quo non esset integra confessio propter culpabilem negligentiam antecedentem, sed tunc reduceretur defectus ad defectum attritionis, de quo supra », n. 506.

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE.

534. **Satisfactio** (satis-facere) est actus quo quis tantum facit quantum debet, actus quo solvit debitum, seu compensatio ad ponendam aequalitatem in rebus ; stricto sensu autem est compensatio pro iniuria alteri illata.

In theologia ita vocatur *Deo illatae per peccatum iniuriae recompensatio voluntaria secundum quamdam iustitiae aequalitatem.*

Alia ordinatur *ad reparandam ipsam culpam* et ad reconciliationem cum Deo, et haec est ipsa contritio ; alia *ad delendam poenam temporalem* quae post remissionem culpae saepe manet subeunda. Haec considerari potest in proposito seu voto et acceptatione, prout est sincera voluntas adimplendi poenitentiam, vel in executione, prout est actualis impletio poenitentiae iniunctae. *In proposito* considerata non distinguitur a contritione, quae includit propositum confitendi et satisfaciendi sicut et non amplius peccandi (III, q. 90, a. 2, ad 1) : non enim est vere contritus qui non vult reparare peccatum. *In re* autem spectata est actus distinctus specialis, et distinguitur duplex : alia est *extrasacramentalis* quae a poenitente sponte suscipitur et vim habet satisfactoriam ex opere operantis ; alia est *sacramentalis* quae a ministro imponitur et operatur ex opere operato. Haec definitur : *voluntaria toleratio poenae, ex potestate iudiciaria ministri imposita, ad compensandam iniuriam Deo illatam redimendamque poenam temporalem, etiam post remissum peccatum pro iniuria debitam ;* vel compensatio poenae temporalis peccatis debitae per opera bona et poenalia, a confessario taxata et a poenitente voluntarie acceptata (Suppl. q. 12, a. 3).

QUAESTIO PRIMA.

DE ESSENTIA ET NECESSITATE SATISFACTIONIS.

S. Th. III, q. 86, a. 4 ; Suppl., q. 12 et 13 ; q. 18, a. 2.

535. *Thesis I.* **Necessaria est satisfactio ad reparandam iniuriam per peccatum Deo illatam et ad redimendam poenam temporalem,** quae ordinario, post remissionem culpae et poenae aeternae, remanet luenda in hoc saeculo vel in purgatorio. — Ergo non solum instituitur satisfactio ad aliorum exemplum, aedificationem et satisfactionem Ecclesiae, atque ad praecavenda peccata futura, uti volunt Protestantes.

Protestantes nimirum, etsi poenitentialis disciplinae severitatem in primis Ecclesiae saeculis negare non valeant, eam tamen ut ecclesiasticam institutionem habent (ad aedificationem et satisfactionem Ecclesiae, et ad peccata praecavenda), eiusque

divinam institutionem et necessitatem ad castigationem peccati negant ; nam, inquiunt, peccatum a Deo condonari nequit, quin simul poenae debitae, aeternae et temporalis, plena sit remissio ; praeterea, si satisfactiones nostrae dicantur necessariae, eo ipso iniuria irrogatur infinitae satisfactioni Christi, quippe quae insufficiens apparet, dum tamen plene satisfecit, non tantum pro culpa sed et pro omni poena. Cuius theoriae radix est doctrina de iustificatione per solam fidem : si enim sola fides plene ad iustificationem sufficit, inutilia evadunt opera satisfactoria ; unde nostris operibus nulla a Protestantibus vis meritoria agnoscitur aut satisfactoria. Erronee tamen.

Probatur : 1° *Ex Scripturae exemplis* supra allatis, *et verbis* quibus hortando consulit imo praecipit poenitentialem satisfactionem (n. 463, 1°).

2° *Ex antiqua et constanti praxi Ecclesiae* (ib., 2°).

3° *Ex ratione theologica*, quia contritione et confessione, licet aversio a Deo totaliter remittatur, peccatum tamen quantum ad conversionem in creaturam non semper complete reparatur, et ideo poena temporalis manet subeunda (ib., 3°).

Ratio insuper *convenientiam* ostendit satisfactionis :

A. *Ex parte peccatoris poenitentis.* Ut enim explicat C. Trid., sess. 14, c. 8, poenae satisfactoriae a peccato revocant (praeterito et futuro), 1° nam a) quasi froeno coërcent, b) cautiores et vigilantiores in futurum nos efficiunt, c) medentur peccatorum reliquiis et vitiosos habitus contrariis virtutum actionibus tollunt (et exteriores occasiones peccati), verbo « sunt medicina curans peccata praeterita et praeservans futura » (S. Th., q. 12, a. 3) ; — 2° inculcant efficaciter peccatum esse magnum malum dira poena dignum : si peccata sine poenitentia dimitterentur, ut levia existimarentur et facilitate ipsius veniae multi in graviora peccata laberentur.

B. *Ex parte Dei* qui per peccatum offenditur : Ipse non est solum privatus amicus et pater misericors, sed et publicus legislator, rector et iudex totius humanae societatis. Atqui decet Deum, ut personam privatam, offensam sibi irrogatam dimittere ; sed simul rectorem et legislatorem decet ut delicta non remittat absque poena temporali, tum in ultionem peccati commissi et restitutionem honoris debiti et iuris laesi, ut non sola misericordia exerceatur remittendo culpam, sed et iustitia exigendo poenam in restitutionem honoris laesi, tum ad fovendum bonum commune ut in futurum leges melius serventur et alii a malo deterreantur. — Item in poenis elucet sanctitas Dei simul et clementia. Sanctitas, quia ex iis gravitas peccati magis apparet, refrenatur licentia peccandi, tolluntur reliquiae peccatorum et mali habitus, magis punitur ingratitudo peccantis post Baptismum et fidem Christo datam. Clementia, quia poenae leviores sunt in hac vita et simul meritoriae.

C. *Ex parte passionis Christi* qui peccatum redemit. Passio Christi est velut causa universalis, quae per se sufficiens est ad remissionem culpae et poenae, sed singulis debet applicari per cooperationem propriam, qua fiunt conformes Christo qui pro peccatis nostris satisfecit patiendo (Rom. VIII, 17) ; unde passio Christi operatur remissionem peccati (culpae et poenae), secundum modum propriorum actuum seu dispositionem poenitentis plus minusve perfectam. Et ita maior apparet efficacia passionis, si non tantum per se facit bonitatem et satisfactionem praestat, sed etiam ipsos homines reddit operativos boni et satisfacientes.

536. Satisfactio est actus virtutis. — Etenim 1) satisfactio ad poenitentiam pertinet et operatur ad deletionem peccati (C. Trid., sess. 14, c. 3) ; sed actus ad poenitentiam pertinens et operans ad deletionem peccati est actus virtutis ; ergo. — 2) Satisfactio servat medium : ponit aequalitatem et dat satis nec plus nec minus ; aequalitas autem rationem medii importat, et consequenter virtutis (q. 12, a. 1).

Est actus *iustitiae :* haec enim virtus aequalitatem constituit in rebus ; id autem fit per satisfactionem qua constituitur aequalitas *emendae* ad offensam praecedentem ; ergo (a. 2).

Est quasi species iustitiae *vindicativae*, quae sola respicit offensam praecedentem et aequalitatem constituit in eo qui iustum patitur [1] ; satisfactio autem aequalitatem *in faciente* importat qui se ipsum punit et ita iustum patitur (a. 2).

Non tamen est species iustitiae *stricte dictae*, quia Deo non valemus reddere *aequale secundum quantitatem*, tantum quantum debet. Unde a) sicut non possumus aequivalens dare Deo pro beneficiis acceptis, ita, a fortiori, nec pro debito peccati commissi. Praesertim b) quod iniuria Deo infinito illata quodammodo est infinita, et ideo est maior omni compensatione finita creaturae. At sufficit quod homo reddat id quod potest, quia amicitia non exigit aequivalens, sed quod possibile est, et hoc est etiam *aequale* aliqualiter *secundum proportionem*. Unde, licet non aequivaleat, sufficientem tamen satisfactionem offerre possumus (q. 13, a. 1). — Et quamvis omnes suos actus et totum posse homo secundum se debeat Deo, non tamen a Deo de necessitate salutis exigitur ut totum posse suum ad aliquid unum expendat, cum oporteat eum circa multa esse sollicitum ; sed quaedam mensura ab eo requiritur, scil. impletio mandatorum Dei, et super hoc potest aliquid addere quo satisfaciat (ib. ad 3).

Deus igitur stricte posset satisfactiones nostras exigere alio titulo ; unde gratia Dei satisfactoriae sunt, et ideo non de nostro sed de suo satisfactionem offerimus Deo (q. 13, a. 1). Pertinet ergo satisfactio, non ad iustitiam stricte dictam, sed ad partem potentialem iustitiae, scil. ad virtutem poenitentiae ipsi adnexam. quae virtutem iustitiae deficienter imitatur.

1. Secundum hoc pertinet ad commutativam iustitiam (III, q. 85, a. 3, ad 3).

537. **Animadversio.** — Quamvis ex stricta iustitia non possimus satisfacere Deo, quia non valemus ex nostris aequivalens reddere illius quod sublatum est, supposita tamen gratuita Dei ordinatione quae satisfactiones pro posse nostro ex eius gratia factas velit acceptare ut sufficientes, iam satisfacere possumus et quidem

a) pro aversione a Deo et culpa mortali solum *de congruo*, quia contritio etiam ex gratia habituali et charitate facta non praebet, pro violata Dei amicitia et infinita iniuria recessus a Bono infinito, compensationem aequivalentem secundum quantitatem, sed solum secundum proportionem;

b) *etiam de condigno* pro inordinata conversione ad creaturam, ac proinde pro culpa veniali et pro poena temporali peccato remisso debita, quia satisfactio finita aequivalens praestare potest poenae finitae et reddere valet tantum quantum debet ; unde talis satisfactio *modum iustitiae servat.* Et sane si mereri de condigno possumus ipsam vitam aeternam, quod maius est, a fortiori possumus de condigno satisfacere pro poena temporali, quod est minus. Cfr. C. Trid., sess. 14, c. 8; prop. 77 damn. Baii [1].

Hinc 1) *Scripturae* remissionem peccatorum bonis operibus poenalibus promittunt, (Is. I, 16, seq.; Ezech. XVIII, XXXIII ; Ioël II, 13 ; Tob. IV, 11 ; I Cor. XI, 31-32 ; II Cor. VII, 10), imo satisfactionem praecipiunt (Ioël, II, 12 ; Iob, ult. ; Dan. IV, 24 ; Mt. III, 2 ; Lc. III, 8 ; XI, 41) ; Deus autem impossibile nec promittit nec praecipit ;

2) id quoque semper intellexit *Ecclesiae traditio*, uti constat, non solum ex disciplina poenitentiali, sed etiam ex explicitis testimoniis : Tertulliani, de Poen. 7, c. 7, 8, 9, 11 ; Cypriani, de Lapsis, 35 et 36 ; ep. 11, n. 1 et 2 ; ep. 55, n. 20 ; Origenis, in Ps. XXXVII, hom. II, 5 ; Ambrosii, de Poen., l. II, c. 6, n. 48-49 ; in Lc. VII, 156 ; Augustini, ep. 153 (al. 54), n. 6 ; Enchiridion, LXX, 15 ; serm. 19, n. 2 ; serm. 20, n. 2 ; Gregorii, in Ev. hom. 34, n. 16 ; Reg. part. III, 30 ; Caesarii Arel., serm. 104, n. 4, etc.

3) et ideo *Concilia* possibilitatem satisfaciendi pro poenis peccati definierunt : Flor. in decr. unionis; Trid., sess. 14. c. 8 et 9, can. 13.

Ne tamen concludas satisfactionem esse actum strictae iustitiae, et non virtutis adnexae, Poenitentiae : a) quia non de nostris satisfacimus Deo, sed de suis et ex sua gratia, et ideo valor satisfactorius supponit voluntariam Dei acceptationem; b) quia de natura virtutis iudicandum est secundum actum primarium ; iste actus est contritio, quae non reddit aequivalens peccati mortalis, et ideo Poenitentia non est stricta iustitia, etiam si actus secundarius ex primario derivatus aequivalens reddere possit quoad obiectum secundarium, poenam temporalem.

1. « Satisfactiones laboriosae iustificatorum non valent expiare de condigno poenam temporalem restantem pro culpis condonatis ».

538. **Obiiciunt Protestantes :**

1° Antiquiores contendebant poenas poenitentiales non fuisse olim nisi canonicas, ad satisfaciendum Ecclesiae, ad praecavendum lapsum fidelium, et ad probandam conversionis sinceritatem impositas. — At assertio non solum gratuita est, sed et aperte falsa, cum textus allati Scripturae, Patrum et Conciliorum explicite loquantur de satisfactione Deo praestanda, ac remissione ab ipso per poenas obtinenda.

2° Recentiores, cum Harnack, aiunt rationem satisfactionis praestandae ortum habuisse ex principiis iuridicis, et una cum iis in Ecclesia latina, a Tertulliano fuisse introductam. — Inconsiderate tamen ita loquuntur ; nam a) etiam in Ecclesia Orientali eadem proponebatur doctrina, ut constat v. g. ex Origene, in Lev. hom. XI, 4, et Sozomeno (H. E. VII, 16) ; b) ante Tertullianum valor bonorum operum ad obtinendam a Deo peccatorum remissionem non erat ignotus, uti patet v. g. ex Prov. XV, 17 et XVI, 6 ; Tob. III, 21 et XII, 9 ; Lc. XVI, 9; et ex ps.-Clem. II ad Cor., XVI, 4; Doctr. Ap. IV, 6 ; et ep. Barn. XIX, 10 [1].

539. *Thesis II.* **Sacramento poenitentiae satisfactio in proposito seu voto est essentialis et absolute necessaria, ita ut si desit, sacramentum sit nullum ; satisfactio in re est tantum necessaria ad solam integritatem, ita ut si desit, sacramentum non sit invalidum sed tantum incompletum.** — Non enim requiritur satisfactio a) ex parte iustificationis, quae cum reatu poenae temporalis est compossibilis ; neque b) ex parte sacramenti, ad cuius essentiam pertinet propositum, non executio satisfactionis. Unde :

1) Poenitentes qui votum satisfaciendi habent, absolvi possunt antequam satisfactionem impleverint, ut constat tum a) ex prop. 5 Petri de Osma, anno 1478 damnata ut catholicae fidei contraria ; et ex prop. 16 damnata ab Alex. VIII, et 35 syn. Pist. damn. a Pio VI, contra Iansenistas qui, rigorosam poenitentialem disciplinam primitivae Ecclesiae instaurare volentes, contendebant non

1. Cfr. Galtier, *de Poenitentia*, n. 480-481.

esse absolvendos poenitentes nisi prius peracta laboriosa et diuturna poenitentia iis iniuncta [1]; tum b) ex praxi Ecclesiae, etiam primitivae in quibusdam casibus, v. g. in periculo mortis (Conc. Nic., can. 13 ; Innoc. I), urgenti persecutione (S. Cypr., ep. 54, n. 25), in periculo ne propter dilationem absolutionis poenitens ad haereticos transeat (S. Cypr., ep. 52, n. 15 ; cfr. 2a ep. Clem[s] et Conc. Ancyr., a. 314, can. 5), in spe ut ex indulgentia plures reversuri sint ad Ecclesiam (ep. Corn. inter Cyprianas 46). Cfr. can. 886.

2) Peccata per absolutionem remissa non redeunt, etiam si voluntarie omittatur satisfactio, sed in hoc casu novum peccatum committitur.

Notetur confessarium, qui adverteret poenitentem esse negligentem in adimplenda satisfactione aut dubitaret de eius legitima dispositione, ut contingere posset in consuetudinariis et recidivis, posse ipsum ad praemittendam satisfactionem, saltem ex parte, adstringere.

540. *Thesis III.* **Confessarius potest et regulariter tenetur iniungere satisfactionem poenitenti.** — Potest, tum quia ex institutione Christi (Mt. XVI et XVIII) habet potestatem non solum solvendi sed et ligandi ad poenam, tum quia operatio sacerdotis in usu clavium est conformis operationi Dei cuius est minister ; Deus autem potest ligare ad poenam. Teneri vero constat, quia sacerdos in hoc tribunali est Dei minister, et poenitentis iudex et medicus. Ut Dei minister, tenetur quantum est ex se, efficere ut sacramentum sit integrum per satisfactionem quae est pars integralis ; ut iudex debet servare aequitatem inter Deum et peccatorem eius peccatum vindicando ; ut

1. Prop. 5a Petri de Osma ita sonabat : « Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia eis iniuncta » ; et 16a damn. ab Alex. VIII : « Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante ». Conferri etiam possunt prop. 17a et 18a ab eodem Alex. VIII damnatae, ac 87a et 88a inter Quesnellianas. Demum doctrina Synodi Pistoriensis sub n. 35, « quatenus innuit... oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem : falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum » a Pio VI declaratur.

medicus debet poenitentis vulnera curare et futura praecavere.

Id definivit Conc. Trid., sess. 14, can. 15, c. 8 : « claves et ad ligandum concessas », non solum « ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem ». Quod valet de casu quo sacerdos poenitentem absolvit, quia si nulla datur absolutio, necesse non est poenitentiam iniungere, cum sacramentum non conficiatur ; quamvis tamen valde utile sit ut poenitens ita melius ad absolutionem praeparetur ac brevior imponi possit satisfactio, quando suam confessionem erit completurus.

Ita *regulariter;* nam *per accidens* non tenetur confessarius satisfactionem iniungere : 1° si poenitens moraliter non potest eam implere v. g. si sit sensibus destitutus vel mente captus, aut morti proximus et simul valde debilis ; quo ultimo casu tamen expedit levissimam poenitentiam imponere, quam ipse sacerdos statim cum poenitente absolvat, ut pectus percutere, invocare nomen Iesu, vel osculari imaginem crucifixi ; — 2° si confessarius ex revelatione divina sciat omnem poenam temporalem poenitentis iam esse remissam ; — 3° si poenitens statim post absolutionem peccatum accusat ex oblivione omissum et iterum absolutionem accipit, saltem si hoc peccatum non mutat substantialiter statum poenitentis : videtur enim ibi non adesse nisi unum moraliter sacramentale iudicium ; in praxi tamen melius est novam etsi levem imponere poenitentiam. Similiter si scrupulosus saepius brevi temporis intervallo redit cum novis culpis ex oblivione omissis et absolvitur, necesse non est novam imponere satisfactionem, quando confessarius iudicat iniunctam iam sufficere pro hac nova absolutione ; — sed melius est non tam frequenter scrupulosos absolvere.

541. Obligatio imponendi satisfactionem per se gravis est. — Sacerdos enim abstinendo ab imponenda satisfactione agit directe contra intentionem Dei, auctoris sacramenti, et ita gravis fit irreverentia sacramento quod manet mutilum ; et grave nocumentum infertur poenitenti qui inde privatur magnis bonis, cum gravioribus poenis temporalibus obnoxius maneat et remedio opportuno contra futura peccata privetur.

Hinc 1° *certo* peccatum mortale est non imponere poenitentiam pro materia confessionis necessaria seu mortalibus nondum declaratis.

Imo 2° *probabiliter* pro materia libera, seu pro venialibus, vel pro peccatis iam declaratis, quia gravis est irreverentia erga sacramentum illud reddere mutilum, ac privare parte integrali ; et quamvis satisfactio non imposita de se sit levis, respectu

sacramenti semper gravis est in ratione irreverentiae. Contrarium tamen ab aliis habetur ut probabile, quia non est grave privare sacramentum parte mere integrali seu complemento in re levi, sicut iudex non deest graviter officio suo qui omittit levem poenam imponere aut complementum levioris momenti. In praxi tamen facile erit mortale, si scienter et sine ratione omittatur, quia facile adesse potest contemptus.

542. **Regulariter ante absolutionem satisfactio iniungi debet.** — Constat ex Rituali Romano et ex Ecclesiae consuetudine, et ceteroquin ordo iudicii postulat ut reus, antequam absolvatur, satisfactionem promittat, quo fiat dignus absolutione. Attamen :

1° Si omissa fuerit, *statim* post absolutionem iniungi *potest et debet*, quia tunc moraliter absolutioni unitur.

2° Quod si advertat poenitens confessarium oblitum esse imponere poenitentiam, debet illam, ne sacramentum incompletum maneat, expostulare sive statim, scilicet ante discessum, sive brevi post, si adhuc commode confessarium possit adire.

3° Si vero hic defectus nonnisi post paucos dies advertatur, in proxima confessione satisfactio imponi *potest*, quae ad peccata in utraque confessione declarata extendatur ; non tamen necesse est cum incertum sit exinde integrari sacramentum incompletum, quia forsan deficit unio moralis inter absolutionem antea datam et impositionem poenitentiae nunc factam. Sed de hoc non sunt inquietandi poenitentes, cum satisfactio in re ad validitatem absolutionis non requiratur.

QUAESTIO SECUNDA.

DE QUALITATIBUS ET DOTIBUS SATISFACTIONIS

Articulus I.

De Satisfactione extrasacramentali.

S. Th., Suppl., q. 13, a. 2 ; q. 14.

543. *Principium I.* **Satisfactio extrasacramentalis debet fieri in statu gratiae ex charitate.** — Opera enim non sunt satisfactoria nisi ex acceptatione Dei ; sed Deus non acceptat nisi opera ipsi grata, ac proinde in gratia ac amicitia eius facta.

Et quamvis debitor possit satisfacere et solvere debitum creditori, sive sit amicus sive non sit, non tamen peccator apud Deum : homines in solutione debiti non considerant nisi externam aequalitatem rei ad rem ; Deus intuetur cor, dispositiones, dignitatem et intentionem operantis. Unde homo tenetur acceptare quantitatem debito aequalem ; Deus non tenetur, sed solum acceptat ab amicis.

Hinc ad satisfactionem apud Deum plures requiruntur conditiones :

A. *ex parte hominis satisfacientis :*

1° ut fiat *in statu gratiae, ex charitate*, ut dictum est ;

2° ut fiat *in statu vitae*, quia post hanc vitam cessat tempus merendi et satisfaciendi ;

B. *ex parte Dei acceptantis*, requiritur

3° *acceptatio ;*

C. *ex parte operis :*

4° quod sit *liberum*, quia est actus humanus ;

5° quod sit *bonum*, quia per malum potius meremur poenam quam illam solvimus ;

6° quod sit *supernaturale*, quia poena retardat a fine supernaturali ;

7° quod sit *poenale*, ut dicetur quaestione sequenti, quod de essentia satisfactionis est potius quam eius conditio. Ad quod ceteroquin non sufficit ut opus de se sit poenosum et hac ratione aptum ad satisfaciendum ; ut de facto sit satisfactorium, oportet in operante adsit intentio satisfaciendi, nam nulla bonitas contrahitur nisi propter se intendatur.

Unde satisfactio extrasacramentalis definiri potest : *poenae temporalis quae post remissam culpam remanet, a poenitente iustificato voluntaria expiatio, per opera poenalia.*

544. **Applicationes.** — Igitur 1° proprie *satisfactoria non sunt :*

a) Opera bona sed pure *naturalia.*

b) Nec a fortiori opera *in actu vel affectu peccati facta.*

c) Nec opera *supernaturalia in statu peccati facta*, etiam pro peccatis actu remissis ; — nisi late et indirecte, quatenus disponere possunt ad maiorem charitatem, ad ampliorem remissionem (q. 14, a. 2) et ad assuefactionem bonorum operum ; « quia tamen hoc meritum non proprie dicitur meritum, ideo magis concedendum est

quod huiusmodi opera non sint alicuius boni meritoria quam quod sint » (q. 14, a. 4).

d) Imo, *nec ista opera valere incipiunt ad satisfactionem, accedente charitate*, quia charitas adveniens non facit quod opera facta, a charitate sint facta et sint Deo grata (q. 14, a. 3), seu quod non viva fiant viva.

e) Opera tamen *bona quorum effectus manet*, possunt valorem satisfactorium acquirere, si effectus postea ex charitate offertur (v. g. debilitas ex ieiunio, substantiae diminutio ex eleemosyna) : quantum ad id quod manet, per poenitentiam Deo acceptata sunt. Sed illa quorum nullus est effectus, v. g. oratio, debent iterari (ad 3).

E contra 2° *satisfactoria esse possunt* opera alias *iam debita et praecepta*[1], non tamen praecepta eodem titulo satisfactionis.

Habere enim possunt opera praecepta omnes qualitates requisitas ad satisfactionem, scil. quod sint libera, bona, supernaturalia et poenalia ; unde et ieiunia Ecclesiae, martyrium, et flagella divinitus inflicta de praecepto sunt servanda aut patienter ferenda, et tamen sunt satisfactoria.

Et quamvis iam debita sint et exigantur a Deo, non tamen ut satisfactoria, sed solum ut bona vel et meritoria : non enim erant debita ut fierent sub tali speciali ratione expiationis et ad talem finem ; quando autem voluntarie assumuntur ut laboriosa et poenalia, et ordinantur in recompensationem poenae peccato debitae, iam praeter id quod debitum est, iis additur, quo fiant satisfactoria. Et ita duplex debitum possumus solvere per unum et idem pretium, sed quod habet duplicem valorem : valorem moralem vel et meritorium ex obiecto et circumstantiis vel ex gratia et charitate, quo implemus debitum praecepti vel voti ; et alium satisfactorium ex poena et labore, quo satisfacimus pro poena temporali peccato debita.

Et quamvis in debitis strictae iustitiae et rebus humanis ordinario per unum et idem pretium duplici debito satisfacere non possimus, ita est quia in iis perfecta aequalitas exigitur strictae iustitiae et quidem *externa* aequalitas rei ad rem, impossibile autem est quod res exterior sit aequalis duplici rei aequivalenti ; sed in debitis quoad Deum non exigitur aequalitas strictae iustitiae, et ideo minus attenditur externa aequalitas rei ad rem, sed magis *interna* dignitas et intentio operantis quam id quod exterius exhibetur, ita quod aliquando solo actu voluntatis, v. g. perfectissimae charitatis, ipsi satisfiat. Ex hoc autem quod quis uni praecepto satisfaciat, nihil de illius dignitate, aut intentione detrahitur ad satisfaciendum alteri praecepto, aut debito poenae, cum unum actum possit ordinare ad diversos fines.

Id tamen non valet, si opus iam debitum sit ut satisfactorium, aut si iniungatur ut tale, quia uno et eodem opere non tantus honor restituitur quam pluribus, nec idem opus valet simul aequari pluribus poenis ipsi aequalibus.

1. Ita Caietanus, Nugno, Suarez, Sylvius, Gonet, Billuart, etc. contra plures veteres ut Capreolus, Paludanus, Sylvester, Soto, Maior.

545. *Principium II.* **Homo non potest satisfacere pro uno peccato mortali et non pro alio, quantum ad culpam seu offensam,** quia non potest tolli offensa nisi per redintegrationem amicitiae Dei ; — sed *potest quantum ad poenam temporalem*, quia unicuique peccato certa mensura poenae temporalis est debita, potestque homo applicare suam satisfactionem pro uno peccato et non pro alio, sicut potest applicare alteri et non sibi (q. 14, a. 1).

546. Utrum unus pro altero satisfacere potest ? — Respondendum est distinctione. Satisfactio enim ordinari potest ad duplicem finem : a) ad solutionem debiti, b) ad medicinam pro vitando peccato futuro ; item c) considerari potest vel ut extrasacramentalis vel ut sacramentalis. Iamvero

A. Unus potest pro altero satisfacere *quantum ad solutionem* debiti poenae pro peccatis commissis (dummodo sit in charitate), uti patet ex dogmate de communione sanctorum. Etenim :

1° Omnes sumus unum in Christo, et multa unius corporis in Christo capite membra, a quo omnia influxum recipiunt. Atqui in corpore humano aliquod membrum non in sui tantum sed et in alterius utilitatem operatur, ut oculus qui videt pro toto corpore. Ergo et in corpore mystico Ecclesiae.

2° Charitas magis potest apud Deum quam apud homines. Atqui unus potest apud homines ex alterius amore debitum eius solvere. Ergo multo magis apud Deum, qui maxime liberalis est, et qui se acceptare satisfactiones ab uno pro alio de facto ostendit in Filio suo qui pro omnibus satisfecit.

3° Hinc dicitur Gal. VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi;* et II Cor. VIII, 14 : *In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas.*

Imo animadvertit S. Thomas (q. 13, a. 2) : qui ita satisfacit pro alio, ex maiore charitate agit in satisfaciendo quam ille qui satisfacit pro se ; ideo minor poena requiritur in satisfaciente

pro alio, quia poena habet vim satisfaciendi ex charitate. Unde quamvis satisfactio pro altero solum de congruo acceptetur a Deo, posita tamen acceptatione, etiam de condigno potest valere, quia potest offerre opus quod ad aequalitatem reddit ex parte pretii seu materiae.

B. Sed si satisfactio consideretur *ut medicina ad praecavendum sequens peccatum*, non potest prodesse alteri (nisi secundum accidens), sicut medicina accepta ab uno non sanat morbum alterius. Ex ieiunio enim unius non domatur caro alterius, nec ex actibus bonis unius alius bene agere consuevit, quasi habitum agendi acquisiverit.

Potest tamen secundum accidens prodesse, quatenus potest aliquis mereri de congruo alteri augmentum gratiae quod est efficacissimum remedium ad evitandum peccatum ; sed hoc est per modum meriti magis quam per modum satisfactionis (q. 13, a. 2).

C. Sacramentalis autem satisfactio uni iniuncta *non potest, in quantum est sacramentalis, ab alio vel per alium impleri*, quia, iuxta concilia Florentinum et Tridentinum, materia sacramenti sunt actus poenitentis qui virtute clavium ad esse sacramenti elevantur. Atqui satisfactio per alium impleta, quamvis sit poenitentis quia eius nomine et ipso petente fiat, simpliciter tamen non est eius actus. Ergo non potest virtute clavium ad esse sacramenti elevari, nec consequenter fieri satisfactio sacramentalis. Unde nullus potest sacramentum alterius complere.

Dicitur : *qua sacramentalis ;* potest enim confessarius uni poenitenti imponere satisfactionem per alium ad eius petitionem exequendam (v. g. peregrinationem, eleemosynam) : tunc opus alterius secundum se, seu ut est ab alio, non erit sacramentale, sed solum ut fit ex petitione poenitentis, seu formaliter ut ab eo imperatum. Et ita ipsa petitio est formale satisfactionis ; opus alterius materiale.

547. *Principium III.* **Sicut iusti in statu viae ex charitate possunt hic in terris satisfacere pro aliis iustis qui sunt in statu viae, ita et possunt satisfacere pro defunctis.** — Nam, ut ait S. Thomas, q. 71, a. 2 :

« Charitas quae est vinculum Ecclesiae membra uniens, non solum ad vivos se extendit sed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt. Charitas enim, quae est vita animae sicut et anima est

vita corporis, non finitur (I Cor. XIII, 8) : *Charitas nunquam excidit.* Similiter etiam mortui in memoriis viventium vivunt. Et ideo intentio vivorum ad eos dirigi potest. Et sic suffragia vivorum mortuis prosunt, sicut et vivis, et propter charitatis unionem, et propter intentionem in eos directam ».

Et sic certissime adiuvari possunt animae purgatorii : « Poena purgatorii est in supplementum satisfactionis quae non fuerat plene in corpore consummata. Et ideo quia... opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem, sive vivus, sive mortuus fuerit, non est dubium quin suffragia per vivos facta existentibus in purgatorio prosint » (a. 6). Et « quamvis animae post mortem non sint simpliciter in statu viae, tamen quantum ad aliquid adhuc sunt in via, in quantum scilicet earum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione. Et ideo... quantum ad hoc quod detineantur ab ultima retributione, possunt ab aliis iuvari, quia secundum hoc adhuc sunt in via » (a. 2, ad 3).

548. **Animadversiones.**— 1) Quamvis unus non possit alteri mereri beatitudinem quae redditur secundum capacitatem, i. e. meritum et dispositionem praesentem videntis : unus enim non disponitur per actum alterius ; potest tamen satisfacere, quia poena temporalis non taxatur secundum praesentem dispositionem debitoris : quandoque enim ille qui nunc est melior habet maioris poenae reatum propter praecedentia peccata. Et ideo nihil prohibet, quantum ad poenae remissionem, quod unus alteri prodest et actus unius efficitur alterius, charitate mediante, per quam omnes unum sumus in Christo, secundum Gal. III, 28 (q. 13, a 2, ad 1).

2) Licet unus pro alio solvere debitum possit, non potest pro alio conteri vel confiteri : contritio enim (et confessio) directe ordinatur contra culpam, quae ad dispositionem bonitatis vel malitiae ipsius hominis pertinet peccantis, et ideo contritione unius alter a culpa non liberatur ; unus scilicet non disponitur per actum alterius. Insuper confessione unius alter non subiacet peccata sua clavibus Ecclesiae ; non potest autem unus sacramentum pro alio accipere, quia in sacramento gratia suscipienti datur, non alii (ad 2).

3) Qui satisfacit pro alio sibi meretur, quia opus bonum facit ex charitate, sed non sibi satisfacit, quia eadem quantitas poenae non sufficit ad utriusque peccatum. Tamen satisfaciendo pro alio sibi meretur aliquid maius quam sit dimissio poenae, scilicet vitam aeternam (ad 3).

4) Satisfactio sacramentalis, in quantum sacramentalis, est ex opere operato et ideo alienari non potest ; sed in quantum est opus ex libero arbitrio procedens et ex opere operantis valorem habens de quo iste disponere potest, potest ordinari ad satisfactionem pro alio, et sic confessarius potest imponere poenitentiam seu satisfactionem in sublevamen animarum purgatorii.

5) Quamvis possimus et debeamus impetrare remissionem

poenarum, id tamen non possumus ordinate nisi mediante satisfactione seu recompensatione adaequata; impetramus scilicet medium ad hoc necessarium, sive satisfactionis sacramentalis ex opere operato, sive satisfactionis ex opere operantis propriae vel alienae, sive satisfactionis indulgentiae ex satisfactionibus Christi aut Sanctorum superabundantibus nobis applicatae ex concessione Ecclesiae. Unde impossibile est alio modo satisfacere pro poena in praesenti vita, sicut impossibile est satisfacere pro culpa nisi mediante contritionis auxilio. Et ideo si impetramus a Deo, id facimus mediante operatione satisfactoria. Sicut quando nobis vel aliis impetramus gratiam seu remissionem, id facimus impetrando poenitentiam et non aliter, ita possumus impetrare satisfactionem seu remissionem poenae, sed impetrando tunc simul opera satisfactoria. Cfr. Nugno, In III^{m}, Suppl. q. 13, a. 1; Suarez, in III^{m}, d. 37, sect. 10.

6) Hinc, sicut non possumus *sola impetratione* nobis obtinere gratuitam remissionem poenae temporalis, ita multo minus pro aliis viatoribus, aut a fortiori pro animabus purgatorii. « Nemo, ait Suarez, in III^{m}, d. 48, sect. 2, potest sibi ipsi impetrare illo modo remissionem gratuitam poenae temporalis; ergo neque alteri poterit 1° quia, ceteris paribus, efficacior est oratio ad impetrandum sibi quam alteri; 2° quia cum habeat aliquid unde solvat, immerito postulat gratuitam remissionem et dispensationem a lege iustitiae, ubi nulla suppetit sufficiens ratio misericordiae ». Unde, si petimus remissionem poenae pro aliis, id facimus secundum ordinem a divina providentia statutum; et ideo non petimus ut per solas orationes fiat sine debita dispositione; sed a) petimus dispositiones, scilicet opera satisfactoria, vel etiam orationes ut opus satisfactorium pro iis offerimus: orationes enim etiam sunt satisfactoriae, unde et aliis operibus satisfactoriis connumerari solent; b) etiam petimus ut Deus opera satisfactoria benigne acceptet aut illa defunctis applicet: quamvis enim ita statuerit, etiam statuit ut a nobis postularetur.

Articulus II.

De Satisfactione Sacramentali.

S. Th., Suppl., q. 8, a. 7; q. 18, a. 4; q. 14, a. 3, ad 1.

549. *Principium.* **In sacramento Poenitentiae satisfactiones secundum quantitatem et qualitatem iniungendae sunt, pro qualitate criminis ut reparandi, et pro poenitentium facultate convenientes.** — *Certum* est ex Conc. Trid., sess. 14, c. 8:

« Debent ergo sacerdotes Domini quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere; ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur » (Cfr. can. 887).

Sacerdos itaque non potest satisfactionem iniungere ad libitum, sed secundum rationabile arbitrium prudentia et divino instinctu regulatum, attentis variis circumstantiis negotiorum et personarum, i. e. quantitate et gravitate criminum, ac qualitate et dispositione poenitentis, debet illas taxare et imponere. Satisfactiones enim ordinantur *ad debitum solvendum* et *ad remedium praestandum;* et ideo sunt tum *vindicativae* ad punienda et expianda peccata praeterita, tum *medicinales* non solum pro sanandis praesentibus vulneribus sed et pro cavendis futuris. Unde dicere solent quod poenitentia debet esse: *vindicativa* pro peccatis *praeteritis* in eorum vindictam et castigationem; *medicinalis* pro *praesentibus* peccati reliquiis tollendis in infirmitatis medicamentum; *praeservativa* pro *futuris* peccatis cavendis in novae vitae custodiam. Iamvero si consideretur *ut poenae solutio*, quodlibet opus poenale aptum est ad satisfaciendum pro poena cuilibet peccato debita, non eo sensu quod in quantitate sit aequale, sed quod quaelibet species poenae sufficiat; unde sicut una contritio omnia delet, ita eadem poena honor Dei restituitur. Sed si consideretur *ut medicina praeservans* et curans et expellens vitia, convenit et aliquando debet esse satisfactio diversa secundum diversa peccata, quia contraria vitia contrariis virtutibus expelli debent; quamvis tamen oratio generalem influxum habeat et aliquomodo medicina sit omni malo morali.

Probatur: In sacramento Poenitentiae ad destructionem peccati instituto et ad emendationem peccatoris, poenae non solum ordinantur ad debitum solvendum sed et ad remedium praestandum. Atqui non idem remedium datur omnibus infirmis, sed varium secundum diversam infirmitatem; imo nec idem etiam aequaliter infirmis semper est praestandum, sed secundum dispositionem infirmi. Ergo nec eadem satisfactio poenae est semper imponenda, sed secundum naturam peccati et secundum dispositionem peccatoris.

« Quia poenae satisfactoriae infligendae, medicinae sunt, sicut medicinae in arte determinatae non omnibus competunt, sed variandae sunt secundum arbitrium medici non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinae; ita poenae satisfactoriae in canonibus (antiqui iuris) determinatae non competunt omnibus, sed variandae sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem quae ad morbi curationem sufficiat, ne propter debilitatem naturae maius periculum oriatur, ita sacerdos, divino instinctu motus, non semper totam poenam, quae uni peccato debetur, iniungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine poenae desperet, et a poenitentia totaliter

recedat » S. Th., q. 18, a. 4; cfr. q. 9, a. 2 supra cit. n. 521.

Confirmatur: Idem peccatum aliquando difficilius vitatur in uno quam in alio, puta in iuvene quam in sene, aut est periculosius, v. g. in sacerdote quam in laico. Et multitudo potest esse magis prona ad minus peccatum, a quo per poenam est deterrenda, quam ad aliud gravius. Audiatur S. Thomas, q. 8, a. 7: « Poena post dimissionem culpae exigitur ad duo, scil. ad debitum solvendum, et ad remedium praestandum. Potest ergo taxatio poenae considerari quantum ad duo: primo quantum ad debitum, et sic quantitas poenae radicaliter respondet quantitati culpae, antequam de ea aliquid dimittatur »; sed postquam dimissa est culpa per contritionem (vel et absolutionem), « quanto per contritionem dimissum est, tanto... per confessionem (in qua satisfactionis poena imponitur) minus dimittendum restat. Secundo quantum ad remedium vel illius qui peccavit, vel aliorum; et sic quandoque pro minore peccato iniungitur maior poenitentia, vel quia peccato unius difficilius potest resisti quam peccato alterius, sicut iuveni imponitur pro fornicatione maior poena quam seni, quamvis minus peccet; vel quia in uno peccatum est periculosius, sicut in sacerdote, quam in alio; vel quia multitudo magis prona est ad illud peccatum; et ideo per poenam unius alii sunt exterrendi. Poena ergo in foro poenitentiae quantum ad utrumque taxanda est. Et ideo non semper pro maiori peccato maior poena imponitur ».

550. Applicationes. — Hinc *satisfactiones debent esse proportionatae:*

1) *Gravitati criminum:* ad hoc enim confessarius tenetur ut iudex et medicus. Unde:

a) Peccat ille qui, absque iusta causa excusante, levem iniungit poenitentiam pro peccatis certo mortalibus; et hoc peccatum est grave ex genere suo, quia, ut ait C. Trid., levissima opera gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum particeps efficitur et peccatis connivet. Et ideo graviter errant qui omnibus indiscriminatim aliquot *Pater* et *Ave* iniungunt, etiam v. g. pro multis peccatis carnalibus, non cogitantes an poenitentia peccatis sit proportionata, an medicinalis, cum sic praebeant ansam licentiosius peccandi.

En *regula generalis* quae multas tamen fert exceptiones, v. g. si quis post unum peccatum mortale statim conterit, vel tantum unicum mortale per longum tempus commisit, facile aderit contritio magna quae ratio esse potest non imponendi poenitentiam gravem; similiter si peccata sunt dubie gravia, sive obiective sive subiective, non requiritur gravis satisfactio, cum in dubio odiosa sint restringenda.

b) Si peccata mortalia multiplicantur vel augentur, etiam regulariter gravior iniungi debet poenitentia, et ea gravior quo plura et graviora sunt peccata [1]; non tamen proportione arithmetica, quae duceret ad poenitentias moraliter impossibiles.

c) Nec proportio debet esse *perfecta*, ita ut imponatur ea poenitentia quae sufficiat ad obtinendam a Deo integram remissionem poenae quae sustinenda supersit, nam qualis haec sit, nos prorsus latet. Neque hodie ab Ecclesia, sicut olim, determinata est poenarum taxa.

Iuxta hodiernam disciplinam, gravis censetur poenitentia quae respondet operi quod, ratione oneris seu quantitatis, sub gravi ab Ecclesia imponitur vel imponi potest, v. g. missam semel audire, ieiunare, recitare rosarium, imo et tertiam rosarii partem, officium B. M. V. legere, vel septem psalmos poenitentiales, litanias Omnium Sanctorum cum sequentibus orationibus, viam crucis obire, meditari vel pium librum legere per quadrantem [2]. Levis autem poenitentia censetur psalmus *Miserere* vel unus e consuetis psalmis, litania Lauretana, vel Nominis Iesu, aut Sacratissimi Cordis, actus fidei, spei et charitatis, quinquies Pater et Ave. Attamen poenitentia *in se* levis potest fieri gravis, si poenitens non semel sed pluries eam recitare debet, v. g. quinque Pater per octiduum.

2) *Quantitati poenae quae solvenda manet:* posito enim quod contritio vehementior fuerit, eo ipso minuitur poena temporalis solvenda, ideoque minor potest esse poenitentia; quin tamen concludi possit ob contritionem valde intensam, nullam esse iniungendam poenitentiam, quia nunquam certum est nullam remanere poenam temporalem, nec potest minister se exponere periculo mutilandi sacramentum. Hinc:

a) Levior iniungi potest satisfactio tempore iubilaei vel occasione indulgentiae plenariae lucrandae, quia indulgentiis extinguitur vel minuitur temporalis poena; quin tamen sit ratio sufficiens omittendi omnem impositionem, quia mancum non debet remanere sacramentum: ita Bened. XIV, Const. *Inter praeteritos*, 3 dec. 1749, et Leo XII, Const. *Caritate Christi*, 25 dec. 1825.

1. « Ergo *per se* non sufficit pro pluribus peccatis gravibus poenitentiam simpliciter gravem (v. g. rosetum) iniungere ». Noldin, *Th. M.*, III, n. 300, 2°.

2. Diximus: *ratione oneris seu quantitatis;* hinc parva hora non est poenitentia gravis, quia in officio praescribitur sub gravi, ratione *qualitatis.*

b) Item si confessarius pro poenitente, ieiunio vel aliis poenalibus operibus velit satisfacere : quamvis enim talis satisfactio minus valeat quam satisfactio sacramentalis quae operatur ex opere operato, potest plus valere ex parte operis operantis, quia maiora fiunt opera aut ex maiore charitate.

3) *Facultati poenitentium*, secundum prudentem confessarii aestimationem, i. e., ut ait Rit. Rom., tit. 3, c. 1, n. 19, « habita ratione status, conditionis, sexus, aetatis, dispositionis poenitentium », a. v. iuxta eorum vires et dispositiones, secundum prudentem confessarii aestimationem mensurandas. Melius est enim imponere leviorem satisfactionem quae libenter et perfecte adimplebitur, quam imponere maiorem quae negligenter aut defectuose persolvitur. — Sit ergo :

a) Secundum *vires* poenitentis. Ita *aegrotis* levis poenitentia iniungenda est quia graviorem adimplendi capaces non sunt [1] ; imo si sint valde debiles, confessarius laudabiliter eos adiuvat ad statim poenitentiam adimplendam (recitando v. g. eam cum ipsis) ; quod si spes affulgeat recuperandae sanitatis, suggerit Rit. Rom., n. 26, ut aliud opus iniungatur *conditionate*, si convaluerint, perficiendum. — Item tamquam viribus poenitentis non proportionatae ordinarie non sunt iniungendae poenitentiae *incongruae :* sive *diuturnae*, ad dimidium anni vel ultra, aut in perpetuum, quia tales poenitentiae anxietatem generant et post aliquod tempus in oblivionem facile cadunt [2] ; et si saepius a variis confessariis imponerentur, innumeris ligarent vinculis ; — sive *manifestae* (saltem pro peccatis occultis), quae scil. adimpleri nequeunt quin suspicio peccati gravis et ita indirecte revelatio confessionis oriatur (v. g. abstinentia a carnibus, vel potus in aqua pro filiisfamilias, ieiunium per tres dies pro uxore, via crucis pro illo qui nunquam instituit, abstinentia a sacra communione quando omnes communicant, et alia quae admirationem et suspicionem excitant) ; — sive *inusitatae*, moventes admirationem populi (v. g. recitare quinque Pater et Ave in medio ecclesiae brachiis extensis, vel viam crucis instituere, ubi talia fieri non solent) ; — sive *naturae repugnantes*, uti lingua signare crucem in terram, invisere inimicos, pueris veniam petere a parentibus, vel aliis, ob inobedientiam, irreverentiam, furtula ; — sive *nimis onerosae*, ut ingressus in religionem, matrimonium, et quae ludibrio exponunt ; item vigiliae vel ieiunia vel corporis afflictiones adolescentulis, infirmis, rusticis vel opificibus continuo labore defatigatis ; aut peregrinationes, prolixae preces, elee-

1. Potest tamen confessarius ipsis iniungere eleemosynam per mandatarium faciendam, si convenienter fieri possit.

2. Aliquando tamen tales poenitentiae, graves et diuturnae, sunt imponendae, ratione reservationis censurae vel peccati, quam Ecclesia non intendit levare nisi imposita tali gravi et diuturna poenitentia.

mosynae, illis qui sub potestate constituuntur : uxori, famulis, ancillis, vel pauperibus qui iugi labore victum sibi comparant ; — sive *implicatae*, multis diversis operibus constantes, quia oblivioni dantur. Hinc, si praescribitur recitatio orationis per aliquot dies, expedit monere ut si uno die omiserit poenitens, possit subsequenti die supplere, ut ita vitentur anxietates.

b) Secundum *dispositiones* poenitentis, ubi attendendum est tum ad periculum scandali vel relapsus, ne levior imponatur poena, tum ad modum quo poenitens satisfactionem sit accepturus et impleturus, ne iniungatur gravior, quam probabiliter non accipiet vel non perficiet. Cum hoc sacramentum magis institutum sit ad procurandam hominum salutem quam ad satisfaciendum divinae iustitiae, si uterque finis obtineri nequit, negligendus est secundarius, ut obtineatur poenitentis salus. Ad rem S. Thomas, l.c. supra e q.18, a. 4; et Quodl. III, q. 13, a. 28 : « Videtur satis conveniens, quod sacerdos non oneret poenitentem gravi onere satisfactionis, quia sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facili extinguitur, ita posset contingere quod parvus effectus contritionis in poenitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante ».

Hinc nunquam imponatur satisfactio quae praevidetur poenitenti *omnino* repugnare ; imo aliquando iuvat eum interrogare an possit (aut velit) poenitentiam sibi impositam peragere ; alioquin eam confessarius minuet vel mutabit. Ita fecerunt SS. Franciscus Salesius et Carolus Borromeus. Experientia enim constat, ait S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 510 (scribens aetate qua multi confessarii valde magnam adhuc imponebant poenitentiam), multos a confessione deterreri timore nimiam poenitentiam accipiendi.

551. Causae minuendi satisfactionem sunt :

a) *Ex parte poenitentis :* 1) *Infirmitas* sive *corporalis* (ad quam pertinet debilitas mentis) ex qua fit ut nonnisi aegre proportionatam poenitentiam implere possit, — sive *spiritualis* ex qua prudenter timetur, ne poenitens maiorem poenitentiam non sit accepturus, vel acceptam non impleturus, aut sit a confessione deterrendus, ita ut gravior poenitentia sit potius nocitura animae poenitentis quam profutura : tunc expedit ut opus liberum quod iam sit impleturus elevetur in poenitentiam, vel ut praeter leve opus supererogatorium iniunctum, addatur aliud quod sit iam aliunde praeceptum v. g. missae auditio in die dominica, ieiunium vel abstinentia a carnibus in vigilia, vel ut opus imponatur implendum durante opere iam praecepto v. g. rosetum dicendum sub missa cui poenitens mox interesse debet.

2) *Extraordinaria contritio* qua poena luenda minuitur, aut magna satisfactio iam ante confessionem impleta (in statu gratiae), aut etiam consuetudo multis bonis operibus vacandi quibus pro peccatis satisfiet ; — nisi tamen poenitentia ut medicina sit necessaria.

3) *Spes fundata specialis boni maioris* aut specialis utilitatis, v. g. alliciendi poenitentem ad saepe confitendum seu ad frequentem sacramentorum usum.

b) *Ex parte confessarii :* 4) *Voluntas pro poenitente satisfaciendi* seu poenitentia heroice pro ipso suscepta.

c) *Ex parte Ecclesiae :* 5) Iubilaeum vel alia *indulgentia* plenaria a poenitente nunc lucranda, per quam poena peccato debita integre solvi possit ; item indulgentiae etiam non plenariae, si poenitens sit sedulus in illis lucrandis ut contingit illis qui, adscripti confraternitatibus, fideliter implent opera praescripta.

Quibus variis in casibus expedit monere poenitentem de insufficientia operis praescripti (vel et de causa ob quam opus levius iniungatur), ut voluntarie aliis modis satisfaciat et ne leviora putet peccata sua. « Sacerdos, monet S. Thomas, Quodl. III, q. 13, a. 28, poenitenti indicet quanta poenitentia esset sibi pro peccatis iniungenda ».

552. Opus per modum satisfactionis iniungendum potest esse quodlibet opus bonum et supernaturale. — Ideo per se imponi potest :

a) Opus *sive externum, sive mere internum* (v. g. meditatio, actus interni fidei, spei, charitatis, examen conscientiae) quod, licet ab auctoritate humana praescribi non valeat in regimine societatis seu foro externo, bene tamen in foro interno conscientiae ubi sacerdos non humanam sed divinam auctoritatem exercet ministerialiter.

Ceteroquin opus mere internum efficitur sensibile per impositionem sacerdotis et poenitentis acceptationem ; — attamen minus convenit rudibus et indoctis quibus actus interni sunt difficiliores ; imo generatim praeferenda sunt opera externa quia magis laboriosa ideoque ceteris paribus magis satisfactoria, et quia sacramento quod natura sua signum sensibile est, magis conveniunt.

b) Opus *sive privatum, sive publicum,* quamvis hoc ultimum non sit imponendum pro peccatis occultis, si ideo periculum oriatur manifestandi peccatum grave fuisse accusatum, ut dictum est n° 550.

Unde ait Rituale, tit. III, c. 1, n. 22 : « pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponant ». Pro peccatis publicis tamen aliquando reparatio publica est praescribenda si scandalum aliter reparari non possit ; at non debet necessario imponi tamquam satisfactio sacramentalis.

c) Opus *sive supererogatorium* seu liberum, *sive* alias iam *debitum et praescriptum :* opus enim praescriptum ex natura sua satisfactorium esse potest, et ad efficaciam satisfactionis sacramentalis potestate clavium elevari. Unde sicut opus praescriptum et ex voto debitum duplex habet meritum, ita opus praescriptum et pro poenitentia iniunctum ; et ideo si tale opus iniungitur, v. g. auditio missae die dominica, eius omissio duplex specie erit peccatum, scil. trangressionis legis et omissionis poenitentiae, quia duplex violatur praeceptum : unum generale per modum legis impositum, et alterum particulare per modum mandati.

Ita imponi potest in satisfactionem obligatio restituendi, reparandi, remittendi, etc. ; ita si quis sit negligens in adimplendis praeceptis Ecclesiae imponi potest impletio in uno die (v. g. ieiunium in vigilia), aut ad tempus ut per mensem vel usque ad proximam confessionem (v. g. auditio missae, abstinentia a carnibus) ; si negligens sit in persolvendis poenitentiis potest imponi suppletio ; item poenitentibus piis opera ex confraternitate praescripta, vel opera facere solita, ut preces quotidianae fideliter vel exactius peragantur. Imo praescribi potest *cessatio ab opere bono,* non quasi cessatio sit bona in se, sed quatenus occasionem praebeat virtutem exercendi, et experimentum sit obedientiae vel humilitatis ; — nisi tamen abstinentia indirecte manifestaret confessionem.

Ordinario tamen non expedit opera iam praescripta iniungere, nisi ob *singularem* fragilitatem vel occupationem poenitentis, quo casu generatim addatur leve opus liberum, v. g. auditio missae imponatur *cum concione* aut cum prece. Sed opera libera sunt iniungenda, tum ut poenitenti occasio praebeatur plura bene operandi, tum quia plus exigi debet ab eo quam ab innocente, tum ut sentiat peccati pondus et vindictam ; unde opus per modum satisfactionis impositum non censetur esse idem ac illud quod iam lege praescribitur, nisi id expresse declaretur a confessario, v. g. si iniungatur missae auditio, poenitens tenetur missam audire non praeceptam.

d) Opus *sive absolute, sive conditionate adimplendum*, sub conditione v. g. sanitatis restitutae, aut relapsus, saltem si simul alia poena praescribitur. Ita v. g. si iterum blasphemes, talem orationem dices ; si iterum te inebrieris, ieiunabis, etc., sed tantum ad tempus, vel ad aliam confessionem.

Unde etiam iniungi potest opus *disiunctive* ita ut optio detur inter duo, v. g. inter opus grave vel levius : « sicut potest sacerdos iniungere satisfactionem poenitenti ex arbitrio alieno, ita potest ex arbitrio ipsius poenitentis, sicut si dicas : fac hoc si potes, et si non potes, facias hoc » S. Thomas, Quodl. III, q. 13, a. 28.

e) Opus *pro seipso*, vel *pro vivis*, vel et *pro defunctis*, quod ultimum est eximium opus charitatis, ut ait Cat. Conc. Trid., p. 2, c. 5, q. 74. In altero casu, effectus impetratorius provenit aliis, satisfactorius redit ad poenitentem. In tertio casu, sicut supra dictum est : « defunctis applicat valorem sui operis ex opere operantis, de quo disponere potest ; valor autem operis ex opere operato sibi manet, utpote quem pro suo arbitrio sibi alienare non potest ».

Ita Billuart, de Poen., diss. IX, a. 5 in fine, conformiter ad Quodl. III, q. 13, a. 28. Aut etiam dici potest cum S. Alphonso, Th. M., l. VI, n. 514, satisfactio operis datur defunctis, satisfactio voluntatis bonae manet poenitenti. Unde etiam *opera* imponi possunt *quibus conceditur indulgentia*, adeo ut poenitens eodem opere satisfactionem et conditionem indulgentiae impleat : ista enim non sese excludunt, ut iam certum est ex resp. S. C. Indulg., 14 iunii 1901 et ex can. 932. « Non tamen convenit, ait Noldin, Th. M. II, n. 303, ut loco gravis poenitentiae iniungatur opus in se leve cui adnexa est indulgentia, quia ex Conc. Trid. per se iniungi debent opera peccatis proportionata ».

553. Convenit imponere satisfactiones congruas medicinales. — Ut satisfactio non solum sit vindicativa peccati praeteriti, sed et medicinalis ad praecavenda peccata futura, *praestat iniungere poenitentias congruas* morali indoli poenitentis et peccatorum reparandorum naturae, ac certis vulneribus aptiora remedia : ab imposito enim opere multum pendet fructus poenitentiae bonumque poenitentis.

Porro poenae medicinales multiplicis sunt generis :

a) Aliae *vim occasionis aut tentationis minuunt*, ut fuga otii vel personae allicientis ad peccandum, novissimorum consideratio, et aditus confessarii ante periculum statis intervallis recurrens.

b) Aliae *extenuant vim concupiscentiae et passionis*, ut variae mortificationes interiores et exteriores.

c) Aliae *vires spirituales augent*, ut oratio ; frequens invocatio Christi, S. Cordis, B. M. V., Angeli custodis ; actus fidei, spei et charitatis frequenter renovati ; visitatio SS. Sacramenti ; eleemosynae ; contritio et propositum magno animo renovata, v. g. mane ante crucifixum et vespere in examine conscientiae ; stipulatio poenitentiae in casu relapsus, etc.

Quia autem contraria contrariis curantur, secundum Rituale rom. l. c.[1], valde salutares sunt poenitentiae peccatis directe oppositae ; atque utile remedium ut in materia, in qua quis commisit illicita, abstineat a licitis. Non quasi pro singulis peccatis diversa poenitentia esset iniungenda, sed ut pro peccato in quod poenitens saepe relabitur, quantum fieri potest, contraria poenitentia iniungatur : ita v. g. blasphematoribus orationes imponuntur congruae, et pro peccatis sensualitatis ieiunia, cilicia, aut flagellationes. Itaque convenienter praescribuntur

1° *superbis :* attenta consideratio propriae miseriae et infirmitatis ac frequentis relapsus ; item meditatio sententiae Apostoli (I Cor. IV, 7) : *Quid habes quod non accepisti ?;*

2° *divitibus avaris vel iniustis :* eleemosynae, simul cum meditatione mortis quae ab omnibus separat, aut paupertatis Christi ;

3° *luxuriosis :* occasionum fuga, corporis et sensuum mortificatio, carnis afflictiones ac ieiunium, otiositatis fuga, subtractio commoditatis in lecto, diuturno somno, delicatiore victu, etc., frequens consideratio poenarum inferni, oratio ad B. M. V. ;

4° *gulosis et ebriosis :* subtractio aliqua cibi et potus, abstinentia a potu inebriante, fuga cauponarum, vel sociorum quibuscum inebriari solent ;

5° *invidiosis et odio laborantibus :* reparatio damnorum quae aliis intulerunt, consideratio motivorum charitatis, et contumeliarum quibus Christus fuit affectus, opera charitatis erga proximum quem aversantur, ut pro illo orent, illum honore praeveniant, aut iuvent ;

6° *iracundis :* ut ira moti, per aliquod tempus taceant, ut irae occasiones vitent, superbiam quae ad iram movet mortificent, et mala ex ira consecutura considerent ;

7° *pigris et acediosis :* consideratio brevitatis vitae ac necessitas, dum tempus est, bene operandi ; assiduitas et perseverantia in quibusdam precibus per aliquod tempus recitandis, maior co-

1. « Curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias iniungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis ieiunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem et serius confitentibus vel in peccata facile recidentibus, utilissimum erit consulere, ut saepe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus, confiteantur, et si expediat, communicent » n. 20.

natus in labore aut devotione per duos aut tres dies ; aut secessus ad exercitia spiritualia ;

8° *habituatis et recidivis:* satisfactio aliquo tempore protrahenda, nam actus repetiti habitus malos fortius expugnant, et detestationem peccatorum renovandam fovent.

554. Monita practica. — Quoad praxim, *in impositione poenitentiae incedendum est media via inter utrumque extremum nimii rigoris et nimiae laxitatis, ita ut non nimis levem imponat confessarius, nec nimis gravem ac facile omittendam.* Magis tamen sectanda est misericordia quam severitas, tum quia sacramentum est tribunal misericordiae, non irae, tum quia prius respiciendum est bonum poenitentis, quam vindicatio divinae iustitiae, quae ceteroquin in purgatorio continuari poterit : maior scil. ratio habenda est peccatoris quam peccati. Unde in dubio de necessitate aut opportunitate gravioris poenitentiae, benignior pars potius est eligenda [1].

« Sacerdos, ait S. Thomas, in IV Sent., dist. 20, q.1, a. 2, qc. 2, ad 3, minorem condigno poenitentiam iniungens non semper peccat... quia quandoque etiam ex industria minorem poenitentiam imponens, plus prodest poenitenti quam noceat, qui forsan magnitudine poenae posset a poenitentia purganda impediri propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatae ; et ideo negligit minus damnum ut maius evitet ». Attamen :

1° Ne principia oblivioni tradantur, ita ut nunquam vel rarissime magna imponatur poenitentia, quia nimia laxitas non sufficienter abducit a peccato, sed e contra in consuetudine peccandi facit perseverare, uti experientia nimiae benignitatis probavit. Quod iam agnoscunt hodie patroni scholae benignioris, ut P. Vermeersch, Th. M. III, n° 501.

2° Unde ita disponendi sunt poenitentes, ut poenitentiam moderate gravem libenter acceptent.

3° Quae facilius acceptatur, si imponatur ad intentionem quae poenitenti erit grata, ut oratio pro defunctis familiae aut pro liberis, eleemosyna pro benedictione aut prosperitate familiae, etc.

4° Nec obstat timor inculpatae oblivionis pro poenitentia longiore : melius est ut poenitentiae quam gravitatis peccati sui peccator fiat immemor.

5° Denique nimis uniformiter ad quamdam precum recitationem satisfactio iam redigitur ; quem morem prudenti et constanti conatu corrigendum esse censet P. Vermeersch, l. c.

6° A fortiori, non recte procedunt qui sine ulla discretione omnibus semper eamdem fere poenitentiam imponunt (ibid.).

1. Cfr. Instr. S. C. P. F., 3 oct. 1736.

QUAESTIO TERTIA.

DE IMPLETIONE SATISFACTIONIS SEU DE OPERIBUS SATISFACTORIIS.

S. Th., Suppl., q. 15.

555. *Principium I.* **Omnia et sola opera bona et poenalia possunt esse satisfactoria.** — Etenim, ut opus sit vere satisfactorium, debet praeteritam offensam reparare et a culpa futura praeservare. Id autem faciunt omnia et sola opera poenalia. Ergo. Nam :

1) *Compensant offensam Deo irrogatam:* quamvis enim Deo quantum est ex parte eius proprie nihil subtrahi possit, peccator tamen, quantum in ipso est, aliquid honoris subtraxit peccando, dum plus iusto sibi tribuit, propriae voluntati nimis indulsit, et de bono creato nimis delectatus est plus quam oportet. Unde ad compensationem, i. e. ad aequalitatem restituendam, oportet aliquid subtrahi a peccante in honorem Dei [1] ; et ideo oportet ut opus satisfactorium non solum sit bonum in honorem Dei, sed et poenale. Opus enim bonum in quantum tale non subtrahit aliquid ab operante sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi poenale sit, quo aliquid peccatori subtrahatur, et ipse contra naturalem inclinationem propriae voluntatis aliquid patiatur, aut a bono creato (utili vel delectabili) privetur. — Quod si opus esset bonum et non poenale, esset solum meritorium, non satisfactorium.

2) Opera poenalia etiam *a culpa futura praeservant,* quia non facile homo ad peccata redit ex quibus poenam expertus est. — Nec dicatur Deus non delectari in poenis nostris ; non delectatur quidem in ipsis in quantum sunt poenae, sed in quantum sunt iustae (q. 15, a. 1 ; cfr. III, q. 86, a. 4).

In praesenti statu naturae lapsae vix potest esse aliquod opus

1. « Recompensatio offensae importat adaequationem, quam oportet esse eius qui offendit, ad eum in quem offensa commissa est. Adaequatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem, ab uno qui plus habet iusto, et additionem ad alterum cui subtractum est aliquid » q. 15, a. 1.

bonum quod non sit aliquo modo poenale, arduum et laboriosum, scil. afflictionem carnis habens et carentiam maioris delectationis : cum enim sponte ad creaturas tendamus et ad sensibilia ac terrena, quando, *durante quodam tempore*, agimus supernaturaliter propter Deum, opus difficile et quidem afflictivum et poenale efficimus. Quod a fortiori verum est, si opus faciendum nobis iniungatur.

556. Praecipua opera satisfactoria sunt eleemosyna, ieiunium, et oratio. — Ad haec omnia alia reduci possunt, nam :

1) Satisfactio debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahimus in honorem Dei. Atqui non habemus nisi tria bona, scil. bona animae, bona corporis, et bona fortunae ac externa. Ex bonis fortunae subtrahimus aliquid per eleemosynam, ex bonis corporis per ieiunium, ex bonis animae nihil subtrahendum quoad essentiam quia his sumus Deo accepti, sed eorum usus est subtrahendus per orationem qua facultates nostras submittimus Deo.

2) Satisfactio peccatorum causas excidit. Tres autem sunt peccatorum radices, scil. concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae. Atqui contra concupiscentiam carnis ordinatur ieiunium, contra concupiscentiam oculorum eleemosyna, contra superbiam oratio.

3) Satisfactio debet peccatorum suggestionibus aditum non indulgere. Sed tria sunt peccatorum genera : peccatum enim committitur vel in Deum, vel in proximum, vel in nosipsos. Contra peccata in Deum ordinatur oratio ; contra peccata in proximum eleemosyna ; contra peccata in nos ieiunium (q. 15, a. 3).

Hisce addi debent *flagella*, i. e. *mala et adversitates praesentis vitae*, quae pro peccatis a Deo infliguntur vel permittuntur (Conc. Trid., sess. 14, c. 9, can. 13) : haec si fiant aliquo modo ipsius patientis, in quantum ea voluntarie acceptat ad purgationem peccatorum, vim satisfactoriam obtinent. Et sane laboriosius est velle poenam quae de facto infligitur quam illam quae voluntarie eligitur (q. 15, a. 2).

557. Animadversiones. — 1ª) Ne concludas opus ex maiore charitate factum tanto minus esse satisfactorium, eo quod minus sit poenale. Quamvis enim minus poenale sit et afflictivum ex parte subiecti, non tamen obiective et in se. Unde S. Thomas, q. 15, a. 1, ad 2 : « Sicut in satisfactione consideratur poenalitas, ita in merito consideratur difficultas. Diminutio autem difficultatis, quae est ex parte actus (seu obiecti), diminuit ceteris paribus meritum ; sed diminutio difficultatis ex promptitudine voluntatis non diminuit meritum, sed auget. Et similiter diminutio poenalitatis ex promptitudine voluntatis quam facit charitas non diminuit efficaciam satisfactionis sed auget ».

2ª) Omnia opera poenalia et satisfactoria facile reducuntur ad tres classes praedictas. Quia ieiunio satisfit in quantum per ipsum auferuntur bona corporis, per quod afflictio causatur, et quaecumque afflictio causatur per subtractionem alicuius boni ipsius, ideo « quidquid ad afflictionem corporis pertinet totum ad ieiunium refertur ; et ob similem rationem quidquid in proximi utilitatem expenditur totum eleemosynae rationem habet ; et similiter quaecumque latria exhibetur Deo orationis accipit rationem ; et ideo etiam unum opus potest habere plures rationes satisfaciendi » (q. 15, a. 3, ad 5), e. g. cum quis Deum orat pro proximo, et cum quis carnem affligit pro alio.

3ª) Itaque a) sub nomine *eleemosynae* comprehenduntur omnia misericordiae opera sive corporalia sive spiritualia : corporalia v. g. pecuniam, cibum, vestimentum praebere indigenti, visitare pauperem, vel infirmum, vel captivum eique vel minimum auxilium ferre ; spiritualia v. g. moestos consolari, anxiis et sollicitis familiis consilium praebere, ignorantem vel paucis verbis erudire, delinquentem vel unica vice corrigere, iniurias condonare, aliorum defectus patienter ferre, pro aliis orare. — Quoad eleemosynam pecuniariam, ne avaritiae suspicionem incurrat, confessarius non imponat missas a se celebrandas, nec impositas pro se acceptet, nec eleemosynas a se distribuendas vel suis obventuras. « Poenitentias pecuniarias, ait Rituale, n. 21 sibi ipsis confessarii non applicent ; neque a poenitentibus quidquam tamquam ministerii sui praemium petant vel accipiant ».

b) Nomine *ieiunii* intelligitur omnis actus mortificationis sive internus sive externus. Tale est ieiunium proprie dictum et integrum (quod tamen hodie frequenter imponere non expedit) ; subtractio alicuius partis, praesertim delicatae, in ientaculo, prandio vel coena ; abstinentia a carnibus certo die ; privatio cibi vel potus extra ientaculum, prandium et coenam ; privatio totalis potus inebriantis (per breve tempus) ; moderatio in somno vel recreationibus, imo et abstinentia a ludo, venatione, conviviis, a choreis vel spectaculis, ab inutilibus et periculosis colloquiis ; mortificatio (per certum tempus) vanae curiositatis, in visu, auditu, in legendis libris vel foliis publicis ; citius e lecto surgere ; certo tempore silentium servare ; afflictiones carnis per cilicia vel flagellationes; genibus flexis vel brachiis extensis se tenere; terram deosculari ; interiores actus obedientiae, humilitatis, charitatis erga inimicos, etc. ; — tandem *patientia*, per tempus determinatum, pro illis qui multum laborant aut acerbos dolores sentiunt, vel persecutionem patiuntur, quibus expedit actus resignationis suggerere v.g. *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum ;— Non mea voluntas sed tua fiat ; — Pro te, o Iesu, pati et contemni.*

c) *Orationis* nomine intelligitur omne opus religionis et pietatis quod spectat cultum Dei, scil. tum *preces proprie dictae*, v. g. quinque Pater et Ave ; ter Ave Maria mane et vespere ; Angelus Domini ; actus fidei, spei et charitatis recitati ; actus doloris vespere elicitus ; rosarium ; litaniae variae ; quidam psalmi vel hymni ; Officium vel pars Officii ; Officium B. M. V. ; sacrificium Missae ; preces novendiales in honorem Sanctorum ; orationes iaculatoriae toties per diem ; — tum *orationes mentales*, ut parva meditatio de novissimis vel de passione Domini ; pia lectio alicuius capitis Scripturae, vel libri de imitatione Christi, vel alius ; oblatio sui et omnium actionum et dolorum mane et aliquoties per diem ; renovatio boni propositi ; — tum *praxis* quaevis pietatis, uti sunt visitatio B. V. et efflagitatio ab ea perseverantiae ; exercitium viae Crucis ; auditio concionis ; per grinatio ; frequens sacramentorum receptio ; confessio sacramentalis statim post lapsum vel statuto tempore facienda.

558. *Principium II.* **Poenitens obligatur acceptare et adimplere poenitentiam rationabiliter a confessario sibi impositam.** — *Certum* est, propter Conc. Lat. IV dictans : « unusquisque fidelis... iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere » ; et propter Trid., sess. 14, c. 8 ex cuius doctrina concludi potest ; et propter Cod. Iur., can. 887.

Probatur : 1° Confessario, ut iudici, est potestas ligandi seu obligandi ad poenam, ac ius et officium poenitentiam imponendi. Atqui huic officio et iuri (nisi inutile esset) respondet in poenitente, ut reo, obligatio poenitentiam acceptandi et implendi.

2° Poenitens, non secus ac confessarius, obligatur ad integritatem sacramenti procurandam ; satisfactio autem sacramentalis est pars integrans sacramentum.

3° Denique unusquisque tenetur parere iudici recte iudicanti et punienti. Confessarius est iudex. Ergo, si recte et rationabiliter iudicat et punit, debet poenitens poenitentiam acceptare et implere.

Obligatio tamen non urget : a) si confessio fuerit invalida, quia deficiente sacramento nulla oritur obligatio ;

b) item si absolutio data non fuerit, nisi tamen medicinalis poenitentia imponatur tamquam conditio futurae absolutionis, vel nunc praescribatur ut minor possit iniungi quando absolvetur poenitens : tunc enim impleri debet ratione absolutionis recipiendae ;

c) si poenitentia non fuerit rationabiliter imposita (spectata hodierna Ecclesiae disciplina), ut si sit aperte iniusta vel impossibilis, v. g. ieiunium in aqua et pane pro verbo otioso, vel peregrinatio infirmo. Quod si poenitenti videatur nimis onerosa, rogare potest ut immutetur vel minuatur, cui desiderio confessarius regulariter acquiescet ; et, si iste nolit, poenitens potest sine absolutione discedere et alteri confiteri, vel poenitentiam acceptare et ab alio confessario postulare ut eam commutet. — Quod si quis omnem satisfactionem in se gravem etiam rationabilem recusaret, et solam levem acceptare vellet, *per se* non excusaretur a mortali, nec esset absolvendus.

559. **Obligatio implendi poenitentiam est gravis ex genere suo,** ita ut poenitens teneatur sub gravi ad implendam poenitentiam quae legitime sub gravi iniungitur. — *Certum* est.

Nam confessarius, ut minister et iudex, potestatem habet praecipiendi quae pertinent ad integritatem iudicii sacramentalis et sacramenti, et quidem sub gravi in re gravi. Atqui satisfactio ad integritatem iudicii et sacramenti pertinet ; et est pars integralis gravis momenti, quando notabilis poena pro gravibus delictis imponitur. Ergo confessarius potest praecipere satisfactionem, et quidem pro gravibus delictis notabilem poenam sub gravi. — Et ideo talem satisfactionem non implere est reddere sacramentum incompletum et mutilum in re gravi. Estque irreverentia sacramenti acceptare poenitentiam quam nollet aliquis implere.

Ut autem de facto adsit obligatio gravis, tres requiruntur conditiones : 1°) ex parte poenitentis, culpa gravis nondum rite subiecta ; 2°) ex parte materiae, satisfactio gravis in se ; 3°) ex parte confessarii, intentio obligandi sub gravi. Hinc :

a) Peccat graviter ille qui omittit totaliter, vel in notabili parte, satisfactionem sub gravi obligantem.

b) Confessarius tamen potest pro gravibus delictis poenitentiam gravem sub levi imponere, quia obligatio dependet ab intentione praecipientis[1]. Quod tamen generatim non expedit, tum quia de se non convenit peccato gravi (cui secundum Conc. Trid., sess. 14, c. 8 proportionanda est poenitentia), tum quia obligatio ordinario proportionari materiae debet ; unde confessarius censetur obligare sub gravi quando satisfactio gravis imponitur pro mortalibus nondum accusatis, nisi contrarium

1. Non tamen posset confessarius satisfactionem iniungere sine obligatione et sub consilio tantum, quia sic non uteretur potestate ligandi nec vere praeciperet, cum praeceptum sine obligatione non detur.

expresse dicat. — Obligare tamen sub levi forsan posset, quando iam alia poenitentia sub gravi imposita fuit : tunc addi potest alia gravior sub levi, ut consulatur poenitentis infirmitati, vel ut satisfactio maior esse possit.

c) Poenitentia levis sub levi obligat, quia materia levis non est capax obligationis gravis.

d) Satisfactio in se gravis, pro peccatis venialibus vel mortalibus directe remissis imposita, probabiliter sub levi obligat, quia confessarius censetur noluisse sub gravi obligare, et ceteroquin poenitentia per se gravitati peccati proportionari debet ; excipitur si gravis poenitentia iniungatur pro levibus peccatis, quae ad mortalia valde disponunt, ut periculum istud removeatur (v. g. tepido religioso, puellae periculo expositae) : tunc enim urget lex naturalis proximas occasiones peccati vitandi.

e) Qui omittit circumstantiam poenitentiae, peccat graviter vel leviter prout circumstantia sit gravis vel levis, prout in se vel relative ad poenitentem gravem vel levem molestiam causet. Ita circumstantia levis est : recitare rosarium *coram imagine B. V.* vel *flexis genibus;* gravis, e contra, id facere *brachiis extensis*. In praxi non expedit multas circumstantias imponere ; et, si imponantur, ordinario non sunt graves, nisi multo difficilius reddant opus.

560. *Principium III.* **Satisfactio eo modo implenda est quo a confessario determinatur,** tum in se, tum in suis circumstantiis. — Obligatio enim tota quanta est pendet ab intentione praecipientis. Unde

A. Impleri debet satisfactio :

1) *Tempore a confessario assignato;* et si nullum tempus statutum fuerit, quamprimum *moraliter*, ut requirunt intentio confessarii praesumpta, ipsius poenitentis bonum, et integritas sacramenti quod mancum et incompletum manet quousque satisfactio impleatur.

Non autem requiritur ut ante absolutionem vel communionem impleatur (prop. 22 ab Alex. VIII, damn.[1]), vel etiam (saltem pro validitate) ante confessionem sequentem ; quamvis omnibus suadendum sit ut post paractam confessionem statim impleatur, ne forte in oblivionem cadat. Hinc

a) peccat qui poenitentiam, absque ratione, per aliquod tempus differat etiam non valde longum ;

b) peccat autem graviter si poenitentiam sub gravi obligantem differat 1° si praevideatur impotentia eam postea implendi ; 2° si notabiliter minuatur substantia operis praescripti ; 3° si sit medicinalis, ita ut dilatio impediat finem, et in relapsus periculum inducat; 4° si immineat periculum oblivionis, et ideo in

1. « Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint ».

praxi, propter hoc periculum, diu differre per longum tempus est mortale ;

c) peccat solum leviter qui, etiamsi tempus a confessario sit determinatum, parum differat, nisi forsan in termino praefigendo circumstantia temporis aeque principaliter intendatur a confessario, v. g. ieiunium in vigilia festi in huius honorem ;

d) peccat solum leviter qui diu differt poenitentiam levem aut sub levi impositam ;

e) si poenitentia statuto tempore soluta non fuerit, remanet onus eam quamprimum peragendi, quia tempus est quid accessorium relate ad essentiam obligationis, et non ad finiendam sed ad urgendam obligationem praescriptum fuit : praeceptum enim confessarii primario rem praestandam respicit, secundario circumstantiam temporis.

2) *Ab ipso poenitente*, non autem ab alio nisi de consensu confessarii : est enim satisfactio pars integralis sacramenti cuius materia sunt actus poenitentis, ac proinde ab ipso poenitente perfici debet, sicut contritio et confessio ; ut constat ex prop. 15 damn. ab Alex. VII[1].

Attamen a) confessarius potest, iusta accedente causa, permittere ut satisfactio ab alio praestetur (v. g. ieiunium, peregrinatio) ex motione et petitione poenitentis : tunc satisfactio imposita poenitenti est id ab alio petere seu ipsa procuratio operis per alium. Quod tamen ordinario non expedit, quia tunc poenitentia non est medicinalis, maxime si sit actus omnino personalis et qua talis afflictivus.

Etiam b) potest poenitens satisfactionem realem eleemosynae mere ministerialiter implere per alium ut mandatarium, sive iste ex bonis poenitentis, sive etiam ex bonis propriis solvat, quia idem esset ac si donationem faceret poenitenti qui istam in eleemosynam erogaret ; — nisi tamen hoc ultimum confessarius expresse prohibeat.

3) *Ex intentione* implendi satisfactionem, quae intentio tamen eo ipso iam habetur quod satisfactio acceptetur. Hinc :

a) Si quis, immemor poenitentiae, impleat opus praescriptum, quod nullo alio titulo debitum est et ad nullum alium finem ordinatur, eo ipso adimplet, quia censetur prius velle satisfacere quam opus supererogatorium agere.

b) E contra, si (memor vel immemor) positive opus ad alium finem ordinet et intentionem implendi explicite vel implicite excludat, non implet satisfactionem. Ita v. g. si rosarium imponatur ei qui quotidie recitat, potest arbitrio suo eligere ut primum rosarium devotionis causa, secundum ut poenitentia sacramentalis dicatur; vel e contra primo rosario quotidiano poenitentiam implere.

1. « Poenitens, propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam implet ».

B. E contra non debet necessario impleri satisfactio *in statu gratiae*, quia ordinario intentio confessarii non est imponere ut impleatur in statu gratiae (quamvis illud exoptet), nisi per accidens status gratiae necessarius sit ad substantiam operis praescripti, v. g. communionem aut indulgentiam : ad praeceptum enim implendum sufficit opus praescriptum quoad substantiam, licet finis praecepti immediate non obtineatur ; finis praecepti non cadit sub praecepto.

561. Cessat obligatio implendi satisfactionem :

1° Quando fit alicui impletio impossibilis physice vel moraliter.

2° Quando poenitens eius oblitus fuerit (etiam si ex negligentia culpabili) et non commode adire possit confessarium qui praesumi possit se esse eius memorem : confessionem enim repetere apud eumdem confessarium, vel ab alio confessario commutationem postulare, est medium extraordinarium et grave onus ad quod nemo stricte obligatur, quamvis melius sit. Expedit tamen ut poenitens, hoc in casu, voluntarie opus sibi imponat, ad supplendum aliquomodo poenitentiae sacramentali.

3° Quando aliquis commutationem poenitentiae legitime obtinuerit.

562. *Principium IV.* **Commutari potest sacramentalis poenitentia, iusta de causa, non quidem ab ipso poenitente, sed a confessario qui aequalem habet potestatem ac ille qui eam imposuit.**

A. *Non a poenitente*, nec ab alio sive laico sive sacerdote iurisdictione carente, commutari satisfactio potest, nec in perfectiorem vel graviorem (secus ac pro voto, ubi vovens est suus legislator). Nam 1° mutatio poenitentiae importat novum iudicium quod ferri non potest nisi a iudice ; — 2° inferior non potest commutare legem superioris etiam in melius ; — 3° nullum opus elevari potest ad dignitatem et efficaciam satisfactionis sacramentalis, nisi potestate ipsius ministri, vi clavium. Constat etiam ex damn. prop. 15 ab Alex. VII, iam citata n. 560, A. 2.

B. Mutari potest sive *ab eodem confessario sive ab alio aequalem potestatem habente*. Poenitentia enim imponitur per modum legis particularis ; lex autem mutari potest sive a legislatore, sive a successore, sive a superiore. Item satisfactio est complementum absolutionis ; ergo nemo nisi ille qui absolvere potest a peccato, potest et satisfactionem commutare : accessorium enim sequitur principale. Unde poenitentia imposita a superiore pro casu reservato, solum potest commutari a confessario habente potestatem absolvendi a reservatis, nisi grave accedat incommodum pro poenitente et non facilis sit accessus ad superiorem, quo casu ipsa reservatio cessare potest (can. 900).

Ut autem commutari satisfactio possit, tres *requiruntur* conditiones :

1) *Ipsum exercitium potestatis iudicialis* seu iudicii sacramentalis, et ideo unio moralis inter commutationem et absolutionem : satisfactio enim est complementum absolutionis, et elevatio operis ad dignitatem satisfactionis sacramentalis fieri nequit a ministro, nisi quatenus est iudex et quatenus iudicium sacramentale exercet et absolutionem profert. Hinc :

a) Idem confessarius potest poenitentiam mutare *statim* post absolutionem antequam poenitens discedat, quia idem iudicium moraliter perseverat ; imo etiam extra confessionem per unum vel et forsan per aliquot dies, dummodo confessarius peccatorum recordetur saltem in confuso, quia nova poenitentia imposita cum absolutione data moraliter unitur (est idem iudicium continuatum) ; — si autem tempus paulo longius esset, *ad securitatem* nova confessio instituenda esset et nova absolutio concedenda, ut *certo* valeat commutatio, et nova poenitentia *certo* valida sit et sacramentalis. Tutius scilicet faciendum est in favorem poenitentis qui ad hoc habet ius certum, et quia agitur de *validitate* poenitentiae sacramentalis.

b) Si vero commutatio ab alio confessario petatur, quia iste non habet potestatem commutandi nisi in iudicio sacramentali, eam mutare non potest nisi in confessione et cum concessione novae absolutionis sive statim sive postea dandae ; secus iniunctio poenitentiae non esset actus iudicialis, nec ipsa satisfactio esset sacramentalis.

2) *Sufficiens cognitio status poenitentis*, secus nova poenitentia nec proportionata nec medicinalis esse posset. Hinc :

a) Si poenitens eumdem confessarium adeat, qui saltem in

confuso status poenitentis recordetur, necesse non est confessionem repetere.

b) Si alium confessarium adeat, nec oportet confessionem integre repetere, sed sufficit summariam instituere, aut etiam, in aliorum peccatorum confessione, declarare poenitentiam prius impositam, si istud sufficiat ad statum poenitentis sufficienter cognoscendum.

3) *Iusta causa*, scil. bonum spirituale poenitentis. Non enim censetur potestas collata a Christo in destructionem sed in aedificationem, imo potestas quae nomine Dei exercetur non conceditur nisi rationabiliter exercenda. Iusta autem causa censetur necessitas, notabilis utilitas poenitentis ut spiritualis profectus aut opportunior medicina, excessus in priore poenitentia vel gravis difficultas in eius executione, periculum trangressionis, etc. Hinc :

a) Non sufficit sola postulatio poenitentis : in isto casu suadeat confessarius impletionem, dicat poenitentiam proportionari peccatis, etc., nisi timeat ex fragilitate poenitentem non impleturum.

b) Iusta dum adsit causa, fieri potest mutatio etiam si non postuletur a poenitente, dummodo tamen hic consentiat ; potest siquidem mutationi obstare, si eam ut gravamen spectat.

c) Licet valide fieri possit, non commutentur tamen poenitentiae medicinales, si non fiant moraliter impossibiles.

563. Corollaria. — 1. Poenitens iniunctam poenitentiam persolvere potest etiam dum aliud opus praeceptum adimplet, v. g. audiendo missam dominicalem, preces vel rosarium pro poenitentia recitare potest : quando enim Ecclesia praecipit opera bona, non excludit alia pia opera cum illis compossibilia.

2. Preces iniunctae, nisi aliud expresse determinetur, eo modo imponuntur quo generatim ex praxi Ecclesiae persolvuntur v. g. psalmi, litaniae, rosarium, cum socio alternatim, recitari possunt ; auditio missae quotidiana intelligenda est ut semel tantum audiatur die dominica, etc. Ex alia parte preces quae a fidelibus vocaliter recitari solent, uti psalmos, litanias et alia, non sufficit oculis et mente tantum, ex libro percurrere ; e contra meditatio. Si poenitentes quoad ista sint in bona fide et putent sufficere recitationem mentalem, non sunt inquietandi, quia non spectat ad valorem sacramenti ; sed si quaerant quomodo sit persolvenda poenitentia, instrui debent iuxta principia tradita.

3. Facta commutatione, potest poenitens, si velit, satisfactionem prius iniunctam eligere, quia commutatio, utpote poenitenti favens, sub hac conditione fieri censetur : nisi poenitens ad priorem redire velit.

4. Poenitens minime liberatur a prima poenitentia, si iterando confessionem apud alium confessarium, non faciat mentionem de priori confessione ac poenitentia, tum quia tenetur reddere

primum sacramentum integrum, tum quia ad commutandam poenitentiam requiritur ex parte confessarii actus voluntatis positivus, quo prior obligatio revocetur.

5. Censent plures, propter aliquod dictum S. Thomae[1], oratione : *Passio D. N. J. C...*, a confessario elevari, ad dignitatem sacramentalis satisfactionis, omnia subsequentia opera bona poenitentis, seu « quidquid boni egerit et mali sustinuerit ». Id tamen in nullo habet fundamentum, nam verba « eo modo quo proferuntur, videntur potius esse oratio sacerdotis deprecantis omnia bene esse poenitenti : non enim elevat ad esse sacramentale passionem Christi, merita B. V., et omnium Sanctorum ». Ita Billuart, de Poen., diss. IX, art. 9, qui tamen addit id admitti posse, si confessarius hoc intenderet de bonis futuris *poenitentis*, et hoc ipsi indicaret. — Cum res sit valde dubia, nulla adest ratio minuendi poenitentiam sacramentalem poenitentibus imponendam.

QUAESTIO QUARTA.

DE EFFECTU SATISFACTIONIS.

S. Th. III, q. 90, a. 1, ad 1 ; a. 2, ad 2.

564. Satisfactio fit ob triplicem finem, et ideo triplicem effectum habet ex opere operantis. — Ita Conc. Trid., sess. 14, c. 8 :

1. Est *vindicativa*, quatenus est ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem : ita punit poenitens peccata et iustitiae vindicativae satisfacit ac redemptionem poenae temporalis obtinet.

2. Est *medicinalis*, quatenus est ad infirmitatis medicamentum : ita medetur peccatorum reliquiis et vitiosos habitus contrariis virtutibus actibus tollit.

3. Est *praeservativa*, quatenus est ad praeservationem a peccatis futuris et ad novae vitae custodiam : id efficit elongando poenitentes ab occasionibus peccati et praemuniendo contra relapsum.

565. Satisfactio sacramentalis, prout est in re et in executione, insuper ex opere operato ista tria efficacius producit. Et quidem :

1° *Remissionem poenae temporalis* maioris vel minoris, tum pro gradu operis, tum pro satisfacientis dispositione (Conc. Trid., sess. 6, c. 14 ; sess. 14, c. 3 et 8), sed ita ut,

1. Quodl. III, q. 13, a. 28.

ait S. Thomas, Quodl. III, q. 13, a. 28, « amplius valeat ad expiandum peccatum quam si homo proprio arbitrio faceret idem opus ».

2° *Gratiam habitualem gratum facientem*, et quidem directe si satisfactio praecedit absolutionem ; augmentum gratiae, si sequitur.

« Satisfactio, ait S. Thomas III, q. 90, a. 2, ad 2, confert gratiam prout est in proposito (incluso in contritione), et auget eam, prout est in executione, sicut et Baptismus in adultis ». Quae verba S. Doctor clarius explicare impeditus fuit, morte abreptus antequam finem imponeret tractatui de Poenitentia. Unde dubitari potest an satisfactio gratiam augeat directe (quod est sensus magis obvius), an indirecte tantum, quatenus confert gratiam actualem quae excitat nos ad exercitium charitatis, vel contritionis, vel operum quibus gratia augetur ; — imo forsan non omnino impossibile est intelligere de solo augmento extensivo ad novos effectus. Quo casu, nulla esset oppositio cum Commentario in Sent., l. IV, d. 16, q. 1, a. 1, qc. 2, ad 3, ubi S. Doctor scripsit : « Dicendum quod ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamvis satisfactio actualis gratiam praesupponat ; vel dicendum quod per satisfactionem consequitur poenitens perfectum effectum gratiae peccatum abolentis, quia liberatur totaliter a reatu poenae ».

3° Consequenter etiam *auxilia supernaturalia*, in medicinam et correctionem, quibus facilitas detur maior ad peccata futura praecavenda.

566. **Satisfactio sacramentalis etiam valide impleri potest in statu peccati mortalis,** ut dictum n. 560, B. Quo casu dat immediate ex meritis Christi ius ad remissionem poenae temporalis ; obice peccati autem remoto per contritionem vel et absolutionem, videtur reviviscere, et ideo effectum obtinet et iam in actu secundo poenam remittit. Nam, si sacramenta reviviscunt quoad essentialem seu principalem fructum, nulla est ratio cur non reviviscerent quoad integrale complementum.

567. **Animadversio.** — Praeter effectus sacramentalis satisfactionis, sunt plures eius *utilitates* quas recenset Conc. Trid., sess. 14, c. 8 : 1) ne leviora reputentur peccata, tam duris poenitentiae laboribus expianda ; 2) ut deterreantur poenitentes a peccatis futuris et in iis cavendis vigilantiores reddantur ; 3) per illas satisfactiones eradicantur habitus vitiosi ; 4) imminentem Dei iram avertunt ; 5) nos Christo capiti conformes efficiunt ; 6) sunt in exemplum et aedificationem aliorum.

QUARTA PARS.

DE MINISTRO POENITENTIAE.

QUAESTIO PRIMA.

DE IPSA POTESTATE MINISTRI.

S. Th., Suppl. q. 17, et q. 19, a. 2 et 3.

568. *Principium.* **Potestas remittendi peccata non competit omnibus fidelibus, sed quibusdam ministris, scil. Apostolis et successoribus i. e. solis episcopis et sacerdotibus.** — Ita declarante antiquissima et ininterrupta traditione ac Conc. Flor., decr. pro Arm., et Trid., sess. 14, c. 6. Unde codex iuris, can. 871 : « Minister huius sacramenti est solus sacerdos ». Ad munus eius *valide* exercendum requiritur itaque *potestas ordinis;* et, docente eodem Conc. Trid. c. 7, insuper ex iure divino *potestas iurisdictionis*, quia sententia iudicialis ferri non potest nisi in subditos. Hinc can. 872 : « Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in poenitentem ».

Quod ita exponit S. Thomas, q. 8, a. 4 :

« Alia sacramenta non consistunt in hoc quod ad sacramentum accedens aliquid agat, sed solum ut recipiat, sicut patet in Baptismo, et huiusmodi... Sed in Poenitentia actus accedentis ad sacramentum est de substantia sacramenti, eo quod contritio, confessio et satisfactio sunt poenitentiae partes, quae sunt actus poenitentis ; actus autem nostri, cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab aliis dispensari, nisi per imperium. Unde oportet quod ille qui dispensator huius sacramenti constituitur, sit talis qui possit aliquid imperare agendum. Imperium autem non competit alicui in alium, nisi ei qui habet super eum iurisdictionem. Et ideo de necessitate huius sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat iurisdictionem ».

569. **Differt in ministro potestas ordinis et potestas iurisdictionis.** — Nam *potestas ordinis* est potestas *efficiens*, sanctificandi seu efficiendi sacra, in casu potestas instrumentalis conferendi gratiam ; *potestas iurisdictionis* est potestas *moralis*, regendi subditos in rebus ad finem

supernaturalem spectantibus, seu in ordine ad sanctitatem et vitam aeternam.

Iurisdictio alia est *fori Ecclesiae* seu *externi*, quando directe et primario spectat publicum Ecclesiae regimen et utilitatem ; alia *fori Dei* seu *interni*, quando directe et primario spectat privatam cuiuslibet fidelis utilitatem. Prior est potestas ecclesiastica et socialis quae conceditur a Pontifice ex propria auctoritate, et ideo ex hac derivatur ab eo ut a *causa principali* et auctoritate eius exercetur ; altera est potestas non ecclesiastica sed divina, quae conceditur auctoritate propria Dei (qui solus valet directe attingere conscientiam et vinculum peccati), mediante tamen Pontifice ut ministro et instrumento divinitatis, et ideo non auctoritate Ecclesiae propria sed auctoritate ipsius Dei exercenda. Haec, ait Billot [1], est prius solvendi quam ligandi, illa vero prius ligandi quam solvendi.

Itaque in confessario potestas ordinis et potestas iurisdictionis differunt multipliciter :

1° *Collatione.* Prior consecratione scil. *sacra ordinatione* confertur et *indelebiliter* subiecto inhaeret ; altera actu externo *missionis* ad subditos a superiore confertur [2], quae missio revocari potest, minui aut augeri, suspendi ac limitari, v. g. quoad *homines*, si certis hominibus aut hominum generibus restringatur ; quoad *locum*, v. g. inter limites unius dioecesis vel paroeciae ; quoad *tempus*, ita ut elapso certo tempore expiret v. g. post triennium ; quoad *causas* seu peccata, si superior sibi reservet absolutionem a quibusdam peccatis gravioribus (Conc. Trid., sess. 14, can. 11). Hinc sacerdotes potestate ordinis sunt aequales, non potestate iurisdictionis.

2° *Essentia.* Potestas ordinis dat proximam aptitudinem et dispositionem ad hoc quod quis recipiat iurisdictionem in subditos ad absolvendum a peccatis ; est deputatio ad exercendum iudicium sacramentale, sed indeterminate in subditos, *si quos habet :* quorum (i. e. subditorum), ait Christus, remiseritis, remittuntur eis. Potestas iurisdictionis est facultas exercendi potestatem sanctificandi ordinis in aliquos *determinatos* tamquam subditos legitime designatos. Prior scil. dat capacitatem, altera est facultas istam capacitatem exercendi.

3° *Effectu.* Ex potestate iurisdictionis iudicium est validum, ex potestate ordinis est efficax.

Hinc potestas iurisdictionis definiri potest : *Potestas externo superioris actu collata, qua sacerdos iurisdictionem exercere potest erga subditos in foro interno et poenitentiali*, seu *deputatio legitima*

1. *De Ecclesia*, th. XXI.
2. Cfr. II-II, q. 39, a. 1.

ad exercendum munus absolvendi a peccatis modo iudiciali poenitentes determinatos tamquam subditos [1].

570. Potestas confessarii pertinet ad potestatem clavium. — Clavis est instrumentum ad aperiendum regnum coelorum quod clauditur per peccatum quantum ad reatum culpae et quantum ad reatum poenae ; seu *eminens potestas sacra qua obstaculum peccati removetur.* Quamvis enim Christus auctoritate divina et merito passionis coelum, quantum est de se, aperuit in universali, ad ministros tamen eius pertinet aperire (per sacramenta) quantum ad hunc vel illum, quibus manet clausum propter originale vel actuale peccatum : Christus scil. ut principale agens dicitur habere clavem *excellentiae*, sacerdotes, ut agentia instrumentalia, clavem *ministerii* [2].

Hinc exercitium potestatis includit duplicem actum seu duplex iudicium : 1° iudicium *discretionis* de dispositionibus seu idoneitate huius vel illius recipientis, quo discernitur an dignus sit vel non ; 2° ipsum iudicium sive *absolutionis* et remissionis, sive retentionis, quo aperimus vel claudimus, recipimus dignos vel e regno excludimus indignos. Et ideo distinguuntur duae claves : a) clavis *scientiae* seu auctoritas actum scientiae exercendi quo discernitur et ostenditur cui sit aperiendum ; b) clavis *potentiae* seu ipsa auctoritas solvendi et ligandi qua aperitur coelum vel clauditur. Non ac si essent duae potestates quantum ad essentiam, sed duae ex comparatione ad actus quorum unus alium praesupponit [3].

Etenim, ait S. Thomas, potestas illa clavium *realiter* idem est ac character seu *potestas* spiritualis *instrumentalis* ordinis, ita ut eadem per essentiam sit potestas in corpus Christi reale et in corpus Christi mysticum, seu potestas qua sacerdos conficere potest Eucharistiam et potestas qua potest solvere et ligare, si iurisdictio adsit (q. 17, a. 2, ad 1) ; sed differunt *ratione* secundum quod ad diversos effectus comparantur : character consecratione ad Deum, potestas clavium ad subditos. Unde claves dantur cum ordine in aliqua consecratione, sed executio clavis indiget materia debita circa quam exercetur, scil. subditis, et ideo actus clavium habetur per iurisdictionem ; et ita ante iurisdictionem minister habet claves, sed non habet actum clavium [4] (ad 2).

1. Vel cum Billuart, diss. 6, a. 2, § 1 : *Potestas qua sacerdos ut iudex fert in alterum tamquam in subditum sententiam in foro conscientiae.* Aut sicut Chrétien : *Potestas supernaturalis iudiciaria, actu auctoritatis legitimae collata, vi cuius sacerdos subditorum peccata remittit in sacramento Poenitentiae.* Ita in opusculo : *De Poenitentia Quaedam Quaestiones*, quod pro tota hac parte tractatus meretur inspici.
2. Ita q. 19, a. 2 ; et q. 17, a. 1. Hinc « actus sacerdotis non est *immediate* super regnum, sed super sacramenta quibus homo ad regnum pervenit » q. 17, a. 2, ad 5.
3. In q. 17, a. 3.
4. Ex quo patet, etiam secundum S. Thomam, quidquid aliqui putaverint, potestatem iurisdictionis distingui ab ordine nec cum eo

Hinc potestas *iurisdictionis* (etiam in foro externo) qua aliquis subiicitur et admittitur (aut excluditur) ad communionem Ecclesiae, per quam aliquis ad coelum vadit, etiam aliquando *dicitur clavis* sed *improprie*, quia non est immediate clavis regni coelorum, removens peccatum, sed quaedam remota dispositio ad ipsum seu ad gratiam (q. 19, a. 3), et conditio ad clavim exercendam (q. 17, a. 2, ad 1 et 2). Secundum hoc Petro *singulariter* dedit Christus potestatem ligandi et solvendi seu dimittendi peccata (Mt. XVI, 19), ut intelligatur quod ipse prae aliis habet potestatem iurisdictionis. « Et ideo indeterminate Dominus dicit : Quorum remiseritis peccata, intelligens tamen quod usus illius potestatis esse deberet, praesupposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem » (q. 20, a. 1, ad 1).

Clavis iurisdictionis non solum sacerdotibus sed et aliis competere potest, qui excommunicare possunt (q. 19, a. 3 ; q. 22, a. 2) ; clavis ordinis solis sacerdotibus (q. 20, a. 1, ad 1).

Articulus I.

De Potestate Ordinis.

S. Th., Suppl. q. 8, a. 1-3 ; q. 19, a. 3-4.

571. Status quaestionis. — Circa potestatem ordinis plures non recte opinati sunt.

A. Circa id *erraverunt :* 1) *Montanistae* qui tenebant solos pneumaticos seu spirituales i. e. eos qui receperunt Spiritum sanctum posse peccata condonare, secundum verba Christi : Accipite Spiritum sanctum... ; — 2) *Abaelardus* existimans potestatem concessam solis apostolis, non successoribus, qui damnatus fuit in Conc. Senonensi, a. 1140 (prop. 12) ;— 3) *Fratricelli, Waldenses, Wicleffitae, Hussitae,* qui potestatem absolvendi peccata bonis laicis concedebant, pravis sacerdotibus denegabant (cfr. Conc. Const^{e}, a. 20 et 22) ; — 4) *Lutherani* qui communiter tenent potestatem remittendi peccata reduci ad ministerium praedicationis et exhortationis, ad excitandam fidem in remissionem peccatorum, atque *omnibus fidelibus,* etiam mulieribus, in casu necessitatis per se competere (modo se credant absolutos) ; eamdem tamen, ad confusionem vitandam, non esse exercendam nisi ab iis qui ad hoc deputati sunt a communitate. Alii *Protestantes,* praeter Episcopalianos et Ritualistas, negant omnem potestatem clavium ; — 5) *Protestantes liberales* multi tenent primis Ecclesiae saeculis potestatem clavium exercitam fuisse a

---

dari. Constat ex verbis ad 1 : « potestas... qua potest solvere et ligare, *si iurisdictio adsit* » ; et ex resp. ad 2 : « clavis cum ordine datur ; sed executio clavis indiget materia debita, quae est plebs subdita per iurisdictionem ; et ideo *antequam iurisdictionem habeat,* habet claves, sed non habet actum clavium ».

solis charismaticis, i. e. ab iis fidelibus qui speciali dono seu charismate gaudebant : hierarchia enim non est a Christo instituta, sed charismata varia a Spiritu sancto inter fideles distribuebantur.

B. Quidam catholici in medio aevo tenuerunt *diaconos* aut inferiores *clericos,* ministros fuisse *extraordinarios* qui, deficientibus sacerdotibus, confessiones excipiebant et aliquid poterant ad absolutionem conferre ; — vel et *diaconos* antiquitus ministros extraordinarios absolventes habitos fuisse : ita v. g. Morinus. Imo pauci dixerunt, deficientibus sacerdotibus et clericis, *laicis* confitendum esse.

572. *Thesis.* **Soli sacerdotes, ex iure divino, i. e. episcopi et presbyteri, sunt ministri confessionis sacramentalis, qui valide possunt absolvere ; unde in iis requiritur potestas ordinis.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 14, c. 1 et 6, et can. 10, cuius canonis prima pars dirigitur contra Wicleff, altera contra Lutherum.

Probatur : 1° *Ex documentis revelationis* quibus constat a) verba Christi : *Quorum remiseritis...* directa fuisse ad eos solos qui mittuntur apostolos ; insuper b) potestatem concessam tamquam iudicium exercendum ; sed ut habeatur iudex, esse debent superior et inferiores ; ergo non omnibus, scil. inferioribus, haec potestas concessa fuit. Quinam autem de facto hac in potestate sint apostolorum successores, an soli episcopi, an etiam sacerdotes vel alii, ex Traditione et usu Ecclesiae determinandum est, quibus constat a primis temporibus generatim illud munus non solis episcopis sed et presbyteris, non vero aliis, fuisse commissum.

Id iam innuunt inde a primis temporibus : Ignatius dum peccatoribus non promittit remissionem peccatorum nisi redeant ad Ecclesiam congregatam et ad consensum episcopi (ad Philad., n. 3) ; Clemens Rom. dum Corinthiis praecipit ne removeantur illi qui episcopi (i. e. presbyteri) constituti et suo munere praeclare functi sunt, ipsi autem subiiciantur presbyteris ut recipiant correctionem ad poenitentiam, ne excludantur a grege Christi (ad Cor. 44 et 57). Diserte autem id affirmant inde a saeculo III : Callistus sibi vindicans hanc potestatem ; Tertul., de Poen. IX et de Pud. XVIII, 17-18 ; Cypr., de Laps. 29 et ep. 17 ; Orig. in Lev. hom. 2, n. 4 ; in Num., hom. 10, c. 1 ; in Ps. 37, hom. 1 ; Athan., in fragm. ex l. c. Nov.; Ephraem, or. de sacerd.; Didasc, c. 7 ; Bas., reg. brev., n. 228 ; Chrys., de sacerd. III, 5 ; Const., Ap. II, 16 ; Ambr., de Poen. I, 2 ; Hier., in Mt. XVI, 19 ; Aug.,

serm. 351 ; enchir. 65 ; Leo M. ep. 108 et ep. ad Theod. ; Conc. Carth. III, can. 32 ; etc.

Initio quidem potestas reservabatur episcopo, at presbyteri quandoque eam exercebant ex commissione episcopi, ut patet ex Cypr., ep. 18 ; ex Const. Ap. VIII, 47, 52 ; ex Conc. Hippon., Illiber. et Carth. III, atque ex institutione presbyteri poenitentiarii. A saec. VI usus est generalis adeundi sacerdotes. Competebat autem ipsis ad exclusionem diaconorum, quod constat tum ex facto de istis silentio, tum ex doctrina explicita inde a saec. III : inter alia conferri possunt testimonia Ambr., de Poen. I, 2 ; Hier., in Ier. XIII, 12 ; in Mt. XVI, 19 ; Aug., de Civ. D., XX, 10 ; ep. 228 ad Hon., n. 8 ; serm. 82, n. 8 et 11 ; Innoc. I, ep. 25 ad Dec., n. 3, et aliorum.

2° Etiam *ratione* ex S. Thoma, q. 19, a. 4 : Nullus remittere peccatum et gratiam conferre potest nisi nomine Christi ut instrumentum eius. Sed nemo est instrumentum nisi eligatur ut minister. Ergo soli ministri possunt remittere peccata [1]. Non autem soli episcopi erant eligendi sed etiam sacerdotes, propter magnam necessitatem huius sacramenti.

---

1. Ex hoc principio concludit S. Thomas 1) non sanctos, sed sacerdotes, nec 2) solos sacerdotes sanctos, sed etiam malos esse ministros sacramenti.

I^{um} ita : « Ex hoc aliquid constituitur principale agens, quod habet aliquam formam, quam in alterum transfundere potest ; non autem ex hoc constituitur agens instrumentale, sed ex hoc quod est applicatum a principali agente ad effectum aliquem inducendum... Sed homo... nec ipse alteri gratiam, qua remittuntur peccata, dare potest, nec sufficienter mereri... Et propter hoc quantumcumque aliquis habeat de gratia, non potest pertingere ad effectum clavium, nisi applicetur ad hoc ut minister per ordinis susceptionem » (q. 19, a. 4).

II^{um} ita : « Sicut participatio formae quae est inducenda in effectum, non facit instrumentum, ita nec subtractio talis formae tollit usum instrumenti. Et ideo cum homo sit tantum instrumentaliter agens in usu clavium, quantumcumque sit gratia per peccatum privatus, per quam gratiam fit remissio peccatorum, nullo modo tamen privatur usu clavium ». Nam « donum Spiritus sancti exigitur ad usum clavium, non ut sine quo fieri non possit (seu ad validitatem), sed quia sine eo incongrue fit ex parte utentis (seu ad liceitatem), quamvis subiiciens se clavibus effectum clavium consequatur » (a. 5, et ad 1).

Et ideo etiam in haereticis, schismaticis et excommunicatis manet clavium potestas quantum ad essentiam (potestas ordinis) ; sed usus impeditur (plerumque) ex defectu materiae (potestas iurisdictionis). Cum enim usus clavium in utente praelationem (seu iurisdictionem) requirat respectu eius in quem utitur..., propria materia, in quam exercetur usus clavium, est homo *subditus*. Et quia per ordinationem Ecclesiae unus alteri subditur, ideo etiam per Ecclesiae praelatos *potest* subtrahi alicui ille qui erat ei subiectus. Unde, cum Ecclesia haereticos, schismaticos, et alios huiusmodi privat, subtrahendo subditos vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc quod privati sunt, non possunt *usum* clavium habere » (a. 6).

Quod autem sacerdotes, non diaconi et ministri inferiores eligerentur, maxime est conveniens, ut ostendit idem S. Thomas, q. 8, a. 1 : « Gratia quae in sacramento datur, a Christo capite in membra descendit. Et ideo solus ille est minister sacramentorum in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod solius sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest. Et ideo cum in sacramento Poenitentiae gratia confertur, solus sacerdos minister est huius sacramenti, et ideo ei soli facienda est sacramentalis confessio quae ministro Ecclesiae fieri solet ».

573. Animadversio. — In thesi diximus solos sacerdotes esse ministros confessionis *sacramentalis*.

Etenim confessio apud laicos, deficiente sacerdote,

1) erat in usu ad maiorem erubescentiam et confusionem [1], uti etiam refert S. Thomas, q. 8, a. 2, sed non erat sacramentalis uti constat ex responsione ad 1 et 3, et ex a. 3 ;

2) est satisfactoria, si adsit contritio perfecta ;

3) est sacramentale quo excitatur attritio ad remissionem peccatorum venialium, sicut tunsio pectoris (a. 3).

574. Obiiciunt : Ex historia Ecclesiae constat potestatem excipiendi confessiones vel et remittendi peccata, decursu temporum, agnitam fuisse pneumaticis, — nonnullis confessoribus et martyribus, — diaconis, — imo et laicis.

Resp. : 1. *Pneumatici* initio Ecclesiae, specialibus fuerunt donati charismatibus (I Cor. XII, 3-11 ; XIV, 2-40 ; Eph. IV, 11), sed non legitur ipsis concessam fuisse potestatem remittendi peccata. Id solus Tertullianus asserit, montanista factus ; ac assertio universim reprobata fuit, etiam ab eius discipulo S. Cypriano.

2. *Confessores et martyres* privilegio donati fuerunt libellum pacis concedendi delinquentibus in ordine ad remissionem peccatorum. Sed non audiebant confessionem nec absolvebant ; solo privilegio intercessionis gaudebant, quo, intuitu ipsorum confessionis, episcopi quosdam peccatores ad reconciliationem admittebant. Quod constat ex epistolis S. Cypriani, cuius doctrina non solum probata fuit ab episcopis africanis, sed etiam, sede vacante, a presbyteris et diaconis romanis.

3. *Diaconi*, deficiente episcopo et sacerdote, peccatores moribundos ad plenam reconciliationem admittebant et pacem cum Ecclesia, ac ad receptionem Viatici, sive antea absoluti iam fuerint, sive nondum fuerint ; quo ultimo casu in iis supponebant sane contritionem perfectam.

Sed quidam diaconi limites excesserunt suae potestatis ; id autem Concilia particularia prohibuerunt, ut constat v. g. ex statutis Odonis episc. Parisiensis (a. 1197) et ex Synodo Pictaviensi (a. 1280).

---

1. Cfr. de hoc Teetaert, *La Confession aux laïques dans l'Église latine depuis le VIIIe jusqu'au XIVe siècle.*

4. *Laici* denique, in periculo mortis, deficiente sacerdote, durante medio aevo, excipiebant moribundorum confessionem, sed non absolvebant. Praxis autem utilis habita est, ad maiorem humilitatem et contritionem et maius desiderium confessionis ; imo a magnis etiam theologis dicebatur necessaria, ad probandum scil. sinceritatem contritionis, quatenus homo saltem debet praestare quod est ex sua parte et facere quod in se est, confitendo quantum possit et erubescentia confessionis debitam satisfactionem incipiendo, ut ita fieret venia dignus ex sacerdotis desiderio et disponeretur ad contritionem perfectam. Et tunc summus sacerdos, Christus, defectum sacerdotis supplet et remissionem concedit.

Non tamen habetur ista confessio ut vere sacramentalis, cum saepius dicant esse reiterandam, v. g. S. Thomas, q. 8, a. 2, ad 3 ; et nihilominus, quia erat imitatio sacramentalis confessionis et quasi gressus ad eam, etiam vocari sacramentalis quodammodo poterat. « Quando necessitas imminet, ait S. Thomas, ad 1, debet facere poenitens quod ex parte sua est, scil. conteri et confiteri cui potest ; qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scil., defectum tamen sacerdotis summus sacerdos supplet. Nihilominus confessio laico ex defectu sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei quod est ex parte sacerdotis ».

575. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

1) Pro sacerdote invalide ordinato Ecclesiam defectum supplere non posse.

2) Diaconum non posse deputari ad absolvendum a peccatis in sacramento Poenitentiae.

3) Non esse obligationem confitendi peccata aliis quam sacerdoti.

Articulus II.

De Potestate Iurisdictionis.

S. Th., Suppl. q. 8, a. 4 ; q. 19, a. 5-6 ; q. 20.

576. Opiniones vitandae. — Nonnulli veteres theologi, ut Durandus, tenuerunt iurisdictionem dari ipsa ordinatione, quamvis agnoscerent eius usum Ecclesiae prohibitione ligari ; quae opinio communiter reiicitur. — Quidam Iansenistae, in synodo Pistoriensi, ulterius progressi, asserebant conveniens, non autem necessarium esse ad validitatem absolutionis, ut confessarius iurisdictione polleret. Quod damnatum fuit a Pio VI in bulla *Auctorem fidei*, a. 37, ut falsum, temerarium, perniciosum, erroneum.

577. *Thesis.* **Ad validam absolutionem praeter potestatem ordinis, ex iure divino, requiritur potestas iurisdictionis in poenitentem, quae non accipitur vi solius ordinationis sed superiorum ecclesiasticorum concessione.** — *Certum* est ex Conc. Trid. id explicite declarante sess. 14, c. 7 ; quod manifeste docet tria : a) sacerdotem (qui habet potestatem ordinis) posse carere iurisdictione in aliquos fideles ; b) in tali casu, absolutionem iisdem impertitam esse invalidam ; c) iurisdictionem in poenitentes esse duplicem : ordinariam, et subdelegatam, quo confirmatur esse diversam a potestate ordinis quae eadem est in omnibus per sacramentum ordinis collata.

Probatur : 1° *Ex ipsa natura sacramenti Poenitentiae* quod institutum est per modum iudicii exercendum. Etenim iudicium exerceri valide non potest nisi in subditum, qui iudicis auctoritati seu iurisdictioni fuit subiectus a legitimo superiore ; secus enim iudex non posset obligare nec urgere iudicii executionem. Iamvero sacerdos subditos non habet nisi per iurisdictionem legitime collatam. Ergo ex ipsa natura sacramenti, et ideo ex iure divino, requiritur potestas iurisdictionis.

Ita scientia iuridica et aptitudo ad iudicandum non sufficit in iudice humano, sed ad usum requiritur iurisdictio seu deputatio ad determinatam materiam, determinatos subditos, determinatas personas ; imo quilibet iudex quamlibet causam cognoscere non potest, sed unusquisque eas causas cognoscit quae explicite aut implicite a legitimo superiore ei assignantur, et tantum pro determinatis subditis, scil. suae ditionis.

2° *Ex praxi Ecclesiae* qua potestas clavium exercetur *modo iudiciali*, et ab initio episcopi absolvebant suos *subditos*, postea vero, poenitentium numero crescente, etiam sacerdotes, sed *ab episcopo designati*. Quod confirmatur ex Conc. Lat. IV ; Flor., decr. pro Arm. ; Trid., sess. 14, c. 3 et 7, et ex bulla *Auctorem Fidei*, n. 37.

3° *Ratione*, ex S. Thoma, q. 8, a. 4 : Minister Poenitentiae conditiones imponit ad obtinendam remissionem ; unde debet poenitenti imponere aliquid agendum, et non absolvit nisi ligando poenitentem ad aliquid faciendum.

Sed imperium non competit alicui in alium nisi habeat in eum potestatem, scil. auctoritatem et iurisdictionem. Ergo sacerdos non potest absolvere nisi habeat iurisdictionem in poenitentem.

Obiiciunt Apostolis collatam fuisse a Christo completam potestatem absolvendi, ac proinde iurisdictionem, his verbis : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis*, etc.; atqui eadem verba neo-ordinatis sacerdotibus repetuntur; ergo et ipsi eamdem potestatem absolvendi accipiunt vi ordinationis.

Resp. : Apostoli non receperunt iurisdictionem per verba praedicta, sed vi intentionis Christi, quae manifestatur per verba : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*. Unde licet verba : *Accipite*... neo-sacerdotibus dicantur, non exinde accipiunt potestatem iurisdictionis, quam ceteroquin Ecclesia hisce verbis concedere non intendit.

578. Corollaria. — 1. Iurisdictio, dum in aliis sacramentis solum ad licitam requiritur administrationem, requiritur ad validam absolutionem : alia enim sacramenta per modum iudicii non conferuntur, nec sunt actus iudicialis in subditos, unde iurisdictionem *ex se* non expostulant (q. 8, a. 4).

2. Iurisdictio, cum missione superioris conferatur, potest vario modo limitari quoad tempus, locum, personas, aut causas seu peccata, uti ex tota historia et praxi Ecclesiae constat, et sancivit Conc. Trid., sess. 14, can. 11. Inde usus reservandi peccata qui ab antiquis temporibus in Ecclesia existit.

3. Iurisdictio etiam requiritur ad absolvendum a peccatis venialibus, quidquid aliqui olim dixerint. Quod iam omnino certum est ex can. 872 simul cum can. 874.

4. Superior, v. g. S. Pontifex, potest absolvi, quia ut peccator est inferior apud Deum; unde quamvis non possit aliquis iurisdictionem in ipsum habere ut superiorem, habere tamen potest in eum ut privatam personam, auctoritate Dei, cuius nomine datur iudicium et absolutio, quique solus est causa principalis remissionis. Et tamen non potest Pontifex absolvere seipsum, quia ad iudicium requiruntur duae distinctae personae : reus subiectus, et iudex; aliquis autem sibi ipsi subiectus esse non potest. Sed Pontifex potest aliquem nomine Dei designare ut sit superior et iudex sui tamquam privatae personae peccantis. Quod in foro externo utique est impossibile, quia ibi omnia fiunt nomine superioris qui est principalis iudex et legislator; et ideo aliquem designare non potest superior ut nomine et auctoritate sui in seipsum ageret, sicut nec seipsum excommunicare aut iudicare valet (q. 20, a. 3).

Addi quoque potest absolutionem esse principaliter de potestate ordinis et solum ex consequenti respicere iurisdictionem; quantum autem ad potestatem ordinis omnes sacerdotes sunt aequales, non quantum ad iurisdictionem.

QUAESTIO SECUNDA.

DE CONCESSIONE ET LIMITATIONE POTESTATIS MINISTRI.

Articulus I.

De Iurisdictione in genere ordinaria vel delegata.

S. Th., Suppl. q. 8, a. 4 et 5; q. 20, a. 1.

579. Iurisdictio alia est ordinaria, alia delegata. — « Ordinaria ea est quae ipso iure adnexa est *officio* (in sensu stricto accepto ex can. 145); delegata, quae (legitime) commissa est *personae* » can. 197.

Quae, in ordine ad confessionem, differunt tripliciter :

1° Iurisdictio ordinaria datur a superiore ex missione ad *munus* aliquod pastorale quo aliquis fit subditorum quasi *proprius sacerdos;* delegata ex speciali *concessione personali*.

2° Ordinaria iurisdictio ubique terrarum valide exercetur in subditos (can. 881); delegata exerceri nequit extra territorium quo concessa est (nisi iurisdictione ab Ordinario loci ibi obtenta).

3° Ordinaria, dicente can. 199, *per se* potest aliis ex toto vel ex parte delegari, nisi aliud expresse iure caveatur; delegata per se non potest subdelegari nisi specialis accedat concessio delegantis.

580. *Principium I.* **Quinam iurisdictionem ad confessiones habent ordinariam.** — De hoc valet can. 873 :

« § 1. Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas, pro universa Ecclesia, praeter R. Pontificem, potiuntur S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochi aliique qui loco parochi sunt ».

Cardinales, a sua promotione in consistorio, iurisdictione potiuntur sine restrictione, ad omnes personas et casus, exceptis tamen *censuris* S. Sedi *specialissime* reservatis, iisque quae *revelationi secreti S. Officii adnexae* sunt, iuxta can. 239, § 1. Ita v. g. reservatae sunt quae feruntur in illos qui species consecratas abiiciunt, violentas manus iniiciunt R. Pontifici, absolvunt a peccato turpi complicem.

Ordinarius etiam est vicarius generalis aut capitularis; vicarius, praefectus aut administrator apostolicus.

Parochus, praeter subditos, non potest poenitentes audire et absolvere extra suum territorium; ex iure tamen particulari plerumque obtinet pro tota dioecesi iurisdictionem delegatam.

Loco parochi sunt rector quasi-paroeciae, vicarius paroecialis

seu curatus i. e. rector paroeciae quae pleno iure unita est personae morali, administrator paroeciae seu vicarius oeconomus, vicarius parocho diu absenti substitutus cum consensu episcopi, vicarius adiutor si in omnibus supplet parochum imparem : ita iuxta can. 471-475[1] ; — item quandoque cappellanus militum pro suis subditis ; — non autem per se vicarius adiutor, nec vicarii cooperatores.

« § 2. Hac eadem iurisdictione gaudent etiam canonicus poenitentiarius ecclesiae quoque collegiatae (a fortiori cathedralis), ad normam can. 401, § 1, et superiores religiosi exempti pro suis subditis, ad normam constitutionum ».

Poenitentiarius potestatem habet absolvendi etiam a peccatis et censuris Episcopo — sive iure sive personaliter ab isto episcopo — reservatis, in dioecesi extraneos, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis. Non tamen habet per se iurisdictionem in religiosas (can. 876, § 1). *Superior religiosus* etiam potest esse religionis laicalis exemptae, dummodo ipse superior sit sacerdos.

« § 3. Haec iurisdictio (ordinaria) cessat amissione officii, ad normam can. 183, et post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, excommunicatione, suspensione *ab officio*, interdicto ».

Ergo ante sententiam, excommunicatus *valide* absolvit, etiam *licite* si toleratus sit et a fideli requisitus (can. 2261).

581. *Principium II.* **Quinam iurisdictionem ad confessiones habent delegatam.** — Hic valent canones 874 et 875.

a) Canon 874 : « § 1. Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci *in quo confessiones excipiuntur ;* sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui superioris[2], firmo tamen praescripto can. 519 », i. e. casu quo poenitens religiosus accedat ad suae conscientiae quietem, ut dicetur n. 588, A.

« § 2. Locorum Ordinarii iurisdictionem ad audiendas

1. Aliqui addunt rectorem Seminarii dioecesani quoad suos subditos ob can. 1368 ; sed de hoc dubitari potest, quia Ecclesia non censetur iurisdictionem ordinariam concedere quando prohibet ne habitualiter in subditos exerceatur (can. 891).

2 Secus peccare possunt, valide tamen absolvunt.

confessiones *habitualiter* ne concedant religiosis qui a proprio superiore non praesentantur ; iis vero qui a proprio superiore praesentantur, sine gravi causa eam ne denegent, firmo praescripto can. 877 » de examine idoneitatis.

b) Canon 875 : « § 1. In religione clericali exempta ad recipiendas (etiam extra domum) confessiones professorum, novitiorum, aliorumve de quibus can. 514, § 1 (scil. eorum qui in religiosa domo diu noctuque degunt causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis quamdiu habitualiter degunt), iurisdictionem delegatam confert quoque (independenter ab approbatione Ordinarii) proprius eorum superior, ad normam constitutionum ; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis », etiam quos proprius Ordinarius non approbaverit.

« § 2. In religione laicali exempta, superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci in quo religiosa domus reperitur ».

Hinc : a) Episcopus concedit iurisdictionem ad absolvendos religiosos etiam exemptos, vel peregrinos qui in sua dioecesi confitentur, et ideo iurisdictio confessarii dioecesanis reservationibus afficitur, ut confirmatur resp. Com. interpr. 24 nov. 1920 ; — nisi tamen etiam a superiore exempto pro suis subditis regularem iurisdictionem obtinuerit.

b) Idem sacerdos in una dioecesi approbatus non potest valide absolvere in alia, nisi ab episcopo huius dioeceseos iurisdictionem accipiat[1].

c) Episcopus concedere potest iurisdictionem non solum suis subditis, sed etiam sacerdotibus extraneis ad confessiones excipiendas, non in eorum sed in sua dioecesi.

582. Animadversiones de quibusdam iurisdictionis circumstantiis. — 1. *De conditionibus ad liceitatem concessionis* spectetur can. 877 :

1. Aliquando ex mutuo inter se consensu Ordinarii dioecesium vicinarum delegant confessarios districtuum suae dioecesi adiacentium. Ita ex decreto Conc. provincialis Mechliniensis anni 1920, sub n. 203, «sacerdotibus ab Ordinario suo ad audiendas confessiones approbatis, qui in paroeciis districtuum seu decanatuum alienae dioecesi contiguorum stabili quodam modo i. e. saltem per hebdomadam, etiam per feriarum tantum tempus degunt, conceditur ut in decanatibus alienae dioecesis suo decanatu conterminis, *intra fines provinciae Mechliniensis*, valide et licite confessiones sacramentales excipiant. Qua tamen facultate sacerdotes extranei ne utantur, nisi legitime ab iis quorum interest advocentur ».

« § 1. Tum locorum Ordinarii iurisdictionem (etiam ordinariam ex can. 149), tum superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant.

§ 2. Si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario ».

2. *De ambitu iurisdictionis delegatae*, can. 878 :

« § 1. Iurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus » scil. quoad tempus, locum, personas : res enim tota pendet a voluntate delegantis.

« § 2. Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi superiores ne iurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent ».

Hinc a) si episcopus concedit iurisdictionem pro *determinata poenitentium categoria*, ad alios invalide extenderetur, etiamsi limitatio omnino irrationabilis appareret ;

attamen b) si postulatio ac concessio sit *generalis*, obtenta iurisdictio non limitatur ad operam quae fuit occasio concessionis : ita iurisdictio, occasione exercitiorum spiritualium in conventu aut societate pia tradendorum concessa, permittit audire confessiones aliorum fidelium : *continetur in concessione quidquid non excipitur*, sive expressa restrictione, sive ipso iure, uti fit pro casibus reservatis.

3. *De modo seu forma qua datur concessio*, can. 879 :

« § 1. Ad confessiones *valide* audiendas, opus est iurisdictione *scripto vel verbis* expresse (licet implicite) concessa.

§ 2. Pro concessione iurisdictionis nihil exigi potest », secus esset simonia.

Notandum : a) Codex non excludere videtur usum telegraphi vel telephonii, sed concessionem *iurisdictionis* tacitam vel mere praesumptam, quae datur sine signo intentionali solo nutu, aut solum daretur si peteretur ; et a fortiori excludit iurisdictionem petitam et iniuste denegatam[1].

b) At iurisdictione data, non excluditur *licentia* praesumpta ex can. 874, § 1.

1. Constat ex prop. 13ª damn. ab Alex. VII : « Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari, episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato ».

c) Nec requiritur *intimatio ;* unde, ait Vermeersch, Th. M. III, n. 416 : in casu urgente, iurisdictio posset praesumi, ut aiunt, *de praesenti*, et qui moraliter certus est de recepto ab episcopo libello quo iurisdictionem postulat, et de responso affirmativo dato, sive procuratori sive per litteras, posset, rebus urgentibus, iam ante receptas litteras vel ante reditum mandatarii, confessiones excipere[1].

Ita dummodo certitudo moralis fundetur in signo iam posito sufficienter certo et non in mera praesumptione ; signum certum esse potest nuntium per testem vel per telegraphum.

4. *De revocatione et suspensione iurisdictionis* agit can. 880 :

« § 1. Loci Ordinarius vel superior religiosus iurisdictionem vel licentiam ad audiendas confessiones ne revocent aut suspendant, nisi gravem ob causam.

§ 2. At graves ob causas Ordinarius potest etiam parocho aut poenitentiario canonico munus interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam.

§ 3. Non tamen *licet* (quamvis validum sit) Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, si de domo formata agatur (quae constat sex religiosis non novitiis quorum quatuor sunt sacerdotes), omnibus alicuius religiosae domus confessariis, *una simul* (i. e. collective) iurisdictionem adimere ».

5. *De subiecto iurisdictionis* spectetur can. 881 :

« § 1. Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cuiuscumque ritus orientalis, valide et licite absolvere.

§ 2. Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt *subditos* absolvere ubique terrarum ».

Item can. 883 :

« § 1. Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus, in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis

1. Applicari potest can. 38 de rescriptis quibus gratia conceditur sine interiecto executore, quia iurisdictio hoc modo solet concedi. Aliter est dicendum, si munus committatur exequendum, v. g. dispensandi in matrimonio, aut absolvendi aliquem a determinato casu reservato (S. Off., 14 nov. 1892) : tunc ante receptas litteras authenticas vel notitiam ab auctoritate concedentis transmissam, valide uti rescripto nequit, ut habet can. 53.

portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquando consistat in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis.

§ 2. Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide et licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis ».

Quae can. 883 de facultate confessionis sanciuntur pro sacerdotibus maritimum iter habentibus, valent et extenduntur ad sacerdotes iter aërium facientes, et quidem sub iisdem conditionibus quae a Codice et Comm. Interpr. Cod. statuuntur. (Motu proprio « Animarum Studio » diei 16 dec. anni 1947.)

Concessio respicit

1° *sacerdotes*, non ipsos, ut videtur, Ordinarios ;

2° *iter* arripientes, et non meram in mari ambulationem seu excursionem, qua recreationis vel piscationis causa quis per aliquot horas a portu solvit ;

3° vere *maritimum*, et non in lacu, aut tantum in flumine, quamvis ibi possit incipere ;

4° durante *toto itinere* scil. ipsorum, ita ut iter iam inceptum sit et nondum terminatum, ac proinde non in portu ubi ascendunt nec in portu ubi eorum iter finem habet ;

5° possunt confessiones in navi excipere quorumlibet fidelium *secum navigantium* in eadem navi aut in navibus eiusdem classis ;

6° dummodo confessiones audiendi facultatem rite acceperint vel *ab Ordinario proprio, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti* per quem in itinere transeunt ; non autem sufficit recipere ab Ordinario portus in quo iter terminatur. Ordinarius proprius intelligitur Ordinarius loci ad quem aliquis pertinet, non vero Ordinarius religiosorum, tum quia in toto contextu, imo in toto capite, Ordinarius semper dicitur de Ordinario loci, dum Ordinarius religiosorum nunquam ibi venit sub hoc nomine, sed constanter vocatur Superior ; tum quia iure novo, quoad hoc, nihil immutatum fuit in concessione ex decr. S. Off. 23 aug. 1905, unde applicanda venit regula interpretationis can. 6, 2°, 3° et 4°. Et id iam est omnino indubium ex responsione authentica comm. interpr. 30 iul. 1934 ;

7° insuper ubi navis consistat, possunt confessiones excipere *eorum qui quavis de causa ad navim accedant*, atque eorum qui dum ipsi ad terram obiter appellant, *confiteri petant*. Verbum

obiter, ex declaratione comm. interpr. 20 maii 1923, intelligendum est *per tres integros dies* ; non ultra, si Ordinarius facile adiri queat. Quod etiam valet si ibi unam navem relinquere debeant et aliam expectare et conscendere ad iter prosequendum ;

8° eosque *valide et licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis*, etsi adsit alius sacerdos approbatus.

583. Corollaria. — A. *Tribus modis possunt poenitentes fieri subditi eorum qui ordinariam iurisdictionem habent :*

1° *Ratione domicilii aut quasi domicilii* subditi sunt episcopo vel parocho cuius in dioecesi vel paroecia domicilium aut quasi domicilium habent, iuxta can. 92.

2° *Privilegio status* seu cooptatione in familiam religiosam : sic familiares Cardinalium reputantur eorum subditi, ita ut Cardinales pro se suisque familiaribus eligere valeant in confessione quemcumque sacerdotem (can. 239) ; id quoque possunt episcopi (can. 349, § 1) ; item novitii, famuli, etc. in religione clericali exempta subditi sunt superiorum (can. 875 et 514) ; item illi qui subduntur parocho personali, qualis quandoque est cappellanus militum.

3° *Iuris interpretatione* seu *consuetudine*, iam in Iure novo inserta : ita vagi et peregrini fiunt subditi episcopi vel parochi loci per quem iter faciunt.

B. *Delegata* iurisdictio *concedi* potest *ab homine* i. e. a superiore qui eamdem potestatem habet delegarte ; aut *a iure* v. g. pro suscipientibus iter maritimum.

C. *Cessat* iurisdictio delegata secundum can. 207 :

a) *ex parte potestatis :* 1° *expleto mandato*, si ad determinatum casum concessa fuerit ;

2° *exhausto numero casuum* aut *elapso tempore* pro quo concessa fuerit, dummodo tamen confessio non incepta fuerit, quo casu perduraret usquedum poenitens absolveretur ; — attamen a potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est ;

3° *cessante causa finali* delegationis, v. g. facultas specialis concessa pro tempore belli, delegatio ad supplendum cappellanum infirmum si is ante adventum delegati convaluerit et officium resumpserit ;

b) *ex parte delegantis :* 4° *revocatione delegantis* (vel successoris) delegato directe intimata ;

5° *resoluto iure delegantis*, scil. *morte* eius aut *cessatione ab officio*, quando delegatio data est, non quidem usque ad revocationem, sed ad beneplacitum vel arbitrium [1], vel « durante meo munere », « donec vixero », aut facta est ad casum particularem et confessio nondum incepta est ;

---

1. Notant aliqui delegationem non extingui, si detur sub clausula : « ad beneplacitum dignitatis », quia dignitas non moritur. Sed talis formula nobis videtur ambigua, quia nomen abstractum *dignitas* potest usurpari ad designandam personam superioris in concreto, sicut *maiestas* ponitur pro rege et *sanctitas* pro Pontifice. Unde in casu esset attendendum ad stylum et mentem curiae.

c) *ex parte delegati:* 6° *renuntiatione delegati* deleganti directe intimata, et ab eo acceptata ;

7° *excommunicatione delegati* vel *suspensione eius ab officio aut iurisdictione*, sed post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam (can. 2264 et 2284).

D. Olim, ex praescripto Conc. Trid., sess. 23, c. 15 ad valide audiendas confessiones saecularium, etiam sacerdotum, requirebatur, praeter iurisdictionem, etiam pro religiosis exemptis, *specialis approbatio Ordinarii,* scil. huius iudicium authenticum de idoneitate ad audiendas confessiones. Unde dicere solebant confessarios exemptos approbationem habere ab episcopo, sed iurisdictionem recipere a S. Pontifice. — Ius novum autem iam nullibi agnoscit approbationem distinctam a concessione iurisdictionis, sed statuit etiam regulares exemptos iurisdictionem suam accipere ab Ordinario loci (can. 874).

E. Quamvis illi qui ordinariam habent iurisdictionem, per se possint illam delegare aliis vel delegatam extendere, id tamen ad Cardinales, canonicum poenitentiarium et parochum non est extendendum, quia id iure cavetur, uti pro Poenitentiario constat ex can. 401 ; pro parocho et illis qui loco eorum sunt ex authentica declaratione commissionis interpretationis, 16 oct. 1919 ; pro Cardinalibus eruitur ex can. 239, § 1, 2°, dum iis *privilegium* conceditur eligendi sacerdotem ut confessarium qui tunc, si iurisdictione careat, eam ipso *iure* obtinet. Omnibus scil. aliis exclusis, *concessio iurisdictionis delegatae iure reservatur Ordinario loci*, ut ait can. 874, qui in ordine ad confessiones solus delegare valet ; — nisi pro confessionibus audiendis illorum qui pertinent ad religionem clericalem exemptam, pro quibus *insuper* delegatam iurisdictionem dare valent superiores (can. 875).

Articulus II.

De Iurisdictione suppleta.

S. Th., Suppl. q. 8, a. 6.

584. Quid sit iurisdictio suppleta. — Quando deest iurisdictio, sive ordinaria sive delegata, eam potest Ecclesia *supplere* i. e. *extraordinarie conferre dum non fuit regulariter collata*. Id tamen non facit nisi gravi de causa, ob bonum commune animarum.

Haec iurisdictio, quam supplet Ecclesia, differt a iurisdictione ordinaria aut delegata, in eo quod confertur solum *in ipso actu confessionis*, posteaque extinguitur, dum altera ante confessionem datur et post absolutionem de se permanet. Tres autem sunt casus in quibus Ecclesia supplet : 1° in periculo mortis, 2° in casu erroris communis, 3° in casu iurisdictionis dubiae.

585. *Principium I.* **De iurisdictione in periculo mortis.** — Valet can. 882 :

« In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessionem non approbati, valide et licite absolvunt poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884 et 2252 ».

Dicitur : 1° *in periculo* scil. gravi seu propinquo, et non tantum in articulo, quando mors iam ita instat ut moraliter certo sequatur, sed etiam quando aliquatenus imminet, ita ut ob adiuncta *brevi* possit occurrere, cum facile et sat frequenter contingat. De quo ex indiciis et coniecturis est iudicandum, ita ut prudenter timeri possit ne mors brevi sequatur ; unde non sufficit persuasio mere subiectiva sacerdotis aut familiae. Nihilominus si quis ex errore periculum adesse aestimaverit, sed prudenter ob gravem rationem, absolutio erit valida utpote data in dubio positivo et probabili, ut dicetur n. seq. ;

2° *mortis*, ex quacumque causa proveniat, sive ab intrinseco, ut ex infirmitate periculosa, partu difficili, vulnere inflicto, extrema senectute, sive ab extrinseco, ut ex iudiciali sententia, difficili incisione chirurgica, instante praelio, longa ac periculosa navigatione, etc. ; non tamen, ut quidam dixerit, ex itinere aëreo in ordinariis adiunctis, quia periculum proximum non infert ; quod si secus, nec liceret instituere ;

3° *omnes sacerdotes*, etiam irregulares, suspensi, excommunicati, schismatici, haeretici, apostatae, dummodo fuerint valide ordinati ;

4° *valide et licite absolvunt* ab omnibus peccatis et censuris in foro scil. interno, ita ut id nullum effectum sortiatur in foro externo, ut declaravit com. interpr. 28 dec. 1927 ;

5° *salvo praescripto* can. 884 et 2252 ; ubi duplex apponitur restrictio : a) iuxta can. 884, absolutio complicis, extra casum necessitatis, manet ex parte confessarii illicita (n. 635) ; b) iuxta can. 2252 : « Qui in periculo mortis constituti a sacerdote specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura *ab homine* vel a censura *specialissimo* modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine ; ad... aliquem facultate (absolvendi) praeditum,... si de censura a iure ; eorumque mandatis parendi » (cfr n. 682, B).

586. *Principium II.* **De casu erroris communis et iurisdictionis dubiae.** — Valet can. 209 :

« In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum interno tum externo ».

A. Ecclesia supplet *in errore communi:* 1° Ad hoc ut ecclesia jurisdictionem suppleat requiritur error, i. e. judicium falsum de alicujus jurisdictione sive ordinaria sive delegata. Non tamen oportet quod detur error de facto apud multos (error communis de facto), sed sufficit quod fundamentum erroris, factum scilicet in quo error fundatur, sit pluribus notum. Imo sufficit quod factum aliquod, quod per se natum sit multos in errorem inducere, publice positum sit. Non ergo refert utrum multi de facto adierint illum cui erronee jurisdictionem adscribunt, vel multi in errorem de facto inducti sint, sed utrum detur factum publicum, quod natum sit non unum vel alterum sed quemlibet indeterminate in errorem inducere (error communis de jure, virtualis, interpretativus). Nec oportet quod adsit titulus coloratus seu actus quo jus nititur qui tamen vitio occulto laborat. Sufficit titulus putativus, qui scilicet creditur adesse, cum revera nullo modo existat. Sic valide assistit matrimonio, is qui est parochus putativus.

2° Secundum interpretationem Com. I. C die 26 martii 1952, « applicandum est can. 209 in casu sacerdotis qui delegatione carens matrimonio assistit ». Quod non tantum valet si agitur de existimata delegatione ad universalitatem causarum matrimonialium sed etiam de delegatione ad unum determinatum actum [1].

3° Attamen generatim asseritur, et etiam in errore particulari valet quod supra diximus ex can. 207 : « Potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est ».

4° Cum sacerdos, qui certo sciens, in casu erroris communis se iurisdictione carere antecedenter ad suppletionem Ecclesiae, hanc, quasi invitam, cogat ad supplendum sicque graviter ordinem perturbet, *illicite* absolvit nisi adsit necessitas, et quidem gravis, poenitentis. A fortiori graviter peccaret qui voluntarie sive errorem communem sive gravem causam eo utendi provocaret.

B. Ecclesia quoque supplet *in dubio positivo et probabili*, i. e. serio et solide fundato in rationibus gravibus quae examini subiectae nec eliduntur nec convincunt ; non vero in dubio levi aut tenui : si enim nulla ratio solida adsit, dubium est negativum, non vere probabile, et Ecclesia non supplet. Debet autem dubium esse obiectivum de ipsa iurisdictione, non subiectivum de doctrina vel scientia confessarii circa eam, ut si positive dubitet ipse quia non sufficienter inquisivit aut quia non bene recordatur quaenam sit norma in iure clare enuntiata, v. g. an in libris legerit vel a professore audiverit in tali casu adesse potestatem absolvendi : tunc scil. iurisdictio non est dubia, sed dubia de ipsa est notitia confessarii, nec in casu supplet Ecclesia. Ad utendum autem dubia iurisdictione, in dubio, scil. positivo et probabili sive iuris sive facti, specialis ratio necessitatis non requiritur. Casus esse potest : dubium an superior possit delegare, v. g. episcopus pro casu pontificio, an potestas audiendi confessiones expiraverit, an peccatum sit reservatum, an adsit periculum mortis.

1. Cfr. A. Delchard, *Nouvelle Revue Théologique*, 1952, pp. 1087-1090.

Ita confessarius dubitans an in can. 875 et 514, § 1 *in religiosa domo diu noctuque degentes* intelligi possint qui *una tantum die et nocte* ibi manent, an e contra plus temporis requiratur ut possint dici *degentes*, poterit sequi sententiam probabilem benigniorem.

Articulus III.

De Limitatione Iurisdictionis quoad Personas.

S. Th., Suppl. q. 20, a. 1.

587. **Limitari potest iurisdictio ad aliquas personas,** ita ut certae personae excludantur a potestate et non licite, aut etiam non valide, absolvantur. Sic v. g. in quibusdam regionibus non omnes confessarii, sed aliqui tantum, solent approbari pro confessionibus mulierum.

In iure novo quaedam praescriptiones statuuntur pro confessionibus, tum religiosorum eorumque novitiorum, atque alumnorum, tum praesertim religiosarum.

588. *Principium I.* **De confessione religiosorum eorumque novitiorum atque alumnorum.** — Ad illos valide absolvendos nulla iam requiritur iurisdictio specialis, sed sufficit illa quae ab Ordinario loci vel ab eorum superiore conceditur ; quoad liceitatem quaedam in iure ponuntur praescriptiones.

A. *De ipsis religiosis* valet can. 518 :

« § 1. In singulis religionis clericalis (sive exemptae sive non exemptae) domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus (i. e. peccatis et censuris) *in religione* reservatis », ita scil. ut optio sufficiens detur religiosis.

« § 2. Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure (divino aut ecclesiastico) servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant ».

« § 3. Caveant superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur ».

Ergo : 1) Ut superior licite audiat confessionem, dummodo per modum habitus non fiat, simplex petitio sufficit.

2) Gravis causa, praeter spontaneam petitionem, requiritur ut superior aliquem audiat per modum habitus, ut difficultas confitendi apud alios religiosos, exeundi ad inveniendum confessarium ; causa gravis tamen difficulter adest si magna sit communitas et plures confessarii.

3) Simplex petitio subditi non est sufficiens ratio ad illum habitualiter audiendum.

Prohibitio respicit superiores, non subditos ; superiores intelligendi sunt proprie dicti, non vero praepositus domus filialis, minister, praefectus spiritus, oeconomus.

Item can. 519 : « Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipiunt aut suadent apud determinatos confessarios peragendam (quarum proinde vis aut obligatio permanet), si religiosus etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat (sive intra sive extra domum) ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida ac licita est ; et confessarius potest religiosum absolvere (in foro interno) etiam a peccatis et censuris in religione reservatis » ; non tamen in foro externo, nec a censuris ab homine reservatis iuxta can. 2245 et 2247.

Ratio ad conscientiae quietem confessionem instituendi, non solum est peccatum grave commissum, sed etiam dubium ob tentationem, aut culpa levis non ordinaria, anxietas quae proprio confessario non facile aperitur, absentia fiduciae in confessario ordinario vel difficultas adeundi eum, aut simile motivum serium. Hisce in casibus quemcumque confessarium possunt adire, sed solum licito modo i. e. secundum regulas v. g. oblata intra vel extra conventum occasione ; non autem ideo possunt sine licentia exire e conventu nec a superiore exigere ut talem confessarium advocet.

B. *De novitiis* valet can. 566, § 2 :

« In religionibus... salvo praescripto can. 519 :

1° Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praescripto can. 891.

2° Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipso novitiatus domo commorentur ; si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri.

3° Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire licite possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret.

4° Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi ».

C. *De novitiis et alumnis* valet can. 891 :

« Magister novitiorum (qui stricte intelligendi sunt scil. ii qui nondum professionem emiserunt) eiusque socius, superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium (non exterorum) ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant ».

Hinc 1° qui enumerantur in isto can. 891 non privantur iurisdictione ; unde confessio apud eos instituta non esset invalida, sed prohibetur et est illicita. — 2° Superiores et alumni debent manere in eadem domo conventus, seminarii aut collegii, i. e. convictus ubi ad theologiam, philosophiam aut humanitatem informantur. — 3° Tres conditiones *simul* requiruntur ut licite audiantur confessiones : spontanea alumni petitio, gravis et urgens causa, casus particularis. Ergo non possunt, etiam ob gravem causam, habitualiter et ordinario audire confessiones quorumdam alumnorum. Et ideo magis restricta est, hac in re, eorum libertas, quam superioris quoad confessionem religiosorum.

589. *Principium II.* **De confessione religiosarum** valet can. 876 :

« § 1. Revocata qualibet particulari lege seu privilegio, sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusvis gradus aut officii, ad confessiones quarumcumque religiosarum (sive monialium, sive aliarum religiosarum a S. Sede approbatarum, sive etiam religiosarum dioecesanarum, imo mulierum in communi viventium sine votis iuxta can. 675) ac novitiarum (non vero postulantium) valide ac licite recipiendas peculiari iurisdictione indigent, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 1 (de privilegiis Cardinalium), 522 et 523.

§ 2. Hanc iurisdictionem confert loci Ordinarius, ubi religiosarum domus sita est, ad normam can. 525 ».

Ut autem hoc principium opportune in praxi applicetur, notandae veniunt ulteriores praescriptiones :

A. Can 520 : « § 1. Singulis religiosarum domibus (saltem formatis) unus dumtaxat detur confessarius ordinarius, qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus », quo casu expedit sorores dividere in plures categorias secundum ordinem professionis, officium, vel linguam, ita ut singulis categoriis unus sit ordinarius.

« § 2. Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat : qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant ; quodsi irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate ».

Abusus v. g. sane esset si omnes fere religiosae specialem haberent confessarium, quia esset legem detorquere et frustrare.

B. Can. 521 : « § 1. Unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius, qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae.

§ 2. Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates existunt, aliquot sacerdotes (saltem duos, non indeterminate) pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento Poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire.

§ 3. Si qua religiosa aliquem ex iis (extraordinariis vel supplementaribus) confessariis expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre ».

Ergo nec potest per se inquirere directe v. g. petendo rationem ab ipsa religiosa, nec per alios v. g. per magistram novitiarum vel per alias sorores, aut indirecte ab aliis petendo ubi fuerit aut ea quae locuta sit.

C. Canon. 522 : « Si non obstante praescripto can. 520 et 521 *aliqua* religiosa, *ad suae conscientiae tranquillitatem*, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in *qualibet* ecclesia vel oratorio etiam semipublico peracta, *valida et licita* est, revocato quolibet contrario privilegio ; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem ; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur ».

Can. 523 : « Religiosae omnes, cum *graviter* aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem, ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt, eique perdurante *gravi* infirmitate, *quoties voluerint*, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere ».

Igitur *aliqua* religiosa, non communitas, ad suae conscientiae quietem, quemcumque confessarium ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum potest adire ubique, etiam si confessarius occasionaliter vel vocatus ad ipsam domum religiosam accedat (com. interpr. 28 dec. 1927), — quin tamen ius expetendi illum aut exigendi religiosae competat ullum, — et apud eum confiteri in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipublico ; ergo etiam in ecclesia proprii conventus, vel in oratorio in commodum communitatis vel coetus fidelium eo convenientium legitime erecto, non tamen in oratorio alicuius tantum familiae seu mere privato.

Insuper religiosa in gravi morbo, qui scil. valde affligit aut de facili periculosus evadit, potest quemcumque huiusmodi confessarium pro mulieribus approbatum expetere quoties voluerit, ac proinde etiam pluries in hebdomada.

590. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

A. Religiosas omnes, sive novitias sive professas, domi aut foris confessionem *valide* peragere :

1) apud confessarium *ordinarium* communitatis ;

2) apud confessarium vel moderatorem *specialem* quem petenti ad animi sui quietem et ad maiorem Dei progressum Ordinarius facile concedet ;

3) si graviter aegrotant licet mortis periculum absit, apud *quemlibet* sacerdotem pro mulieribus approbatum, perdurante gravi infirmitate ;

4) apud confessarium *extraordinarium* communitatis (cui saltem quater in anno se sistere debent) aut *supplementarem* ex iis quos eo fine Ordinarius designaverit, per antistitem arcessitum;

5) tandem apud confessarium *occasionarium* ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, « *dummodo* in ecclesia vel oratorio etiam semipublico fiat, aut, sicut recenter concessum est, in loco ad audiendas confessiones mulierum *legitime* designato » (com. int. 24 nov. 1920) ; quod non tantum de loco habitualiter designato est intelligendum, sed etiam de loco per modum actus designato, vel ad normam can. 910, § 1 electo (com. int. 12 febr. 1935), scil. causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit. Locus

requiritur ad validitatem, ut ex ipso textu constat et authentice fuit declaratum, 28 dec. 1927.

B. Ut licite facultate sub n. 4 et 5 indicata utantur, animadverterat P. Vermeersch, *Summa Iuris novi*, n. 189, « *in casibus particularibus*... requiritur et sufficit motivum rationabile, neque sine Ordinarii consensu, unum ex his confessariis sibi stabilem confessarium constituere possent. Casum tamen *particularem* apud personas anxiae conscientiae frequentius recurrere posse haud infitiamur. Omnibus causa rationabilis erit v. g. impedita confessio die consueta, devotio maior in pervigilio festi, culpa etiam levis magis deliberate admissa, dubium ob importunam tentationem, anxietas quam ordinario confessario non libenter aperiat, etc.

Attamen can. 522..., facultas... confitendi apud quemlibet confessarium pro mulieribus approbatum... additis verbis : « *ad suae conscientiae tranquillitatem*, cautius exprimitur », imo, addimus, obvio sensu potius videretur hoc requiri ad validitatem (can. 39). Non ergo sufficit sola praeferentia naturalis, vel levis ratio, non naturale solamen cum tali confessario colloquendi, aut merus animi mobilis impetus (*un caprice*), sed seria ratio ut dictum est n. 588, A ; — secus enim inutiliter in canone poneretur restrictio : *ad conscientiae tranquillitatem*.

C. Notetur praedictam facultatem factam esse cuique *religiosae in particulari* (si aliqua religiosa, ait canon), ac proinde iurisdictionem non concedi nisi *pro casu particulari*. Non posset ergo superiorissa confessarium quemlibet rogare ut pro sua communitate absentem vel impeditum ordinarium vel extraordinarium suppleret ; nec confessarius occasionaliter posset totam communitatem audire. Confessiones enim essent invalidae propter defectum iurisdictionis specialis quae a can. 876 omnino exigitur ; quodsi secus, actum esset de praescriptione huius canonis. In casu itaque vocandus esset, vel confessarius extraordinarius, vel unus ex supplementaribus.

591. Animadversiones.— 1. Si confessarii specialiter vocati vel occasionaliter quaesiti experirentur, nullam rationabilem causam necessitatis vel utilitatis specialis legitimare quod religiosae ad illos, non ad ordinarium confessarium, accedant, eas prudenter dimittant.

2. De qualitatibus confessarii religiosarum ordinarii et extraordinarii dicit can. 524.

3. De eorum approbatione et amotione vide can. 525-527.

Articulus IV.

De Restrictione Iurisdictionis quoad Peccata reservata.

S. Th., Suppl. q. 20, a. 2.

592. Reservatio casuum est avocatio casus ad iudicium superioris ordinarii, qua simul potestas inferiorum limitatur (can. 893), seu revocatio casus ad proprium tribunal

reservantis ita ut nemo absolutionem impertiri valeat nisi ipse reservans, eius successor aut superior in officio, vel eius delegatus. Ex quo sequitur non omnem limitationem potestatis in confessario esse reservationem, nec omne peccatum cuius absolutio confessario aufertur esse reservatum ; sed ad hoc requiritur ut ad iudicium superioris avocetur, et *ideo* restringatur *generaliter* apud confessarios inferiores potestas ad illud absolvendum. Hinc illi qui *ordinario* iure possunt iurisdictionem concedere audiendi confessiones, aut ferre censuras, possunt etiam reservare casus, nisi aliter in iure statuatur ; v.g. S. Pontifex pro tota Ecclesia, episcopi pro suis dioecesibus, superior generalis religionis exemptae aut abbas monasterii sui iuris respectu suorum subditorum (C. Trid., sess. 14, c. 7 et can. 11).

Ita statuit can. 893 : « § 1. Qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque, excepto vicario capitulari, et vicario generali sine mandato speciali, nonnullos casus ad suum avocare iudicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes.

§ 2. Haec avocatio dicitur reservatio casuum.

§ 3. Quod attinet ad reservationem censurarum, servetur praescriptum can. 2246 et 2247 ».

593. Duplex est reservatio : alia peccatorum, alia censurarum. — Reservatio duplici modo fieri solet : alia fit *ratione censurae*, quatenus « reservatio censurae impedientis receptionem sacramentorum importat reservationem peccati cui censura adnexa est » (can. 2246, § 3), et tunc si censura non incurritur aut non reservatur aut tollitur, nec peccatum reservatur : est *reservatio censurarum ;* — alia fit *ratione sui* seu *peccati :* est proprie dicta *reservatio* casuum seu *peccatorum*.

Reservationis autem *duplex* est *finis :* alter primarius, *disciplinaris*, nempe bonum publicum, nam bona Ecclesiae disciplina postulat ut graviora peccata reserventur illis qui doctrina, prudentia et experientia, melius iudicare valeant qua ratione sit malo obviandum ; alter secundarius, *medicinalis*, scil. bonum privatum fidelium, ut ita ab iis peccatis magis absterreantur atque securius emendentur. Finis itaque reservationis nullatenus est poenalis ; dum e contra essentialiter *poenalis* est *finis ipsius censurae*. Hinc :

a) Reservatio peccatorum quae secundum essentiam est avocatio peccati ad iudicium superioris ut huic subiiciatur, ex consequenti duplicem importat effectum : primo *immediate et directe afficit confessarium* cuius potestas quoad hoc peccatum limitatur ita ut ab eo non absolvat valide ; altero *mediate et indirecte attingit poenitentem* qui pro absolutione obtinenda adire debet tribunal superioris. — E contra *censura immediate afficit poenitentem*, et, si sit reservata, consequenter confessarium qui, stante reservatione, privatur potestate ab illa absolvendi.

b) *Ignorantia reservationis ab ea non excusat*[1], — quod iam omnino certum est in iure novo, quia reservatio primario non est poena delinquentis, sed avocatio ad iudicium superioris et restrictio iurisdictionis in confessario ; ignorantia autem delinquentis non dat confessario potestatem quam non habet, nec impedit primarium reservationis finem. — E contra ignorantia censurae ab ea excusat, ac proinde etiam a reservatione adnexa ; nunquam tamen ignorantia affectata, nec etiam crassa si delictum non requirit plenam cognitionem aut praesumptionem (can. 2229).

594. De casibus S. Pontifici reservatis. — In iure[2] A. « Unicum *peccatum ratione sui reservatum* S. Sedi est falsa delatio (per se vel per alios inductos), qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud *iudices* ecclesiasticos » (can. 894).

B. *Censurae* plures sunt *reservatae* Apostolicae Sedi, quarum « aliae sunt reservatae *simpliciter*, aliae *speciali modo*, aliae *specialissimo modo* » (can. 2245, § 2 et 3).

Inter censuras specialiter reservatas etiam occurrit falsa sollicitationis delatio apud *superiores* (can. 2363). Ergo idem peccatum, sub diversis conditionibus, est reservatum ratione sui et ratione censurae, ut declarabitur n. 643 C.

595. De casibus Ordinario reservatis. — Ordinarii potestatem habent reservandi peccata in suo territorio vel pro suis subditis, atque censuras reservatas ferendi ; de cuius exercitio in iure traduntur quaedam regulae :

A. Quantum ad peccata reservata :

1° « Locorum Ordinarii peccata ne reservent, nisi, re in

1. Nisi per accidens, si peccatum reservetur sub conditione : si reservatio cognoscatur ; i. e. si reservans ignorantes excipiat.

2. *Ex dispositione speciali* S. Pontificis, decreto S. Poenitentiariae, reservabatur quoque absolutio pervicaciter adhaerentium *actioni*, ut dicitur, *gallicae* (16 nov. 1928) et legentium diarium huius nominis (2 mart. 1929). At, postquam rectores dictae actionis se subiecerunt litteris 20 nov. 1938 et 19 iun. 1939, S. Off. 10 iul. 1939 declaravit eam non amplius prohiberi in futurum, manentibus tamen sub Indice scriptis hucusque prohibitis.

synodo dioecesana discussa, vel extra synodum auditis capitulo cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioecesis animarum curatoribus, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit » (can. 895).

2° « Inter superiores religionis clericalis exemptae, unus superior generalis, et in monasteriis sui iuris abbas, cum proprio cuiusque consilio, peccata, ut supra, subditorum reservare possunt, firmo praescripto can. 518, § 1 et 519 » (can. 896).

Praecipitur sola *auditio* synodi, capituli, aut etiam, saltem probabiliter, consilii, et quidem ad validitatem secundum can. 105, 1°. At si non obstante voto auditi coetus, reservatio nihilominus feratur, tamen valida videtur.

3° « Casus reservandi sint pauci omnino, tres scil. vel ad summum quatuor, ex *gravioribus* et atrocioribus criminibus *externis*, *specifice* determinatis ; ipsa vero reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod insolitum vitium extirpandum aut collapsam forte christianam disciplinam instaurandam » (can. 897).

B. Quantum ad censuras reservatas :

« Ne reservetur censura, nisi attenta peculiari gravitate delictorum et necessitate aptius providendi disciplinae ecclesiasticae et medendi conscientiis fidelium » (can. 2246, § 1). Quod valet de censuris reservatis iure particulari ferendis. At insuper :

« Censura *ab homine* est reservata ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve superiori competenti, vel successori aut delegato ; ex censuris vero a iure reservatis aliae sunt reservatae Ordinario... » (can. 2245, § 2).

596. Qualitates peccatorum reservandorum. — Quinque solent numerari qualitates seu conditiones requisitae *ut peccatum sit reservatum*. Debet esse :

1° *Grave* seu mortale, tum ratione obiecti, tum ratione subiecti i. e. cum perfecta deliberatione et pleno consensu commissum : frustra enim venialia reservarentur cum nulla sit obligatio ea confitendi.

2° *Externum*, etsi occultum : non quod interna reservari non possint, sed quod Ecclesia id agere non solet (ne continuis anxietatibus subiiciat poenitentes), imo pro censuris reservatis id positive excludit (can. 2242, § 1), ita ut ipse actus externus de se gravis esse debeat nec sufficiat quod actio in se levis ob intentionem internam grave peccatum fuerit, uti v. g. levis percussio clerici ex intentione graviter percutiendi. Unde peccatum oportet sit mortale interne simul et externe.

3° *Specifice determinatum*, et non tantum generice : ita

v. g. non potest reservari totum genus luxuriae aut quicumque concubinatus (cum plures species contineat), sed casus debet circumscribi iis notis vel adiunctis quae reservationis causa sunt, v. g. sodomia, concubinatus adulterinus, si propter istam circumstantiam reservandus sit.

4° *In sua specie completum*, seu opere consummatum et non dumtaxat attentatum, ita ut verba reservationis in sensu strictiore verificentur, v. g. si reservatur incestus aut sodomia, debet adesse copula carnalis perfecta (cum emissione seminis intra vas) scienter, cum consanguinea vel affine, aut cum masculo admissa ; si reservatur homicidium, mors debet esse secuta.

5° *Certum* certitudine excludente dubium iuris et facti tum ratione peccati tum ratione reservationis, scil. certo reservatum, certo commissum et certo mortale. Hinc si serio dubitetur utrum lex reservans se extendat ad hunc casum, vel utrum peccatum revera commissum fuerit, vel utrum sit grave subiective aut obiective, non incurritur reservatio : odiosa enim sunt restringenda, unde reservatio semper strictam recipit interpretationem et in dubio sive iuris sive facti non urget (can. 19; 2246, § 2 et 2245, § 4).

Quibus addendum, si agitur de *censura* incurrenda, quod peccatum sit *cum contumacia commissum.* Contumax dicitur in censuris ferendae, qui post monitiones non desistit vel poenitentiam detrectat ; in censuris latae sententiae, qui sine causa legitime excusante transgressus est legem cui adnexa est censura (can. 2242, § 2).

Ut autem reservatio fiat conformiter ad vota Iuris :

a) *Peccatum non sit reservatum S. Pontifici*, imo etiam, saltem regulariter, nulla censura affixum, nam iuxta can. 898 : « Prorsus ab iis peccatis sibi reservandis omnes abstineant, quae iam sint Sedi Apostolicae etiam ratione censurae reservata, et, regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemine reservata, a iure imposita sit ».

b) *Reservatio necessaria* aut utilis sit *ad vitium publicum extirpandum* aut christianam disciplinam instaurandam (can.897). Cum autem, ait Vermeersch, Th. M. III, n. 430, non in omni regione sperari potest ut vitium reservatione omnino extirpari possit, si propagationem vitii impediat, id iam satis esse arbitramur ut reservatio utilitatem habeat quae votis S. Sedis postulatur.

c) *Censura non sit Sedi apostolicae reservata :* tunc enim « Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre » (can. 2247, § 1) ne quidem, ut videtur, valide.

597. Cessatio reservationis. — A. *Reservatio peccatorum et censurarum.* Quaevis reservatio cessat in periculo mortis, in quo omnis sacerdos absolvere potest ab omnibus censuris et peccatis iuxta dicta n. 585.

B. *Reservatio peccatorum.* Iuxta can. 900 : « Quaevis reservatio omni vi caret [1] :

1° « Cum confessionem peragunt sive *aegroti* qui domo egredi non valent, sive *sponsi matrimonii ineundi causa* ».

Quod etiam prodest aegrotis religiosis aut aliis qui in domo sunt ubi confessarii habitant, non autem iis qui egredi non valent, sed vere aegroti non sunt ut incarceratis aut parturientibus ; sponsis vero etsi sponsalia non contraxerint.

2° « Quoties vel legitimus superior petitam *pro aliquo determinato casu* absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo superiore peti nequeat sine gravi *poenitentis incommodo* aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis ».

In primo casu, ratio est quod, cognito casu a superiore, finis disciplinaris obtineri potest. In altero, incommodum intelligitur reservationi extrinsecum uti sunt : *gravis* difficultas redeundi ad confessarium simul cum gravi difficultate adeundi alium facultate absolvendi praeditum ; periculum gravis scandali v. g. necessitas celebrandi ; periculum gravis infamiae v. g. difficultas abstinendi a communione sine aliqua nota aut suspicione ; et pro sigillo periculum quod superior in suspicionem veniat personae pro qua facultas petatur.

3° « *Extra territorium reservantis*, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit », scil. quasi in fraudem legis.

Quinque igitur sunt casus : aegrotus egredi non valens, — sponsus matrimonium initurus, — facultas in determinato casu denegata, — grave poenitentis incommodum, — recessus a territorio reservantis.

C. *Reservatio censurarum :* 1° « In casibus urgentioribus si nempe censurae *latae sententiae* exterius servari nequeant

---

1. *Ex dispositione* tamen speciali sacerdotes qui absolverint adhaerentes « actioni gallicae » et fuerint absoluti cessante reservatione, intra mensem a die obtentae absolutionis vel convalescentiae debent ad S. Poenitentiariam recurrere sub poena excommunicationis specialiter S Pontifici reservatae. Sed a 10 iul. 1939 illa dispositio fuit revocata in futurum.

sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut superior competens provideat, tunc quilibet *confessarius* in foro sacramentali ab eisdem, *quoquo modo reservatis*, absolvere potest, iniuncto onere *recurrendi*, sub poena reincidentiae, *intra mensem* (i. e. 30 dies)... ad superiorem... et *standi eius mandatis* » (can. 2254, § 1).

Ubi notetur : a) Facultas conceditur pro censuris a iure (universali aut particulari) latae sententiae, non pro censuris ab homine.

b) Excipitur tamen absolutio sacerdotum ab excommunicatione, ob attentatum civile tantum matrimonium, et actu cum muliere caste viventium eorumque admissio ad participationem sacramentorum more laicorum : quae scil., extra periculum mortis, *exclusive* reservatur S. Poenitentiae ex recenti decreto (S. Poen. 18-28 apr. 1936 et 4 maii 1937).

c) Casus urgentiores a iure determinantur : 1. si censura servari nequeat sine *periculo gravis scandali*, ut si propter excommunicationem parochi aut magistratus ira aut perturbatio oriretur in populo ; — 2. item si sine *periculo infamiae*, ut si omnia iam sint parata ad nuptias, aut parochus vel vicarius celebrationem aut laicus communionem paschalem sine infamia omittere nequeat ; — 3. si poenitenti *durum sit in statu gravis peccati permanere* per tempus necessarium ut superior competens provideat, i. e. per duos vel tres, imo aliquando per unum diem. Quod tamen non semper durum est nec omnibus.

d) Casus indicantur pro absolutione a censuris reservatis, non pro peccatis ratione sui reservatis, nominatim tertius ; unde videtur Ecclesia magis urgere reservationem si peccatum ratione sui quam si solum ratione poenae reservetur, quod ex ipsa rei natura intelligi potest.

e) Absolutio ab istis casibus *directa* est, sed provisorie sub conditione reincidentiae *in censuram*.

f) *Onus recurrendi in casu imponi debet*, et recursus fieri intra mensem, vel ab ipso poenitente adeundo superiorem aut delegatum, vel saltem per epistolam et confessarium, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad episcopum aliumve superiorem praeditum facultate (can. 2254, § 1). Recursus fieri debet non ut absolvatur poenitens, cum iam sit directe a censura et peccato absolutus, sed ut satisfiat reservationi et ut congrua poenitentia et alia mandata de iure iniungenda iniungantur. Quodsi intra mensem, dum fieri potuerit, recursus factus non est, poenitens reincidit in censuram.

g) Attamen « nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra absolutionem, facto quoque recursu ad superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem ; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte superioris supervenientibus » (ib. § 2).

h) « Quod si *in casu aliquo extraordinario* hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius... potest absolutionem concedere sine onere (recurrendi) de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram » (ib., § 3). Excipitur excommunicatio in absolutionem complicis pro qua semper debet fieri recursus (can. 2367, § 1). Item excommunicatio sacerdotum ob attentatum civile tantum matrimonium et cum muliere viventium, de quo supra, b) ; quae habenda est ut specialissimo modo reservata (S. Poen. 18-28 apr. 1936).

Moraliter impossibilis esse recursus potest, si nec confessarius epistolam mittere possit quia abire debet ante responsum et absens non potest tuto, quin alii suspicentur, responsum communicare, nec poenitens forsan imperitus, et simul ipsi durum sit alium confessarium adire (S. Off., 9 nov. 1898, 5 sept. 1900).

2° « Reservatio censurae in particulari territorio vim suam extra illius territorii fines non exserit, etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur ; censura vero ab homine est ubique reservata ita ut censuratus nullibi absolvi sine debitis facultatibus possit » (can. 2247, § 2).

Confessarius ergo absolvere potest peregrinos vel et incolas quae in alio territorio censuram reservatam incurrerunt, dummodo sit particularis alieno territorio et agatur de censura a iure et non de censura ab homine.

3° « Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata » (can. 2247, § 3).

Valet etiam absolutio peccati, si sit solum ratione censurae reservatum : tunc enim si quis fuit a censura absolutus, reservatio peccati penitus cessat[1].

598. Efficacia reservationis. — A. *Pro Peccatis reservatis*. Ex monito can. 899 sufficienter obtineri potest reservationis efficacia, quae tamen simul ibi circumscribitur :

« § 1. Statutis semel reservationibus quas vere necessarias aut utiles iudicaverint, curent locorum Ordinarii ut ad subditorum notitiam, quo meliore eis videatur modo, eaedem deducantur, nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant (sed tantum selectis confessariis).

§ 2. At huiusmodi absolvendi facultas *ipso iure* competit canonico *poenitentiario* ad normam can. 401, § 1, et *habitualiter*

1. De modo agendi cum excommunicatis, vide plura alia in nostro opusculo *Quaestiones de Variis Poenitentium Categoriis*, c. 3, q. 8.

impertiatur saltem *vicariis foraneis* (i. e. decanis), addita, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo casu determinato ad eos recurrant.

§ 3. *Ipso iure* a casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt tum *parochi* aliive qui parochorum nomine in iure censentur (n. 580), *toto tempore* (etiam legitime anticipato aut prorogato) *ad praeceptum paschale adimplendum utili* (etiam si non ad implendum praeceptum confessio instituatur), — tum singuli *missionarii* quo tempore missiones (et forsan ea exercitia spiritualia collective tradita quae ipsis aequiparantur) *ad populum* (non ad particulare institutum, aut consociationem, aut coetum v. g. cleri) haberi contingat ».

B. *Pro censuris reservatis*. Attendatur can. 2253 :

« Extra mortis periculum possunt absolvere :

A censura *ab homine*, ille, cui censura reservata est... ; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit.

A censura *a iure reservata*, ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes superiores aut delegati. Quare a censura reservata *Episcopo* vel *Ordinario*, quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos ; — a reservata *Sedi Apostolicae*, haec aliive qui absolvendi potestatem ab eo impetraverint sive generalem, si censura *simpliciter reservata* sit, sive specialem, si *reservata speciali modo*, sive denique specialissimam, si *reservata specialissimo modo* ».

Attamen : 1) « In casibus *occultis*... potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas per se vel per alium (scil. confessarium ad hoc delegatum) remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis » can. 2237, § 2.

2) Confessarii regulares mendicantes,et qui participant mendicantium privilegia, a casibus *Ordinario*, non quidem auctoritate propria sed *de iure reservatis*, absolvere possunt ut v. g. a procuratione abortus.

599. Animadversiones practicae. — 1. Instructiones Codicis de servandis in reservatione statuenda *generatim* sunt normae generales secundum quas Ordinarii in sua legislatione agere debent, potius quam leges quas ipse S. Pontifex directe imponit. Et ideo si episcopi non mutaverint leges dioecesanas, aut praeter normas indicatas novos casus reservatos statuant, iis nihilominus standum est. At possunt applicari dispensationes indicatae can. 899 et 900.

In Belgio non amplius sunt peccata ab episcopis reservata, quamvis a Conc. Mechliniensi (Act. n. 205) praevideatur quod introduci possint.

2. Pro peregrinis, vagis et religiosis, qui vi iurisdictionis acceptae ab Ordinario loci absolvuntur, semper et unice existit

reservatio vigens in loco confessionis. Absolvuntur enim ex iurisdictione Ordinarii loci in quo confitentur (can. 874 et 881) ; quae iurisdictio afficitur reservatione ibi vigente, cum reservatio directe confessarii potestatem restringat (can. 893). — E contra parochi *extra dioecesim* suos *subditos* a reservatis ab alio episcopo possunt absolvere ; atque forsan a reservatis proprio Ordinario, cum quidam id asserere non dubitent.

3. Quando poenitens peccatum reservatum accusat, *statim* confessarius inquirat utrum adsint necne conditiones omnes ad incurrendam reservationem necessariae. Si constet peccatum vere reservatum esse, ac simul confessarius debitis facultatibus careat, moneat poenitentem ut vel superiorem aut confessarium specialem adeat, vel post paucos dies redeat, quando videlicet necessariae facultates obtentae fuerint, quod generatim praeferunt poenitentes ; — nisi tamen sit casus urgentior, quia tunc reservatio cessat : respective pro peccato ratione sui reservato iuxta can. 900 ; pro censura reservata ad normam can. 2254.

Quodsi poenitens reservationem ignoraverit, de ea est edocendus, ut horrorem peccati concipiat.

4. Confessarius, ut fini reservationis obsecundet, poenitenti seriam correctionem infligat, congruam satisfactionem imponat atque remedia peccati praebeat opportuna.

Absolvens autem a censuris, praesertim reservatis, ea iniungere debet quae a iure vel de mandato requiruntur, scil. 1° satisfactionem realem pro damnis personae laesae ; 2° reparationem scandali ; 3° poenitentiam, praeter sacramentalem, scil. canonicam et quidem congruam, quae aliquando requiritur longa, gravis, diuturna (cfr. can. 2242, § 3 ; 2254, § 3 ; 2312).

5. Absolutio a reservatis potest dari directe vel indirecte :

directe, quando peccatum reservatum expresse declaratur apud confessarium qui facultatem habet absolvendi a reservatis ; uti est etiam simplex confessarius, casu urgentiori quo iuxta can. 900 aut 2254 reservatio cessat ;

indirecte quando, absque sacrilegio, vel non declaratur, vel declaratur apud simplicem confessarium qui a reservatis absolvere non potest : tunc remittitur indirecte, si simul alia peccata declarantur a quibus poenitens directe absolvitur.

Hinc confessarius, speciali facultate carens, qui scienter, absque necessitatis casu, a reservatis absolvit, graviter peccat, Ecclesiae leges in re gravi violando, imo suspensionem incurrit iuxta can. 2366, ac si praesumit ita absolvere ab excommunicatione specialissimo vel speciali modo reservata incurrit excommunicationem Papae simpliciter reservatam (c. 2338, § 1) ; attamen absolutio valida est, si simul cum reservatis aliud peccatum declaratum est : directe enim absoluto peccato non reservato, indirecte alia remittuntur. Simplex confessarius qui ita agit, sicut et ille qui absolvit *ex inadvertentia* a casu reservato, (praeter exceptionem can. 2247, § 3 statutam), debet hunc errorem pro viribus corrigere. Ergo debet monere poenitentem de reser-

vatione, *si facile potest*, ut error reparetur et peccatum rursus declaretur superiori aut eius delegato ad obtinendam directam eius remissionem ; secus in bona fide eum relinquat, cum in proxima confessione possit indirecte absolvi ab hoc peccato et eius, simul cum aliorum peccatorum, remissionem obtinere, aut et illam iam obtinuit.

6. Poenitens, *ex inculpabili oblivione*, omittens peccatum reservatum in confessione, apud confessarium privilegiatum instituta, valide absolutus est. Tenetur tamen postea in confessione manifestare peccatum omissum, sed hoc *probabiliter* iam non est reservatum. Ratio est quia confessarius privilegiatus censetur quantum potest absolvere poenitentem rite dispositum. Ergo censetur eum indirecte absolvere a reservatione, quia hanc potestatem habet. — Paulo aliter res se habet, si poenitens *invalide aut sacrilege* confessus est. Certum est, si ille peccatum reservatum reticuerit, illud non esse remissum. Sin autem peccatum reservatum manifestatum fuit, et nullitas aut sacrilegium ob aliam causam accidit, reservatio ipsa videtur esse ablata, cum habens facultatem absolvendi de illa rite iudicaverit et satisfactionem congruam imposuerit, quae in casu semper erit adimplenda. In sequenti confessione igitur poenitens debet repetere totam accusationem et fateri sacrilegium commissum, sed iam a simplici confessario absolvi potest.

Excipitur, si tempore *Iubilaei*, sacrilege confessus est peccatum reservatum confessario simplici ; nam tempore Iubilaei solummodo illi poenitentes fruuntur privilegio absolutionis recipiendae a quocumque confessario, qui volunt adimplere omnia quae praescribuntur ad lucrandum Iubilaeum. Imprimis autem praescribitur confessio bona.

QUAESTIO TERTIA.

DE OFFICIIS MINISTRI IN ORDINE AD USUM POTESTATIS.

600. Duplex in confessario distinguitur speciale munus : iudicis atque medici. — Sicut duplex est finis in administrando sacramento Poenitentiae, ita et in ministro duplex distinguitur officium : iudicis nempe et medici. Et quidem 1) officium *primarium* est *iudicis*, quia essentiale est ministro huius sacramenti, quod institutum est sub forma iudicii. Cum autem hoc iudicium non sit condemnatorium sed liberatorium et in utilitatem poenitentis, nec solum ad praeterita delenda sed et ad futura praecavenda institutum ; hinc 2) *consequenter* confessarius etiam *medici* partes agere debet, vulnera eius sanando ac remedia opportuna suggerendo. « Sacerdos, ait S. Thomas, in

IV Sent., d. 19, exp. text., debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi *medicus* vulnus et *iudex* causam ». Hinc can. 888, § 1 :

« Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere, ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat ».

Cum autem a) una ex infirmitatibus humanis et peccatorum causis sit ignorantia, cumque minister sacramenti teneatur docere accedentes ea quae necessaria sunt ad sacramentum valide et licite suscipiendum, officio *doctoris* fungi debet medicus et iudex, ignorantes docendo et ignorantias depellendo.

Similiter b) quia varia munera eo tendunt ut vitam spiritualem generent et nutriant, confessarius est poenitentium *pater* spiritualis, quod munus non fructuose exercebit nisi paterno affectu eos diligat (Gal. IV, 19 ; I Thes. II, 7).

Hinc a pluribus post S. Alphonsum distinguuntur quatuor munera : patris, doctoris, medici et iudicis ; de quibus Haine, Th. M. III, de Poen., q.97 : qua *pater* viscera charitatis induat ; qua *doctor* scientia polleat ; qua *medicus* prudentia ; qua *iudex*, debet servare aequalitatem qua solvat et liget, non quidem pro suo arbitrio, sed sicut a Deo est sibi praescriptum. Quae tamen quatuor munera facile reducuntur ad duo ultima.

601. Obligatio audiendi confessiones. — Ex duplici fonte obligatio oriri potest : ex iustitia et ex charitate.

A. *Ex iustitia*. Iuxta can. 892, § 1 : « *Parochi* aliique quibus cura animarum *vi muneris* est demandata, *gravi iustitiae obligatione tenentur audiendi* sive per se sive per alium *confessiones fidelium sibi commissorum*, quoties ii audiri rationabiliter petant ». Qui enim curam animarum in se suscipiunt, ad hoc se obligant ex tacito contractu cum subditis suis, a quibus sustentationem vel honorem accipiunt sub conditione ministrandi sacramenta ; et cum superiore ecclesiastico, qui non committit alicui curam animarum nisi sub conditione quod munera huius officii fideliter adimpleat : iamvero unum ex his officiis est audire confessiones fidelium sibi commissorum.

Itaque, ut discimus ex tractatu de charitate, non solum 1) in *extrema* necessitate, sed etiam 2) in *gravi* necessitate spirituali urgente subditorum, sub gravi tenentur (per se vel per alium) ministrare sacramentum etiam cum periculo vitae ; 3) in necessitate autem *communi*, audire confessiones eorum tenentur quando ipsi *rationabiliter* petunt i. e. propter veram spiritualem utilitatem. Pastor enim debet ovibus praebere pabulum non solum

quando extreme aut graviter sed etiam quando communiter indigent ; alioquin non esset satis illis provisum ; unus autem ex praecipuis actibus pascendi exercetur in sacramento Poenitentiae. Quod ita tamen est intelligendum ut, propter legitimum impedimentum, ad modicum tempus poenitentes remitti possint : cum enim non sit urgens necessitas, lex non obligat cum tanto incommodo. Hinc :

a) *Graviter* peccant pastores si declarent se nolle confessiones audire nisi raro et paucis diebus determinatis, v. g. semel aut bis quolibet mense ; ac *saepe* se difficiles et morosos praebeant in excipiendis confessionibus : sic enim confessio odiosa redditur, et fideles non pauci ab eius praxi deterrentur.

b) Si quis autem semel aut bis extra urgentem necessitatem alicuius confessionem audire renuat, etiam sine legitima ratione, *non* peccat *graviter*, generatim loquendo, quia damnum quod infertur facile reparatur.

c) *Nullo modo* autem *peccat* si dimittit eos qui nimis frequenter et absque speciali ratione confiteri volunt : hi enim non rationabiliter petunt.

d) Si parochus idoneos coadiutores habet, non tam stricte obligatur ad excipiendas confessiones per seipsum, sed per vicarios huic officio satisfacere potest ; nisi *nominatim* requiratur, aut specialis necessitas poenitentis postulet ut confessio a parocho audiatur. Attamen omnino decet ut parochi hac in re bonum exemplum vicariis praebeant, confessiones audiendo quoties gravioribus negotiis non sint impediti.

B. *Ex charitate.* Iuxta can. 892, § 2 : « *Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex charitate* confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes ».

Ita iuxta principia de ordine charitatis.

Hinc : 1° Si proximus versetur in mortis periculo, ad audiendam confessionem omnes *sacerdotes* sub gravi tenentur etiam cum sat magno incommodo pro necessitate gravi, imo cum certo periculo propriae vitae, pro necessitate spirituali extrema proximi.

2° Si extra mortis periculum, proximus versetur in gravi necessitate spirituali, *confessarii* iurisdictione sufficienti instructi et eam exercere soliti, sub gravi tenentur deficientibus aliis, cum aliquo detrimento in bonis temporalibus prudenter aestimando ; — imo cum gravi incommodo, si *communis* adsit penuria confessariorum.

3° Si proximus peccator versetur in necessitate *communi* et confessionem petat, tenetur confessarius audire, dummodo fieri possit sine ullo incommodo nec adsit alius qui opportune possit adiri.

Ut ergo pro simplici sacerdote vel confessario gravis adsit obligatio confessiones audiendi cum propriae vitae periculo, tria requiruntur : a) ut necessitas spiritualis proximi sit moraliter certa nec proinde alius sit qui opem ferat ; b) ut pariter certa vel

probabilis sit spes absolvendi moribundum ; c) ut ex morte sacerdotis maiora mala non sequantur, v. g. probabilis damnatio plurium aliorum, si non adsit alius sacerdos in hoc loco.

602. In munere suo exercendo confessarius respicere debet tum bonum sacramenti, tum bonum poenitentis, tum etiam bonum publicum. — Ut scil. rite officio suo fungatur, prae oculis habere debet :

1° *Bonum sacramenti*, ita ut magna cum diligentia huius validitatem, integritatem et liceitatem, i.e. legitimam administrationem et receptionem procuret, *ac honorem Dei.*

2° *Bonum poenitentis*, ut meliore quo fieri potest modo sacramentum eiusque fructum iste recipiat ad peccata praeterita reparanda et futura praecavenda ; nam sacramenta sunt propter homines.

3° *Bonum publicum*, cavendo ne aliquid minus rectum in exercitio muneris scandalum causet aliudve malum in communitate.

Primum ex virtute religionis potius respiciendum est ; alterum, sicut et tertium, ex iustitia et charitate.

Ad munus autem suum perfecte exercendum confessarius varia implenda habet officia ante actum, — in actu, — et post actum confessionis.

Articulus I.

De Officiis ante Actum Confessionis seu de Confessarii Dotibus.

603. Ante confessionem confessarius acquirere debet dotes requisitas. — Praeter potestatem ordinis et iurisdictionis, quae ad valorem sacramenti necessariae sunt, plures in ministro requiruntur qualitates seu dotes, sine quibus munus suum licite et fructuose pro spirituali confitentium salute, exequi non posset. Confessarius itaque ad confessiones excipiendas sese praeparare debet, *qualitates* acquirendo quae necessariae sunt ad hoc munus rite adimplendum : ex parte *intellectus speculativi*, *scientiam ;* ex parte *intellectus practici*, *prudentiam ;* ex parte *voluntatis*, *bonitatem vitae.* Ita Rituale rom., t. 3, c. 1, n. 1.

604. De scientia confessarii. — *Confessarius tenetur*

sub gravi, extra casum extremae necessitatis, eam scientiam habere quae ad suum munus rite subeundum requiritur et est competens: non eminens scil. sed mediocris, qua possit casus solvere qui communiter occurrunt in loco ubi confessiones audire solet, et de difficilioribus saltem prudenter dubitare, ut libros vel alios doctiores consulere valeat.

Deficiente enim hac scientia, proximo et moraliter certo periculo se exponit munus suum male explendi, cum iniuria sacramenti et poenitentium damno. Nam, ut *minister* debet sacramenti validitatem et integritatem procurare; ut *doctor*, ignorantes instruere de officiis tenetur; ut *iudex*, de peccatis, dispositionibus, obligationibus urgendis poenitentium debet iudicare; ut *medicus*, causam spiritualem morborum investigare ac opportuna remedia proponere debet. Quae omnia certo requirunt scientiam non parvam.

Itaque: 1) *Oportet ut confessarius casus solvere possit communiter occurrentes.* Unde scire tenetur ea quae spectant ad essentiam et effectus sacramenti Poenitentiae, ad eius validitatem et licitam administrationem et susceptionem; — principia discernendi inter mortalia et venialia tum in genere tum in singulis praeceptis; — quae spectant speciem, numerum, circumstantias peccatorum necessario declarandas; — quae spectant ad restitutionem famae et bonorum; — casus reservatos et censuras frequentius occurrentes; — impedimenta matrimonii et obligationes statuum; — radices et occasiones peccatorum et opportuna remedia. Quae tamen impossibile est scire aut recte intelligere, nisi cognoscat principia generalia scientiae moralis de actibus humanis, conscientia, peccatis et legibus.

Quantum autem ad casus difficiliores, qui ceteroquin raro occurrunt, non expedit eos statim solvere, sed dicendum est poenitenti ut det tempus rem maturius considerandi ac libros et doctiores consulendi; qui tamen interea absolvi potest, dummodo decisioni dandae obedire paratus sit.

2) *Scientia requisita mensuranda est ad locum ubi confessiones audiri solent:* non enim eadem scientia in omnibus confessariis requiritur, sed maior vel minor pro locorum, temporum ac poenitentium diversitate. Ita v. g. maior requiritur in civitate quam in remoto pago, ad quoslibet fideles diversae conditionis audiendos quam pro fidelibus eiusdem status aut conditionis.

3) *Scientia praedicta requiritur extra casum necessitatis.* Nam, si urgeat necessitas, non solum extrema sed etiam gravis, confessarius minus doctus licite confessiones excipit, cum plerumque ignorantia confessarii non validitati sacramenti, sed solum eius integritati vel fructuosae eius administrationi obstat; imo in casu necessitatis non semper illicitum est administrare sacramentum cum periculo ne mancum aut invalidum maneat. Sacerdos autem, qui timet ne sacramentum nullum sit, conditionaliter tantum absolvere potest.

4) *Graviter peccat sacerdos qui, dum certe noverit sibi competentem*

scientiam deesse, munus confessarii accipit etiam ex sola charitate vel obedientia, etiamsi olim periculum examinis bene subierit et approbationem Episcopi habeat, cum haec supponat sed non suppleat scientiam; quamvis tamen *in dubio* utrum ista desit vel non, iudicium episcopi sequi possit, si iste sacerdotem probe cognoscat. Item facile peccat graviter qui per longum tempus negligit studium theologiae moralis, si ita se exponat periculo committendi graves errores et nocendi poenitentibus.

5) *Graviter peccaret episcopus, qui confessarium probaret quem sciret esse ignarum,* quia sic eius peccato cooperaretur; — quamvis tamen excusari possit si *minus idoneum* approbet in casu necessitatis, v. g. pro locis exiguis et remotis, quando doctiorem invenire nequeat: melius enim est pro fidelibus indoctum habere confessarium quam nullum. Quo casu episcopus illum monere tenetur de obligatione quamprimum comparandi scientiam competentem.

6) *Graviter quoque peccaret poenitens, qui de industria eligeret ineptum confessarium,* si ita se exponeret gravi damno spirituali, cum praeter damnum quod pateretur, causa esset quod sacramentum indebito modo ministraretur.

605. De confessarii prudentia. — Scientiae accedere debet *prudentia* i. e. *sapientia practica quae ordinat optima media ad finem.* Maxime enim necessaria est confessario, ut sciat in praxim deducere principia, et generalia praecepta applicare secundum personarum et adiunctorum conditionem; ita ut nec per excessum nec per defectum peccet, nec in laxitatem nec in rigorem impingat, sed tuto ad vitam honestam christianam, et perfectionem ac vitam aeternam ducat.

Iudicis enim et medici est ea recte aptare quae ad causas iudicandas vel morbos curandos requiruntur; confessarius autem est iudex et medicus animarum; ad hoc ergo requiritur ut cognoscat indolem poenitentis et ut diversos poenitentes tractet non eodem modo, sed pro diversa eorum indole et conditione. — Insuper non raro occurrunt casus difficiles quorum circumstantiae in infinitum variari possunt, et in quibus recte procedere nequit confessarius, nisi prudentia eum dirigat.

Debet autem esse prudens, tum erga poenitentem, tum erga seipsum, ut neutri noceat; tum erga rempublicam christianam ne, cum detrimento religionis, scandalum praebeat, sed pro viribus bonum publicum procuret.

A. *Erga poenitentem* debet esse prudens:

1) *Quantum ad contritionem,* ut motiva contritionis proponat iuxta singulorum ingenium, indolem et peccata; et non nimis facilis sit ad iudicandum quod poenitens sit contritus, neque nimis rigidus, sed ex indiciis et circumstantiis aequum iudicium ferat.

2) *In confessione :* a) *In iudicio ferendo* de actionum moralitate, ut non obiectum solum, verum et circumstantias subiectivas, cuiusvis dispositiones ac conscientiam respiciat, quae saepius speciem vel gravitatem immutent.

b) *In interrogationibus,* quae nullo modo immodicae, indiscretae, aut intempestivae seu inopportunae, sed indoli, aetati et conditioni singulorum sint adaptatae, ad cavendum scil. ne simplices et innocentes ignota peccata doceat, et in tentationem inducat, aut poenitentibus offendat ; et nihilominus sufficientes sint ad detegendum vulnera latentia ac morborum spiritualium causas, occasiones et gravitatem.

c) *In consiliis* praebendis, seligendo opiniones et monita secundum quod exigat bonum spirituale poenitentium, et in *instructionibus,* monendo ignorantes vel illos in bona fide relinquendo, *generatim* prout ipsorum bono magis expedire cognoscat.

d) *In perfecta libertate* relinquenda adeundi alium confessarium.

3) *In absolutione,* ut recte discernat poenitentis dispositionem vel indispositionem, et ut absolutionem concedat, deneget vel differat prout saluti eius expediat, potissimum cum occasionariis et recidivis.

4) *In satisfactionibus,* ut salutares et convenientes imponat, accommodatas qualitati peccatorum, magis autem bono poenitentis ; item ut opportuna remedia suggerat accommodata peccatis, imprimis tollendo peccatorum causas.

5) *In consectariis adiunctis* confessionis : a) in corrigendis propriis erroribus ; et b) in custodiendo sigillo ita ut caveat omne periculum quod directe vel indirecte aliquid reveletur, et quidem ita stricte ut in dubio agat id quod est *tutius* (II, n. 90-91) ; imo c) in abstinendo ab omni verbo de aliorum confessariorum defectibus.

B. *Erga seipsum :* a) In exquirendis circumstantiis peccatorum, praesertim contra castitatem, ne istis modis valde minutis in seipso tentationem excitet.

b) In vitando feminarum aspectu, praecipue iuniorum.

c) In agendo caute cum feminis, etiam spiritualitati deditis aut ad perfectionem tendentibus, vitando nempe superfluas confabulationes aut familiaritatem, munuscula non recipiendo, sine necessitate eas domi non invisendo, rigidum et austerum potius quam suavem seipsum exhibendo, etc.

C. *Erga rempublicam christianam.* Quamvis enim confessarius ratione officii sui teneatur principaliter incumbere bono poenitentis, cum tamen sacramenta sint propter Ecclesiam et ipse minister sit constitutus propter bonum Ecclesiae, non solum bonum privatum sed etiam pro posse ab ipso est procurandum bonum publicum, cui non est nocendum et cui bonum privatum poenitentis est subordinandum, ut monet S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 615.

Ut autem prudentiam acquirat attendendum est ad naturam, qualitates et conditiones prudentiae secundum doctrinam S. Thomae[1].

1. Cfr. II, n. 11-12 et 23-25. ; et opusculum nostrum *De Poenitentiae Ministro,* c. 4, q. 1, a. 2.

606. De bonitate vitae in confessario requisita. — Praeter scientiam et prudentiam requiritur quoque *bonitas seu honestas vitae.* Quae non solum consistit in statu gratiae, qui ad vitandam sacrilegam sacramenti ministrationem est necessarius, et ideo in eo qui confessiones audire solet ordinario requisitus nec occasioni proximae exponendus (n. 78,3) ; — sed et in complexu virtutum quae ad munus confessarii rite obeundum desiderantur, tum ut ipse peccatorum ulcera tractando non contaminetur, tum ut alios in via sanctitatis dirigere possit.

Praecipuae virtutes confessario necessariae recenseri solent : *supernaturalis zelus animarum,* quo *ex sincera charitate* erga Deum et proximum soli honori Dei et saluti proximi unice consulat ac totum se impendat, et poenitentes *speciali dilectione* paterna diligat tamquam spirituales filios Dei ; ad quod requiruntur magna *mansuetudo* misericordiae atque *paterna gravitas* quae reverentiam exigit exclusa omni affectione nimis sensibili ; — *patientia,* — *fortitudo,* — *eximia puritas,* — et *magna humilitas*[1].

Articulus II.

De Officiis in Actu Confessionis.

607. Varia officia in actu confessionis exercenda sunt. — Confessarius enim tenetur cognoscere causam et ferre sententiam. Ad cognitionem causae pertinet 1) ut iudex, poenitentem interrogare, et iudicium sibi de causa efformare ; dein ea occasione etiam 2) ut doctor, instruere et monere ; 3) ut medicus, remedia praebere ; 4) ut pater, disponere et praeparare ; denique ad pronuntiationem sententiae 5) ut minister potestatem clavium et sacramentale iudicium exercens, absolutionem concedere, negare aut differre ; nam, ut manet Rituale, t. 3, c. 1, n. 23 : « Videat diligenter quando et quibus conferenda, vel deneganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii sint incapaces ».

608. *Principium I.* **Confessarius,** *ut iudex,* **ex officio poenitentem quandoque interrogare morali diligentia tenetur,** et quidem per se sub gravi, quoties

1. De his cfr. S. Alphonsus *Homo Ap.* tr. 21, n. 1 sq.; et *Praxis Confessarii ;* Aertnijs, Th. P., n. 18 sq. ; Lehmkuhl, Th. M., II, n. 560-565 ; et opusculum nostrum *De Poenitentiae Ministro,* c. 4, q. 1, a. 3.

probabiliter iudicat eum, sive culpabiliter sive inculpabiliter, quaedam forsan omittere scitu necessaria ad cognitionem causae vel ad absolutionem.

Dicitur : 1) *quandoque*, nam si ex ipsa confessione vel ex conditione personae poenitentis peccata ex integro et animi dispositiones satis cognoscere existimat, non tenetur interrogare confessarius, utpote in casu otiosum. Quod etiam valet de rudibus qui satis instructi videntur et peccata diligenter accusant ;

2) *morali diligentia*, quia confessarius solum tenetur interrogare ad supplendum defectum poenitentis, qui ipse non tenetur ad diligentiam maiorem ; et ceteroquin diligentia nimia redderet sacramentum onerosum et odiosum ;

3) *per se, sub gravi :* agitur enim de re gravi, utpote quae spectat ad poenitentis salutem et ad sacramenti reverentiam ; quamvis tamen possit dari negligentia leviter culpabilis, ut si in longa peccatorum serie una vel altera interrogatio praetermittat ur

Probatur : a) *Ex auctoritate Ecclesiae*, scil. ex Conc. Lat. IV, in decr. de conf. annua : « Sacerdos autem sit discretus et prudens... diligenter inquirens, et peccatoris circumstantias et peccati » ; et ex Rit. rom., t. 3, c. 1, n. 16 : « si poenitens numerum, species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget ».

b) *Ratione :* Confessarius, *ut iudex*, sententiam ferre nequit nisi causam cognoscat, scil. tum illa, quae poenitens commisit peccata, quoad numerum, speciem, circumstantias, tum eius dispositiones, tum etiam saepe occasiones peccatorum et causas, quas iste dispositus esse debet relinquere vel impugnare. Ad hoc autem non semper sufficit ut poenitentem audiat, sed saepe requiritur ut eum interroget. Ergo interrogare tenetur quoties cognoscit vel rationabiliter dubitat aut praesumit poenitentem ea non satis manifestare.

609. De quibusnam est interrogandum. — De tribus itaque interrogare tenetur, quae scil. et in quantum necessaria sunt ad procurandam 1° validitatem sacramenti, 2° integritatem confessionis, aut 3° correctionem seu emendationem poenitentis.

1° *Ad procurandam validitatem sacramenti*, v. g. ad cognoscendum an sit materia confessionis sufficiens, an poenitens ex verecundia aliquid reticeat prout saepe accidit in pueris et puellis, an poenitens sit sufficienter dispositus.

2° *Ad integritatem confessionis*, v. g. circa peccatorum numerum, speciem, circumstantes speciem mutantes ; aut circa peccata de quibus poenitentes se accusare non solent ut de peccatis internis, de omissione officiorum status, etc.

3° *Ad correctionem poenitentis*, v. g. de peccatorum causa et occasione, frequentia, gravitate, malitia, etc.

Non tamen omnes interrogandi sunt, sed ii tantum pro quibus, sive ex modo confitendi, sive ex communi statu vel conditione personae, confessario est specialis ratio coniiciendi adesse unum ex defectibus praedictis [1].

610. *Principium II.* **Confessarius, inspecta causa ex sufficienti accusatione vel, si necesse sit, ex supplementaria interrogatione,** *ut iudex*, **ex officio tenetur prudens de ea sibi efformare iudicium, nempe de peccatis commissis et de dispositionibus poenitentis.**

Probatur : 1° *Confessarius tenetur iudicium efformare de peccatis*, quod necessarium est ad cognoscendum quaenam satisfactiones aut remedia sint imponenda et an dispositiones poenitentis sint sufficientes. Hinc *debet iudicium ferre de moralitate peccatorum* i. e. de eorum specie et gravitate tum obiectiva tum subiectiva, in quantum possibile est.

Et quidem : a) De obiectiva moralitate saltem requiritur ut, praeditus habituali scientia principiorum quibus gravitas et diversa peccatorum species distingui possit, poenitentem audiat et audiendo secundum dicta communia principia iudicet.

b) De subiectiva moralitate praesumere potest esse eamdem ac obiectiva, nisi sit specialis ratio aliter existimandi, aut dubitandi, quo casu interrogare debet poenitentem.

c) De omnibus iudicet quantum possit diligentia ordinaria, nam non semper possibile est de singulis delictis dicere an sint talis speciei et gravitatis, mortalia vel venialia, quod nec magni possunt theologi ; quia saepe res in se difficilis est, nec ipse poenitens valet semper dicere an plene consenserit.

d) Quod si praedicta cognitione careret confessarius vel ex ignorantia de peccatis falso iudicaret, non ideo invalida esset confessio.

e) Si autem ob distractionem vel strepitum aut cantum quaedam peccata non audierit, oportet interrogare si probabile sit in istis forsan adesse materiam gravem.

f) Non tamen tenetur distincte recordari omnia peccata momento absolutionis, sed sufficit quod in confuso recordetur statum poenitentis.

1. De modo quo in praxi sit interrogandum, vide nostras *Quaestiones de Variis Poenitentium Categoriis*, c. 1, q. 1 et 2.

2° *Confessarius* quoque *tenetur iudicium ferre de sufficienti dispositione poenitentis*, quod necessarium est ad cognoscendum quam sententiam pronuntiare debeat, scil. an absolutionem concedere aut denegare.

Dispositio poenitentis dignosci valet coniecturalibus signis, de quibus dicetur n. 617.

Quid autem est confessario faciendum qui de sinceritate poenitentis dubitat aut eum novit vel praesumit peccatum reticere? Ipsi attendendum est ad principium: « *credendum est poenitenti tam pro se quam contra se dicenti* », nisi *certo* appareat eum mentiri. Poenitens enim est reus et testis, cuius testimonium *per se* valet solum in hoc tribunali et melius est quam quodcumque aliud, cum melius noverit ipse quam quilibet alius utrum peccaverit vel non, utrum peccatum commissum iam fuerit declaratum vel non.

Hinc : a) Si *dubitetur* de sinceritate poenitentis, tenetur confessarius diligenter interrogare, et hortari potest ad perfectam sinceritatem ; sed si poenitens perseveret in sua declaratione, credendus est et absolvendus.

b) Si poenitentem grave peccatum commissum reticere *certo noverit* confessarius, et quidem *ex experientia propria*, poenitentem convincere debet ; et si iste negare pergat, dimittendus est sine absolutione, nisi putari possit esse in bona fide et ignorare gravitatem culpae, aut eam iam confessum esse, aut iustam habere rationem reticendi.

c) Si confessarius noverit *testimonio aliorum*, de peccato tenetur poenitentem specialiter interrogare, sed iste, si negare pergat, est absolvendus ; nisi tamen testimonium aliorum esset maioris omnino auctoritatis ita ut faceret certitudinem, non tantum late dictam sed veram et perfectam.

d) Si confessarius noverit *ex alterius confessione*, v. g. complicis, uxoris, sponsae, etc., non potest poenitentem interrogare nisi generaliter prout interrogare solet, et non specialiter nisi etiam personas eiusdem conditionis ita interrogaret ; nec expedit a complice licentiam petere utendi notitia acquisita, quia hoc in casu redderet confessionem odiosam. Poenitenti autem in tacendo perseverante, potest eum absolvere ac si confessionem alterius non excepisset ; quia non tenetur uti scientia acquisita in confessione et ex alia parte sacrilegium impedire non potest ; — imo videtur teneri absolvere, saltem sub conditione, quia secus frangeret sigillum, cum sat aperte uteretur notitia confessionis ad gubernationem alterius. S. Alphonsus tamen asserit absolutionem esse denegandam, sed orandum esse aliquatenus et negationem absolutionis esse dissimulandam : ex una parte, ait, sacerdos non frangit sigillum quia nihil manifestat et neutri gravamen causat, ex altera parte reverentiae sacramenti consulit, frustrationem eius impediendo.

611. *Principium III.* **Confessarius,** *ut doctor*, **ex officio instruere tenetur poenitentem, quantum possibile est, de iis quae stricte necessaria sunt ad sacramentum rite suscipiendum,** nisi absolutio in aliud tempus differri possit ; — **imo regulariter et per se saltem monere de addiscendis christianis veritatibus et praeceptis,** tum communibus, tum particularibus status, quae poenitens cognoscere debet.

Dicitur : 1° Tenetur *instruere* seu *docere* quae necessaria sunt ad sacramentum rite suscipiendum ; ergo non de omnibus quae poenitens scire tenetur et aliunde discere possit (nisi per accidens ex charitate si aliunde addiscere esset alicui impossibile), sed per se de omnibus quae scire tenetur ad sacramentum *hic et nunc* rite suscipiendum. Excipitur tamen : a) si docere hic et nunc sit impossibile et adsit extrema necessitas suscipiendi sacramentum quod differri non possit ; b) si absolutio in aliud tempus possit differri.

2° De aliis veritatibus et obligationibus addiscendis solum tenetur *monere* et quidem *per se* et *regulariter;* quia per accidens potest non teneri si exinde maius malum pro poenitente aut pro aliis sequatur.

Probatur : Minister Poenitentiae 1) ex officio tenetur procurare validam et fructuosam administrationem, et ideo doctor est ad docendum illa quae ad validam et fructuosam susceptionem sunt necessaria ; et 2) cum sacramentum sit ad emendationem et liberationem a peccatis praeteritis et futuris, etiam de addiscendis veritatibus cognoscendis et obligationibus implendis, ex officio (et non solum sicut quilibet homo ex charitate si fieri possit sine incommodo) tenetur saltem monere in quantum ad finem praedictum conferat, quia ex officio tenetur poenitentem abducere a peccato futuro et perducere in viam salutis. Cfr. Rituale t. 3, c. 1, n. 14 et 18.

Et sane, cum ad validitatem sacramenti confessarius egeat iurisdictione, vel est poenitentis proprius pastor, vel ex quadam deputatione locum tenet proprii pastoris. Unde ad illum pertinet ex officio subditos docere officia ac obligationes, et media ad defectus vitandos in futurum ; — imo cum in ministrando sacramento sit minister Ecclesiae

« in bonum reipublicae christianae constitutus », etiam tenetur bonum commune procurare si sit possibile, atque « praeferre bonum publicum bono privato poenitentis », ut habet S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 615.

Hinc debet : 1° docere et quidem ante absolutionem, veritates necessarias ad sacramentum hic et nunc suscipiendum, scil. illas quae necessitate medii ad salutem etiam probabiliter tantum sunt cognitu necessariae, et illas quae pertinent ad dispositiones necessarias contritionis, confessionis, propositi, satisfactionis, quoad substantiam et pro captu uniuscuiusque ;

2° item monere de officiis quae ex peccatis declaratis resultant, v. g. quoad restitutionem faciendam, scandalum tollendum aut reparandum, odium deponendum, reconciliationem quaerendam, etc.

3° monere de addiscendis veritatibus cognitu necessariis necessitate praecepti et de officiis vitae christianae tum communibus tum particularibus status : a) si ignorantia illorum sit vincibilis, vel brevi fiat ; b) etiam si sit invincibilis sed monitionis speretur fructus ; c) etiam si non speretur fructus, sed ignorantia aut non monitio sit in maius detrimentum, sive ipsius poenitentis (v. g. quia exponit periculo peccandi vel perseverandi in peccato), sive aliorum aut boni communis.

Ubi applicandae veniunt regulae traditae in tr. de Charitate, I, n. 942, et in tr. de Prudentia, ubi de efformatione conscientiae rectae, II, n. 69[1].

612. *Principium IV.* **Confessarius,** *speciatim ut medicus spiritualis,* **ex officio tenetur remedia indicare salutaria ad perseverantiam poenitentis obtinendam et futurum eius lapsum praecavendum.**

Probatur : Sacramentum Poenitentiae etiam institutum est ad sanationem animarum earumque praeservationem a peccatis futuris ; et ideo illud a partiali suo fine frustaretur, si minister non indicaret remedia contra peccata futura. « Quamvis poenitentia, ait S. Thomas, q. 12, a. 3, ad 3, ex prima sui institutione sive intentione respiciat praeteritum, tamen etiam ex consequenti futurum respicit, in quantum est medicina praeservans ». Quod confirmatur ex Rituali, t. 3, c. 1, n. 18.

Ad hoc autem cognoscere oportet causas et occasiones peccatorum, atque de iis, si utile sit, interrogare, sicut medicus morborum causas investigat ; quas causas ceteroquin iam saepius est investigare ad diiudicandas dispositiones poenitentis, inter

1. Magis practica de obligatione instruendi et monendi traduntur in nostro opusculo : *De Variis Poenitentium Categoriis*, c. 1, q. 3.

quas requiritur ut ipse dictas causas vitare aut impugnare velit. Causas enim et occasiones oportet cognoscere peccatorum, 1° quia secus non possunt radicitus extirpari, et, nisi extirpentur, malos effectus iterum producent ; 2° quia pro diversis causis diversa remedia opportuna sunt assignanda. Sic alia remedia sunt indicanda contra luxuriam, sive proveniat ex occasione externa, sive ex interna complexione, sive ex pravis cogitationibus aut tentationibus ; diversa quoque conveniunt secundum diversam poenitentis conditionem, aetatem aut temperamentum ; imprimis autem praestat imponere satisfactiones medicinales ut dictum est n. 553, atque aliquando etiam oportet corripere poenitentem.

Graviter autem desunt officio confessarii qui praeteritorum remissione contenti, novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum prorsus negligunt[1].

613. *Principium V.* **Confessarius,** *ut pater,* **generatim tenetur ex charitate, in quantum fieri potest, indispositis apta motiva contritionis proponere et ita eos ad absolutionem praeparare.**

Dicitur : 1) *indispositis :* si enim confessarius prudenter iudicet poenitentem bene dispositum esse, stricte ad nihil tenetur, quamvis hortari ad contritionem semper expediat quia exhortatio confessarii prae ceteris est efficax, et saltem breviter hortari potest ad renovandum actum contritionis ;

2) *motiva apta,* qualia sunt deformitas peccati, valor divinae gratiae, periculum damnationis, brevitas vitae et periculum mortis, bonitas Dei et beneficia Christi aliaque similia, pro captu et dispositione uniuscuiusque ;

3) *ex charitate,* et non stricte ex officio, quia ad hoc sufficit absolvere illos qui dispositi sunt, indispositos autem potest remittere usquedum disponantur ; sed ex charitate tenetur saepius aliter agere ;

4) *in quantum fieri potest,* i.e. si adsit fundata spes, et tempus disponendi ad contritionem ; nisi tamen in extrema necessitate, in qua gravis obligatio est omnia tentandi etiam cum maximo incommodo.

Probatur : Ex charitate unusquisque generatim tenetur bonum proximi procurare et ab eo grave damnum avertere, saltem si facile fieri possit. Atqui grave damnum incurrit peccator qui sine absolutione dimittitur, cum periculo exponatur diu in statu peccati mortalis manendi, et forsan a confessione deterreatur. Ergo hoc damnum a poenitente avertere tenetur confessarius, saltem si facile fieri possit. Cum autem poenitens absolvi nequeat indispositus, con-

1. Plura alia vide in nostro opusculo *De Poenitentiae Ministro*, c. 4, q. 2, a. 2, IV. Praestat legere S. Alphonsum, *Praxis Confessarii*, n. 6-7 ; 15-16.

fessarius in quantum fieri potest, eum disponere debet. Unde Rituale l. c, n. 18 : « ad dolorem et contritonem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet remediaque peccatorum tradet ».

Obligatio per se est *gravis*, saltem si proximus sit in gravi necessitate spirituali et sine magno incommodo ad debitam dispositionem induci possit. Ita secundum regulas traditas in tr. de Charitate.

614. *Principium VI.* **Absolutio regulariter et per se, et quidem ex iustitia et sub gravi, concedenda est poenitenti gravis peccati reo qui certo est bene dispositus.**— Quod principium generale enuntiatur in Iure, can. 886 : « Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda nec differenda est, sed concedenda ».

Confessarius enim excipiendo confessionem, quasi contractu sese obligat ad sententiam ferendam secundum Christi institutionem. Atqui, iuxta Christi institutionem, bene dispositis per se concedi debet absolutio, cum hoc sacramentum praecise ad remittenda peccata fuerit institutum. Ergo per se debet vi contractus, et ideo ex iustitia, rite dispositos absolvere, qui proinde ius strictum habent ad absolutionem ; — et quidem *sub gravi*, si poenitens sit in statu peccati mortalis, quia gravis iniuria est, cum iniuste maximo bono privato privetur gratiae sacramentalis.

Dicitur : 1) *gravis peccati reo*, quia si sola venialia vel mortalia iam remissa habeat, aliquoties differre poenitentem non est peccatum grave, quia gravis ei iniuria non irrogatur ; imo, si id ex rationabili causa fiat, interdum nullum erit peccatum ;

2) *qui certo est dispositus*, i. e. moraliter seu quasi certo, certitudine practica et imperfecta, quae omne prudens et grave dubium excludat, ita scil. ut gravis sit ratio id existimandi et nulla sit ratio seria dubitandi : de dispositionibus enim maiorem habere certitudinem saepe est impossibile ;

3) *regulariter et per se :* regulariter enim absolutio statim concessa magis prodest quam si differatur, quia gratiam sacramentalem praebet qua efficacius tentationi resistere et virtutem colere poenitens valeat. Attamen aliquando per accidens differri potest absolutio etiam sufficienter disposito :

a) *ut ante absolutionem urgeatur restitutio aut reparatio* quae in praesenti fieri possit ; quod simul est modus aptus explorandi magis et probandi poenitentis dispositionem et certius obtinendi officii impletionem ;

b) etiam *si confessarius ut medicus prudenter iudicet id esse utilius poenitenti*, qui tunc esset irrationabiliter invitus ; cuius tamen consensus est expetendus, quia dilatio generatim non proderit nisi poenitens ei consentiat. Unde generali regula iam statuitur in iure : « poenitenti certe disposito et absolutionem *petenti* haec... nec differenda est » ;

c) *solum ad breve tempus*, v. g. ad aliquot horas, ad diem, ad octo dies aut paulo plus, quia grave est incommodum diu in peccato mortali manere.

615. *Principium VII.* **Absolutio deneganda est iis qui certo moraliter sunt incapaces aut indigni.** — Quod est omnino certum, cum in utroque casu absolutio sit invalida vel saltem infructuosa ; iamvero scienter et volenter administrare sacramentum modo certe invalido aut infructuoso est grave sacrilegium (n. 88).

Radicaliter incapaces sunt perpetuo amentes, nondum baptizati, certo mortui, nescientes cognitu necessaria necessitate medii, et illi qui certo non sunt moraliter praesentes.

Incapaces quia indigni indicantur a Rituali, l. c., n. 23 : « Ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces : quales sunt qui nulla dant signa doloris ; qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere (v. g. pravam consuetudinem aut artem peccaminosam), et vitam in melius emendare nolunt ; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant ». Quibus addi possunt generali modo ii omnes qui gravem obligationem sibi notam adimplere nolunt ; vel qui integre confiteri peccata sua recusant, nisi gravi ratione ab integritate materiali excusentur. In his enim et similibus casibus deest essentialis conditio ad validitatem requisita, scil. contritio.

Notetur autem confessarium : 1) antequam absolutionem deneget, hortari generatim debere peccatores ad contritionem ut quantum fieri possit eos disponat, et si ferventi exhortatione eos contritos reddat, absolvere possit ; — 2) si denegare absolutionem debeat, id nonnisi magna cum charitate et benignis faciat verbis, rationem exponendo cur aliter agere nequeat, ac declarando se libenter absolutionem concessurum statim ac poenitens dispositus erit.

616. *Principium VIII.* **Differenda regulariter est absolutio iis qui dubie sunt capaces aut dispositi, nisi gravis ratio urgeat eos sub conditione absolvendi.** — Quod est omnino certum, nam per se illicitum est sacramentum exponere periculo nullitatis aut infructuositatis, quia id prohibet reverentia sacramento debita

tamquam sacrilegium ; — nisi *per accidens*, si adsit ratio gravis et proportionata seu necessitas utilitatis notabilis proximo statim obtinendae, quia sacramenta sunt propter homines. Quod intelligendum est, dum confessarius omnem conatum adhibuerit ad obtinendam dispositionem sufficientem, et certa dispositio obtineri nequeat.

Quotiescumque scil. adest periculum nullitatis pro sacramento et periculum notabilis detrimenti pro proximo, et utrumque simul vitari nequit, potius vitandum est periculum proximi et sacramentum nihilominus conferendum sub conditione : sacramenta enim sunt propter homines, et lex charitatis in casu gravis necessitatis praevalet legi religionis.

Ita autem in sequentibus casibus :

1° In periculo mortis, dum urgeat necessitas hic et nunc absolvendi et non adsit nisi materia dubia, aut dubia dispositio, aut subiectum dubie capax, v. g. quia dubium est de eius vita aut sufficienti ad ministrum praesentia.

2° In casu Matrimonii mox celebrandi aut Confirmationis mox recipiendae, si dubia sit poenitentis dispositio ; item in reditu ad Ecclesiam post Baptismum sub conditione reiteratum [1].

3° In casu quo poenitens dubie dispositus diu careret occasione confitendi.

4° In casu quo poenitens dubie dispositus exponeretur gravi infamiae aut scandalo aliis dando, si non absolutus dimitteretur.

5° Si *valde* timendum sit ne dubie dispositus et dimissus in desperationem iniiciatur aut ad sacramentum suscipiendum non sit rediturus ; non tamen si huius *serio* minetur, quod potius est signum indispositionis.

6° Si non possit haberi materia nisi dubie gravis ; aut dubium sit de sufficiente aut perfecto usu rationis in poenitente, dum urgeat praeceptum confessionis aut forsan adsit materia gravis.

7° Demum in dubio an minister iam absolverit aut rite i. e. debita forma absolverit. Qui casus reducitur ad dubium de conditione subiecti, quia si poenitens iam esset valide absolutus, deesset materia sacramenti, scil. nova confessio.

Itaque *solum sex* sunt casus *ex parte poenitentis*, et *unus ex parte ministri*.

617. Signa sufficientis in poenitente dispositionis aut insufficientis. — Ad ferendum iudicium vere fundatum aut moraliter certum de sufficienti poenitentis dispositione, requiritur motivum revera grave.

1. Non ita per se, dum urgeat praeceptum communionis, quia haec potest postponi ; — nisi per accidens adsit timor infamiae vel scandali, ut dicitur sub 4°.

A. *Indicia* autem *positivae dispositionis* sunt : 1) debita poenitentis ad confessionem praeparatio, 2) ipsa confessio rite peracta, praesertim si spontanee agitur, v. g. ad facilius vitandum peccatum et obtinendum statum gratiae, 3) affirmatio poenitentis si vera et sincera appareat, 4) modus confitendi, scil. modus evidenter candidus et humilis.

Haec sunt *signa ordinaria*, quae scil. per se et in ordinariis adiunctis sufficiunt ; at quando adest specialis ratio dubitandi de dispositione aut sinceritate poenitentis, exiguntur graviora ex *specialibus* poenitentis *circumstantiis* deducta, seu *extraordinaria* signa coniecturalia sive uberioris gratiae, sive doloris intensioris, sive firmioris propositi.

a) *Uberioris gratiae*, ut 1) si ex motivo supernaturali et peculiari confiteatur, v. g. occasione praedicationis, vel mortis amici, aut imminentis mali ; 2) si ad confitendum sat magnum incommodum subire debuerit, ut longum iter, lucri diei amissionem, magnum conflictum externum ; 3) si confessio *omnino* sponte fiat ex solo impulsu gratiae, *nulla* alia circumstantia externa impellente, praesertim in regionibus ubi fides elanguit et respectus humanus ad sacramenta non impellit.

b) *Doloris intensioris*, ut v. g. 1) si specialia media : ieiunium, eleemosynas, orationes, missas, adhibuerit ut bonam institueret confessionem ; 2) si dicat verba ex corde manantia, aut edat suspiria et fundat lacrymas, quod est signum in pluribus valens, dum non ex motivo humano fiat, at non semper certum aut sincerum; 3) si confiteatur cum maiore sinceritate, effusione cordis, v. g. peccata quae prius culpabiliter omiserit ; 4) si significet se peccata sua et periculum damnationis melius apprehendere.

c) *Firmioris propositi*, ut 1) si dicat se post peccatum statim poenituisse ; 2) si speciatim petat remedia et libenter promittat ea adhibere, aut magnam poenitentiam libenter acceptet ; 3) si iam aliquo tempore perseveraverit aut ad hoc diligentiam adhibuerit remediis indicatis, v. g. occasionem fugiendo, pravos libros comburendo, societati pravorum renuntiando ; uno verbo, si iam adsit mutatio vitae ; 4) si difficilius, i. e. post notabilem resistentiam, aut rarius in iisdem circumstantiis sit relapsus ; 5) si difficilem obligationem iam impleverit, v. g. restitutionem aut famae vel honoris reparationem aut cum inimicis reconciliationem.

B. E contra *dubie dispositi* stricto sensu dicuntur illi contra quorum dispositionem *ex positivis indiciis* gravis suspicio oriatur, quin ex altera parte propter rationes *multo graviores* probabile et prudens iudicium de sufficienti dispositione formari possit.

Ex positivis indiciis censentur *dubie dispositi :* 1) qui eodem aut peiori modo relapsi sunt, quin remedia a confessario praescripta adhibuerint et absque serio conatu emendationis ; 2) qui frigide tantum respondent se dolere, praesertim si iam saepius relapsi sunt ; 3) si magnum affectum ad peccatum ostendunt, aut magnam utilitatem ex peccatis hauserunt, vel in passionibus satisfaciendis totum studium conferunt ; 4) quando sunt liberioris et laxioris vitae, aut peccata sua temere excusant, vel cum confessario contentionem et altercationem instituunt, aut de peccato commisso iactare videntur ; 5) quando ad sacramentum accedunt non spontanee, sed *solum* parentum aliorumve iussu, aut ex mera consuetudine, aut ad aliis placendum, vel ex timore ne famam amittant ; 6) si recusant poenitentiam moderatam ac viribus proportionatam.

Diximus : a) *Ex positivis indiciis.* Ergo si contra dispositiones gravi ratione probatas *nulla* militat *ratio positiva gravis, vel ratio tantum levis* et tenuis, tunc poenitens non censetur dubie dispositus, quia in rebus humanis et practicis opinio solide fundata cui nulla ratio gravis opponitur, aequivalet certitudini practicae. Et sic conciliari possunt opiniones aliquorum, qui contendunt sufficere dispositionem probabilem, intelligendo probabilitatem in sensu stricto philosophico valde maioris verisimilitudinis, cum opinione S. Alphonsi qui requirit dispositionem moraliter certam certitudine late dicta et imperfecta (II, n. 80). Quod si aliter intelligerent, etiam v. g. de minus probabili, non recte sentirent.

b) *Quin ex altera parte probabile et prudens iudicium de sufficiente dispositione formari possit.* Quamvis enim ex uno alterove motivo, v. g. ex repentino relapsu, gravis suspicio oriri possit, ex altera parte haberi possunt rationes *multo graviores* de sufficiente dispositione, scil. extraordinaria signa contritionis. Opinio autem *notabiliter* probabilior aequivalet practicae certitudini (II, n. 80). Tunc igitur absolutio danda est statim et quidem modo absoluto.

618. Quaeritur quanam sub conditione dubie dispositus sit absolvendus ? — Plures in praxi adhibent conditionem : *si es dispositus,* vel etiam theoretice defendunt ; dum alii eam reiiciunt, imo disputatum olim fuit an absolutio sub tali conditione non sit invalida.

A. Aliqui Lovanienses et quidam alii ut Collet dixerunt hanc conditionem, sicut plures alias, obstare speciali indoli sacramenti Poenitentiae, quod est institutum per modum iudicii.

Distinguebant inter conditiones *facti,* v. g. si vivis, si es baptizatus, etc. de quibus iudicare non debet confessarius, et conditiones *iuris,* v. g. si es dispositus, si vis restituere, etc. de quibus iudicare debet. Priores generatim admittebant, quia non invalidant sacramentum ; conditionem vero de qua confessarius iudicare debet, qualis est illa : *si es dispositus,* reiiciebant utpote invalidantem, quia tollit naturam iudicii, cum per eam confessarius supponat praecise id de quo debet iudicare et iudicium ferre. Unde sicut nulla esset sententia iudicis civilis super re litigiosa, si diceret : « adiudico tibi rem, si sit tua », ita invalida est absolutio si confessarius dicat : « si es dispositus, absolvo te ». Haec opinio iam est obsoleta.

Sententia enim, etiam tempore disputationis, extra scholam Lovaniensium communissima, et nunc, post finitam controversiam, omnino communis tenet sacramentum Poenitentiae esse validum, si subsit conditio. Ratio est doctrina generalis : conditiones *de praesenti* non invalidare sacramenta ; quia verificata conditione, in casu dispositione poenitentis, forma conditionata aequivalet absolutae, adeoque omnia adsunt ad valorem sacramenti requisita.

Et sane : 1) *Talis conditio non tollit omne iudicium.* Est enim aliquod iudicium dicere : si es dispositus, facio tibi ius quo debitum est ut peccatum tibi remittatur et non amplius imputetur. Etiam in humanis iudiciis, sententia conditionata haud raro fertur, v. g. « in carcerem ibis, nisi infra tres dies debitum solvas », vel « ad carcerem te condemno, sed, si in culpam non reincidas, pro tempore a poena immunis eris », aut « condemnaris aut liberaris, si in tuo scrinio sit hoc vel illud documentum », quod statim a fidis hominibus inquiri iubetur[1].

2) *Illa conditio non tollit naturam iudicii huic sacramento proprii.* Iudicare debet confessarius de dispositione poenitentis ; at, secundum S. Thomam, q. 17, a. 3, hoc est iudicium discretionis tantum, ut confessarius prudenter et licite absolvat, non autem est ipsa sententia iudicialis nec ad eius validitatem est necessarium. Essentia iudicii hic unice consistit in pronuntiatione sententiae absolutionis super reo contrito et confesso ; — secus enim invalide absolveret, qui absolvit nihil iudicans de dispositionibus poenitentis aut positive eum iudicans indispositum dum tamen rite est dispositus ; quod nemo admittet.

3) *Ad argumenta adversariorum respondetur :* Disparitas est, cum iudicio humano. a) Hoc non tribuit ius sed declarat illud et ideo nullum est, si fiat sub illa conditione quae praecise declarari debet, quia nil declarat si id quod declarare debet in conditione supponit : ita enim supponit id quod quaeritur ; e contra sacramentum Poenitentiae tribuit ius, quod etiam sub conditione fieri potest. — b) Iudicium humanum ab hominibus est executioni mandandum, et ideo oportet ut cognoscatur et declaretur conditionem verificari ; sacerdotis sententiam Deus ipse exequitur, et ideo sufficit ut Deus noverit utrum conditio adimpleta fuerit. — c) Quoad exemplum allatum, negatur paritas, quia de essentia iudicii civilis est ut iudex pronuntiet

1. Cfr. Lehmkuhl, Th. M. II, n. 370, qui addit : « Imo sententia etiam humani iudicii et in re civili aliquo modo hanc conditionem implicite non raro habet « si modo testimonium testium verum fuerit » ; nisi enim hac existimatione atque conditione, quae tamen aliquando falli potest, nitatur, iniusta atque ita nulla sit sententia... A pari, sententia sacramentalis semper nititur in hac suppositione, poenitentem verum dicere et vere dolere... »

cuius sit res ; de essentia iudicii sacramentalis non est pronuntiare quod poenitens sit capax, dispositus, vivat, restituerit, etc., sed pronuntiare quod ius ei conceditur ad liberationem a peccatis.

B. E contra, plures e recentioribus, conformiter ad mentem S. Alphonsi [1], ponunt conditionem : *si es dispositus*. Cuius ratio assignari potest differentia inter Poenitentiam et alia sacramenta.

Etenim : 1) Dispositio ad iustificationem necessaria, nempe attritio, quae non est de essentia aliorum sacramentorum, est pars et conditio necessaria huius sacramenti, et addita absolutioni ut formae, simul cum confessione et satisfactione ipsam materiam sacramenti constituit. Unde sicut alia sacramenta, quando dubium adsit de materia, ministrantur sub conditione : si possum, ita hoc sacramentum dubie contrito, sub conditione : si es dispositus.

2) Hinc, aiunt, sacramentum Poenitentiae non potest esse simul validum et informe seu infructuosum : si enim validum est, dispositio ad iustificationem, scil. attritio adest, ac proinde fructus statim obtinetur.

C. Plures alii reiiciunt conditionem : *si es dispositus*, et non admittunt, sicut et pro aliis sacramentis, nisi conditionem : *si es capax*.

Existimant contritionem, quae est necessaria pars ad valorem sacramenti Poenitentiae, non esse eamdem ac illa quae est dispositio sufficiens ad iustificationem seu fructum sacramenti, ut dictum est n. 506 : primam contritionem aiunt esse illam quae externe manifestari potest et practica certitudine a confessario diiudicari, scil. quae sit interna et sincera, supernaturalis et universalis ; sed ut dispositio ad iustificationem requiritur plus, scil. etiam contritio appretiative summa, qua homo ita est dispositus ut peccatum habeat summum malum et efficaciter velit omnia pati potius quam illud committere : hoc autem fugit experimentum humanum nec potest practica certitudine diiudicari, et ideo non pertinet ad signum sensibile sacramenti. Hinc si prior adsit contritio et desit altera, sacramentum erit validum sed infructuosum ; adveniente autem altera dispositione, fructum obtinebit et reviviscet.

Exinde concludendum, aiunt, sicut pro aliis sacramentis, absolutionem nunquam esse ministrandam sub conditione : *si es dispositus* i.e. si habes omnes dispositiones requisitas ad sacramentum bene suscipiendum ; sed sub conditione : *si es capax*, scil. sacramenti suscipiendi, ad quam omnes aliae conditiones ex parte subiecti reduci possunt : si vivis, si es baptizatus, si peccasti, si te non absolvi... Formula enim : *si es dispositus*, in casu quo dispositio, scil. contritio appretiative summa, abesset, sacramentum redderet prorsus nullum et eius reviviscentiam in

1. Th. M. l. VI, n. 28.

perpetuum impediret ; — e contra forma : *si es capax*, sacramentum relinqueret validum in casu quo contritio illa minor adesset quae sufficit, tamquam pars sacramenti, ad valorem, et non adesset illa maior quae requiritur ad fructum, scil. iustificationem ; ac proinde, si poenitens postea contritionem appretiative summam eliceret, eo ipso sacramentum reviivisceret et poenitens obtineret gratiae effectum eodem modo ac in aliis fit sacramentis. Reviviscentia scil. sacramenti non est impedienda.

In praxi est haec conclusio legitima, etiamsi ultima sententia non sit certa, sed tantum probabilis, uti de facto est. Exinde enim sequitur ad eam in praxi esse attendendum. Nam sacramenta non sunt quocumque modo probabili et incerto, sed modo tutiori et certiori pro bono poenitentis ministranda, et quidem non ita ut eorum effectus impediantur, sed ut hominibus tantum proficiant quantum sit possibile. Et ideo abstinendum est a conditione : si es dispositus, et adhibenda illa alia : si es capax.

Eadem scil. ratio cur dandum sit sacramentum cum periculo infructuositatis vel et invaliditatis, spiritualis necessitas proximi seu periculum ne privetur gratia ipsi necessaria, est etiam ratio cur non conferatur sub conditione *si es dispositus*, ut scil. fructus sacramentalis, si non in praesenti, saltem in futuro ipsi provenire possit. Melius est enim permittere absentiam fructus praesentis quam reviviscentiam impedire et fructum futurum ; quia periculum sacramenti, utpote minus malum, praeferendum est periculo salutis seu boni spiritualis hominum. Et haec videtur esse ratio cur Ecclesia in suis ritualibus de praefata conditione sileat, et quamvis plures conditiones enumeret, huius mentionem nunquam faciat ; imo ista in Ecclesia fuerit ignota usque ad saeculum XVII.

619. Animadversiones. — 1. Si quis poenitens est dubie dispositus, omnes conatus adhibendi sunt ut perducatur ad certam dispositionem ; tunc solum sub conditione est absolvendus si certa dispositio haberi non possit et tamen grave adsit periculum detrimenti spiritualis, quia gratia sacramenti ipsi hic et nunc est necessaria.

2. Non est licitum regulariter aut semper absolvere sub conditione, quia sacramentum Poenitentiae institutum est per modum iudicii ; iudicium autem regulariter pronuntiari debet modo absoluto.

3. Hinc de sufficientia dispositionum confessarius *ex officio* iudicare debet, et reprobanda est praxis eorum qui, ad vitandas difficultates, simpliciter absolvunt sub conditione : *si es dispositus*. Eo vel magis quod appositio conditionis nequit omnem irreverentiam materialem ex periculo nullitatis a sacramento

auferre; et si sine sufficienti ratione apponatur, nec etiam formalem et voluntariam (n. 23, II).

Articulus III.

De Officiis post Actum Confessionis.

S. Th., Suppl. q. 11.

620. Tria post actum confessionis officia sunt seu obligationes ministri : a) *per se :*

1) servandi sacramentale sigillum,

2) non utendi, cum gravamine poenitentis, notitia in confessione accepta [1], — b) *per accidens :*

3) supplendi defectus et corrigendi errores.

621. Prima obligatio est sigillum sacramentale. — Sigillum sacramentalis confessionis est strictissima obligatio sub secreto servandi ea quae in sacramentali confessione, seu in ordine ad absolutionem sacramentalem a poenitente declarata sunt et quorum revelatio aliquo modo manifestaret peccatum et peccatorem, et ita redderet sacramentum onerosum vel odiosum. Vocatur sigillum metaphorice a sigillo quo litteras obsignamus quas volumus esse secretas, estque obligatio celandi audita in confessione. Breviter S. Thomas, a. 3 : « sigillum confessionis nihil aliud est quam debitum confessionem celandi ».

Iamvero, teste can. 889 : « sacramentale sigillum inviolabile est ; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem » i. e. personam et peccatum. Strictissima scil. est obligatio gravis tacendi extra confessionem peccata quae confessione sacramentali cognita sunt, nisi poenitens licentiam loquendi dederit. Quae obligatio ex triplici oritur iure, tum naturali, tum divino, tum ecclesiastico.

1° *Ex iure naturali*, quia a) inter confessarium et poenitentem intercedit pactum implicitum, vi cuius hic peccata sua confitetur nonnisi sub conditione secretum servandi perfecte ; hoc est autem secretum commissum ex iustitia servandum ; b) insuper lex naturalis prohibet ne alterius fama laedatur iniuste.

2° *Ex iure divino*, quia Christus implicite voluit sacramentum Poenitentiae ita ministrari ut fideles ab eo non arcerentur ; ad hoc autem oportet confessionem esse secretam pro peccatis secretis. Qui enim vult finem vult media. Christus ergo voluit ea sine quibus confessio stare non potest. Atqui confessio stare non potest sine sigillo stricto. Ergo.

3° *Ex iure ecclesiastico*, uti constat ex Conc. Lat. IV, c. 21, et ex can. 889 iam citato.

Notetur : 1) Argumentatio S. Thomae in statuenda thesi ad hoc reduci potest : Nunquam licitum est agere contra significationem sacramenti, quia id est violatio sacramenti, et ideo sacrilegium contra reverentiam ipsi ut a Christo instituto debitam. Atqui per confessionem significatur peccata esse tegenda. Ergo vi institutionis sacerdos celare tenetur. *Prob. min. :* Quae exterius aguntur in sacramentis sunt signa eorum quae interius contingunt : ita confessio est signum interioris subiectionis qua quis Deo subiicitur. Sed Deus illius qui se subiicit peccata tegit quasi nunquam fuissent. Ergo et hoc in sacramento Poenitentiae debet significari (a. 1).

2) Insuper doctrina S. Thomae : « Illud quod sub confessione scitur est quasi nescitum, cum illud non sciat aliquis ut homo sed ut Deus » (ad 1) ; hinc :

a) « Si praecipiatur... quod dicat si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere, quia debet existimare quod intentio praecipientis est, si sciat ut homo ; hoc autem non scit ut homo. Et, si etiam exprimeret de confessione, interrogatus non debet dicere..., quia non est subiectus superiori suo nisi ut homo ; hoc autem non scit ut homo sed ut Deus » (ad 2).

b) « Homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, et ideo sine laesione conscientiae potest iurare se nescire quod scit tantum ut Deus » (ad 3).

c) « Potest autem confitens facere ut sacerdos illud quod sciebat tantum ut Deus, sciat etiam ut homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum ; et ideo, si dicat, non frangit sigillum confessionis ; tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli reputetur » (a. 4).

d) « Illud quod homo alias scit sive ante confessionem, sive post, non tenetur celare quantum ad id quod scit ut homo ; potest enim dicere : scio illud, quia vidi. Tenetur tamen celare illud, in quantum scit ut Deus ; non enim potest dicere : ego

1. Aliud est sigillum seu secretum servandum ; aliud obligatio non utendi notitia in confessione acquisita etiam sine laesione secreti. Hoc ultimum a quibusdam parum accurate vocatur sigillum accidentale ; imo multi de utroque simul tractant promiscue et sine distinctione. Oportet tamen ea distinguere : sigillum nempe valde strictius obligat quam alterum ; praeterea obligatio sigilli est specialis, de qua expresse agit S. Thomas ; altera obligatio est generalis non causandi gravamen, quae secundum communia principia declaranda venit, de quo nihil speciale occurrit apud S. Thomam.

audivi hoc in confessione. Tamen propter scandalum vitandum, debet abstinere ne de hoc loquatur, nisi immineat necessitas » (a. 5).

622. Natura obligationis sigilli. — Obligatio sigilli est religionis simul et iustitiae : *religionis*, quia illam exigit reverentia sacramento debita, quod alias fidelibus odiosum foret ; *iustitiae*, quia protegit ius poenitentis, tum ad famam, tum maxime ne laedatur revelando secretum commissum. Unde violatio sigilli duplicem semper malitiam importat : iniustitiae ob violatum pactum initum cum poenitente vel et ob famam laesam, et sacrilegii ob laesam reverentiam sacramento debitam. Confessio scil. ita peragitur, ut haec notitia exclusive sacramentalis sit, cum sacerdoti non ut homini sed ut ministro Dei fiat, ad solum forum Dei et conscientiae pertinens, et sacramento unice ordinata. Ergo omnis eius laesio directa est sacrilega, tamquam directa usurpatio rei sacrae et profanatio.

Sigillum stricte urget, ita ut nullam admittat exceptionem et in nullo unquam casu relaxari valeat sine *certo* et prorsus *libero* consensu poenitentis, qui de iure suo cedere potest, cum secretum in eius favorem institutum fuerit ; — consensus autem non potest praesumi sed indubiis signis explicite (verbis) vel implicite (factis) debet dari, nec vi, dolo, precibus importunis aut metu reverentiali esse extortus, nec postea revocatus.

Hinc nullus finis, quantumvis bonus et utilis, violationem sigilli, sive ante sive post mortem poenitentis, sine eius licentia excusat :

a) *nec bonum confessarii* sive temporale, v.g. ad vitam servandam aut in sui defensionem, sive spirituale, v. g. ut ipse integre confiteatur ;

b) *nec bonum ipsius poenitentis vel tertii*, etiam ad vitandum damnum maius[1], v. g. ut alteruter corrigatur aut innocens declaretur ;

c) *nec bonum ipsius reipublicae*[2], v. g. in casu proditoris, ad interitum reipublicae praecavendum ;

d) *nec bonum religionis*, ad impediendum ne sacramentum Eucharistiae, Ordinis, Matrimonii, indigne recipiatur, imo ne haeresis vel schisma in partem Ecclesiae spargatur.

1. Ita Innocentius XI, 18 nov. 1682.
2. Ita Clemens VIII, 26 maii 1593.

Nulla enim causa boni assequendi vel mali vitandi istud malum odii erga sacramentum ad salutem omnino necessarium compensare potest. Agitur quippe de bono spirituali totius Ecclesiae in servanda frequentatione huius sacramenti ad salutem omnium instituti, quod praeponderat omni alii bono[1]. Unde etiam in dubio an adsit periculum revelationis seu frangendi sigillum, sive sit iuris (v. g. an aliquid cadat sub sigillo), sive sit facti (v. g. an aliquid iam sit aliunde cognitum aut dictum fuerit in ordine ad confessionem), standum erit pro tutiore parte, quia non agitur de sola honestate sed de damno spirituali totius communitatis omnibus mediis cavendo (II, n. 90-91).

Casu tamen quo confessarius noverit grave damnum sibi vel tertio, vel reipublicae aut Ecclesiae imminere, poenitentem monere potest et debet ut per se vel per alium illud damnum impediat (v. g. reum superiori manifestando), et recusanti id facere, absolutionem denegare potest utpote indisposito ; sed secretum revelare absque poenitentis licentia non poterit unquam.

623. Radix obligationis sigilli. — Oritur obligatio sigilli *ex omni et sola confessione sacramentali* facta ad se accusandum ministro Ecclesiae, ut tali, vel et ad absolutionem obtinendam, sive completa sive inchoata, valida aut invalida ; — etiamsi absolutio, quacumque de causa, non fuerit concessa, aut confessio sit sacrilega (v. g. sine dolore aut proposito), vel tantum existimata (v. g. bona fide facta apud illum qui non habet potestatem). Cum enim sigillum sit in favorem poenitentis, obligatio sigilli oritur si ipse ex parte sui posuerit necessaria ad confessionem sacramentalem eamque ad absolutionem ordinaverit.

Hinc non oritur sigillum :

1) Si quis scienter confiteatur ministro non legitimo, v. g. laico vel sacerdoti iurisdictione carenti.

2) Si apud ministrum legitimum confessionem simulatam instituat alia de causa, v. g. *unice* ad confessarium decipiendum vel irridendum, ad eleemosynam obtinendum aut consilium petendum vel ad confessarium seducendum, sine intentione sacramentum suscipiendi.

3) Si in confessione declaret aliquid ad confessionem omnino non pertinens. In his circumstantiis potest existere secretum naturale ; quod si aliquis sub conditione sigilli quid communicet sacerdoti et conditio ab isto acceptetur, non tamen adest obligatio sigilli sed secretum naturale promissum : tunc scil. « tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in confessione haberet, quamvis sub sigillo confessionis non habeat » (a. 2, ad 2).

1. A sigillo sacramentali multum ergo differt secretum naturale, 1) quia huius laesio per se non est sacrilegium ; 2) quia per se admittit levitatem materiae ; 3) quia obligatio eius in quibusdam casibus cessat.

624. Subiectum sigilli. — Sunt omnes illi qui ex confessione sacramentali, sive immediate sive mediate, sive licite sive illicite, notitiam habeant rei sub sigillo comprehensae seu aliquid audierint : per se et primo confessarius, secundario et per participationem omnes ad quos, casu vel industria, confessionis notitia pervenit. Cum enim omnes illi confessionis sacramentalis secreti participes fuerunt, etiam obligationis illud servandi participes sunt (can. 889, § 2).

In specie, A. *immediate notitiam habent :*

1) confessarius sive verus sive fictus etiam laicus, verus per se, fictus vero per accidens ;

2) confessarius, qui extra confessionem a poenitente consulitur de peccatis accusandis in confessione *sibi* facienda, quia iam est inchoata confessio ;

3) interpres adhibitus in confessione peragenda, communicans scil. in ipso actu confessionis, vel ille qui alterius peccata confitenda, saltem intra confessionem, conscribit ;

4) adstantes et vicini confessionem audientes sive casu sive ex industria, imo omnes qui conantur audire confitentem eo ipso rei sunt violationis sigilli ; non tamen illi coram quibus poenitens, dum se audiri advertens, loquitur altius et publice confitetur.

B. *mediate notitiam habent :*

1) superior cui de iure se sistit provisorie absolutus a reservatis, vel a quo extra confessionem petitur facultas absolvendi reservata ;

2) consultus theologus ad quem casus conscientiae cum licentia poenitentis refertur : est enim particeps secreti ;

3) ii omnes qui a confessario vel ab aliis audierint sacrilege, aut imprudenter, aut legitime, peccata in confessione accusata, seu quibus sive confessarius, sive alius quilibet, notitiam habens, aliquid sub sigillo cadens monstraverit ;

4) imo qui legerit confessionem alterius scriptam, si scriptura fuerit de facto *medium* confessionis, v. g. si chartam legerit sive in actu accusationis, dum poenitens actu ea utitur, sive iam confessario traditam, dum in manu eius versatur, sive a confessario amissam, aut post absolutionem in confessionali relictam ; item qui litteras legerit, directas superiori pro facultate a reservatis.

C. e contra *non tenentur sigillo :*

1) qui legit chartam in qua poenitens sua peccata descripserit per modum examinis conscientiae, aut medii ad memoriam iuvandam aut ad facilius faciendam confessionem, qua scil. ante confessionem usus est vel quam conservavit postea : est enim mera praeparatio ad confessionem et solum remote et per accidens ordinatur ad confessionem ;

2) is quem confessarius consulit de licentia poenitentis, sed circa confessionem *alteri* faciendam, vel qui confessionem scribit extra confessionem ;

3) ipse poenitens : obligatio enim sigilli est in favorem poenitentis.

Tenentur tamen illi *secreto naturali*, etiam ipse poenitens, qui tacere debet illa ex quibus vel infamia, vel confusio, aut damnum sine iusta ratione iniuste oriretur confessario.

625. Obiectum seu materia sigilli. — Sub sigillo cadunt generatim omnia quae confessione sacramentali sunt cognita et quorum revelatio peccatorem prodere potest ; porro sigillum potest ad aliquid se extendere sive directe sive indirecte, per se vel per accidens.

A. *Directe et per se* sigillum se extendit ad omne et solum id quod in ordine ad confessionem sacramentalem est manifestatum.

Ita : 1) ipsa *peccata* declarata omnia, etiam levissima, vel solum materialia, etiam cogitata aut mere proposita et non impleta, interna et externa, praeterita aut futura patranda : mortalia sive in specie sive etiam in genere, venialia non in genere sed in tali specie vel in gravitate aut multitudine sat notabili ; secreta, et etiam publica *ut* confessa. Nam, ait S. Thomas, a. 5, ad 1 : « Confessarius potest loqui de furtis notorii furis iam aliunde sibi notis, sed non potest dicere : fur confessus est mihi sua furta, quia nullo casu dicere potest se aliquid audivisse in confessione » ;

2) *peccatorum obiecta*, ut esse possunt peccata aliena, v. g. si quis dicat se mala locutum esse de puella gravida, de furto aut homicidio Titii, se imprecatum fuisse filio ebrioso aut virginis defloratori, se matrem odisse propter adulterium, patrem despexisse propter tenacitatem ;

3) *circumstantiae, qua tales*, etiam post absolutionem declaratae, quae sunt vel existimantur necessariae aut utiles ad peccati manifestationem, v. g. theatri frequentatio, pravorum librorum lectio, nobilitatis iactantia, quantitas furti : ita occasiones, tentationes, finis peccantis ;

4) *complices peccati* qui, legitime aut imprudenter, aliquomodo manifestantur, v. g. feci furtum cum fratre. Hinc confessarius complicem, sine poenitentis licentia, non potest monere.

B. *Indirecte sed per se*, sub sigillo cadunt omnia quae *de se* ducere possunt in notitiam peccati ut a poenitente declarati, vel peccatoris.

Ita 1) absolutionis denegatio *probrosa*, qualis non est ex defectu materiae aut quia consuetudo est non statim absolvendi ;

2) indispositio poenitentis ;

3) satisfactio imposita, nisi sit levissima, quia est occasio

suspicandi poenitentem reum esse mortalium vel multorum venialium;

4) consilium petitum vel datum, si nexum habeat cum confessione, v. g. ad defectum corrigendum.

C. Alia *per se nullo modo* cadunt sub sigillo, *quandoque per accidens* tamen cadere possunt.

Ita : 1) peccata commissa in confessione, v. g. impatientiae, contumeliae vel furti erga confessarium ;

2) peccata poenitentis aut aliorum *aliunde* cognita, nisi tamen minus certa ex confessione confirmata vel minus accurata complete declarata fuerint ;

3) ipsa confessio et absolutionis collatio ;

4) virtutes, charismata et dona Dei, aut bona opera ;

5) meri defectus naturales aut morales sive corporis sive animi.

Haec tamen possunt esse obiectum secreti naturalis, ut si clam accedendo poenitens verbo vel facto significaverit se nolle cognosci quod sit confessus ; — imo *per accidens* possunt esse materia sigilli, sive directe, si ut circumstantiae peccatorum fuerunt declarata (v. g. abusûs aut ingratitudinis), sive indirecte ex adiunctis suspicionem ingerere possunt de peccatis aut statu poenitentis, aut de statu aliorum. Ita fieri potest si aliquis reveletur confessus qui clam accesserat, aut ad confessarium extraordinarium (v. g. religiosus), aut ad illum qui speciali gaudet facultate v. g. absolvendi a reservatis, aut is qui non soleat multum confiteri et accesserit die quo mos non sit, quia adest suspicio peccati gravioris vel saltem non ordinarii ; item si dicatur quis sola levia confessum, qui graviora habeat accusanda, propter suspicionem, scil. sacrilegii aut reticentiae ; item si unus vel alter laudetur et absolutus proferatur, dum de aliis nil dicatur : tunc enim de aliis facile oritur suspicio.

626. Violatio sigilli alia est directa seu immediata, alia indirecta seu mediata.

1. *Directa* fit expresse revelando id quod est materia sigilli et simul sufficienter designando personam quae id fecit.

Ad quod tamen necesse non est, sive a) ut persona sit audientibus nota, dummodo sit sufficienter determinata seu designata, sive b) ut audientes sciant sacerdotem loqui de rebus in confessione auditis, sed sufficit ut revera ita loquatur. Ita v. g. Titius mortalia confessus est, aut homicidium commisit, — Petrus non est absolutus, — praefectus talis urbis adulterium commisit, — primus quem audivi hodie adulterium confessus est, si audientes possint

cognoscere. Haec est peccatum *mortale ex genere toto*, quod *nullam admittit materiae levitatem :* directa enim manifestatio etiam venialium valde odiosa est poenitentibus et eos a sacramento arceret ; proinde laesione directa sigilli in materia levi, gravis fit iniuria sacramento.

2. *Indirecta* violatio fit aliquid dicendo aut faciendo vel omittendo, ex quo alii cognoscere vel suspicari possunt id quod est obiectum sigilli, cum probabili periculo notitiam ingerendi vel suspicionem personae quae id fecit.

Non tam est formalis violatio sigilli quam violationis periculum, scil. cognoscendi simul peccatum et peccatorem. Ad quod non sufficit suspicio mere possibilis, sed saltem *probabilis ;* non tamen requiritur ut audientes cognoscant personam aut suspicentur, sed ut *prudenter* suspicio fieri possit. Haec est peccatum *mortale ex genere suo*, quod tamen aliquando *materiae levitatem admittit*, quando scil. periculum cognoscendi materiam sigilli et sacramentum reddendi odiosum est exiguum et valde remotum.

627. Modi indirecti violandi sigillum. — Varii sunt, sive verbis constent sive factis, et pro variis adiunctis ; quorum aliquos referimus ex probatis auctoribus.

A. *Verbis :* 1) Si confessarius, narrando aliquod factum ex confessione, tales memorat circumstantias, ut poenitens facile ex iis dignosci possit. Notissimum est exemplum parochi, qui post 25 annos sacerdotii narrat in societate, primum poenitentem sibi confessum esse adulterium ; paulo post intrat vir et narrat omnibus audientibus : fui primus tuus poenitens.

2) Si, auditis paucorum confessionibus, dicit se tale grave peccatum audivisse, licet celet personam, dummodo poenitentes cognosci possint ab iis quibus narratur peccatum : singuli enim ex illa revelatione aliquam suspicionem contra se patiuntur.

3) Si, ex iis quae sola confessione noverit, dicit de communitate (collegio, conventu, pago, oppido, regione, ordine religioso) peccatum relative gravius, aut relative multo plura, aut omnino specialia vitia, praeter ea quae noscantur ibi committi, etiam excluso omni periculo suspicionis de personis determinatis in particulari : suspicio enim nihilominus est de singulis, vel saltem minor existimatio aut infamia et dedecus redundat in totam communitatem, ideoque in poenitentes quatenus sunt membra communitatis ; et detrimentum est eo gravius, quod res authentico testimonio confessarii confirmatur.

Ita qui dicit se in tali conventu audivisse grave peccatum, aut in tali ordine religioso committi gravia peccata quae ex sola confessione cognoscit; et ille qui asserit in parvo loco (3.000 circiter personarum, aut minus) vitium occultum dominari vel morbum venereum, aut talia perpetrari gravia crimina, quae ex confessione cognoscit, v. g. multa sacrilegia aut furta ; et qui de loco paulo maiore narrat peccatum infamans vel crimen enorme, uti sunt incestus aut sodomia ; — non autem si gravia narraret solum de religiosis in genere, aut de ordine, si qui esset numerosior et notorie valde relaxatus, vel etiam maiora diceret de magnis urbibus, in quibus talia etiam committuntur.

4) Si poenitentem tam alta voce alloquitur aut arguit, ut circumstantes ab eius responsionibus vel monitionibus intelligant quid poenitens sit confessus, aut eum graviter peccasse.

5) Si non a primo initio sed in progressu confessionis, poenitenti surdastro dicit alta voce : *redi*, vel aliquid simile.

6) Si dicit aliquem sibi, ut confessario extraordinario aut maioribus praedito facultatibus, confessum esse, aut ad eum clam accessisse, aut se tali absolutionem denegasse, vel (nisi mos alicubi esset generalis) nondum absolvisse eum, aut nonnisi post experimentum, seu ad tempus remisisse, vel nondum completam recepisse eius confessionem, vel ei gravem poenitentiam imposuisse ; nam exinde infertur adfuisse grave crimen.

7) Si, comparando plures poenitentes, vel explicite, vel implicite (ut fratres vel condiscipulos), unum vel duos laudat v. g. de puritate conscientiae aut de eo quod sola venialia afferat, sed de aliis nihil dicit : tunc enim saepius ingeret suspicionem materiae cuiusdam momenti, aut mortalis peccati, aut indispositionis.

8) Si parentes vel superiores poenitentis admonet, ut specialiter in iis circumstantiis, v. g. tali loco vel tempore, vigilent.

9) Si loquitur cum alio confessario de peccato quod poenitens utrique confessus est.

B. *Factis :* 1) Si confessarius sedens in confessionali, assurgit et modo quem adstantes observare possunt, legit tabellam casuum reservatorum.

2) Si gestu visibili, gemitu, exclamatione manifestat mirationem vel tristitiam.

3) Si audita confessione, statim ab ecclesia discedit, nil sollicitus de poenitentis communione, quae alias esset verisimilis.

4) Si testimonium confessionis denegat poenitenti, qui coram aliis petit, aut in circumstantiis in quibus concedi omnibus solet ; de quo vide infra n. 630, 4.

5) Si, audita confessione, mutat modum agendi erga poenitentem, ubi id ab aliis perspicitur qui exinde suspicari possint aliquod determinatum aut gravius peccatum fuisse declaratum ; de quo nunc magis est dicendum.

628. Secunda obligatio est non utendi exterius quacumque notitia in confessione acquisita. — A proprie dicta violatione sigilli differt *usus exterior cuiuscumque scientiae ex confessione habitae*, qui etiam adesse potest absque eo quod aliquid reveletur, dum violatio proprie dicta sigilli semper fit cum aliqua directa vel indirecta revelatione eorum quae sub sigillo cadunt. Qui usus, absque licentia poenitentis, *generatim* illicitus est, ut declararunt Clemens VIII, 26 maii 1593 et Innoc. XI, 18 nov. 1682, in quantum per se aut per accidens posset confusionem, verecundiam, malam suspicionem, vel aliquod nocumentum, dedecus, molestiam, damnum aut quodcumque gravamen generare poenitenti vel alteri; non solum

a) si adsit periculum revelationis directae vel indirectae ;

b) sed etiam si exinde sequatur gravamen poenitentis vel alterius, et ideo odium sacramenti, quod etiam verum est si ex non usu multo gravius damnum poenitentis sequeretur, ut declaravit Innoc. XI ;

c) vel si suspicio oriatur violati sigilli, et ideo scandalum.

Aliis in casibus autem potest confessarius hac sua scientia uti, quia non est proprie fractio sigilli nec per se repugnat sigillo.

Hinc can. 890 : « § 1. Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo.

§ 2. Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt ».

Praedictus usus illegitimus est peccatum mortale ex genere suo, quia ex natura sua natum est magnum gravamen et grave scandalum causare, et ita sacramentum reddere valde odiosum ; admittit tamen levitatem materiae, v. g. si gravamen exinde oriens sit mediocre.

Exinde facile statuuntur *regulae circa usum notitiae ex confessione haustae :*

A. Quantum *ad ipsum poenitentem* qua talem :

1) Illicitum est extra confessionem alloqui poenitentem de rebus ex confessione cognitis, sine eius licentia : id causat verecundiam et odiosum reddit sacramentum.

2) E contra licitum est a) si poenitens prius loquatur, quia implicite dat licentiam ;

b) statim post absolutionem, quia iudicium moraliter continuatur ;

c) in confessionibus sequentibus, ubi sacerdos est minister Dei, si aliquo modo utile sit poenitenti vel expediat ad rectitudinem confessionis praesentis : status enim praeteritus aliquam relationem habet ad rectitudinem iudicii praesentis.

3) Illicitum est revelare peccata in confessione commissa (etiam non accusata), defectus naturales aut morales, corporis aut animae, ex sola confessione manifestatos, imo dona ex sola confessione cognita, si sit cum gravamine poenitentis : v. g. esse spurium, eunuchum, ficte nobilem, de gente Iudaeorum aut magorum, pauperem, debitis gravatum, ignorantem, incapacem, minus expertum in arte, rudem, hebetem, scrupulosum casu quo id non in laudem poenitentis cadat ; — e contra licitum est, si etiam extra confessionem cognoscatur, v. g. esse balbutiem, claudum, surdum, aut esse talis conditionis.

B. Quantum *ad exteriorem gubernationem :*

1) Superiores non possunt uti notitia in confessione acquisita, etiam si non appareat quod ex tali notitia se dirigant, et quin poenitens id advertat : est in gravamen poenitentium, si noscerent id licere. Sic uti notitia non possunt ad removendum indignum ab officio, ad negandum ei suffragium electionis, ad negandum peccatori sacramenta, aut matrimonii assistentiam ob impedimentum, ad auferendas ei claves, ad ancillam gravidam vel furta committentem eiiciendam, ad denuntiandum aut inquisitionem instituendam.

2) Item ipse confessarius non potest poenitentem infestis oculis aspicere, minus amice quam antea alloqui, sua agendi ratione manifestare se de peccatis recordari, eumque minoris quam antea facere, eum corripere, dure alloqui, severum vultum ei ostendere ; — imo nec ideo recusare confitentem audire, *quia* ex confessione praecedente sciverit esse molestum, scrupulosum, conscientia intricatum, tenuiter dispositum, nisi habeat causam externam distinctam a confessione, ut si communiter nosceretur poenitens esse nimis prolixus in confitendo, aut ob aliud motivum id faceret[1].

3) Hinc non est interrogandus confessarius a parentibus, magistris, etc. de moribus suorum poenitentium ; nec consulendus ubi agitur de admissione ad religionem vel promotione ad Ordines, sed solam sacramentorum frequentiam testetur.

C. Quantum *ad mores exclusive proprios :*

1) *Confessarius* propter notitiam confessionis, potest mores suos reformare, melius fungi officio, pro poenitente orare coram Deo, aut benignius erga eum agere, consulere libros aut sapientes, temperare rigorem, in interrogationibus se dirigere, sibi praecavere a periculo et occasionibus damni spiritualis aut temporalis, uti morte, insidiis aut veneno, diligentius invigilare gregi, alios

1. Potest tamen Confessarius eum dimittere initio confessionis, si non sit dispositus aut irrationabiliter petat : item potest in confessione eum admonere ne se deinceps accersat.

instruere aut *in generali* monere ut sibi caveant, etc., imo abstinere a celebratione missae in ecclesia violata aut cum vino venenato, dummodo nullam notionem aliis peccati accusati aut eius accusationis neque gravamen poenitenti inferat, v. g. *quia* alii non exinde sed *aliunde* sciunt, aut *alio praetextu* sacerdos abstineat vel recedat ; in dubio tamen petatur licentia poenitentis.

Ita, etsi poenitens vel alii forte advertant, id oriri ex scientia confessionis. « Ratio est, ait Haine, o. c., q. 117, quia nullum inde vel pudorem vel incommodum patitur poenitens, nec ob id rationabiliter retraherentur homines a confessione, nec denique actio vel omissio confessario est revelatio sigilli, cum supponatur ita indifferens, ut alias ignari inde in notitiam peccatorum confessorum venire non possint. Unde si in notitiam veniant, id potius oritur ex praevia quam habent scientia, quam ex actione vel omissione confessarii ».

Revera casus, qui praeberet difficultatem, potius est metaphysicus, ait Lugo, de Poen., disp. 23, n. 110, cum nunquam deerit medium haec pericula evadendi vel de licentia poenitentis vel ex quodam praetextu.

2) *Concionatores* possunt loqui de iis quibus non cogitassent nisi confessionem excepissent ; non tamen de peccatis particularibus poenitentium in parvis communitatibus.

629. Tertia obligatio est supplendi defectus et corrigendi errores. — *Triplex defectus seu error occurrere potest :* 1) vel error vitiat ipsum *valorem* sacramenti, v. g. oblivio absolutionis, invalida forma, indispositio poenitentis, carentia iurisdictionis ; — 2) vel error offendit meram *integritatem* confessionis aut sacramenti, v. g. interrogatio debita omissa de specie aut numero peccatorum, non iniuncta satisfactio ; — 3) vel error spectat *obligationes* poenitentis et infert damnum poenitenti aut tertio, v. g. occasio proxima quae non removetur, imposita restitutio indebita, non imposita debita restitutio.

A. *Error invalidans sacramentum et poenitenti graviter damnosus*, de se et regulariter est corrigendus et quidem sub gravi et *ex iustitia ;*— imo etiam cum gravi incommodo, si ex gravi culpa confessarii commissus fuit (II, n. 296, A). Nam confessarius, ex quasi contractu cum poenitente et ideo ex iustitia, tenetur recte disposito absolutionem impertiri : ex charitate quidem audit confessionem, sed semel audita, iam ex iustitia obligatur ad reliqua praestanda necessaria (n.614). Ergo si erravit quoad valorem sacramenti, ex iustitia corrigere, si possit, tenetur, et si ex gravi culpa

erravit, etiam cum magno incommodo ; — secus sine gravi incommodo, nisi tamen poenitens esset in gravi periculo moriendi in statu peccati, ut si versaretur in articulo mortis vel in probabili periculo non amplius confitendi, quo casu etiam cum gravi incommodo obligaretur confessarius, sed ex charitate.

Iustitia itaque non semper aequali modo obligat, sed laesa ex culpa strictius obligat quam laesa sine culpa, sicut apparet in casu detentoris bona vel mala fide rei alienae quoad restitutionem. Unde gravitas obligationis sicut et incommodi subeundi mensuranda est, tum ex gravitate damni, tum ex gravitate culpabilitatis aut negligentiae.

Principium supponit 1) errorem poenitenti esse adhuc graviter damnosum ; nam si damnum leve est, v. g. quia poenitens mortalia non accusaverat, vel si damnum non perseverat, quia poenitens alium confessarium adiit a quo valide fuit absolutus, aut quia alio modo certo iustificatus fuit (scil. Extrema Unctione vel contritione perfecta), iam non urget obligatio ;

2) errorem provenire ex parte confessarii ; nam si error ex culpa poenitentis proveniat, quia v. g. scienter erat indispositus, confessarius tenetur quidem ad reparandum damnum ut cooperator, sed non tam stricte, — excepto casu extremae necessitatis, — quia poenitens sibi aliter providere posset, novam confessionem instituendo.

Modus aptus reparandi defectum diversus est :

1° *Si propter defectum iurisdictionis* sacramentum sit invalidum, confessarius inducat poenitentem ut iterum confiteatur, et, si ad id necesse sit, de invaliditate absolutionis moneat, etiam non praevie a poenitente obtenta licentia loquendi de confessione : cum enim ratio nullitatis exclusive sit ex parte confessarii, non ex defectu poenitentis, nullus ibi est usus de rebus in confessione auditis.

2° *Si propter omissionem aut defectum absolutionis*, et a) immediate vel brevi post confessionem id detegatur ac poenitens sit adhuc moraliter praesens, potest iterum absolvi, etiam absque praevia monitione, dummodo constet eum esse rite dispositum ; b) et si nimis distet, ad sacrum tribunal revocetur, dum absque incommodo fieri possit ; secus ipse confessarius poenitentem adeat et absolvat ; c) si vero error reparatus non fuerit immediate aut post breve tempus, confessarius inducat poenitentem ut iterum confiteatur ; eum hortetur ut doleat non solum de accusatis in praesenti confessione, sed et de praeteritis, praesertim de accusatis in ultima confessione ; eumque rite absolvat.

3° *Si ob indispositionem poenitentis*, confessarius adeat poenitentem et eum inducat ut iterum confiteatur sicut dictum est ; quod si id fieri efficaciter nequeat, confessarius obtenta prius licentia poenitentis cum eo loquendi de re ad confessionem spectante, eum de invaliditate moneat, ut error reparari possit.

B. *In casu erroris attingentis solam integritatem sacramenti :*

1° Si confessarius *negative* impedivit integritatem ex omissione (sive ex oblivione sive ex culpabili negligentia), non tenetur damnum reparare aut poenitentem monere extra confessionem, quia obligatio procurandi integritatem confessarium afficit tamquam ministrum sacramenti, i. e. intra confessionem, et ex alia parte monitio extra confessionem de se et generatim molesta est poenitenti ; — in alia confessione tamen, ubi confessarius est medicus spiritualis et minister sacramenti, error est corrigendus si fieri potest sine magno incommodo.

2° Si *positive* impedivit integritatem, tenetur confessarius monere etiam extra confessionem, prius obtenta poenitentis licentia ; dummodo possit absque scandalo et gravi incommodo, et magis stricte si culpabiliter erraverit quam si inculpabiliter.

Ratio est, quia unusquisque tenetur reparare damnum quod positive intulit, ac eius causam removere quam posuit ; tenetur scil. ne ex sua actione positiva alii damnum capiant, etiam ex peccato materiali. Non tamen cum gravi incommodo, quia si grave damnum poenitentem a servanda, a fortiori confessarium a procuranda integritate excusat ; unde paulo minor causa excusabit illum inculpabiliter errantem. Et de facto raro tenetur corrigere confessarius.

C. *In casu erroris qui infert damnum poenitenti vel tertio*, simile valet principium ac in casu praecedenti :

1° Si *negative* erraverit per omissionem, *ex officio* tenetur erga poenitentem confessarius, etiam extra confessionem, ad monendum et corrigendum, si ex illa omissione poenitens movetur ad credendum licitum et faciendum quod est illicitum vel in damnum tertii ; strictius vel minus stricte, cum maiori vel minori incommodo secundum gravitatem damni et culpabilitatis. *Non* autem *ex iustitia* tenetur ad reparandum damnum tertii, quia non tenetur confessarius ex officio procurare bonum tertii.

2° Si autem *positive* in errorem induxerit poenitentem, v. g. pronuntiaverit interrogatus confessarius esse resti-

tuendum ubi nulla existebat restituendi obligatio, aut e converso ; et

a) error fuerit culpabilis (v. g. ex malitia, ignorantia vincibili, gravi negligentia), tenetur confessarius *ex iustitia*, etiam extra confessionem, et in materia gravi sub gravi, reparare et restituere sive poenitenti sive tertio : fuit enim positive cooperans damno alterius per consilium ;

b) si error fuerit inculpabilis, item tenetur confessarius, si possit absque gravi incommodo, reparare ; — quod si non faciat, restituere debebit.

Ratio est quia tenetur unusquisque ex iustitia, non solum ad non inferendum damnum proximo directe et de industria, sed etiam ad procurandum ne ex sua actione obveniat proximo damnum ; quodsi errorem dum possit non corrigat, ad restituendum tenetur ratione omissae retractationis, quae est vere causa damni iniusta et efficax qua istud fit voluntarium et culpabile. Tenetur autem solum absque gravi incommodo, quia damnum non oritur ex iniusta laesione, cum actio fuerit inculpabilis.

630. Animadversiones. — 1. Iuxta can. 2369 : a) Confessarius qui *sigillum sacramentale directe violare praesumpserit*, incurrit *ipso facto* excommunicationem *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatam.

b) Qui vero *indirecte* tantum violaverit sigillum, obnoxius est poenis *ferendae sententiae*, iisdem ac confessarii ad turpia sollicitantes (can. 2368, § 1), nempe suspensioni, aut etiam inhabilitati ad excipiendas confessiones, privationi beneficiorum, dignitatum ac vocis activae et passivae ; imo, in casu graviore, degradationi.

c) *Temeraria*, ac proin conscia, violatio sigilli ab interprete aut ab aliis omnibus ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenit, pro reatus gravitate punienda statuitur salutari poena (*ferendae sententiae*), quae etiam excommunicatio esse potest.

2. In iure ecclesiastico, secundum can. 1757, § 3, *ut incapaces repelluntur a testimonio ferendo :* « sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint ; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt ».

3. *Ne sigillum indirecte frangatur, praestat semper eodem modo respondere.* Ita interrogatus de peccatis, dicat se nil audivisse aut cognoscere ; — interrogatus de absolutione data, dicat : functus sum officio meo, vel : suntne tales interrogationes faciendae ? ; — interrogatus de communione ministranda (v. g. in hospitali), dicat : interroga poenitentem an communicare velit.

4. *De schedula confessionis danda vel neganda* notetur : a) talis schedula semper dari potest iis omnibus qui vere intendunt confessionem sacramentalem, sive absolutis sive non absolutis ; — b) schedula denegari nequit poenitenti indisposito, qui vere confessus est, si eam extra confessionem petit ; quia ita confessarius uteretur notitia confessionis cum gravamine poenitentis ; — c) item denegari nequit poenitenti in confessione eam petenti, dummodo poenitens versetur in circumstantiis iis quibus dari soleat, quia indirecte esset violatio sigilli, cum revelaretur poenitentem non rite esse confessum ; — d) denegari debet semper illis qui confessionem simulant, etiam si fiat ad schedulam obtinendam : tunc enim nulla adest obligatio sigilli, imo confessarius tribuendo schedulam mendaciter diceret poenitentem esse confessum ; posset tamen ob gravia incommoda dicere talem ad se accessisse aut eum in confessionali audivisse ; — e) testimonium absolutionis concessae nequit scribi pro illo qui absolutus non fuit, quia esset mentiri ; si tamen schedula typis impressa imprudenter exhiberet testimonium absolutionis, tradi deberet et illi qui non fuit absolutus, saltem si generatim tradi soleat, aut ipse publice petat : ita propter sigillum ; nec confessarius mentiretur, sed materialem actum tradendi (vel subsignandi) schedulam solum poneret propter rationem proportionate gravem, in circumstantiis quae sufficienter indicant restrictionem.

5. *Si confessarius in casu difficili, consilio indiget :* a) recurrere potest ad theologum cui poenitens omnino ignotus est ; — b) si id fieri nequeat, casum ita exponat ut periculum revelationis evitet, i. e. tamquam fictum, omittendo adiuncta non necessaria, ex quo ignorari posset poenitens, et admiscendo falsa quae rei substantiam non mutant ; — c) vel, si ita non commode fiat, petat a poenitente licentiam consilium capiendi et cum alio loquendi de re ad confessionem pertinente ; — d) si vero haec denegetur, nec ullo modo possit declinare periculum revelationis, ad alium confessarium eum remittat, aut si id aegre fieri possit, studio et oratione diligenter adhibitis, in Deo confidat et difficultatem, meliore quo possit modo, ipse solvat.

QUAESTIO QUARTA.

DE ABUSU POTESTATIS MINISTRI.

Pluribus sane modis potestate sua abuti minister potest, qui in variis partibus tractatus praeoccupati fuerunt ; unde in praesenti solum venit dicendum de duplici abusu ab auctoritate ecclesiastica specialius prohibito, nimirum 1) de absolutione complicis in peccato turpi ; 2) de sollicitatione poenitentis ad turpia[1].

1. Quaestiones breviter percurrere in mente habemus. Speciatim conferri possunt, etiam pro documentis, De Smet, *De Absolutione complicis et sollicitatione ;* Chrétien, *De Poenitentia quaedam quaestiones ;* vel et nostrum opusculum : *De Poenitentiae Ministro*, c. 5.

Articulus I.

De Absolutione Complicis in peccato turpi.

631. Dispositiones iuris canonici de absolutione complicis. — Iuxta can. 884 : « Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo ; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim Constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae* 1 iun. 1741 ».

Quae lex etiam sancitur poenis, ex can. 2367 :

« § 1. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam ; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

§ 2. Eamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est ».

632. Complex est socius et quasi implexus in peccato. Qui intelligendus est *sine restrictione*, cuiuscumque sexus, aetatis, et conditionis : quilibet sive masculus sive femina, sive puber sive impuber, dummodo sit capax peccati gravis ; imo et persona quacum ante susceptum sacerdotium sacerdos peccaverat, ut declaravit S. Off., 22 ian. 1879. Et ideo hic invalide absolvit complicem, qui generalem peccatorum confessionem instituit, si confessiones anteactae certo fuerint sacrilegae, aut etiam simpliciter invalidae.

Ad complicitatem autem requiritur :

1) *Peccatum mutuum*, scil. ut uterque interius et exterius idem grave peccatum commiserit ; seu consensus duorum in idem peccatum turpe grave et externum, sive uterque cooperetur, ut in mutuis colloquiis et amplexibus, sive unus tantum operetur, v. g. tactu, dummodo alter externe simul et interne consentiat : qui consensus sufficienter adesse praesumitur si nullo modo resistat. Hinc non cadit sub lege : a) actus qui est mortalis ex una parte, venialis tantum ex altera ; b) neque actus externe levis, quamvis interne gravis ex utraque parte ; c) neque actus, quantumcumque gravis, cui alter non consentit, imo cui consensum externum non praebuit, quamquam interne consentiat.

2) *Complicitas formalis :* a) *eodem tempore peccati;* nam in casu peccati cum dormiente, invito, totaliter ebrio, amente, aut turpitudinem peccati ex conscientia erronea ignorante seu bona fide non attendente, etiam si in errorem inductus fuerit a confessario, non adest complicitas ; — b) *tempore absolutionis;* nam 1° si confessarius durante absolutione inculpabiliter non agnoscat suum complicem, vel 2° si dubitet et, prudenter interrogando in quantum sine propriae infamiae vel poenitentis scandali periculo id queat, dubium removere non possit, vel 3° si sacerdos nullo modo (neque in actu peccati neque postea) sit cognitus ut sacerdos, sed poenitens omnino ignoret suum complicem esse sacerdotem, valida et licita est absolutio. Tunc scil. non adest potestatis abusus quem Ecclesia prohibet.

Nihil tamen refert si confessarius uti complex non sit in confessione a poenitente cognitus, dummodo verificetur se complicem vere esse ; et confessarius illum talem sciat, et nihilominus absolvat : in hoc casu absolutio est invalida.

633. Peccatum turpe est intelligendum sine restrictione : *quodlibet* peccatum luxuriae, i. e. contra castitatem et sextum praeceptum, non solum perfectum et consummatum, sed etiam imperfectum et inchoatum, uti sunt tactus, oscula, amplexus, imo turpiloquia et aspectus, ut declaravit S. Off., 28 maii 1873, dummodo sint stricte luxuriosa et complicitatem importent ; — non tamen peccata contra alias virtutes et praecepta. Unde complicem absolvere in peccato iniustitiae, v. g. in homicidio aut in furto, speciatim non prohibetur ; licet etiam talis absolutio indecens sit.

Oportet autem peccatum luxuriae sit grave, — externum, — mutuum, — non directe remissum, — et certum.

1° *Grave*, tum obiective tum subiective, materialiter scil. et formaliter. Excluduntur itaque peccata levia sive ex imperfectione actus, sive ex conscientia erronea, sive ex levitate materiae, dum agitur de luxuria voluntaria solummodo in causa. Unde si puer ex conscientia erronea certo existimet tactus a sacerdote impudice patratos non esse grave peccatum, posset absolvi ab hoc sacerdote.

2° *Externum*, ita ut peccatum tum internum tum externum sit grave, et etiam ut id qua tale, scil. in ratione actus externi, sit graviter peccaminosum. Quapropter excluduntur peccata mere interna delectationis morosae et desiderii, et externa sub

omni respectu venialia, et etiam gravia sed quorum malitia gravis non plene exterius manifestatur. Hinc si oscula vel tactus ex interno affectu luxurioso habita, ut externa non sint in se graviter mala, et affectus libidinosus ex quo fiunt non plene manifestetur exterius, possunt absolvi.

3° *Mutuum*, ita ut complex uterque interius et exterius idem grave peccatum contra castitatem commiserit, seu in idem peccatum turpe grave et externum consenserit, ut explicatum fuit n. praec.

4° *Non directe remissum*. Unde si peccatum iam *rite* fuerit accusatum et valide remissum *directa* absolutione, ita ut iam sit *materia* confessionis *libera*, potest sacerdos ab illo absolvere (S. Off., 29 maii 1867), quamvis tamen suadendum omnino sit ne unquam, nisi cogente necessitate, audiat sui complicis confessionem, propter periculum tentationis vel irreverentiae erga sacramentum.

5° *Certum*, ita ut excludatur omne *dubium fundatum* iuris et facti ; secus applicanda venit regula : in dubio odiosa sunt restringenda. Requiritur ergo ut certum sit peccatum turpe, certo grave, qua tale certo externum, certo mutuum et certa complicitas in illud.

Hinc casus complicitatis in peccato turpi *probabiliter* non adest :

a) Si dubium est an poenitens graviter peccaverit.

b) Si adfuit simplex conniventia ex eo quod alter non impediverit peccatum quod ex officio impedire non debet, aut approbatio auditi sermonis turpis quae alios sermones turpes non excitaverit.

c) Si complex non est socius immediate in ipso actu turpi seu peccato secundum se libidinoso, sed tantum in sola conventione turpi de seducenda muliere quae revera non seducitur, vel in sola permissione aut invitatione turpi peccandi cum coniuge aut prole quae tamen non corrumpitur. Non sufficit scil. sola cooperatio ad peccatum turpe alterius.

d) Si complices sunt in actu externo ex obiecto veniali (ut est pressio manus, osculum leve, tactus momentaneus, vel amplexus in parte honesta), etsi utrinque interne fiat ex affectu vel intentione turpi, dummodo nullam adiunctam habeat circumstantiam impudicam externam, aut manifestationem qua affectus aut intentio impudicitiae externe sufficienter innotescat.

634. Absolutio complicis est radicaliter invalida propter privationem omnis iurisdictionis. Ergo non est, ut aliqui putaverunt, casus peccati reservati, quia *non habetur restrictio sed ablatio potestatis :* lex enim inhabilitans facit ut confessarius *omni* iurisdictione careat erga complicem peccatum turpe accusantem (vel culpabiliter tacentem), ac ipsa absolutio *complicis* qua talis et non solum *peccati complicitatis* sit irrita, ita ut non detur valida absolutio neque directa aliorum peccatorum, nec proinde indirecta peccati complicitatis.

Ita non solum secundum tenorem can. 884, sed etiam expresse secundum Constitutiones Benedictinas et instr. S. Off., 20 febr. 1867[1]. Unde et in instructionibus a S. Poenitentiaria datis pro sacerdotibus a censura propter absolutionem complicis absolvendis, occurrit clausula ut complex moneat poenitentem « de nullitate praeteritarum confessionum », et quidem sine ulla restrictione aut distinctione inter casum bonae vel malae fidei ex parte poenitentis ; imo ex eo quod poenitens dicitur monendus, potius supponitur bona fides.

Quibus non obstant verba S. Poenitentiariae 16 maii 1877 affirmantia privationem iurisdictionis « esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo confessarius complex fuit ». Non enim ibi negatur privatio iurisdictionis sed affirmatur ; non dicitur privationem iurisdictionis afficere solum peccatum complicitatis, sed absolutionem complicis in ordine ad peccatum complicitatis, ita ut tota iurisdictione privetur confessarius et ad omne peccatum, sed unice intuitu et ratione complicitatis i. e. quando illud peccatum accusatur. Ceteroquin nec posset S. Poenitentiaria legem S. Officii aut Constitutionis benedictinae temperare propria auctoritate et sine speciali interventu S. Pontificis, de quo in casu nihil refertur.

Hinc, si in urgente necessitate, poenitens complex non valeret s. communionem omittere sine gravi scandalo aut infamia, nec posset adire alium confessarium, simplici actu contritionis perfectae contentus, deberet ad s. communionem accedere, nec posset a complici sacerdote absolvi.

635. Exceptio datur in casu extremae necessitatis i. e. in mortis articulo, — et etiam in gravi propinquae mortis periculo prudenter existimato quod articulo in iure aequiparatur[2], — si deest alius sacerdos, etiam non approbatus, qui sine gravi aliqua exoritura infamia aut scandalo vocari aut accedere possit, et cui poenitens confiteri velit : tunc enim perinde est ac si alius sacerdos revera deficeret, ait Ben. XIV in const. *Apostolici muneris*, 28 febr. 1745.

---

1. Unde non valemus intelligere quomodo P. Vermeersch scribere potuerit, Th. M. III, n. 457 : « Noldin... severius nunc putat respondendum esse cum canon invalidam declaret absolutionem ipsius complicis et non tantum peccati ; sed secundum praecedentes Constitutiones intelligi potest canon qui ad eas remittit ». At praecise secundum praecedentes Constitutiones est severius respondendum, quod etiam fatetur Cappello o. c. n. 620. Hinc adhuc minus intelligimus cur in nova editione operis Noldin, huius sententiam P. Schmitt mutaverit.

2. Id iam ex ipso Codice patet, qui fert can. 884 : « in mortis periculo », can. autem 2367 : « in mortis articulo ».

A. In hoc igitur periculo, absolutio semper *valida* est ne hac occasione aliquis pereat ; — at *ex parte confessarii* non est licita, nec poena excommunicationis vitatur, nisi desit alius sacerdos qui *sine magno incommodo* vocari possit, quique moribundi confessionem excipere non detrectet (v. g. ob nimiam familiaritatem cum poenitente quae est ei consanguinea aut famula), et cui poenitens confiteri non renuat.

Excusationis causa erit :

1) si infirmus a confessario, ei Viaticum deferente, publice petat ut suam excipere velit confessionem, quia confessarius, sine scandalo et infamiae periculo, maxime si esset parochus, id recusare nequiret ;

2) si moribundus, absque ulla confessarii complicis culpa, *omnino* renuat apud alium sacerdotem confiteri ;

3) si sine periculo infamiae aut scandali, aut sacrilegae confessionis, sacerdos complex discedere, aut alius vocari vel accedere non posset ;

4) etiam *probabiliter*, si non adsit nisi sacerdos *notorie* suspensus vel excommunicatus : talis enim non videtur esse *qui confessarii munus obire possit ;* et ceteroquin non facile sine infamia aut scandalo advocaretur.

E contra, *absolutio est illicita*, et *excommunicatio incurritur :*

1) si, praesente alio sacerdote non impedito vel facile advocando, sacerdos complex absolvat ;

2) si alius sacerdos vocari possit, sed sacerdos complex periculum infamiae vel scandali confingat ubi non est ;

3) si sacerdos complex, quantum in se est, opportuna media non adhibeat ut periculum infamiae vel scandalum non sequatur, et alteri sacerdoti locus pateat confessionis, v. g. sub aliquo praetextu non adveniendo, vel a domo discedendo, morbum fingendo, poenitentem praemonendo, alium sacerdotem ad infirmum mittendo etc. ;

4) si adsit sacerdos qui non ipse propriae exponeretur infamiae, sed apud quem complex sacerdos infamaretur : respectu unius vel non datur infamia, vel eam aliquantam debet complex sustinere ob culpam commissam ; secus vix evenire posset ut, praesente sacerdote, confessarius complex absolvere non posset.

B. *Periculum mortis* est quicumque casus graviter periculosus, sive ab intrinseco, ex infirmitate vel partu, sive ab extrinseco, ex navigatione *valde* periculosa, praelio instanti, percussione illata. Periclitantibus, *ex quasi privilegio* interpretatione extensiva concesso, aequiparari possunt militiae adscripti qui in statu bellicae convocationis seu mobilisationis sunt constituti (S. Poen., 29 maii 1915) ; item *ex natura rei*, qui versantur in periculo amentiae perpetuae.

Nunc autem plures, ulterius progressi, *ex epichia*, periculo mortis aequiparare volunt casum poenitentis qui in regione longinqua, v. g. Missionum, valde timeret ne unquam aut nonnisi post longissimum tempus confessarium habere posset, nisi complici confiteretur. At in Constitutionibus Ben. XIV et in Codice iuris solus casus mortis periculi excipitur ; quamvis tamen occurrentia in regionibus missionum ab ipsis ignorari non potuerint : « absolutio *invalida* est *praeterquam in mortis periculo* », ait codex ; quid clarius ?

Exceptio igitur extendenda non videtur ad alios casus, praeter illos qui communiter censentur aequivalere morti. Interpretatio, etiam si esset multorum theologorum aut canonistarum, non sufficit ad sensum legis restringendum vel extendendum, sed id potest sola interpretatio authentica ; praesertim quod epichiae non solet dari locus in legibus irritantibus propter bonum commune. Nullum ergo adest fundamentum pro sententia indulgentiore, quae proinde non est solide probabilis. Imo, ad bonum commune omnino importat ut missionarii qui, ob speciales circumstantias, maiori exponuntur periculo, non sibi nimiam noscant facilitatem absolvendi complicem et effugiendi consequentias sui peccati[1].

636. Poena statuta in confessarium delinquentem. — Est *excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata* (can. 2367), ex qua sequitur *irregularitas* (can. 2261, § 1). Ad poenam contrahendam requiritur :

a) *ex parte delicti :* absolutio vera vel ficta illius qui accusavit peccatum complicitatis nondum directe remissum, aut qui illud tacet dum a sacerdote complici ad hoc fuit inductus ;

b) *ex parte delinquentis :* conscientia gravis peccati, et notitia censurae, ita tamen ut ignorantia crassa vel supina ab ea non excuset (S. Off., 13 ian. 1892, ad 3 ; can. 2229). Aegre dari potest in sacerdote ignorantia quoad existentiam censurae ; facilius quoad extensionem eius, quatenus bona fide existimari posset casum adesse quo complicem absolvere sit licitum.

Hinc : 1) *Poena non incurritur :*

a) si sacerdos tantum audivit confessionem complicis, dummodo non absolvat nec absolvere fingat ;

b) si poenitens peccatum complicitatis in confessione sua sponte reticuit aut inculpabili oblivione, licet id absolventem

1. Sacerdos complex facile praevidere poterit casum et Romae recurrere ut, tacito nomine, et ficta indicatione residentiae, facultatem obtineat absolvendi complicem ; ceteroquin, etiam in sententia aliorum, si praeviderit casum, ad id tenetur.

non fugiat. Privatio enim iurisdictionis et adnexa excommunicatio est in ordine ad peccatum turpe in quo confessarius complex fuit, ut declaravit S. Poen. 16 maii 1877.

2) *Incurritur autem excommunicatio:*

a) si sacerdos se absolvere, coram ipso *poenitente*, simulet et fingat, uti nunc certum est ex repetitis responsionibus S. Poen., 9 iul. 1751, 1 mart. 1878 et 19 febr. 1896, et S. Off., 10 dec. 1883, et a Codice ratum in can. 2367, § 1 : ita v. g. si sine intentione absolvat vel formam substantialiter corrumpat, vel orationem quamdam et alia verba pronuntiando, aut tacendo, videatur poenitenti per signum aut gestum absolvere ; non autem si poenitentem praemonitum cum sola benedictione dimittat, dissimulando adstantibus ;

b) si confessarius induxit poenitentem complicem ad non confitendum peccatum complicitatis, sive directe monendo ut taceat, sive indirecte persuadendo actum iam patratum non fuisse graviter malum, vel non esse necessario accusandum, utpote v. g. ipsi iam notum. Imo, ex recenti declaratione S. Officii, 16 nov. 1934, indirecte inducens etiam censendus est « confessarius qui, siva intra sive extra confessionem sacramentalem, alicui persuaserit in turpibus *inter se patrandis* aut nullum aut certe non grave inesse peccatum eumque consequenter, de aliis tantum sibi postea confitentem sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere ». Quo excommunicatio iam extenditur ultra casum complicitatis in peccato gravi.

A dicta excommunicatione regulariter absolvit sola Sedes Apostolica ; ac in periculo mortis et in casu urgentiore etiam potest absolvere simplex confessarius, sed tantum cum onere, sub poena reincidentiae, recurrendi, saltem infra mensem, ad S. Sedem, etiam si recursus sit hic et nunc impossibilis (can. 2252, 2254, 2367 ; n. 597, C). Unde rigorosius tractatur casus quam peccata reservata propter censuram.

637. Corollaria. — Ex praedictis sequitur :

1. Sacerdos qui initio confessionis non cognoscit complicem, sed tamen ante absolutionem agnoscit, hunc monere debet de defectu iurisdictionis et eum dimittere ; ideo enim ipse nullam infamationem incurrit.

2. Qui in articulo mortis *illegitime*, i. e. non impedito alio sacerdote, complicis confessionem incepit excipere, alteri sacerdoti locum cedere tenetur et ab absolvendo abstinere ; imo *etiam* si *legitime* inceperit, deficiente alio confessario, et talis superveniat aut mortis periculum iam transierit, debet cessare, dummodo id fieri possit sine graviore incommodo.

3. Qui complicem in mortis periculo, urgente necessitate, absolvit, non potest, periculo transacto, excipere confessionem ad integrandam accusationem, si peccatum complicitatis adhuc maneat accusandum.

4. Qui dubitat an poenitens sit complex, debet inquirere et

interrogare in quantum prudentia permittat ; quod si nil faciat ad dubium solvendum, invalide absolvit, et excommunicationem non effugit, quia ignorantia est crassa et supina (S. Off., 13 ian. 1892).

638. Animadversio.— Sacerdos qui complicem indebite absolvit recurrere debet, per se vel per alium, v. g. confessarium, ad S. Poenitentiariam, cui casus exponendus cum omnibus circumstantiis. Poenitens complex vero nullam censuram nec reservationem per se incurrit ; atque benigne est a confessario excipienda huiusmodi persona, ut propriam miseriam confiteri non erubescat, et repetitis confessionibus apud complicem peractis amotaque occasione peccandi, absoluta dimittatur.

At fieri posset quod, occasione confessionis, ad peccatum sollicitata fuisset ; de quo nunc est dicendum.

Articulus II.

De Poenitentis Sollicitatione ad turpia.

639. Dispositiones iuris canonici. — Iuxta can. 904 : « Ad normam Constitutionum apostolicarum et nominatim Constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Poenitentiae*, 1 iun. 1741, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel S. Congregationi S. Officii ; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere ».

De poenis in delinquentes additur can. 2368 :

« § 1. Qui sollicitationis crimen, de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione missae, et ab audiendis sacramentalibus confessionibus, vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiiciatur.

§ 2. Fidelis vero, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit ».

640. Sollicitatio ad turpia est *provocatio ad grave peccatum luxuriae facta a sacerdote cum quadam relatione*

ad confessionem, seu a sacerdote ut *confessario ita abutente confessione sacramentali* vera aut simulata.

Est peccatum valde grave, a) quia gravis *irreverentia* sacrilegii irrogatur sacramento, et hoc est *contra religionem;* b) quia *scandalum* constituit *adversus charitatem*, dum lethale damnum infert poenitenti, porrigendo ei pro medicina venenum ; c) quia, si confessarius sit parochus, continet *iniuriam* specialem *contra iustitiam*, quoniam ipse ex iustitia tenetur verbo et exemplo pascere oves suas.

Est autem 1. *provocatio* ad peccatum, i. e. actio sive per se inhonesta, sive per se indifferens, sed turpem affectum exterius manifestans, qua aliquis alterum, in casu confessarius poenitentem, inducere conatur ad aliquod peccatum, sive explicite, studiose et de industria, sive implicite ita ut modus agendi vel loquendi sponte alliciat.

Est scandalum poenitenti datum, invitatio seu incitatio quocumque modo fiat a sacerdotibus, verbo vel facto, seu ut loquitur Benedictus XIV, « sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu (in proprium corpus vel alienum), sive per scripturam aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eo illicitos et inhonestos sermones vel tractatus (i. e. consilia, deliberationes, pactiones) ...habuerint », dummodo inductio ad malum fuerit *certa:* in dubio enim nemo fama sua privandus, et lex dubia non obligat ; unde delictum dubium non censetur delictum.

Vera autem sollicitatio adest :

a) sive sit *efficax*, ita ut persona sollicitata consentiat, sive sit *inefficax*, qua quis sollicitare vel provocare mere tentavit, etiamsi altera persona solum postea intellexerit ;

b) sive sit *immediata*, ad consensum poenitentis obtinendum, sive sit *mediata*, vel mediante poenitente, ad aliam personam in peccatum inducendum, vel per scripturam postea legendam, ut aliquod scriptum circa turpia (prop. 6 damn. ab Alex. VII ; S. Off., 11 febr. 1661, n. 1) ;

c) *cum quacumque persona* cuiuscumque sexus, conditionis, aetatis : parum enim refert utrum sit vir vel femina, puber vel impuber, utrum sollicitetur ad peccandum cum confessario vel solitarie, vel cum tertia persona v. g. iuvenis cum puella (S. Poen. 2 sept. 1904) ; dummodo sit sollicitationis capax, qualis non est dormiens, aut, pro sollicitatione per sola verba, surdus aut idiomatis ignarus.

2. Est *ad turpia*, i. e. inducens ad actus graves contra castitatem, sive sint graves *in se*, sive *ex adiuncta circumstantia* impudica, sive *ex affectu libidinoso* exterius manifestato ; seu ad grave luxuriae peccatum quodcumque, etiam internum ut desiderii aut complacentiae.

Unde crimen sollicitationis de quo agitur, non adest :

a) si provocatio facta est ad aliud peccatum, v. g. furtum aut homicidium, quamvis iure naturali possit aliquando denuntiatio esse praecepta (S. Off., 11 febr. 1661, ad 11) ;

b) si facta est ad aliquod inhonestum, quod non est *certo* peccatum mortale, v. g. aliquid mere sensuale, osculum obiter datum ;

c) si sollicitatio non est completa sed solum praeparatoria, ita ut non verum praebeatur scandalum, sed solum inquiratur num persona cum aliqua spe tentari possit ; vera tamen sollicitatio inchoata sufficit.

Hinc ad diiudicandum *in praxi*, num sollicitatio adsit, attendendum est num verba vel facta, si non ex se, saltem *ex adiunctis* turpem affectum significent et ad turpem affectum provocent. Ita v. g. si sacerdos donum largitur in confessione, vel tactus leviter immodestos committit, etiam pressos et saepius repetitos, si exprimit suum amorem erga personam, vel velleitatem cum ea nubendi si ipse esset saecularis, aut agnitionem vel laudem eius pulchritudinis et venustatis, si quaerit ubi habitet, vel rogat eam facturum quod ipse voluerit, vel postulat ut domi eum expectet aut, e contra, ut sola in domum confessarii veniat, etc., ex adiunctis et subsequenti effectu videndum erit quisnam sit sensus (S. Off., 11 febr. 1661, ad 12 et 16) : an ista solum ex imprudentia et levitate, aut forsan ad bonum finem agantur v. g. ad monendum de quodam periculo ; vel e contra ex prava intentione, quem sensum facile haberent si constaret sacerdotem, extra confessionem, turpem amorem erga illam personam fovere, aut esse virum ad libidinem pronum.

3. Est *a sacerdote ut confessario*, qualiscumque fuerit, sive saecularis, sive regularis, sive approbatus, sive non approbatus sed iurisdictione carens.

Hinc non adest obligatio specialis denuntiandi *ex lege ecclesiastica :*

a) si sollicitans non sit sacerdos, sed clericus inferior vel laicus, qui fingunt se esse confessarios ;

b) etiam, *probabiliter*, si sit episcopus, quia incertum est an designetur sub voce : sacerdos[1] ; quamvis generatim denuntiandus esset ex lege naturali ;

c) si interpres, etiam sacerdos, in confessione adhibitus, sollicitet ;

d) si poenitens confessarium ad turpia sollicitet, etiam si iste mere consentiat, modo consensus novam sollicitationem implicite non contineat ; e contra, si sollicitatio sit mutua, ut si confessarius ad unam speciem prius sollicitatus, ipse ad aliam sollicitet, aut in principio dissentiat et post tempus sollicitare incipiat.

4. Debet esse *cum relatione ad confessionem seu connexione cum sacramento Poenitentiae ;* ut explicabitur n. seq.

1. De hoc in nostro opusculo: *De Poenitentiae Ministro*, c. 5, q. 2, II, 3.

Distinguitur enim casus noster :

a) a sollicitatione in administratione alterius sacramenti a sacerdote facta sine relatione ad confessionem ; quo casu non est denuntiatio specialis facienda ex lege ecclesiastica (S. Off., 11 feb. 1661, n. 10), quamvis tamen in quibusdam adiunctis possit talis obligatio adesse ex iure naturali ;

b) item a peccato complicitatis, quod committi potest absque relatione ad confessionem, etiam antequam aliquis ad sacerdotium elevatus fuerit.

641. Connexio cum sacramento Poenitentiae requisita adest, si sollicitatio fiat a sacerdote « vel *in actu sacramentalis confessionis*, — vel *ante, vel immediate post confessionem*,— vel *occasione*,— aut *praetextu confessionis*,— vel etiam, extra occasionem confessionis, *in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem* ». Ita Benedictus XIV in const. praedicta.

1. *In actu sacramentalis confessionis*, i. e. inter initium confessionis et finem : a tempore scil. quo inchoatur confessio usque ad ultima absolutionis verba inclusive, seu, ut dicitur, inter duas cruces confessarii.

Sacramentalis autem censetur confessio, modo cepta sit ad sacramentalem absolutionem, etsi interrumpatur et ad finem non deducatur, ita ut sacramentum aliquo modo manserit incompletum, vel poenitens quacumque de causa non sit absolutus.

2. *Vel ante, vel immediate post confessionem*, i. e. si inter confessionem *veram* et sollicitationem nulla actio externa aut collocutio intercedat quae non refertur ad sollicitationem.

Unde crimen sollicitationis adest, si confessarius *immediate ante vel post confessionem* loquitur ex affectu libidinoso verba manifeste obscena, aut tangit inhoneste poenitentem, — vel si poenitens, in actu et statu confessionis, iam ad pedes confessarii sedens petit confiteri et confessarius annuit et tunc sollicitat, etsi poenitens iam confiteri subinde nolit,—vel si confessarius mulierem sollicitat quae post confessionem ad deosculandam manum accedit, — vel si statim ducit in cubiculum aut sacristiam ut ibi securius sollicitet, — vel si immediate dicit : expecta parumper, et post intervallum (non autem die sequenti) sollicitat, — vel si poenitenti sollicitanti consentit, sed statim desistit, et complementum differt ad aliud tempus (S. Off., 11 febr. 1661, n. 2) : ita enim poenitentem in sollicitatione detinet et confirmat.

E contra, si alia actio aut aliud vere medium intercesserit, casus non habetur, ut si sollicitatio altera die fiat quam confessio,

aut post locutionem de rebus indifferentibus vel aliud negotium, aut si confessarius personam e confessionali iam egressam adeat et sollicitet, aut postquam alium poenitentem audivit, nisi tamen inceperit in confessione dicendo v. g. : expecta me paulisper, et ita dixerit non ad aliud negotium quam ad sollicitationem.

3. *Vel occasione confessionis*, i. e. si ex confessione *vere petita vel facta* sumitur motivum vel opportunitas provocandi ad turpia, ita ut confessio sit causa per accidens sollicitandi poenitentem.

Ita 1° *occasione confessionis petitae :* si poenitens (expresse vel tacite) petit statim confiteri et, volens incipere, ab hoc impeditur a confessario qui eum illico provocat, confessione dilata in posterum ; vel si confessarius aegrotantem quasi confessurus adit, vocatus ad hoc et rogatus, et hac occasione sollicitat ; — Vel 2° *occasione confessionis auditae :* si confessarius in confessione vel immediate ante aut post confessionem tradit poenitenti schedulam vel litteras postea legendas in quibus sollicitat ad turpia (prop. 6, damn. ab Alex. VII ; S. Off., 11 febr. 1661, n. 1) ; vel si cognoscens inclinationes aut tentationes poenitentis, eum sollicitat, modo constet fieri *ex auditione confessionis*, qua iam tunc ad hanc intentionem impulsus fuerit, de quo tamen raro constabit.

E contra, *probabiliter* saltem, non sollicitat occasione ipsius confessionis :

a) qui *sola* notitia abutitur exhausta ex confessione, v. g. de fragilitate poenitentis, ad eum sollicitandum : tunc non fit occasione ipsius confessionis, sed occasione *notitiae* ex confessione haustae ;

b) qui tradit confitenti schedulam ferendam alii personae, quam confessarius ita sollicitat, modo ipse poenitens nullo modo complex sit : tunc enim ipse *poenitens* non sollicitatur ;

c) qui rogatus ad confessionem non statim sed alia die vel hora, imo, secundum aliquos, etiam nunc excipiendam, sed nondum ad modum confessarii sedens nec personam coram se genuflexam habens, eam sollicitat (S. Off., 11 febr. 1661, n. 4) : tunc enim non fit occasione confessionis, sed occasione *petitionis* confessionis.

4. *Vel praetextu confessionis*, etiam confessione non secuta, i. e. sub velo aut colore seu specie, vel falsa allegatione confessionis ad tegendum pravum finem, si nempe occasio sumitur a confessione ficta et unice eo fine proposita ut sollicitationi inserviat. Quam praetexere debet non quidem poenitens, sed confessarius ut poenitentem sollicitet.

Ita si aliquam personam ficte invitat *ad confitendum*, quo fa-

cilius eam ad turpia inducat, — aut si accedit ad domum aegrotantis eique de confessione loquitur ad removendos adstantes, quibus profectis, eam sollicitat, — vel si ipsam, praetextu confessionis, ingredi cubiculum rogat quasi confessionale, et tunc sollicitat ; — non autem *probabiliter :*

a) ille qui ad eludendos alios convenit cum persona ut se fingat aegrotam : non enim praetextu confessionis sollicitat, sed *peccatum mere exequitur,* ita ut praetextus confessionis non ordinetur *ad sollicitandum,* sed ad alios decipiendum ;

b) nec ille qui, sub praetextu confessionis, licentiam petit a superiore ut ad personam se conferat, quam revera sollicitare intendit : praetextus enim non est respectu poenitentis sed superioris, ita ut praetextu confessionis non sit sollicitatio facta, sed *solum licentia concessa;*

c) nec ille qui, sub praetextu confessionis, personam invitat ut se conferat in ecclesiam, ibique eam, extra confessionale, sollicitat : non enim sub praetextu confessionis ipsa sollicitatio, sed *sola invitatio* adeundi ecclesiam facta est ;

d) nec ille qui extra confessionis tempus et locum, personam sollicitat eique, ut facilius concedat, promittit se postea eius confessionem auditurum : praetextu confessionis ipsa non fit sollicitatio, sed solum *obtinetur consensus;*

e) nec a fortiori ille qui personae ipsum advocanti et sollicitanti mere consentit.

5. *Vel etiam extra occasionem confessionis, in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo, sed cum simulatione confessionis.* Quae duo adesse debent, ita ut fiat in loco confessionis et *simul* confessio simuletur (S. Off., 11 febr. 1661, n. 15) :

a) *simulatio* seu *figura confessionis* habetur si ita agant ut specietenus confessionem instituere videantur (v. g. sacerdos applicando aures), ita ut adstantes merito arbitrarentur ipsam confessionem excipi. Ad quod requiritur etiam

b) *locus confessionis :* ut fiat *in confessionali* seu *in aediculo speciali destinato ad audiendas confessiones,* uti sunt cella vel sacristia ubi surdastri audiri solent, vel locutorium destinatum confessionibus sacerdotum (S. Off., 28 apr. 1700), aut locus quo monialium confessiones audiantur (S. Off., 25 nov. 1874) ; — vel *in alio loco quocumque ad confessiones electo* transeunter pro adiunctis, ut est cubiculum infirmi, aut sacristia vel chorus aut platea pro tempore magni concursus fidelium ; — non autem in loco praecise electo ad hanc unicam confessionem simulandam.

Ita si poenitens qui fine sive bono (ut ad consilium petendum) sive malo (ut ad confessarium tentandum) venit in locum ad confessiones destinatum et ibi sollicitatur cum simulatione confessionis ; vel si persona volens aliquid communicare sacerdoti, ab eo ducitur in confessionale et ibi, simulata confessione, sollicitatur ; vel si ambo turpes sermones miscentes, confessionale ingrediuntur et, simulata confessione, in turpiloquiis pergunt (Paulus V, 10 iul. 1614); — non autem si confessarius, sedens in confessionali, sed non simulans confessionem, sollicitat personam stantem vel sedentem ante confessionale (S. Off., 11 febr. 1661, n. 15).

642. Obligatio denuntiandi sollicitantes. — Obligatio *gravis* denuntiandi sollicitantes adest non solum generalis ex lege naturali, qua omnes ad hoc tenentur si necesse sit ad scandalum removendum ; sed etiam *specialis* ex lege positiva ecclesiastica, qua obligantur intra mensem sollicitati poenitentes, et quidem sub poena excommunicationis latae sententiae nemini reservatae.

Cuius praecepti finis non solum est emendatio personae particularis, sed potius securitas publica sacramenti et animarum, ex certa castigatione sceleris et ex metu indeclinabili confessariorum obtinenda.

Secundum hoc legis statutum :

A. *Denuntiandi sunt omnes et soli sacerdotes,* etiam non approbati aut iurisdictione carentes (S. Off., 11 feb. 1661, n. 5 ; et 20 febr. 1867, n. 2), sive saeculares sive regulares, cuiuscumque praeeminentiae aut dignitatis (episcopali tamen probabiliter excepta, ut supra notavimus n. 640, 3), per seipsos sollicitantes ; — non autem meri interpretes vel nuntii sollicitationis, eamve mandantes aut consulentes, iuxta S. Off., 11 febr. 1661, n. 6 et 7.

Denuntiandi sunt, etsi sollicitationis factae statim ipsi poenituerint vel si cepta sollicitatione statim destiterint (ib., n. 2), aut si gravi metu inducti fuerint (ib., n. 9), aut si sollicitaverint poenitentem non advertentem malitiam peccati (S. Off., 11 maii 1707) ; — etiamsi crimen a longo tempore fuerit commissum et remanserit occultum aut iuridice probari non possit (prop. 5, ab Alex. VII damn., 24 sept. 1665), vel nulla praecesserit monitio aut correptio fraterna (Alex. VII, 8 iul. 1660) ; — vel ipsi in terram longinquam profecti sint aut iam emendati, imo qui sponte se denuntiaverint (S. Off., 26 iul. 1628), vel et plene convicti fuerint et a iudice puniti (S. Off., 11 febr. 1661, n. 13), praesertim si agatur de *novo* crimine vel de sollicitatione *alterius :* dummodo

adhuc vivant ; — non autem defuncti (S. Off., 27 maii 1707 et 6 mart. 1839 ; S. Poen. 24 apr. 1884).

Finis enim legis non est sola emendatio sollicitantis, nec sola eius punitio, sed utrumque simul ; quare denuntiandi etiam sunt illi qui iam emendati sunt, *aut* iam puniti, quia finis totalis legis nondum cessavit ; non autem defuncti, quia finis non amplius obtineri potest, sed cessavit totaliter. Quare si aliqui de denuntiando crimine iudicialiter fuerint plene convicti, *et simul* plene et perfecte emendati appareant, ita ut reincidentia non videatur timenda, non esset amplius obligatio denuntiandi ; sed id vix valet in praxi, cum attento stricto secreto in huiusmodi causis servando, vix unquam constet ob quodnam crimen convictus fuerit et punitus sacerdos.

B. *Ad denuntiandum obligantur poenitentes sollicitati*, etiamsi sollicitationem non intellexerint et nonnisi serius cognoverint (S. Off., 11 maii 1707), vel, e contra (S. Off., 25 iul. et 27 sept. 1624), ipsi consenserint, aut prius sollicitaverint ita ut sollicitatio fuerit mutua, cum possint hoc reticere, imo et negare, si desuper, quod absit, interrogentur (S. Off., 25 iul. 1624 et 20 febr. 1867, n. 6) ; — etiam si longum temporis intervallum intercesserit (prop. 6 damn. ab Alex. VII), crimen manserit occultum et defectus sit probationis, aut si promiserint aut iuraverint se nunquam esse denuntiaturum, quia promissio de re illicita non tenet, et iuramentum non potest ligare ad iniquitatem ; — imo si ab altero denuntiatio iam facta fuerit : lex enim adstringit *singulos* sollicitatos.

Excusantur tamen :

1. Ob mortem sacerdotis sollicitantis, ut dictum est.

2. Ob magnum incommodum extrinsecum, *quamdiu durat* (S. Off., 21 febr. 1630, et 20 febr. 1867, n. 5) : ita damnum notabile seu grave periculum, in bonis vitae, famae, vel fortunae, etiam, probabiliter, pro consanguineis valde proximis, nisi ex omissione bonum commune religionis graviter periclitaretur ; item impossibilitas moralis, quae in quibusdam regionibus sat facile haberi potest, denuntiationem faciendi sive oraliter sive per litteras (S. Off., 21 feb. 1630 et 22 ian. 1727) ; — non autem incommodum praecepto intrinsecum, ut timor cuiusdam indignationis incurrendae apud sollicitantem, verecundia in manifestanda sollicitatione, periculum levis incommodi aut leve periculum gravioris ; nec etiam periculum propriae infamiae aut publicitatis quod ob cautiones adhiberi solitas non datur.

3. Ob dispensationem S. Officii quae raro conceditur ; peti tamen potest si poenitens, etiam irrationabiliter, *omnino* recuset denuntiationem facturum (S. Off., 20 febr. 1867, n. 7) : aliquando enim si nimia adsit poenitentis repugnantia, aut non tanta denuntiationis utilitas, dispensari potest.

Praeter ipsum poenitentem, in iure novo iam videtur *urgeri* non posse, ut alii qui sollicitationem certo noverint, ad denuntiandum, *vi legis ecclesiasticae* obligentur. Canon enim 904 expresse dicit : *poenitens ;* quamvis tamen optimi auctores, ut De Smet et Vermeersch, ius antiquum hac in re adhuc vigere defendant ; sed id non est certum. Nunquam tamen denuntiare debuerunt illi qui rem sciebant ex secreto professionali ; nec ipse confessarius sollicitans debuit denuntiare seipsum (S. Off., 17 nov. 1624), quamvis, si faciat, mitius tractabitur et erit immunis a poenis vindicativis, non tamen semper a medicinalibus (S. Off., 20 febr. 1867, n. 13).

C. *Confessarii sub gravi monere tenentur poenitentes de obligatione denuntiandi*, etiamsi isti bona fide obligationem ignorent, et praevideatur ut denuntiare renuant (S. Off., 20 feb. 1867, n. 3) : id enim postulat bonum commune ; — excepto solo mortis articulo, ne poenitentes in periculum damnationis coniiciantur. Porro confessarii docere debent obligationem denuntiandi, tempus intra quod est implenda, poenam incurrendam, modum denuntiationem faciendi.

Si poenitentes absque gravi ratione excusante denuntiare renuant, non sunt absolvendi, utpote indispositi (S. Off., 20 febr. 1867, n. 5) ; sed confessarius recurrere *potest* ad S. Poenitentiariam aut S. Officium, ad instructiones accipiendas vel etiam obtinendam dispensationem.

Nec ab obligatione liberantur ex eo quod confiteantur apud ipsum confessarium sollicitantem, qui eos *monere* contra seipsum non tenetur, uti patet ex ipsis verbis Constitutionum pontificiarum ; Alexander VII damnavit propositionem 7 : « Modus evitandi obligationem sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante : hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi ».

643. Poenae a iure statutae. — A. *Poenae contra sollicitantes* sunt *ferendae sententiae*, ut constat ex can. 2368, § 1 supra citato. *Tres infligi possunt :* suspensio a celebratione missae, — suspensio ab audiendis confessionibus vel ad eas inhabilitas, — privatio beneficii, vocis activae et passivae, dignitatis, et inhabilitas ad ea ; imo, in casibus gravioribus, degradatio. Censurae, quia ferendae sententiae, censentur esse ab homine iuxta can. 2217, § 1, 3° ; unde non possunt remitti nisi ab Ordinario qui illas inflixit, aut a superiore competente (can. 2245, § 2).

Non tamen statim a prima denuntiatione possunt infligi, nisi forsan fama mala sit et denuntians omni exceptione maior ; sed praxis est quod 1° post unam vel alteram denuntiationem, tamquam suspectus de crimine, confessarius denuntiatus *observetur ;* vel etiam 2° ut *paterne moneatur* aut, si crimen sit certum, et salutari poenitentiae subiiciatur, quales sunt amotio a loco criminis et exercitia spiritualia peragenda ; denique 3° post tertiam denuntiationem *in iudicium vocetur*. Quod supponit reum admitti ad defensionem.

Quodsi reus sponte comparuerit et delictum sincere confessus fuerit, dimitti debet monitus et poenitentia punitus ; nisi iam denuntiatio facta fuerit, quo casu poena imminuetur (S. Off., 20 febr. 1867, n. 13).

B. *Poena contra poenitentes sollicitatos denuntiare negligentes* est *excommunicatio latae sententiae* nemini reservata, ut habet can. 2368, § 2. Ad quam incurrendam requiritur :

1) obligatio denuntiandi certa ; 2) omissio culpabilis, quae supponit cognitionem obligationis, et etiam censurae, ita ut huius ignorantia excuset, nisi sit affectata ; 3) tempus unius mensis elapsum, quod currit a momento quo persona sollicitata obligationem et tempus implendi ac censuram adnexam noverit.

Poenitens qui excommunicationem incurrit absolvi nequit, nisi denuntiationem fecerit, vel saltem facere serio promiserit ; quo facto, potest absolvi a simplici confessario, quia censura nemini est reservata. « Quodsi postea, mutata voluntate non denuntiet, censura non reviviscit, ait Noldin, Th. M. III, n. 379, quia in iure de reincidentia nihil habetur ».

C. *Poenae contra falsos denuntiatores* sunt duae :

a) Ex can. 894 *falsa delatio* per se vel per alium (v. g. per confessarium) facta *apud iudices ecclesiasticos* est *peccatum ratione sui S. Sedi reservatum.* Ad quod incurrendum oportet :

1) quod denuntietur sacerdos *ut reus sollicitationis proprie dictae*, scil. in connexione ad confessionem, sicut explicatum fuit n. 641 ;

2) quod denuntiatio sit *falsa* materialiter et formaliter, ita ut confessarius huius delicti non cognoscatur reus, quamvis forsan aliorum delictorum similium reus sit ;

3) quod denuntiatio *apud iudices* ecclesiasticos facta fuerit, quod plures intelligunt strictiore et formali sensu de denuntiatione *iudiciali.*

Quodsi ita intelligendum sit, quod tamen certum non est, non sufficeret denuntiatio anonyma, aut simplex epistola subsignata.

A praedicta reservatione non excusat ignorantia, quia reservatio peccati non mera poena est, sed principaliter et immediate avocatio ad tribunal superioris et ideo restrictio potestatis confessarii, quae solum mediate afficit poenitentem ut diximus n. 593 (can. 893, § 1), et quia a lege inhabilitante nulla ignorantia excusat[1] (can. 16, § 1).

b) Ex can. 2363 *falsa denuntiatio* per se vel per alios *apud superiores facta* incurrit *excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam.* Quibus terminis omnino generalibus comprehendi videtur non solum stricte iuridica apud iudices formaliter agentes ut tales, sed quaecumque denuntiatio ad superiores directa, etiam per epistolam ; — non tamen anonyma quippe quae nullam vim habet (S. Off., 20 febr. 1867, n. 6). Sane, non sola denuntiatio quae fit in ipsa instructione iudiciali, sed etiam illa quae id quaerit, et monet de instructione facienda, iam fit apud superiores ut tales ; — secus nimis saepe elideretur illa poena provide inducta.

A poena tamen excusat ignorantia, non quidem solius reservationis, sed censurae, non tamen crassa nec affectata. Ab ipsa autem nemo ullo in casu potest absolvi iuxta can. 2363, nisi :

1) falsam denuntiationem formaliter retractaverit apud superiorem, vel medium ad hoc sufficiens iam posuerit aut, si hic et nunc sit impossibile, id serio promiserit ;

2) omnia damna ex calumniosa denuntiatione secuta pro viribus reparaverit ;

3) acceptaverit gravem et diuturnam poenitentiam. Gravis est illa quae pro gravi culpa in sacramento dari *per se* debet ; diuturna quae per sex circiter menses vel ultra durat, attenta qualitate personae et operis impositi natura et frequentia.

Ex quibus omnibus sequitur :

1. Censuram reservatam latius se extendere quam peccatum ratione sui reservatum.

1. De Smet tamen censet contrarium, quia secundum Constitutionem benedictinam ista reservatio est poena medicinalis, a qua, secundum can. 2229, § 3, ignorantia excusat quae non sit crassa. Sed id non amplius valet in iure, in quo expresse dicitur, can. 893, reservationem limitare potestatem confessarii, et in canone immediate sequenti 894, falsa delatio dicitur unicum peccatum ratione sui reservatum S. Sedi. Ergo non amplius est principaliter poena medicinalis, sed avocatio ad tribunal superioris et iurisdictionis restrictio ; ut iam generatim agnoscitur. — Ceterum practice raro adest ignorantia, cum denuntiantes confessarium debeant a iudice vel delegato moneri de reservatione.

2. Nihilominus contrahi posse reservationem peccati, quin contrahatur reservatio censurae v. g. propter ignorantiam.

3. Reservationem censurae aliquando cessare, quin cesset reservatio peccati, et vice versa cessare reservationem peccati v. g. in casu aegroti e domo exire nescientis, quin ideo cesset reservatio censurae.

4. Illum qui ab una absolvere potest, non semper absolvere posse ab altera.

5. Complices etiam utraque reservatione attingi, quippe qui per alios denuntiant; scil. iubentes, mandantes, consulentes, rogantes, promittentes, comminantes, etc. uno verbo omnes qui positive et efficaciter concurrerunt ad falsam denuntiationem.

644. Corollaria de sollicitatione dubia. — 1. In dubio an actio exercita aut verba prolata prae se ferant et significent sollicitationem, si de *sola* confessarii intentione dubitetur, finis adfuisse praesumitur consentaneus actioni exercitae aut verbis prolatis.

2. Si ipsa actio externa non solum secundum se, sed etiam spectatis omnibus circumstantiis et indiciis tum ex parte rei tum ex parte agentis maneat ambigua, ita ut delictum vere dubium sit, benigniores partes praeferri possunt et denuntiatio non est de praecepto ecclesiastico.

3. Si certa sit sollicitatio, sed de persona dubitetur, denuntiatio facienda est ut superior de persona sollicitantis inquirere possit, dum inquisitio facile fieri possit absque periculo infamandi innocentem; unde: a) denuntiandum erit si spes probabilis adsit quod iudex diligentia sua ignotum detegere valeat; b) e contra qui inter duas personas dubius haeret et utramque in denuntiatione indicare debet, a denuntiatione plerumque abstineat ne famae innocentis noceat.

645. Modus faciendi denuntiationem. — Secundum normam iuris:

A. *Denuntiatio facienda est S. Officio* vel *Ordinario loci* (can. 904), i. e. episcopo, vel abbati nullius, administratori, vicario aut praefecto apostolico, illique qui deficientibus praedictis succedit in regimine (can. 198, § 1, v. g. vicario capitulari), aut eorum delegato; — non autem vicario generali sine mandato speciali (can. 2220, § 2), nec a fortiori superioribus religiosis (can. 501, § 2), qui, licet sub nomine Ordinarii veniant, non tamen sub nomine Ordinarii loci (can. 198, § 2).

Per se autem denuntiatio facienda est proprio Ordinario sacerdotis sollicitantis; practice tamen fieri etiam potest coram Ordinario loci in quo delictum commissum fuit, vel et Ordinario poenitentis, qui tunc susceptam denuntiationem transmittere ad S. Officium vel ad Ordinarium proprium sollicitantis debet.

B. Denuntiatio facienda est *personaliter et viva voce* ab ipsa persona sollicitata,

vel 1) *coram episcopo* eiusve delegato, *et alio ecclesiastico viro tamquam notario* fungente, ac cum iuramento et subscriptione nominis (S. Off., 20 febr. 1867, n. 6);

vel 2) *coram confessario aut alio* ecclesiastico viro, ad hoc ab episcopo *deputando*, sed *sine interventu notarii* (ib. n. 8).

Ad quam denuntiationem faciendam, in praxi ordinario praecedere debet denuntiatio extraiudicialis:

a) Si persona sollicitata scribere valeat, scribat ipsa ad episcopum, propria manu, ac in litteris non anonymis sed subsignatis nomine et domicilio suo, exponat se ad denuntiationem faciendam teneri seque rogare ut indicetur modus quo sit facienda, aut mittatur persona delegata ad eam excipiendam; — vel etiam delinquentem manifestet, referens locum, tempus, occasionem, vices ac singula adiuncta, necnon utrum in actu confessionis, an prius vel post evenerit, nomen quoque ac munus confessarii, aut, si id ignoretur, descriptionem accuratam eius personae. Paratamque se dicat ut instructionibus ab episcopo dandis prompte se conformet; addendo, si rationes graves adsint, se non posse adire curiam episcopalem, sed delegatum mittendum exspectare, aut etiam solo confessario denuntiationem congrue fieri.

b) Si scribere nesciat, aut sine gravi incommodo nequeat, episcopum per se vel per fidum internuntium adeat; — et si id non possit (aut non velit), *expedit* ut, de licentia poenitentis, scribat confessarius (ib., n. 7), non quidem ad denuntiationem loco poenitentis peragendam, sed ad informandum Ordinarium, sub pseudonominibus, de sollicitationis facto et ad postulandum, impossibilitate poenitentis spectata, opportunas instructiones. Ad id tamen confessarius stricte non tenetur; nisi exceptionaliter grave damnum publicum immineat. Et si confessarius nolit, expectare poterit poenitens occasionem alterius confessarii qui hoc ministerio fungi velit.

Poenitens qui monuerit Ordinarium, huiusque mandatis stare paratus sit, potest absolvi, ac *per se* sufficit ut deinceps responsum Ordinarii expectet.

C. *Ordinarius sedulo inquirere debet* utrum persona denuntians sit fide digna, et, antequam contra denuntiatum procedatur, perspectum habere « quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducentur ».

Ita Instr. S. Off., 20 febr. 1867, n. 10. Modus autem quo de eo inquirere debet definitus fuit a S. Off., in instr. 6 aug. 1897;

modus denuntiationes recipiendi in instr. 20 iul. 1890[1].

646. Animadversio. — Sacerdos sollicitationis reus *per se* absolvi potest a simplici confessario, dummodo alia omnia requisita adsint, quia sollicitatio non est casus reservatus (S. Off., 13 sept. 1859, ad 3), nisi tamen simul adsit casus absolutionis complicis ; sed monendus est sacerdos ne personae sollicitatae confessionem excipiat, ut ita periculum vitet relapsûs. Quod si punitus iam sit et suspensus, simplex confessarius a suspensione absolvere non potest, quia, utpote ferendae sententiae, est tamquam ab homine et ideo reservata.

QUINTA PARS.

DE SUBIECTO POENITENTIAE.

647. Subiectum Poenitentiae est omnis et solus homo viator, baptizatus, peccator, vere contritus et aliquo modo confitens. Debet esse :

1) *homo viator*, quia pro illo solo fuerunt sacramenta instituta ;

2) *baptizatus*, quia Baptismus reddit capaces ad recipienda alia sacramenta, quae secus reciperentur invalide ;

3) *peccator*, i. e. qui post Baptismum commisit saltem peccatum veniale, quia virtus poenitentiae non est nisi de peccato actuali personali, et sacramentum poenitentiae institutum fuit in remissionem peccatorum post Baptismum commissorum ; quodsi peccator non esset, verba absolutionis non verificarentur et absolutio esset invalida ;

4) *contritus*, saltem contritione imperfecta ; secus non esset vere poenitens, cum contritio sit actus principalis et essentialis poenitentiae, sine quo impossibile est obtinere remissionem peccati actualis (n. 412 et 483) ;

5) *aliquo modo confitens*, seu externe accusans se esse peccatorem. Sine accusatione externa enim peccata et dispositiones poenitentis essent ignota ministro, qui iudicium exercere non valeret ; qualiscumque autem externa

1. De his conferri potest opusculum nostrum *De Poenitentiae Ministro*, c. 5, q. 2, V, C et X ; ubi etiam confessariis traduntur practicae regulae observandae tum erga sacerdotem sollicitantem, tum erga poenitentem sollicitatum, ib. IX.

accusatio etiam minima ad hoc sufficit, in circumstantiis in quibus maior integritas confessionis est impossibilis (n. 525).

Praedicta omnia necessaria sunt ad validitatem sacramenti, ut ex antea dictis sufficienter constat, et tamen inter illa quaedam *directe* requiruntur ad capacitatem valide recipiendi sacramentum, alia vero potius ad dispositionem bonae et fructuosae receptionis, quamvis tamen etiam possint requiri ad validitatem propter specialem indolem sacramenti Poenitentiae[1].

QUAESTIO PRIMA.

DE REQUISITIS AD CAPACITATEM VALIDAE RECEPTIONIS.

648. Usus rationis et intentio requiruntur ad capacitatem receptionis sacramenti Poenitentiae. — Ut homo sit capax valide recipiendi hoc sacramentum, non sufficit ut sit viator, atque fuerit baptizatus et peccator, sed insuper intentio requiritur recipiendi sacramentum ac proinde usus rationis. Porro intentio non sufficit habitualis et implicita, sed etiam requiritur actualis vel virtualis momento quo poenitens partem ponit signi sacramentalis, i. e. contritionem elicit et accusationem facit, quae cum sint actiones humanae, sine usu rationis et debita intentione fieri non possunt (n. 93). Usus ergo rationis requiritur in poenitente momento quo format intentionem, contritionem elicit, accusationem facit.

Haec profecto clara sunt, sed in praxi praebere possunt difficultatem in quibusdam poenitentibus, puta in pueris, amentibus, surdomutis, aut in moribundis. De quibus speciatim dicemus.

Articulus I.

De Pueris, Amentibus, et Surdomutis.

649. Pueri praecepto confessionis tenentur, si usum

1. Haec ultima pars tractatus in indefinitum posset extendi, si principia applicarentur cunctis diversis categoriis poenitentium, uti pro quibusdam fecimus in opusculis *De Variis Poenitentium Categoriis*, et *De Variis Peccatis in sacramentali confessione medendis*. Hoc tamen potius pertinet ad theologiam pastoralem et ad practicam methodum regendi animas in tribunali Poenitentiae. Unde pro his ad opera remittimus indolis magis pastoralis.

rationis adepti sunt, quo inter bonum et malum morale satis discernere valeant ad peccandum mortaliter, ac deliberare de seipso, et de fine ultimo totius vitae seu salute aeterna. Quam discretionem generatim consequuntur circa septennium, paulo ante vel post.

Id tamen non pendet ex sola aetate sed etiam ex ingenii acuitate et educationis qualitate, aliisque temporis et loci circumstantiis : ita maturi fiunt prius in calidioribus quam in frigidioribus regionibus, in civitate quam ruri.

Usu rationis ad confessionem gaudere censentur quando peccata sua distincte explicant, quaestionibus a confessario propositis apte respondent, et intelligunt gravia delicta offendere Deum aut aeternis puniri suppliciis. E contra si nihil sponte dicere possunt vel non recitant nisi formulas memoriae commendatas, si ad omnes quaestiones propositas affirmative respondent vel negative absque ullo discrimine, aut si plerumque sibi contradicunt, merito censentur rationis usu carere. In dubio utrum discretionem sufficientem consecuti sint, extra periculum mortis confiteri non tenentur.

Tres quoad pueros attendendae sunt *regulae :*

1° *Absolutio certo denegari nequit* pueris, qui gravia peccata commiserunt, si alias videantur *dispositi*, unde reprehendenda omnino est praxis eorum qui sine absolutione eos dimittunt qui ad primam communionem adhuc non sunt admissi. Nec ut signum indispositionis haberi debet si circa confessionale puerilia agunt, ludunt, rident, cum haec sint naturalis levitatis et inconsiderationis et in se gravia non sint.

2° Si dubium sit an usum rationis habeant, aut sufficienter sint dispositi, *sub conditione absolvendi* sunt (*si es capax*) in periculo mortis, vel urgente praecepto annuae confessionis, imo quoties accusent ea quae *de se* sunt mortalia, ne scil. maneant in statu peccati si forte peccaverint.

3° Si nonnisi *venialia* accusaverint, ad contritionem excitandi sunt et, si sufficienter sint dispositi, absolvendi ne sacramentali gratia careant ; si *dubie dispositi* post exhortationem maneant, quia v. g. dubium sit de sufficienti eorum discretione, non sunt absolvendi, etiam sub conditione, quia non adest ratio sufficiens exponendi sacramentum periculo nullitatis ; nisi aliquando ratio sit timendi ne forte obnoxii sint peccato mortali occulto.

Plura alia practica videri possunt in opusculo nostro pastorali *De Variis Poenitentium Categoriis.*

650. Amentes perpetui absolutionem recipere nequeunt cuius sunt incapaces, non ita semiamentes aut semifatui :

1) Isti si certo inter bonum et malum morale distinguere possunt, quamvis confuse, et aliunde bene dispositi videntur, absolvi possunt, non solum semel, sed pluries in anno.

2) Si dubitatur de sufficienti usu rationis eorum et utrum possint graviter peccare vel non, meliori quo fieri potest modo instruendi ac disponendi sunt et sub conditione absolvendi in periculo mortis, imo aliquoties in vita, saltem semel in anno, et quoties probabile sit eos esse in statu peccati mortalis, ne scil. in peccato maneant si forte aliquid commiserint.

Cum autem semifatui ob ingenii tarditatem, et memoriae debilitatem, veritates etiam necessarias vix memoria retinere valeant, curet confessarius eos ita disponere ut necessarios actus fidei, spei et contritionis eliciant, ita v. g. procedendo : Credisne in unum Deum? Credisne tres esse in Deo personas distinctas et perfecte aequales... et Filium Dei propter nos hominem factum fuisse suoque sanguine redemisse? Credisne Deum malos punire et bonis praemia largiri aeterna? Et ita porro pro motivis contritionis.

Notetur signum sufficiens discretionis non esse quod revereantur clerum, quaedam mandata rite exequantur, genua flectant aut pectus tundant, quia haec facere possunt eo quod vident ea ab aliis fieri. At sufficiunt signa qualia indicavimus pro pueris.

651. Surdo-muti hodie sat facile instrui possunt, et si sint instructi, signis confiteri aut scripto. Si vero novis methodis instructi non fuerint, confessarius primum ab eorum familiaribus inquirat quaenam peccata frequentius committant et quaenam signa dare soleant ; deinde in aliquem locum occultum eos ducat ubi signis peccata quaedam saltem modo confuso declarare suamque contritionem exprimere conentur ; pariter quibusdam signis, v. g. oculos et manus ad coelum erigendo, crucifixum ostendendo, eos ad contritionem hortetur, et absolute vel conditionate eos absolvat, prout certus vel dubius erit de eorum capacitate. Simili quoque modo poenitentiam indicare potest, v. g. ostendendo rosarium aut quamdam eius decadem.

Notetur : a) surdomutos per se et secluso gravi incommodo teneri ad scribendam suam confessionem si scribere valeant et integre confiteri aliter non possint (n. 519 et 525). At, quia id a quibusdam consideratur ut medium extraordinarium, non stricte imponatur, nisi aliter confiteri omnino non possint; sed tamen ad id faciendum suaviter inducantur, si scribere valeant (v. g. in lamina ardosia), cum ita melius procuretur integritas confessionis, atque eodem modo sacerdos eis respondere apte possit ;

b) ad vitandum tamen periculum laedendi sigillum, peracta confessione, statim in praesentia poenitentis, scriptura deleatur ;

c) surdo-mutum eumdemque a nativitate caecum, qui olim habendus dicebatur perpetuo amens, utpote incapax institutionis, nostra aetate iam non ab omni institutione excludi : licet res sit difficilior, non tamen reputatur impossibilis.

Articulus II.

De Moribundis.

652. Moribundi specialem non praebent difficultatem, nisi sint sensibus saltem apparenter destituti et loqui non possint : tunc enim in iis usus rationis et debita intentio deesse possunt ; atque ipsa materia sacramenti. Nam, licet ob suum statum sane ab integritate materiali confessionis excusentur, nihilominus possunt in contritione aut eius sensibili manifestatione ac confessionis essentia deficere, quae tamen sunt materia proxima sacramenti aut conditio sine qua non absolutionis.

De iis valet *principium :* eos absolute absolvendos esse si certo sint dispositi eamque dispositionem aliquo modo manifestaverint, conditionate quotiescumque aliquo modo, etiam tenuiter, probabile sit absolutionem iis esse profuturam.

Etenim sacramenta sunt propter homines, et in extremis extrema sunt tentanda ; unde in casu necessitatis extremae licitum est uti materia dubia et sacramentum exponere periculo nullitatis, dummodo aliqua, etiam tenuis, *probabilitas* adsit absolutionis validae et suscipienti utilis. — Non tamen sufficit mera *possibilitas,* cum in rebus practicis probabilitas, non mera possibilitas, attendatur ; secus omnes essent rebaptizandi, et omnes sacerdotes reordinandi, quia stricte possibile est Baptismum vel Ordinem esse collatum invalide.

Aliis verbis : lex religionis est sacramentum non posse exponi periculo nullitatis ; lex charitatis obligat in casu necessitatis ad assistendum proximo. Charitas autem magis obligat quam religio. Unde in casu urgentis necessitatis, lex religionis cessat manente

lege charitatis. Melius est enim sacramentum exponere periculo nullitatis, dummodo aliqualiter probabile sit quod sacramentum possit esse validum, quam hominem relinquere expositum periculo aeternae damnationis.

Igitur : 1) Moribundus *est absolvendus absolute :* a) si habet in praesenti quaedam sufficientia signa contritionis, vel b) si momento absolutionis, sensibus omnino destitutus, signa iam praebet nulla, sed antea quaedam praebuit ipsi sacerdoti, imo c) si coram testibus petierit sacramentum vel sacerdotem et interim loquelam et usum rationis amiserit.

In istis enim casibus adest contritio virtualiter permanens, et confessio sufficiens saltem mediante interprete facta ; a materiali autem integritate confessionis certo certius excusat tanta necessitas.

2) Moribundus, qui nullum poenitentiae signum praebet nec explicite praebuit, *absolvendus est conditionate* (si es capax) : a) si christiane vixerit, vel b) fidem servaverit.

Hi enim merito praesumi possunt velle christiane mori, insuper actum contritionis elicuisse antequam usum rationis amitterent, vel et nunc elicere per lucidum aliquod intervallum atque per suspiria vel motus oculorum vel labiorum vel alia huiusmodi signum sensibile forsan exhibere, etsi sacerdos non distincte percipiat. Unde possunt absolvi, sub conditione tamen, quia non certa adest contritio, sed solum aliqua contritionis probabilitas, et adhuc minor est probabilitas quod externe manifestetur.

Tales censentur qui catholicae fidei signa servarunt, v. g. numismata, rosarium, scapulare, hisque aequiparantur ignoti qui probabiliter sunt catholici, eo quod in regione catholica vitam degerunt. Imo, moribundus catholicus qui in ipso actu peccati v. g. in ebrietate, adulterio, duello, rationis usum amisit, *secundum aliquos,* nihilominus *probabiliter* absolvi *sub conditione* potest, *dummodo* ex eius vita habeatur aliqua probabilitas contritionis, quatenus momento quo usum se amittere senserit, mentem forsan mutaverit et peccatum detestatus sit.

3) *Nullo modo est absolvendus* ille qui post vitam impie peractam, antequam rationis usu privaretur, positive ex contemptu recusaverit ; nisi tamen ista ratio agendi revocata censeri possit, non mera quidem coniectura, sed aliquo contritionis *signo* : secus enim deest *omnis* conversionis *probabilitas.*

Quamvis influente gratia insigni certo certius converti sit

possibile, in casu tamen id est omnino improbabile, utpote nulla solida suffultum ratione.

Notetur in praedictis casibus semper expedire ut sacerdos, antequam absolutionem impertiatur, moribundum alloquatur et ad contritionem excitet. Experientia enim constat esse moribundos, qui audire, quamvis non loqui nec signa certa dare valeant ; quo casu et ipsi hoc modo ad contritionem iuvantur.

653. Possuntne in articulo mortis etiam absolvi schismatici aut haeretici? — Quamdiu sunt sui compotes et usu rationis gaudeant « vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis et schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint » (can. 731, § 2 et S. Off., 17 maii 1916). Quod si id nolint, aut eos in bona fide relinquere prudentius iudicaverit sacerdos, curet tamen ut eliciant actus fidei, spei, charitatis et contritionis. — At si sensibus iam sint destituti :

1) Schismatici, qui sunt in bona fide, absolvi possunt sub conditione, remoto tamen scandalo (S. Off., 20 iul. 1898 et 17 maii 1916).

2) Item haeretici qui sunt in bona fide et simul sacramentum Poenitentiae admittunt ; non tamen si hoc positive reiiciunt vel etiam negative non agnoscunt, quia illis deest intentio illud recipiendi. Et quamvis habeant voluntatem sese salvandi, non tamen voluntatem sacramentum recipiendi et confitendi, seu sese salvandi per tale medium. *Vellent* forsan confiteri, si sacramentum Poenitentiae esse necessarium salutis medium scirent, nunc autem id *non volunt* (n. 93).

Recentius quidam benignius censent, etiam arguentes a pari ex laudato decreto 17 maii 1916. Sed decretum unice loquitur de schismaticis, nullatenus de haereticis ; nec est paritas, quia schismatici voluntatem praesumuntur habere recipiendi sacramentum, non ita haeretici qui illud non admittunt.

Quidam tamen exceptionem posuit casu quo haereticus, antequam sensibus fuerit destitutus, dixerit se velle iuvari modo quo sacerdos catholicos iuvare soleat moribundos. Id tamen admodum difficulter intelligitur, imo difficilius pro Poenitentia quam pro Extrema Unctione : quomodo enim talis haereticus dolorem velit concipere et se peccatorem et dolentem *manifestare in ordine* ad absolutionem, quam non admittit?

654. Quid faciendum cum apparenter mortuis? — Non possunt absolvi (aut inungi) etiam sub conditione, si moraliter *certo* mortui sunt. Sed ex recentibus experimentis constat vitam per aliquod tempus in corpore posse manere, etiam quando quis ultimum suspirium edere visus est, quia generatim vita non nisi successive a corpore recedit. Hinc quidam ex iis qui apparenter mortui erant (v. g. suffocati, aquae vel igni erepti), post tres horas, rythmico linguae tractu, ad vitam reducti sunt. Quapropter, ceteris positis conditionibus, absolvi (et inungi) possunt ii qui tali processu quaedam signa vitae saltem sensitivae praebent ; imo, sub conditione, ii qui, quamvis mortui videantur, iuxta ordinaria signa, prudenter supervivere existimantur.

In praxi, deficiente certo mortis signo, si non possit hic et nunc haberi iudicium medici :

a) In casu mortis *omnino repentinae*, absolvi *generatim* possunt infra duas vel tres horas, quia tunc aliquatenus probabile est per aliquod tempus manere vitam propter resistentes vires vitales quae non subito destruuntur ; non diutius, quia probabile amplius non est, etsi stricte possibile sit, in casu extraordinario, vel per aliquot dies vitam manere latentem. Excipitur, si mors fuerit *violenta*, v. g. ex compressione vel abruptione membrorum principalium, quia tunc mors est evidens.

b) In casu mortis *ordinariae* ex diuturno et paulatim consumptivo morbo, non possunt absolvi, quia vitam manere non est probabile.

c) In casu mortis *intermediae*, ex morbo diuturno sed cum influxu repentino novo, quae « complicatio » audit et expectatam mortem valde accelerat, videntur posse absolvi per lapsum circiter semihorae post apparentem obitum.

655. Animadversiones. — 1. Si de valore Baptismi acatholicorum sit *probabile* dubium, clam sub conditione baptizari debent, antequam absolvantur.

2. In dubio *positivo* an aliquis sit paganus, haereticus vel catholicus, potest absolvi sub conditione.

3. Moribundus sui compos absolvi potest quoties contritionem renovet et brevem confessionem instituat atque velit absolvi ; sensibus destitutus non est rursus absolvendus, nisi adsit ratio probabilis certioris dispositionis aut novae necessitatis : non extra hunc casum, sicut aliqui dixerunt, singulis ternis vel quaternis horis, quia deest ratio sufficiens saepius exponendi sacramentum periculo nullitatis.

4. De modo iuvandi moribundos cfr. opusculum nostrum *De Variis Poenitentium Categoriis*, c. 2, q. 6, VII.

QUAESTIO SECUNDA.

DE REQUISITIS AD DISPOSITIONEM FRUCTUOSAE RECEPTIONIS.

656. Contritio cum proposito est dispositio requisita ad fructuosam receptionem sacramenti Poenitentiae.— Est enim sacramentum mortuorum institutum ad remittenda peccata post Baptismum commissa; ad horum autem remissionem requiritur contritio saltem imperfecta cum proposito non peccandi de cetero et aliis debitis qualitatibus. Qualitates istae, generatim, sicut ipsa contritio, requiruntur etiam ad validitatem sacramenti cuius contritio est materia ; forsan tamen excipiendum est quod sit appretiative summa, quia secundum plures haec non exigitur ut conditio validitatis, licet ut dispositio ad fructum sacramenti et iustificationem omnino requiratur.

Quae omnia fuerunt sufficienter declarata, ubi de contritione ; nec specialem praebent difficultatem, nisi quandoque in praxi, cum quibusdam poenitentium categoriis, de quibus facile dubium esse possit an debitam contritionem aut firmum propositum afferant ; uti praesertim de consuetudinariis et recidivis ac de occasionariis [1].

Articulus I.

De Consuetudinariis et Recidivis.

657. Consuetudinarius seu habituatus in peccato dicitur ille, qui habitum seu constantem propensionem internam et facilitatem idem peccatum committendi ex consuetudine seu frequenter iteratis actibus contraxit. Qui habitus proinde distinguitur

1) *a mera occasione peccati :* haec enim est peccatori externa, dum habitus est intrinsecus ; qui tamen saepe cum occasione connectitur quatenus non raro ex hac oritur vel multum augetur ;

b) *ab affectu habituali ad peccatum*, quo quis iugi voluntate deliberate adhaeret peccato : hic enim est peccatum et in

1. De his quaestionibus specialiter inspici meretur Ter Haar, *De Occasionariis et Recidivis.*

confessione omnino deponendus, dum habitus non necessario reddit indispositum, cum retractatus etiam involuntarie remanere possit.

Habitus acquiritur actibus repetitis. Unde ad illum contrahendum requiruntur tria :

1) *Frequentia* seu numerus *lapsuum;* quot autem actus requiruntur et sufficiunt nequit absolute determinari, sed a variis circumstantiis pendet : a peccantis indole scil. a maiore vel minore eius fragilitate ; a peccati natura plus minusve allicientis, cum in quibusdam materiis, ut sunt ebrietas vel luxuria, facilius ac promptius acquirantur pravi habitus ; a difficultate vel facilitate committendi peccati ; a modo quo committitur, maiore vel minore deliberatione aut voluntatis adhaesione, etc.

2) *Temporis duratio :* qui enim saepius eodem die peccat et postea per longum tempus abstinet, non tam facile habitum contrahit quam qui regulariter semel aut iterum, quotidie aut qualibet hebdomada, peccatum committit.

3) *Ininterrupta continuatio :* sicut enim habitus amittitur cessatione ab actibus, ita, si actus sint nimis distantes, contrahi nequit. Hinc :

a) Quo facilius aliquod peccatum committitur, eo plures requiruntur actus ad habitum contrahendum : ita plures requiruntur actus pro peccatis mere internis quae facilius perficiuntur quam pro externis, plures pro peccatis oris quam pro peccatis operis, plures pro peccatis externis inchoatis quam pro consummatis, et pro iis quae solitarie perpetrantur quam pro iis quae complicem requirunt.

Ita, iuxta S. Alphonsum, *Praxis Conf.*, n. 70, quinquies in mense peccatum externum facti committere, modo inter varios actus aliquod intervallum intercedat, sufficere potest ad habitum contrahendum, ut si quis singulis hebdomadis per aliquot menses in ebrietatem vel pollutionem cadat ; dum si agitur de peccato cordis vel oris multo maior requiritur numerus, scil. bis vel ter in hebdomada ; si vero de peccatis externis quae nonnisi cum complice perpetrari valeant, minor requiritur numerus, ita ut ille qui semel in mense fornicatur per annum vel sodomiam committit, habituatus dici possit.

b) Alia est consuetudo *ex mera fragilitate contracta*, et alia quae est *deliberate contracta ex perfecta voluntatis electione :* sunt enim consuetudinarii *incontinentes* qui peccant solum ex fragilitate seu ex impetu transeunte et quasi extrinseco passionis, ita ut habitualiter ipsorum voluntas sit peccato adversa, at transacto peccato illud abhorrent et facile poenitent et cupiunt **a consuetudine** liberari, ut aliquando contingit in iis qui passionibus carnis, intemperantiae, vel irae consentiunt, et facile fit in blasphemiis, imprecationibus et pollutione ; — e contra consuetudinarii *intemperati* seu habituati in voluntate peccandi, qui peccant ex vero habitu et ideo ex malitia voluntatis, seu ex inclinatione mala permanente intrinseca et habituali affectu ad peccatum, etiam sine impetu passionis : qui proinde non facile peccatum

detestantur aut ad poenitentiam moventur[1], uti saepe fit in turpi amore, constanti odio, onanismo coniugali, iniustitia furti, ac transgressione praeceptorum Ecclesiae ex acedia vel timore humano, vel et in peccatis carnis, pro illis qui de iis gaudent aut ex inveterata consuetudine ea quaerunt. Hinc, ait S. Thomas, I-II, q. 78, a. 2 : « Quicumque ex habitu peccat, peccat ex certa malitia ». Peccatum scil. ex passione est quasi morbus interpolatus ; peccatum ex habitu morbus continuus (ib., a. 4).

Ut animadvertimus II, n. 1032, 2, ille qui habitum vitiosum firmo proposito *efficaciter* retractavit sed nondum extirpavit, non est simpliciter intemperatus, cum habitus illi non sit amplius voluntarius ; unde si ex inclinatione habitus relicta ipsum peccare contingat, magis videtur assimilandus incontinenti qui ex passione cadit, quam intemperato qui peccat ex habitu voluntario. At, si postea habitum extirpare negligat, habitus erit ipsi denuo voluntarius, et ipse rursus intemperatus.

658. Recidivus in genere dicitur ille qui reincidit in peccatum, unde poenitens recidivus est ille qui peccatum confessus et de eo monitus in ipsum etiam semel, relabitur ; et ideo stricte loquendo et per se potest esse consuetudinarius qui non sit recidivus, ut qui nunquam confessus est peccatum in cuius consuetudine perseverat, et potest esse recidivus qui non sit consuetudinarius, ut qui post confessionem in peccatum aliquoties relabitur. Attamen *in acceptione theologica hodierna* recidivus solet dici ille qui, postquam aliquod peccatum confessus sit, in idem saepe relabitur absque emendatione, seu in eumdem habitum peccati, sive ex causa interna sive ex causa externa. Unde cum tali recidivo consuetudinario non est confundendus recidivus in peccatum sine habitu vel consuetudine, aut recidivus in solam occasionem peccati, qualis est ille qui promissionem de removenda occasione non tenet et occasionem denuo adit vel non expellit.

Hinc recidivus alius est *formalis*, alius *materialis*.

Formaliter est *recidivus*, si relapsus supponitur provenire ex defectu firmi propositi voluntatis.

Ad quod tres *simul* requiruntur conditiones : a) *frequens relapsus* post plures confessiones, postquam scil. a confessario de gravitate culpae, et de mediis ad eam vitandam necessariis poenitens fuerit monitus ; b) *relapsus in idem peccatum*, non autem in alia diversi generis ; c) *defectus omnis etiam inchoatae emendationis*, ita ut fere eodem modo, eadem facilitate, statim aut brevi

1. Cfr. I-II, q. 78, a. 2, ad 3 ; II-II, q. 156, a. 3, ad 2 ; Q. D. de Ver. 24, a. 10 ; a. 11, ad 4 ; de Malo 3, a. 10.

post confessionem absque serio conatu, sive ad repellendas tentationes sive ad media emendationis adhibenda, fuerit relapsus. Ita si quis post singulas confessiones frequenter deliberate relapsus est, ducto initio ab uno vel altero die post confessionem.

Materialiter recidivus est, si relapsus supponitur provenire ex mera infirmitate, inconstantia vel fragilitate voluntatis.

Talis est qui 1) a confessario non fuerit serio monitus, vel 2) monitus, non relapsus est in eadem peccata sed in alia diversi generis, vel 3) licet monitus et relapsus, aliquam emendationem vel imminutionem peccati exhibet, quia non tam saepe peccavit, — vel per tempus sat notabile serio tentationibus resistere conatus est, — aut aliquod e mediis assignatis adhibuit, etiam si propter maiorem tentationis vehementiam vel frequentiam, tam saepe ac antea peccavit.

659. Principia et regulae. — De consuetudinariis et recidivis tres solent enumerari *regulae practicae :*

A. Simplices consuetudinarii non recidivi regulariter absolvi possunt, quoties vere ac sincere parati inveniantur exhibere media necessaria ad consuetudinem vincendam.

Declaratur : Ad dispositionem eorum requiritur et sufficit ut consuetudinem retractent, nec retineant voluntarie causam et periculum peccati ; retractatur autem per voluntatem non amplius peccandi et pravum habitum per media congrua extirpandi. Quae media sunt tum *generalia* seu communia, ut oratio, meditatio, recordatio Dei praesentiae, sacramentorum receptio, etc., tum *particularia*, quae pravae consuetudini directe opponuntur, v. g. sensuum mortificatio contra impuritatem, abstinentia a potu contra intemperantiam.

Probatur : Confessio rite facta, et declaratio poenitentis asserentis se vere dolere et firmiter proponere emendationem, sunt signa sufficientia doloris et dispositionis, *si* non obstat praesumptio in contrarium.

Atqui solus pravus habitus *per se* non dat talem praesumptionem : non enim est signum indispositionis sed maioris ad peccatum facilitatis et probabilitatis. « Licet pravus habitus, ait S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 459, reddat peccatorem propensiorem ad peccatum, non tamen dat praesumptionem suae infirmae voluntatis ».

Ergo simplex consuetudinarius qui vere et sincere paratus est adhibere media, censetur sufficienter dispositus, et consequenter potest absolvi.

Confirmatur : a) sane non requiritur ut consuetudinem iam extirpaverit ;

b) aliunde media praescripta adhibendo, vim consuetudinis minuet et paulatim extinguet : consuetudo enim contraria consuetudine vincitur.

Hinc : 1) Qui prima vice pravum habitum confitetur, absolvi debet, licet nulla emendatio praecesserit, modo eam serio promittat : cum enim promissa non violaverit, sincerus est supponendus, ac credi potest et debet.

2) Qui pravam consuetudinem iam saepius confessus est, sed de remediis adhibendis monitus non fuerat, absolvi potest, si melius instructus, iis uti promittat. Quod enim media non adhibuerit, id ignorantiae potius quam malitiae est tribuendum.

3) Qui monitus, media necessaria non sufficienter adhibuit et relapsus est, est recidivus, et ut talis tractandus.

B. *Recidivi materiales aut incontinentes, qui ex fragilitate et infirmitate voluntatis relabuntur, regulariter possunt absolvi, si serio emendationem proponant et sinceritatis suae dispositionis signa ordinaria praebeant.*

Etenim prolapsi sunt, vel quia insufficienter moniti, — vel post serium conatum emendationis ex maiori tentationis vehementia aut frequentia, aut voluntatis in perseverando inconstantia, — vel ex mera fragilitate ita ut peccatum iis habitualiter displiceat ; qui proinde post lapsum statim detestantur peccatum, sed ex infirmitate voluntatis vel ex mobilitate et vehementia passionis iterum succumbunt. Iamvero de horum dispositione *ordinario* non est dubium.

C. *Recidivi formales et intemperati regulariter non possunt absolvi, nisi specialibus signis ostendant se veram habere contritionem et firmum propositum.*

Tales recidivi sunt ex mala voluntate, qui obiecto peccati adhaerent et ex hoc affectu in nova peccata pelluntur, unde suspecti sunt de dispositione.

Qui enim sincere et fortiter proponit rem sibi moraliter possibilem, in casu vitare peccatum et media adhibere necessaria, non tam facile nec tam subito mentem ac voluntatem mutat, sed saltem per aliquod tempus perseverat ac media adhibet. Unde frequens relapsus ex prava voluntate, absque ullo fere conatu et ulla emendatione, prudentem generat suspicionem et fundatam praesumptionem non sincerum et efficax sed solum infirmum fuisse alicuius

propositum, et etiam nunc ita esse si eodem modo ac antea sub communibus signis proponat.

Atqui haec praesumptio non destruitur simplici assertione quae non amplius meretur nisi parvam fidem ; sed solum signis specialibus et extraordinariis.

Ergo talis poenitens de dispositione suspectus manet, ac proinde confessarius non potest sibi formare iudicium prudens de debita eius dispositione.

Et ideo tales poenitentes habendi sunt ut dubie dispositi, et non possunt absolvi, nisi a) specialem dispositionem aut saltem extraordinaria signa bonae dispositionis praebeant, quibus appareant moraliter certo dispositi, ita ut absolvi possint absolute ; vel b) nisi ratio adsit proportionate gravis, sufficiens scil. ut possint absolvi *sub conditione*, quod verificatur in casibus supra enumeratis n. 616.

Hinc falsa est tum sententia Laxistarum et aliquot modernorum dicentium eos ut dispositos haberi et absolvi posse cum signis ordinariis, nisi ex circumstantiis positivis simul adsint indicia indispositionis, — ut apparet ex damn. ab Inn. XI, prop. 60[1] ; — tum sententia Rigoristarum qui dicebant non esse absolvendos nisi *diuturna* experientia emendationem probaverint

660. Quomodo sit procedendum in praxi. — Exinde constat quomodo practice sit agendum :

1° Examinandus est recidivus, si numerum lapsuum notabiliter imminuerit, aut notabili tempore post confessionem abstinuerit, aut strenue pugnaverit etiamsi pluries quam antea lapsus fuerit : talis statim absolvi potest, quia serium adhibuit emendationis studium, cuius triplex est signum : a) adhibitio mediorum ; b) rarior, difficilior aut tardior relapsus ; c) perseverantia per aliquod tempus non omnino breve.

2° Deficiente serio conatu, quaerenda sunt signa specialia aut extraordinaria ; quibus positis, statim absolvi potest recidivus. Signa autem extraordinaria non sunt necessario dispositiones extraordinariae, cum simplex attritio sufficiat; sed huius requisitae saltem attritionis signa magis probantia, magis clara, magis numerosa ac ea quae ab eodem poenitente antea data fuerant ; unde consideranda sunt *relative* ad indolem poenitentis, ad naturam tentationum, et ad alias circumstantias. Plura indicata inveniuntur n. 617.

3° Deficientibus etiam signis extraordinariis, non statim dimittendus est poenitens, sed ad contritionem paterna ac ferventi exhortatione est disponendus, etiam remediis efficacioribus

1. « Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem ». In casu autem nulla *apparet* spes emendationis.

propositis. Quod opus facilius erit apud recidivum incontinentem qui ex ignorantia vel ex mera fragilitate, quam apud intemperatum qui ex affectu ad peccatum relapsus est. Nihilominus, si post exhortationem signa extraordinaria praebeat mutatae voluntatis et remedia adhibere efficaciora promittat, potest absolvi.

4° Si post ferventem exhortationem, recidivus dubie dispositus maneat, potest absolvi sub conditione (*si es capax*) si specialis et gravis urgeat necessitas, scil. periculum mortis, matrimonium hic et nunc contrahendum, gravis difficultas redeundi (nisi restitutio facienda sit aut occasio auferenda), periculum infamiae, periculum valde fundatum alienationis a sacramento seu eius derelictionis, scil. quod poenitens non redeat, aut imperfectus usus rationis ; — secus differenda est absolutio, quia dilatio necessaria est ad explorandum firmum propositum poenitentis, et sacramentum non potest exponi periculo nullitatis sine urgente necessitate.

5° Denique, si moraliter certo constet recidivum indispositum manere, sine absolutione est dimittendus.

Casu quo absolutio differatur et poenitens dimittatur, id fiat a) ad breve tempus v. g. 8 vel 15 dies, non longius ne in desperationem veniat et saepius peccet ; b) humanissimis, non durioribus verbis, ne poenitens confessioni valedicat ; c) exponendo rationem cur absolutio differatur, ut sic intelligat poenitens confessarium ita agere, non ex odio aut ira, sed ex paterna sollicitudine, et quasi invitum, quia id exigit suum officium ; d) media assignando quae adhiberi debeant ad meliorem dispositionem obtinendam, ut ita poenitens sciat quid agendum sit ut absolutionem obtinere possit : dilatio enim per se non valet mutare mentem, nisi simul ei praescribantur opportuna remedia.

661. Monitum. — In praedictis casibus confessarius non sit nimis rigidus ne poenitentes in desperationem iniiciat, nec etiam nimis benignus ne negligentes in sordibus maneant.

De recidivo autem rectum iudicium sibi formare *tenetur*. Ad quod regulariter inquirendum, num ab alio confessario iam admonitus fuerit et quaenam remedia ei assignata fuerint ; an illis usus sit ; an toties quam antea relapsus sit, num paulo post confessionem, an post luctam et praestitam saepius resistentiam ; quandonam ultimum peccaverit, etc. Deinde inspiciendum quales sint actuales poenitentis dispositiones. Eiusmodi enim interrogatio, ait Aertnijs, Th. M. II, n. 484, q. 2, sicut in cura corporalium, ita in spiritualium morborum medela fundamentalis est.

Ita generatim, nisi status poenitentis aliunde sufficienter pateat, aut examen in datis adiunctis videatur inutile aut inopportunum.

662. Corollaria. — Tres conclusiones ponit Marc, Th. M. II, n. 1830 :

1. Recidivus *prima vice* rediens facilius absolvi potest quam secunda aut tertia vice, quia minora requiruntur signa.

2. Facilius absolvi possunt *incontinentes* ex passione quam

intemperati ex habitu, quia in illis praecipue inveniuntur signa sufficientia aut extraordinaria, in hisce paucies.

3. Recidivus *formalis*, nisi certo indispositus, *sub conditione* absolvi potest *in iis tantum casibus* (sex) in quibus potest absolvi dubie dispositus.

Articulus II.

De Occasionariis.

663. Occasio peccati est rei vel personae circumstantia externa, facilitatem praebens peccandi et ita ad peccatum invitans ; quae constituit periculum peccandi. Unde distinguitur a) a principiis internis quae ad peccatum inclinant, uti sunt complexio corporis, passiones, concupiscentia, et habitus mali ; b) a periculo peccandi quod tum internum tum externum esse potest et latius patet : est scil. impulsio ad peccandum quae, si a persona vel a re externa proveniat, occasio vocatur, si ab intrinseco est, simplex periculum dicitur, ita ut omnis occasio sit periculum, sed non omne periculum sit occasio ; c) a scandalo quod dicit occasionem peccati ab actione externa seu dicto vel facto alterius ; unde licet occasio peccati in omni sit scandalo, non tamen scandalum est omnis occasio.

Haec ergo constituitur simul ex duobus : 1) ex parte obiecti externi, ab impulsu et opportunitate ad peccatum alliciente, 2) ex parte subiecti, a propensione seu interna inclinatione ad peccandum.

664. Dividitur occasio : A. *Ratione influxus*, est *remota* vel *proxima*, prout solum quamdam alliciendi ad peccatum habet vim, vel etiam magnam, seu prout leve constituit periculum peccandi, vel grave, ita ut qui se exponit, si non saepius, saltem frequenter vel pluries sit peccaturus.

Gravitas periculi triplici modo a confessario dignosci potest :

1) *experientia poenitentis* seu frequentia relapsus, si quis in iisdem circumstantiis antea positus plerumque vel saltem frequenter peccavit, v. g. si decies per mensem peccaverit cum ancilla, aut etiam si raro personam visitet et singulis vicibus cum ea peccet ;

2) *ex communiter contingentibus*, deficiente scil. experientia, cum alia specialia indicia ex ipsius poenitentis persona haberi nequeant ; tunc applicanda est regula : quod aliis in iisdem adiunctis communiter est occasio peccati, id praesumitur etiam

huic esse usquedum probetur contrarium, v. g. si iuvenis ad libidinem pronus ingreditur lupanar, aut si iunior puella, animo levis et voluntate infirma, sola cum vivide sollicitante hero diu cohabitat ;

3) *ex circumstantiis et indole poenitentis*, maxime ex nota eius fragilitate, quamvis ipse in occasione raro fuerit, aut in ea semel fuerit et non peccaverit.

Cum autem periculum plus minusve grave et certum esse possit, regulae pro diverso casu strictius vel mitius erunt applicandae.

B. *Ratione personae*, est *absoluta* et secundum se, vel *relativa* et per accidens, prout, attenta hominum fragilitate, periculum pro omnibus constituit, — vel solum pro determinata persona, ratione propriae fragilitatis et particularis dispositionis.

Occasio scil. proxima *per se* est illa in qua homines communiter ut pluries peccant ; — *per accidens* est illa quae, licet respectu aliorum non sit, respectu alicuius tamen personae est proxima, quia in ea frequenter cecidit, aut quia prudenter timetur eius lapsus. Ita absolute proxima est lectio libri valde obsceni, concubinatus, cubatio cum persona alterius sexus, aspectus fixus rei valde obscenae ; — e contra ingressus in cauponam est proxima relative pro ebrioso, mercatura pro iniusto, conversatio cum femina pro libidinoso, diuturnum colloquium cum puella venusta pro iuvene impuro, choreae pro iuvene fragili, officium chirurgi vel confessarii ratione specialis debilitatis, etc. Hinc non solum occasio absolute levis potest esse relative gravis, sed et occasio absolute gravis potest esse relative levis alicui s parum moveatur ratione specialis circumstantiae, frigiditatis, assuefactionis, pietatis, vel si specialiter cautelis se munierit et efficaci praesidio.

C. *Ratione durationis*, est *continua* et *in esse*, quae praesens est et semper vel habitualiter hominem comitatur, seu quae moraliter saltem continue praesens est quin quaeratur ; — et interrupta et *in fieri*, non in esse, quae absens est, et per intervalla solum occurrit aut quaeritur.

Sic continua est boni alieni detentio aut beneficii simoniace accepti, libri pravi vel picturae obscenae retentio, concubinatus vel habitatio cum ancilla quacum peccare soles, frequentatio assidua personae ad domum tuam, etc. ; e contra interrupta est ingressus in lupanar, aut in cauponam pro ebrio, accessus ad convivium, pravum consortium, conversatio cum amasia quae non sub eodem tecto versatur, lusus pro eo qui ludendo solet blasphemare, frequentatio puellae, popinae, chorearum, etc.

D. *Ex parte causae*, occasio est vel *voluntaria* vel *necessaria*, prout facile absque gravi incommodo vitari potest, vel removeri nequit aut physice aut moraliter.

Physice quidem, si nullo modo dimitti possit, ut si quis sit in carcere vel navi cum occasione peccandi, aut in mortis articulo nec habeat tempus eam eiiciendi ; *moraliter*, si occasio dimitti nequeat sine peccato, vel gravi scandalo, vel gravi periculo incidendi in malum aequale aut peius (ut si famulus rixetur cum sociis pacificis quales in famulatu vix inveniret), vel magno detrimento bonorum vitae, famae aut fortunae (etiam pro divite) qualis est amissio officii (v.g. medici, advocati), muneris, status, fortunae. Ita v. g. maritus respectu uxoris, filius vel filiafamilias quae domi habet occasionem, parentes quibus proles occasionem praebet irae, alumnus qui non potest deserere scholam vel collegium, officium medici, mercatoris, militiae, conversatio puellae ad matrimonium ineundum.

665. *Principium*. **Gravis ex natura sua adest obligatio unicuique, quantum in se est, removendi occasionem proximam peccati.**

Probatur : Qui scienter et volenter versatur sine ratione sufficienti in occasione proxima, libere vult occasionem in qua verisimiliter peccabit, et eo ipso implicite vult peccatum, ac proinde peccat et absolutione est indignus : non enim habet efficacem voluntatem seu propositum non amplius peccandi, sed eo quod non vitat grave periculum, cum possit, convincitur amare peccatum cuius periculum amat. — Vel, e contra : Qui absolute debet velle finem, debet et velle media ad illum moraliter necessaria : non quidem dubia, sed certa vel certiora ; ergo homo qui absolute debet velle vitare peccata, tenetur vitare grave periculum seu occasionem removere proximam, quod est medium ad hoc moraliter necessarium et certius.

Unde a) *Ecclesia* damnavit doctrinam oppositam, scil. Innoc. XI prop. 61, 62 et 63, Alex. VII prop. 41 ;

b) *Scripturae* quoque generatim monent : « Qui amat periculum in illo peribit » Eccli. III, 27 ; « Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum et proiice abs te : expedit enim ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam » Mt. V, 29.

Hinc, qui versatur in occasione proxima, sub gravi tenetur removere vel *physice* obiectum externum ad peccatum mortale alliciens, vel, si id fieri non possit, saltem *moraliter*, opportunis scil. remediis quibus proclivitas ad malum sanetur ; — secus

absolutionis est incapax, quia obligationem gravem implere non vult et caret proposito non peccandi de cetero. Ac peccatum committit eiusdem speciei ac illud cui se exponere novit, te tanto gravius quanto istud sit gravius et proximius eius periculum (I, n. 177).

666. Sententia non probanda. — Pauci auctores occasionem proximam deserendam, solam dixerunt illam quae constituit periculum verisimilius vel moraliter certum peccandi, seu in quo homines frequentius vel fere certo peccant ; quam derelinquendam esse evidenter demonstratur argumento supra allato. Non apparet, aiunt, cur graviter saltem peccet qui habet etiam solidam rationem existimandi se in hac occasione quam adit, non esse graviter peccaturum : non enim iste eligit rem quae morali necessitate peccatum secum trahat. Ita v. g. Génicot [1], Th. M. II, n. 372, post Ballerini, de Pecc., n. 434 sq. et Noldin, Th. M. III, n. 399.

Falso tamen. Etenim :

1) Quando agitur non de sola liceitate et illiceitate agendi, sed de fine absolute obtinendo, non possumus partem eligere mere probabilem, imo nec probabiliorem minus tutam, sed faciendum est id quod est tutius. Iamvero vitare *formale* peccatum est finis absolute attingendus. Ergo non possumus nos exponere periculo gravi etiam mere probabili peccandi mortaliter, sed debemus facere tutius et deserere occasionem quae probabile periculum includit. Periculum peccati *formalis* ante omnia absolute est fugiendum.

2) Qui se exponit probabili periculo peccandi, etsi in singulis actibus forsan tantum, aliquando tamen verisimiliter, imo certo, cadet, quod est absoluta necessitate vitandum ; et ideo quoties se exponit illi probabili periculo, toties contra finem obtinendum delinquit vitandi peccati, quia singulis vicibus temere se exponit gravi periculo peccandi. Hoc autem est peccatum mortale ex genere suo ; unde mortaliter peccat.

3) Qui sine ratione se exponit periculo mere probabili mortis corporalis graviter peccat, ita qui se exponit periculo

1. Id tamen in novissima editione operis Génicot fuit mutatum ab editore P. Salsmans, qui iam severius loquitur.

mere probabili mortis animae seu peccati mortalis ; nec potest expectare speciale quo eget gratiae auxilium, qui periculo peccandi temere sine causa se exponit.

Hinc ad occasionem proximam relativam non requiritur frequentia lapsuum absoluta seu numerus in se notabilis, sed sufficit relativa pro numero vicium quibus occasioni quis fuerit expositus. Ita si in duodecim visitationibus quis soleat peccare sexies vel quinquies, item si quis puellam visitans quotidie, decies peccet in mense, vel si singulis dominicis conveniant, duodecies in anno vel aliquanto plus labantur ; item si per biennium ter quaterve dumtaxat in anno feminam quis inviseret et cum ea fere semper peccaret, imo si per triennium semel tantum in anno visitaret et toties peccaret.

667. Regulae practicae exinde statui possunt :

A. *Qui versatur in occasione proxima voluntaria et continua, regulariter non potest absolvi nisi prius occasionem proponat removere ac etiam removeat.*

Cum enim ablatio occasionis ordinarie sit ardua, adest proximum periculum infringendi propositum, et ideo si occasio non auferatur ante absolutionem, poenitens de facili se decipiet (falso sibi suadendo se esse tentationibus restiturum), ita ut propositum inefficax reddatur et occasio non removeatur. Unde poenitens qui id advertens huic periculo se exponeret esset saltem suspectus de dispositione, de qua proinde saepius certitudo moralis haberi non posset : cur enim iste confessionem instituit, si non removet occasionem? Et tunc confessarius, qui tali periculo illum exponeret, peccaret contra suum officium medici.

Excipe si, deficiente scandalo publico :

1) poenitens ex ignorantia vel animi levitate non sit conscius se in occasione proxima versari aut gravem esse obligationem illam removendi, et confessarius praevideat monitionem fore inutilem aut nocivam : tunc provisorie relinquendus est in bona fide, et paulatim instruendus de occasione fugienda, quod melius intelliget si experientia propriae fragilitatis noverit se frequenter propter illam peccare ;

2) vel occasio de facili possit dimitti, v.g. liber pravus, res detenta alterius dum restitutio spontanee promittatur ;

3) vel poenitens signa extraordinaria doloris et propositi manifestet, v. g. iam nuntium miserit ancillae de relinquenda domo, aut novam ancillam conduxerit ;

4) vel gravis causa urgeat, ita ut praevia remotio occasionis magis noceat, v. g. instans periculum mortis, magna difficultas redeundi per longum tempus et accedendi ad alium confessarium ut facile fit si poenitens veniat e loco dissito, periculum infamiae

vel scandali ut facile fit si sacramentum sit recipiendum, grave periculum damni spiritualis v. g. alienationis a sacramento.

In his ultimis casibus admonendus est poenitens se non amplius obtenturum absolutionem nisi promissis steterit ; quod si inutiliter admonitus fuerit, ut recidivus est habendus.

B. *Qui versatur in occasione proxima voluntaria et interrupta*, v. g. frequentando ludos, popinas, pravas societates, *potest aliquot vicibus absolvi, dummodo ab ea cavere firmiter proponat ; — quod si pluries promiserit, et emendatio nulla appareat, ut recidivus est habendus et tractandus, et generatim, nisi forsan extraordinaria signa dispositionis praebeat, differenda est absolutio, donec occasionem reapse dereliquerit.*

Censetur enim dispositus et ideo est absolvendus, nisi a) adsint signa contraria, ut facile fit si pluries promiserit et iam habituatus sit, et generatim eruitur ex absentia omnis emendationis ; — aut b) nisi melius sit remittere, ipso consentiente, ut promptius et firmius occasionem removeat.

C. *Qui versatur in occasione proxima necessaria, regulariter absolvi potest, dummodo vere dispositus sit remediis opportunis et efficacibus occasionem reddere remotam ; — quod si pluries promiserit, et emendatio nulla appareat, est dimittendus usquedum se emendaverit, nisi forsan signa omnino extraordinaria dispositionis ostendat.*

Ex una parte enim occasio non est peccatum neque inducit peccandi necessitatem, sed potest, quamvis difficulter, superari praesertim cum gratia Dei ; ex alia parte ad impossibile nemo tenetur, et ideo qui est in occasione necessaria, potius invitus subit periculum quam illud amet et quaerat et occasioni se exponat. Unde, si media opportuna adhibet, et gratiam victoriae humiliter petit, eam sperare potest a Deo, de quo Apostolus ait : « non patietur vos tentari supra id quod potestis » (I Cor. X, 13).

Hinc : 1) Absolvi potest, dummodo a) occasio *in se* mala non sit; b) iusta adsit causa qualis est impotentia physica, vel peccatum alias committendum, vel periculum peccati aequalis aut maioris, vel bonum spirituale sui vel proximi, vel magna iactura in bonis temporalibus vitae, famae aut fortunae : quae causa requiritur eo maior quo periculum sit maius ; c) spes sit boni eventus, scil. tentationis superandae ; et d) paratus sit poenitens media adhibere sufficientia.

2) E contra, qui post plures monitiones semper eodem modo relabitur, etiam mediis adhibitis, ita ut nulla sit emendatio nec probabilis spes emendationis, non potest absolvi, sed ut recidivus est tractandus ; nisi forsan signa valde extraordinaria praebeat vel et nova media specialia adhibere paratus sit, aut occasionem, si physice amoveri possit, prius deserat, secundum Mt. V, 29 ; XVI, 26 et XVIII, 9 : secus enim moraliter certo est peccaturus. Quoties enim aliquis in quadam occasione moraliter certo peccaturus est, tenetur illam fugere etiam cum periculo vitae.

Et quamvis Ballerini neget suppositum, dicendo ex adhibitis mediis necessario sequi emendationem, et ex absentia emendationis tantum concludi posse media fuisse insufficientia vel neglecta ; id tamen, quamvis *raro* contingat, non est impossibile, imo *aliquando* dantur homines qui *serio* mediis non utantur, nisi absolutio differatur usquedum maiora signa extraordinaria praebeant aut occasionem dimittant. Talis scil. aut emendatus redire, aut occasionem amovere debet priusquam absolvatur.

668. Media quibus occasio necessaria e proxima reddi potest moraliter remota. — Recensentur media triplicis generis :

1° Alia *vim occasionis minuunt*, uti sunt verba serio et firmiter complici dicta ad exprimendum horrorem peccati patrati ; hiatus oris ad clamandum ; relatio rei alicui facta qui potest remedium apponere (superiori, parentibus, hero), vel huius relationis comminatio ; vitatio omnis familiaritatis aut solitariae conversationis cum complice ; imo eius aspectum fugere, de eo nec loqui nec cogitare in quantum fieri potest. — Si quaedam circumstantiae occasionem generent, ut vespertina confabulatio cum ancilla, conversatio in secreto cum persona cohabitante, sedulo tollendae sunt ; pariter si periculum oriatur ex eo quod complex cubiculum ingrediatur, ianua claudatur et obseretur; si periculum sit ex potatione in taberna, ibi nil bibere omnino statuatur, etc.

2° Alia *vim concupiscentiae minuunt*, nullum ei fomentum praebendo per otium, libertatem sensuum, pravas cogitationes, lectiones, intemperantiam, etc., v. g. labor assiduus, ut sic vitentur mala quae docet otiositas ; modestia sensuum praesertim oculorum ; mortificatio curiositatis ac aliarum passionum, qua inclinationibus licitis resistere solitus illicitis facilius quis resistat; pravae cogitationis, praesertim de persona amata, sedula vitatio ; periculosae lectionis fuga ; ab excessiva potatione abstinentia ; moderata corporalis ad concupiscentiae frenum exercitatio, etc.

3° Alia *vires spirituales augent :* quolibet mane et vespere necnon urgente tentatione ferventer orare ; quotidie ante imaginem crucifixi renovare propositum non amplius peccandi ; ad B.V. frequenter recurrere ; de novissimis saepe cogitare, vel ante somnum sibi dicere : si ita vivere pergam, aeternis devovebor suppliciis ; pios libros legere ; pias aspirationes recitare et in conspectu Dei ambulare ; eleemosynas dare ; sacramenta assidue recipere, et post lapsum statim confessarium adire, etc.

Haec media non omnia simul adhibenda sunt, sed modo haec, modo illa, secundum personae indolem, occasionis naturam aliasque circumstantias.

APPENDIX.

DE RITU POENITENTIALI, INDULGENTIIS ET CENSURIS.

Potestas clavium in foro interno sacramenti Poenitentiae exercenda est ritu ab Ecclesia determinato; extra sacramentum in foro interno exercetur concessione indulgentiarum, in foro autem externo simul et interno inflictione censurarum. De his tribus, quia clavium potestati sunt adnexa, dicemus omnino breviter in quantum sacerdoti in animarum ministerio congruere possit : profundiorem, perfectiorem ac magis completam declarationem relinquendo historiographis, theologis maioribus et iurisperitis.

Articulus I.

De Ritu Poenitentiali.

S. Th. III, q. 84, a. 3 ; Suppl. q. 28.

669. Ritus poenitentialis olim existebat publicus et solemnis; iuxta hodiernam disciplinam non solet amplius existere nisi privatus. In Ecclesia latina generatim viget Rituale romanum ; sunt tamen aliqui, ut Praedicatores, qui particularem ritum habent. Iuxta Rituale romanum, tit. 3, c. 2 :

« 1. Cum sacerdos poenitentem absolvere velit, iniuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit : *Misereatur tui... Amen.*

2. Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit : *Indulgentiam... Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus sancti. Amen.*

3. Si poenitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis.*

Passio Domini nostri Iesu Christi, merita B. Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.

4. Iusta de causa omitti potest *Misereatur, etc.* et satis est dicere : *Dominus noster Iesus Christus, etc.* ut supra, usque ad illud : *Passio Domini nostri, etc.*

5. Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit : *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus sancti. Amen* ».

Circa quae notandum :

1° *Pia est consuetudo,* non obligans sub peccato, ut sacerdos ante confessionem dicat : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ad digne confitendum omnia peccata tua, in nomine,* etc., vel saltem crucis signo benedicat, quo « poenitens... admoneatur ut... flexis genibus signo crucis se muniat » (Rit. c. 1, n. 11).

2° Caeremonia *elevationis manus,* a verbo *Indulgentiam* usque ad formationem crucis in absolutione impertiendam, non obligat sub gravi, sicut nec signum crucis sub absolutione ; imo secundum aliquos nec sub levi, quod admitti potest, saltem dum non pronuntiatur ipsa forma.

3° Preces *Misereatur* et *Indulgentiam* omitti possunt iusta de causa, qualis facile occurrere potest in confessionibus frequentioribus, ut si magnus adest poenitentium concursus, aut brevioribus, ut si poenitens saepius redit vel post absolutionem recordatur peccati, vel ob penuriam temporis ; — secus eas omittere non convenit, quamvis absque peccato fieri possit, quia non sunt de praecepto, sed de consilio, cum Conc.

Trid., sess. 14, c. 3, dicat quod « *laudabiliter adiunguntur* ». Quod consilium rursus inculcat Codex can. 885 : « Etsi preces ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctae, ad ipsam liberationem obtinendam non sint necessariae, nihilominus, nisi iusta de causa, ne omittantur ». Haec etiam valent de verbis : *Passio Domini...*, licet quidam existiment hac oratione omnia poenitentis opera quodammodo participare efficaciam satisfactionis, ut notavimus n. 563, 5, et ideo dicant minus conveniens esse eam omittere.

4° Absolutioni a peccatis ex praecepto Ecclesiae ad cautelam praemittitur absolutio a censuris ; quia non decet Deo reconciliari per ministerium Ecclesiae, qui prius cum ipsa Ecclesia non fuerit reconciliatus. Unde a) confessarius *certo* cognoscens censuram quae impedit receptionem sacramenti, *graviter* peccat si prius absolvit a peccatis quam a censuris, absolutio tamen est valida in habente potestatem ; b) absolutionem a censuris omittere ubi confessarius moraliter certus est non adesse censuras, de se peccatum non est, sed nihilominus ad cautelam rectitudinis est praemittenda ob consuetudinem Ecclesiae ; c) veniale per se est si suspicio sit probabilis censurae.

5° Vox *suspensionis* omittitur, si de laicis agitur, quippe qui suspendi nequeunt ; at praecipitur pro illis qui sunt in Ordinibus sacris, de consilio adhibenda est pro clericis.

6° Hinc omissio voluntaria vel corruptio verbi non essentialis in ipsa forma, absque sufficienti ratione, est peccatum grave vel leve prout mutatio ipsa notabilis reputetur vel non : quamvis enim non invalidet sacramentum, importat tamen irreverentiam contra Ecclesiae de cultu sacro ordinationem.

Sic omissio verborum : *in nomine...* censetur levis ; e contra mutatio verbi : *absolvo* in aliud aequivalens, aut omissio verborum : *a peccatis* esset notabilis, et etiam omissio absolutionis a censuris potest esse gravis, ut dictum est.

670. Locus confessionis et habitus induendus. — Ex Rituali, tit. 3, c. 1, n. 7 sq. :

a) « Sacramentalis confessionis *proprius* locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semipublicum » (can. 908).

b) « Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones *semper* collocetur *in loco patenti et conspicuo,* et *generatim* in ecclesia vel oratorio publico aut semipublico mulieribus destinato ;... crate fixa et tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium sit instructa » (can. 909).

c) « Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit. Confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet » (can. 910).

d) Sacerdos « superpelliceo, et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum ferat consuetudo ».

Grave *per se* censetur, seclusa necessitate, excipere mulierum confessiones sine cautionibus supra indicatis, scil. extra sedem confessionalem seu sine crate interposita, vel et in loco non patenti et conspicuo. Ratio est, quia Ecclesia ista praecepit ad consulendum modestiae, et ad praecavanda gravia, quae occasione ministratae Poenitentiae oriri possent, pericula, suspiciones atque scandala. Si tamen semel vel iterum fieret, in adiunctis in quibus non sit timendum periculum, suspicio, aut scandalum, videri posset tantum veniale ; non ita si iteratis vicibus.

Confessiones virorum in ecclesia vel oratorio publico aut semipublico, nec audiendae sunt extra sedem confessionalem (com. int. 24 nov. 1920); sed id tantum videtur sub levi praescriptum.

Articulus II.

De Indulgentiis.

S. Th., Suppl. q. 25-27.

671. Indulgentia *(aflaat)*, usu ecclesiastico et sermone theologico dicitur *remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii* (can. 911). Differt ergo tum a sacramentali absolutione et connexa satisfactione, cuius obligationem non tollit et qua debitum poenae minuitur sine aequivalenti compensatione ; tum a privata satisfactione quam iustus pro se et pro aliis offerre potest.

Potestas quae Ecclesiae competit concedendi indulgentias includitur in amplissima potestate clavium, uti scimus tum ex traditione Ecclesiae quae ab antiquis temporibus illa potestate usus est, licet non semper sub eadem forma, tum *ex fidei definitione* in Conc. Const[1], sess. 8, a. 42 contra Wicleff, et Trid., sess. 25 contra Protestantes ; posse etiam concedi defunctis *certum* est ex Ecclesiae praxi (can. 911 et 913) et ex damn. prop. 22 Lutheri et 42 syn. Pist. — Concessio fit ex thesauro Ecclesiae, i. e. ex satisfactionibus superabundantibus Christi et Sanctorum, quas Ecclesia dispensare potest fidelibus ob communionem Sanctorum (Clemens VI, const. *Unigenitus;* prop. damn. 17 Luth. et 41 syn. Pist.). Unde indulgentia non est nisi indirecta absolutio poenarum ; directe et formaliter est concessio ex aerario Ecclesiae, ex qua sequitur remissio poenae : pro vivis fit per modum solutionis auctoritative factae et ipsis applicatae, quatenus Ecclesia ex thesauro suo solvit loco suorum fidelium satisfactiones ab ipsis praestandas (q. 25, a. 1 et ad 2 et 3) ; pro defunctis in quos auctoritatem iurisdictionis non habet, per modum suffragii tantum, quatenus solutionem offert Deo, simul deprecando ut eam defunctis applicare dignetur : in quanam vero mensura id a Deo fiat, nescimus.

Tria igitur ad indulgentiam requiruntur : opus bonum, regulariter adhuc praestandum ; — huius occasione solutio ex thesauro Ecclesiae ; — consequenter remissio poenae temporalis pro peccatis debitae.

Valent autem indulgentiae, non solum in foro externo coram Ecclesia, ut olim quidam erronee dixerunt, sed etiam *in foro interno et coram Deo :* 1° quia secundum expressum privilegium Petro datum (Mt. XVI, 19), id quod in terra remittit, et in coelo remittitur ; 2° quia si relaxaret Ecclesia, non Deus, magis esset deceptio quam vera relaxatio ; 3° atque magis damnificaret Ecclesia quam adiuvaret, quia remitteret ad graviorem poenam scil. purgatorii, minuendo poenitentiam praesentem (a. 1 ; cfr. prop. 19 Luth. et 40 syn. Pist.). Hinc simpliciter *valent tantum quantum praedicantur* « dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis charitas (seu status gratiae), et ex parte causae pietas » (a. 2), motivum nempe rationabile et pium : valent tunc de se, secundum usum potestatis clavium et mentem concedentis qui solutionem revera facit, non autem semper secundum effectum applicationis, quae in vivis dependet a certis conditionibus, et defunctis fit iuxta mensuram divini beneplaciti et acceptationis (S. C. Indg., 28 iul. 1840).

Ne indulgentias lucrandi facilitas ansam praebeat minuendi opera bona, notentur verba S. Thomae : « Quamvis indulgentiae multum valeant ad remissionem poenae, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu praemii essentialis : quod in infinitum melius est quam dimissio poenae temporalis » (ad 2).

672. Dividitur indulgentia : A. *Ratione quantitatis effectus*, alia est *plenaria* quae ex se seu ex intentione concedentis totam poenam

remittit ei cui applicatur : ita ut, si ob indispositionem, quia nondum obtinuit culpae remissionem omnium venialium, quis « eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet » (can. 926) ; — alia est *partialis* quae tantum partem poenae remittit prout a concedente exprimitur, v. g. unius anni, quadragenae, septenae, etc. : ea scil. tantum remittitur poenae purgatorii quantum remitteretur si homo poenitentiam, qualis olim agebatur, canonicam ageret unius anni, vel quadragesimae, aut septem annorum, etc., cuius proinde valor perfecte determinari nequit. Hucusque solebant concedi aliquot quadragenae lucrandae ; sed istae indulgentiae recentiori tempore plerumque sunt abrogatae : constat ex. coll. auth. indulg. 1938, approb. a S. Poen. 31 dec. 1937.

B. *Ratione rei cui inhaeret*, alia est *personalis*, quae immediate conceditur personis quae tale opus perfecerint, sive singularibus, sive communitati ut Ordini religioso vel confraternitati, cuius socii eam lucrari valent dummodo societas sit canonice erecta et ipsi sint legitime adscripti (can. 692), etsi statuta eius non semper observent ; — alia *localis* quae affixa est loco v. g. altari, ecclesiae, imagini miraculosae loco affixae, ab illis lucranda qui eum devote visitaverint ; — alia *realis* adnexa possessioni vel usui rei mobilis, ut crucis, rosarii, numismatis, imaginis, etc., quae ad validitatem debet esse solida, non vero ex materia confecta quae facile confringi vel consumi possit.

C. *Ratione extensionis*, est *universalis* si conceditur omnibus fidelibus totius Ecclesiae ; vel *particularis*, quae datur alicui dioecesi, civitati, communitati, vel privatae personae.

D. *Ratione durationis*, est *perpetua* in perpetuum concessa, aut *temporalis* ad certum tempus limitata, puta ad annum, triennium aut septennium.

E. *Ratione subiecti cui applicatur*, alia est *pro vivis* quae remittit poenas per modum solutionis ; alia *pro defunctis*, quae remissionem poenarum obtinet per modum suffragii ; alia denique *pro vivis et defunctis*, quae a vivis lucrari potest, sed ab iis etiam cedi potest defunctis applicanda : ita ex can. 930 : « animabus in purgatorii detentis indulgentiae omnes a R. Pontifice concessae, nisi aliud constet, applicabiles sunt », et in iis qui actum heroicum fecerunt, omnes quas lucrari possunt indulgentiae sunt defunctis applicabiles.

Non solet indulgentiarum applicatio aliis viventibus facienda concedi, quia non expedit succurrere eis qui, dum ipsi possint, indulgentiis sibi lucrandis non curant ; unde pro arbitrio suo « nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare » ; — ex *speciali* tamen S. Pontificis concessione nihil impedit quin aliquando fieri possit : ita celebrans in altari *privilegiato pro vivis et defunctis* indulgentiam lucratur etiam pro vivis, atque pro moribundis lucrandae quandoque quibusdam conceduntur indulgentiae.

F. *Ratione modi quo conceditur*, est in *forma gratiosa* si conceditur immediate eo ipso quod quis implet conditionem requisitam ; vel in *forma commissoria* si datur per ministerium alterius cui delegatur facultas immediate concedendi, uti v. g. benedictio apostolica in articulo mortis.

673. Concessio indulgentiarum requirit tria : potestatem concedentis, — iustam causam, — debitam formam.

I. *Potestas concedentis*. Est in S. Pontifice cui totius spiritualis thesauri commissa est dispensatio, quam exercet per se vel per S. Poenitentiariam (can. 912 et 258, § 2) ; in aliis ex concessione S. Pontificis derivata, et quidem ita ut aliqui potestate ordinaria quasdam indulgentias possint elargiri, sed ii tantum quibus id expresse a iure concessum sit (can. 912), ut sunt episcopi ; alii solum potestate ipsis delegata, uti conceditur nuntiis et legatis apostolicis. « Papa, ait S. Thomas, q. 26, a. 3, habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno. Sed episcopi

assumuntur in partem sollicitudinis, quasi iudices singulis civitatibus praepositi ; propter quod eos solos in suis litteris *fratres* vocat, reliquos omnes vocat *filios*. Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in papa, quia potest facere, prout vult, causa tamen existente legitima. Sed in episcopis est taxata secundum ordinationem papae. Et ideo possunt facere secundum quod est eis taxatum, et non amplius ».

Attamen ex can. 913 : « inferiores R. Pontifice nequeunt 1° facultatem concedendi indulgentias aliis *committere*, nisi id eis a Sede apostolica expresse fuerit indultum ; 2° indulgentias concedere *defunctis* applicabiles ; 3° *eidem* rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui iam a Sede apostolica vel ab alio indulgentiae concessae sint, alias adiungere, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur ».

In specie : a) « *Benedictionem papalem* cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam, impertiri possunt Episcopi in sua quisque dioecesi bis in anno, hoc est die solemni Paschatis Resurrectionis et alio die festo solemni ab ipsis designando, etiamsi iidem Missae solemni adstiterint tantum ; Abbates autem vel Praelati *nullius*, Vicarii et Praefecti apostolici, etsi episcopali dignitate careant, id possunt in suis territoriis uno tantum ex solemnioribus per annum diebus » (can. 914). Sed « Regulares, qui privilegium habent impertiendi benedictionem papalem, non solum obligatione tenentur servandi formulam praescriptam, sed hoc privilegio uti nequeunt, nisi in suis ecclesiis et in ecclesiis monialium vel tertiariorum suo Ordini legitime aggregatorum ; non autem eodem die et loco quo Episcopus eam impertiat » (can. 915) ; quod intelligendum tamen non est de benedictione apostolica quae in fine missionum vel exercitiorum spiritualium religiosis concionatoribus impertire permittitur quaeque alia datur formula, sed de privilegio quo, sine alia functionis conditione, regulares benedictionem istam dare valent.

b) « Episcopi, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii ac Praefecti apostolici, et Superiores maiores religionis clericalis exemptae, possunt designare et declarare *unum altare privilegiatum* quotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, paroecialibus, quasi-paroecialibus, non autem in oratoriis publicis vel semipublicis, nisi sint ecclesiae paroeciali unita seu eiusdem subsidiaria » (can. 916).

c) *Cardinales* facultate gaudent « concedendi indulgentias 200 dierum, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis ; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas » (can. 239, § 1, 24°).

d) « In dioecesibus suffraganeis *Metropolita* potest tantum... indulgentias 100 dierum, sicut in propria dioecesi, concedere » (can. 274, 2°).

e) « A capta dioecesis possessione, *Episcopi residentiales* habent ius... concedendi indulgentias 50 dierum in suae iurisdictionis locis » (can. 349, § 2, 2°), etiam religiosis exemptis vel in eorum ecclesiis (com. int. 6 dec. 1930).

f) « *Cum consecratur ecclesia vel altare*, Episcopus *consecrator*, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die ; in die vero anniversaria 50 dierum, si sit episcopus, 100 si archiepiscopus, 200 si S. R. E. Cardinalis » (can. 1166, § 3).

Notetur communicationem bonorum operum Ordinis sui quam Praelati regulares subinde concedant insignibus benefactoribus, nullam continere indulgentiae largitionem, sed solam suffragiorum participationem.

II. *Iusta, scil. rationabilis et pia causa.* Pontifex enim non est dominus thesauri Ecclesiae, sed oeconomus et dispensator ; fidelis autem dispensator debet regulas iustitiae et aequitatis servare, nec proinde absque

iusta causa poenas remittere peccatorum, quae causa esse non potest nisi honor Dei et generalis utilitas Ecclesiae (q. 25, a. 2) ; secus dispensaret contra ipsam Domini voluntatem et potestatem excederet atque concessio foret nulla (q. 26, a. 3). Causa ergo debet esse *extrinseca* seu diversa ab ipsa poena tollenda ; atque requiritur *proportionata* effectui et quantitati indulgentiae : oportet, animadvertit Billuart, a. 4, ex Bellarmino, quod finis magis placeat Deo quam satisfactio quae per indulgentiam relaxatur atque opus iniunctum sit medium aptum et proportionatum ad hunc finem consequendum, ita ut largior dispensatio ne prodiga sit, exigat graviorem causam ; secus pro parte qua proportionem excederet esset invalida.

Hinc a) indulgentia pro tota Ecclesia postulat causam publicam, e contra pro indulgentia particulari sufficit causa privata ;

b) causae publicae enuntiari solent : fidei exaltatio, concordia inter principes et populos christianos, hostium Ecclesiae conversio, cultus Dei et Sanctorum promotio, reformatio populi, augmentum fidei, charitatis et religionis, incitatio ad opera bona et frequentationem sacramentorum ;

c) sufficientia causae prudenter aestimanda est, nec solum ex operis difficultate, sed ex fine intento et operis in finem utilitate ; quae pro indulgentia a R. Pontifice concessa adesse praesumitur ;

d) potest tamen Pontifex vel Episcopus quandoque indulgentiam concedere *sine impositione operis*, si ad hoc sit rationabilis causa, uti esse potest in viro valde digno, aut in articulo mortis.

III. *Debita forma*, quamvis nulla per se necessario servanda sit in indulgentiarum concessione, usu tamen Ecclesiae est quod indulgentiae, exceptis forsan mere privatis, scripto authentico exprimantur et edantur. Ita :

1) « Qui a S. Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub poena nullitatis gratiae obtentae, authentica exemplaria earumdem concessionum ad S. Poenitentiariam deferendi » (can. 920).

2) « Novae indulgentiae, *ecclesiis* etiam regularium concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne pervulgentur, inconsulto Ordinario loci » (can. 919, § 1).

3) « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc. in quibus earum concessiones continentur, ne edantur sine licentia Ordinarii loci. Requiritur vero expressa licentia S. Sedis ut typis edere liceat, quovis idiomate, tum collectionem authenticam precum piorumque operum quibus Sedes Apostolica indulgentias annexuit, tum elenchum indulgentiarum apostolicarum, tum summarium indulgentiarum vel antea collectum sed nunquam approbatum, vel nunc primum ex diversibus concessionibus colligendum » (can. 1388).

4) S. Poenit. 31 dec. 1937 decretum edidit de nova sua collectione authentica, in qua scil. continentur preces et pia opera, tum ea quae in favorem omnium fidelium, cum ea quae in favorem quorumdam coetuum usque ad istum diem ditata fuerunt, abrogatis generalibus indulgentiarum concessionibus in eadem collectione non relatis.

Notetur : a) Ad indulgentias *rebus* applicandas, vel personis, quandoque a ministro servandam esse certam ritus formam. Forma *ordinaria* pro crucibus, coronis, numismatibus est in efformando manu signum crucis super res, sine pronuntiatione formulae aut aspersione aquae benedictae ; *propria* vero formula servanda est pro crucibus viae crucis, coronis SS. Rosarii aut Septem Dolorum, adscriptione confraternitati SS. Rosarii aut s. Scapularis, vel benedictione apostolica in articulo mortis. Salvo tamen privilegio Cardinalium ad normam can. 239, 5° et 6°.

b) Qui ab apostolica sede facultatem obtinuit res benedicendi cum

applicatione indulgentiarum *de consensu Ordinarii loci*, ut facultatem exerceat *valide* debet esse sacerdos ad audiendas confessiones in dioecesi approbatus. Ut *licite* exerceat, requiritur consensus Ordinarii loci saltem tacitus vel implicitus, et si aliter practice fieri nequeat etiam prudenter praesumptus (S.C. Indg. 14 iun. 1901) ; pro religiosis tamen si facultate non utuntur extra domum religiosam, sufficit tunc licentia superioris etsi in rescripto dicatur: de consensu Ordinarii loci (S. C. Indg. 4 iun. 1888).

c) Indulgentiarum concessiones atque facultates eas impertiendi *late* sunt interpretandae quia sunt favores (can. 50) ; sed *secundum propriam verborum significationem* et ideo *non debent ad casus alios praeter expressos extendi* (can. 49) ; quod ceteroquin nullius utilitatis esset, cum error etiam communis non suppleat defectum veritatis. Cui probabilitas opinionis non potest obviare, cum de sola honestate non agatur sed de validitate actus ad obtinendum finem (II, n. 94, 4), nec probetur Ecclesia supplere.

Ita qui habet facultatem res pias benedicendi *privatim* ad applicandam indulgentiam, non potest ea uti publice in ecclesia vel oratorio coram fidelibus congregatis et res benedicendas manu tenentibus (S. C. Indg. 7 ian. 1843).

674. Consecutio indulgentiarum requirit capacitatem subiecti et impletionem operum praescriptorum.

A. *Subiectum capax* « sibi lucrandi indulgentias, ex can. 925, § 1, debet esse *baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae* saltem in fine operum praescriptorum, *subditus concedentis* » : est enim concessio indulgentiarum actus non ordinis sed iurisdictionis in subditos, qui exerceri nequit in non subditos. Attamen fieri potest quod aliquis fiat quoad hoc subditus sola sui in territorio praesentia, nam « nisi aliud ex concessionis tenore appareat, indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi, omnesque exempti in territorio degentes » (can. 927).

Quomodo autem ille qui indulgentiam concedit, eam ipse sibi lucrari valeat, declarat S. Thomas, q. 27, a. 4 : « Indulgentia debet ex aliqua causa dari, ad hoc quod aliquis per indulgentiam ad actum aliquem provocetur, qui in utilitatem Ecclesiae, et honorem Dei vergat. Praelatus autem, cui cura Ecclesiae utilitatis, et honoris divini propagandi est commissa, non habet causam ut seipsum ad hoc provocet. Et ideo non potest facere indulgentiam sibi tantum, sed potest uti indulgentia quam pro aliis facit, quia pro illis subest causa faciendi ». Et quidem « actum iurisdictionis nemo potest in seipsum exercere, sed eis quae auctoritate iurisdictionis dantur aliis, potest etiam praelatus uti tam in temporalibus quam in spiritualibus... Et ita episcopus potest accipere sibi suffragia (i. e. satisfactiones) Ecclesiae quae aliis dispensat, quorum effectus immediatus est remissio poenae per indulgentias, et non iurisdictionis » (ad 1), nam « indulgentia non per modum sententiae datur », « quam nullus in seipsum ferre potest », « sed per modum dispensationis cuiusdam, quam homo potest facere ad seipsum » (ad 3).

Status gratiae requisitus de se sufficit momento quo indulgentia lucranda est, scil. in fine operum praescriptorum ; non vero antea, nisi opus aliquod, v. g. s. Communio, statum gratiae supponat. Huius necessitas frequenter exprimitur hac formula : « corde saltem *contrito* » ; quae nihil significat nisi illum qui non est in statu gratiae, oportere saltem actu contritionis perfectae gratiam sibi recuperare (S. C. Indg. 17 dec. 1870). Extra hunc casum, non videtur status gratiae requiri pro indulgentiis lucrandis in favorem defunctorum, cum isti in gratia sint : plures tamen aliter sentiunt ; certum tamen videtur indulgentiam altaris privilegiati obvenire defuncto, si sacerdos sacrilege celebret in statu peccati, quia valor sacrificii cui adnectitur indulgentia nullatenus pendet a celebrante.

B. *Impletio operum praescriptorum* hoc modo facienda praescribitur can. 925, § 2 : « Ut subiectum capax indulgentias revera lucretur, debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem ».

Hinc : I. Intentio ad minus habitualis requiritur, i.e. olim habita et non retractata, saltem generalis indulgentias omnes lucrandi etiam ignotas : est enim indulgentia beneficium quod acceptari debet ; — nec sufficit intentio mere interpretativa, quae esset sed non est ; commendatur virtualis, atque in casu particulari exigi potest si ordinatio operis ad specialem finem id requirat.

II. Opus iniunctum *vere* implendum est, ita ut si quis ob ignorantiam aut impotentiam illud exequi impediatur, indulgentiam lucrari non possit : non enim conceditur nisi sub ea conditione ; nisi tamen aliter a concedente pro impeditis cautum fuerit.

III. Oportet generatim opus sit *supererogatorium*, nam ex can. 932 : « opere, cui praestando quis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur ; qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari ». Item communione paschali possunt indulgentiae lucrari, Iubilaei indulgentia excepta (S. C. Indg. 10 maii 1844) ; pariter religiosarum communitatum statutis vel consuetudinibus piis servatis, si non obligent sub peccato.

IV. Opus praescriptum debet esse in se *bonum* non substantialiter vitiatum, et est implendum *integre*, saltem quoad substantiam, atque eo *loco*, *tempore* et *modo* quo tenore concessionis est determinatum.

1° *Quantum ad locum*, si cuidam affixa est indulgentia, necessario visitandus est.

2° *Quantum ad tempus :* a) « Indulgentia plenaria concessa pro festis D. N. I. C. vel pro festis B. M. V., intelligitur concessa dumtaxat pro festis quae in calendario universali reperiuntur ».

b) « Concessa indulgentia *plenaria vel partialis* pro festis *Apostolorum*, intelligitur concessa dumtaxat pro eorum festo natali ».

c) « Indulgentia *plenaria* concessa ut *quotidiana* perpetua, vel ad tempus visitantibus aliquam ecclesiam vel publicum oratorium, ita intelligenda est ut quacumque die, sed semel tantum in anno, ab unoquoque fideli acquiri possit, nisi aliud in decreto expresse dicatur » (can. 921).

d) «Indulgentiae adnexae festis vel sacris supplicationibus vel precibus novendialibus, septenariis, triduanis, quae ante aut post festum vel etiam eius octavario durante peraguntur, *translatae* intelliguntur in eum diem, quo festa huiusmodi legitime transferantur, si festum translatum habeat officium cum missa sine solemnitate et externa celebratione ac translatio fiat in perpetuum, vel si transferatur sive ad tempus sive in perpetuum solemnitas et externa celebratio » (can. 922). Ergo si solum transfertur ad tempus et sine solemnitate et externa celebratione, indulgentia manet affixa diei, etiam si sit feria 6ª in Parasceve (S. Poen., 18 febr. 1921).

e) « Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si *visitatio ecclesiae* vel oratorii requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit » (can. 923).

3° *Quantum ad modum*, opera iniuncta *personaliter* praestari debent ab eo qui vult indulgentiam lucrari ; attamen, ipso consentiente aut mandante, eleemosynae largitio fieri potest ab altero v. g. a patre vel superiore pro filio vel subdito, aut ministerio alterius v. g. famuli vel amici.

Speciatim : a) « Si ad lucrandas indulgentias *oratio in genere ad mentem S. Pontificis* praescribatur, mentalis tantum oratio non sufficit; oratio autem vocalis poterit arbitrio fidelium deligi, nisi peculiaris aliqua assignetur ». Attamen S. Poenitentiaria, 7 dec. 1933, declaravit indulgentias, invocationibus et precibus iaculatoriis adnexas, etiam per mentalem tantum earum recitationem acquiri posse.

b) « Si *peculiaris oratio* assignata fuerit, indulgentiae acquiri possunt quocumque idiomate oratio recitetur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel S. Poenitentiariae vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio ; sed indulgentiae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem ». Quod tamen de iis tantum intelligendum est mutationibus quae indulgentiarum substantiam alterent (S. Poen., 26 nov. 1934).

c) « Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis *cum socio* recitare, aut mente eam prosequi dum ab alio recitatur » (can. 934).

d) Preces non sunt dicendae *flexis genibus* aut in *determinato loco*, nisi expresse notetur.

e) Nec determinatus ordo, nisi sit specialiter praescriptus, est in impletione operum adhibendus, dummodo ultimum in statu gratiae perficiatur.

C. *Conditiones pro plenariis indulgentiis ordinariae* sunt confessio et communio, ac preces ad intentionem S. Pontificis, quibus saepe coniungitur visitatio Ecclesiae, quandoque pia exercitia publice peracta.

1° *Confessio et Communio.* — a) Dum indulgentia conceditur *contritis et confessis* aliave simili clausula, confessio sacramentalis necessaria est etiam iis qui moralis peccati conscii non sunt, quamvis pro his non requiratur absolutio.

b) « Ad *quaslibet* indulgentias lucrandas *confessio* forte requisita peragi potest intra octo dies qui immediate praecedunt diem cui indulgentia fuit affixa ; *communio* autem in pervigilio eiusdem diei ; *utraque* vero etiam intra subsequentem totam octavam » (can. 931, § 1).

c) « Pariter ad lucrandas indulgentias *pro piis exercitiis* in triduum, hebdomadam, etc. ductis concessas, *confessio et communio* fieri etiam potest intra octavam quae immediate sequitur exercitium expletum » (ib. § 2).

d) » Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem *bis in mense ad poenitentiae* sacramentum accedere, aut *s. communionem* in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere *quotidie*, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam *sine actuali confessione* quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii et extraordinarii sive ad instar iubilaei » (ib. § 3).

2° *Preces ad intentionem S. Pontificis.* Solet illa intentio esse pro catholicae Ecclesiae prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum omniumque errantium conversione, ac pro totius populi christiani pace et unitate. Iamvero preces recitandae sunt ad uniuscuiusque libitum nisi peculiares determinentur (can. 934, § 1) ; ex declaratione 20 sept. 1933, sufficit si quis *unum Pater, Ave* et *Gloria* recitaverit. Attamen pro indulgentia Portiunculae aut alia toties quoties lucranda, requiruntur saltem 6 Pater, Ave et Gloria (S. Poen., 10 iul. 1924 ; 13 ian. et 5 iul. 1930). Quando praescribitur ut visitetur ecclesia ibique fundantur preces, ita faciendum est.

3° *Visitatio ecclesiae* debet esse religiosa ex animo colendi Deum :

a) *Determinate* praescripta, v.g. ecclesiae paroecialis vel illius cui adnexa est indulgentia, est in hac ecclesia peragenda et in ea est orandum ad intentionem S. Pontificis ; licet aliae conditiones alibi impleri possint, susceptio s. communionis autem etiam una cum visitatione.

b) *Indeterminate* praescripta, fieri potest in quavis ecclesia vel oratorio publico ; — non vero sufficit in semipublico vel privato ; quod solum cardinalibus et episcopis cum suis familiaribus conceditur pro suis propriis sacellis, si pro indulgentia praescribatur visitatio ecclesiae loci in quo actu commorantur (can. 239, § 1, 11° ; et 349, § 1, 1°).

c) At « fideles utriusque sexus qui, perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias praescribitur visitatio alicuius ecclesiae *non determinatae*, vel indeterminati alicuius publici oratorii, visitare queunt propriae domus sacellum in quo obligationi audiendi Sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera iniuncta rite praestiterint » (can. 929). Quod non valet pro carcere detentis, — nec pro indulgentia Portiunculae, cum haec determinatae ecclesiae visitationem exigat.

d) Hac de re declaravit S. Poen. 20 sept. 1933 : « Conditio visitandi ecclesiam aut publicum vel (pro legitime utentibus) semipublicum oratorium, adimpletur per accessum ad ecclesiam vel ad oratorium saltem cum intentione quadam generali seu implicita honorandi Deum in se vel in sanctis suis, aliqua adhibita prece, et quidem prece praescripta, si aliqua imposita fuit ab indulgentiae largitore, vel alia qualibet sive orali sive etiam mentali pro cuiuscumque pietate ac devotione. Quae pro ecclesiae aut oratorii visitatione requiruntur, etiam in visitatione alicuius imaginis vel altaris servanda sunt ».

e) Qui eodem die plures indulgentias vult lucrari quarum unaquaeque visitationem requirit ecclesiae, debet, nisi aliter expresse dicatur, tot visitationes peragere quot indulgentias velit lucrari ; visitationes autem non multiplicantur nisi vero egressu extra Ecclesiam et novo ingressu : ita v. g. pro indulgentia toties quoties.

f) Qui die dominica vel festiva ingreditur ecclesiam ad missam audiendam de praecepto, non satisfacit visitationi ad indulgentiam requisitae ; plures tamen dicunt satisfacere si tempestive adveniat et ante missam inceptam ad intentionem S. Pontificis oret, aut etiam si visitationem post missam prolonget et tunc preces fundat.

4° « *Pia exercitia* tunc tantum *publice* peracta dicuntur, cum communiter in ecclesiis vel in publicis aut (pro legitime utentibus) semipublicis oratoriis habentur ; ceteris in casibus *privatim* peracta intelliguntur » (Coll. indulg. 1938, proaem. n. 7).

D. *Commutatio operum* quandoque fieri potest :

a) Iuxta can. 935 : « Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta, confessarii possunt in alia *commutare* pro iis qui, *legitimo detenti impedimento*, eadem praestare nequeant ». Quam facultatem etiam extra confessionem exercere potest confessarius, dummodo confessionem illius, in cuius favorem commutat, hic et nunc valide et licite audire possit ; non quidem circa opera quae obiectum seu causam indulgentiae *substantialiter* afficerent, ut intentionem, statum gratiae, usum crucifixi, exercitia spiritualia quibus indulgentia adnectitur, sed circa conditiones praesertim ordinarias confessionis, communionis, precum, ieiunii, vel et visitationis ecclesiae, etiam ecclesiae determinatae, ut ad lucrandam indulgentiam toties quoties (com. int. 19 ian. 1940). Quod tamen videtur intelligendum de ecclesia quae in eodem loco sita sit ; — secus enim quilibet confessarius omnes poenitentes participes indulgentiarum reddere posset omnium quas adire non possent totius orbis ecclesiarum.

b) Ex can. 936 : « *Muti* lucrari possunt indulgentias adnexas publicis precibus, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant ; et si agatur de privatis orationibus, satis est ut eas mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant ».

c) Ex concessione speciali 19-22 oct. 1917, *mutilati* indulgentias, pro quibus lucrandis recitatio precum una cum aliquo corporis actu iniungitur, quem peragere impares sunt, lucrari valent fusis dumtaxat precibus.

E. *Animadvertenda.* — 1. « Indulgentia *plenaria*, nisi aliud expresse cautum sit, acquiri potest *semel tantum in die*, etsi idem opus praescriptum

pluries repetatur ; *partialis* indulgentia, nisi contrarium expresse notetur, *saepius per diem*, eodem opere repetito, potest lucrifieri » can. 928.

2. « Uni eidemque rei vel loco plures ex variis titulis possunt adnecti indulgentiae ; sed *uno eodemque opere*, cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sint, *non possunt plures acquiri indulgentiae*, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit » (can. 933), ut v. g. quoad indulgentias SS. Rosarii Praedicatorum et Crucigerorum quae cumulari possunt ex concessione S. C. Indg. 12 iun. 1907, et quoad apostolicas simul cum illis quibus opera sunt aliunde ditata, ex S. Poen., 17 febr. et 14 iun. 1922.

3. Nisi aliter constet, *mensis* in concessione indulgentiarum intelligendus est spatium 30 dierum continuorum ad normam can. 34, § 2 ; *dies* a media nocte ad mediam noctem, nisi aliter notetur ut pro indulgentia diei affixa et lucranda ecclesiae visitatione, quae fieri potest a meridie diei praecedentis ad mediam noctem quae statutum diem claudit (can. 923).

675. Cessant indulgentiae : 1° *Omnes* revocatione concedentis, eius successoris aut superioris.

2° *Temporalis* elapso tempore ad quod concessa fuerit ; unde data « ad beneplacitum » expirat concedentis morte (can. 73), concessa vero sine ulla temporis limitatione per se perpetuo durat nec expirat morte concedentis (can. 70).

3° *Personales* renuntiatione a S. Pontifice acceptata, atque obitu personae physicae cui concessa est, aut personae moralis legitima extinctione ad normam can. 102.

4° *Reales* « tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve res prorsus desinant vel vendantur » (can. 924, § 2). Ergo indulgentias coronae non amittunt a) si donentur aliis, aut commodentur ut ipsi lucrari pro se valeant indulgentias (S. Poen., 18 febr. 1921) ; b) si desinant esse ex aliqua parte ; c) si chorda rumpatur aut catena mutetur, quia indulgentiae magis affixae sunt globulis ; d) si pauca tantum grana amittantur et alia substituantur, dummodo maior pars granorum benedictorum conservetur ; e) si quid pro iis recipiatur, non tamquam pretium et titulo venditionis, sed titulo eleemosynae aut alio non oneroso.

5° *Locales* absoluto interitu rei (can. 75) ; attamen « adnexae alicui ecclesiae non cessant, si ecclesia funditus evertatur rursusque intra quinquaginta annos aedificetur in eodem vel fere eodem loco (v. g. in distantia 20 vel 30 passuum) et sub eodem titulo » (can. 924, § 1). Quod etiam de altari valet reaedificato sub eodem titulo et in eadem ecclesia.

676. Indulgentia altaris privilegiati. — Ita vocatur altare cui indulgentia plenaria pro defunctis adnexa est, impletis debitis conditionibus. Privilegium istud potest esse *locale*, si ipsi altari adnexum est, quod debet esse firmum seu fixatum (n.389) ; vel *personale* si ipsi sacerdoti ubicumque celebranti est concessum ; vel *mixtum* si adnectitur missis celebratis in tali altari et a tali sacerdote v. g. confratre aut tertiario.

Ex iure communi 1) *privilegio locali* Episcopi, aliique Ordinarii possunt unum altare designare privilegiatum quotidianum perpetuum in suis ecclesiis, ut notatum est supra n. 673, I, b) ex can. 916.

2) In die commemorationis omnium fidelium defunctorum, omnes missae gaudent privilegio ac si essent ad altare privilegiatum celebratae (can, 917, § 1) ; item durante huius octavario, sed pro anima tantum cui missa applicatur (S. Poen., 31 oct. 1934).

3) Omnia altaria ecclesiae per eos dies quibus in ea peragitur *supplicatio* XL horarum sunt privilegiata (can. 917, § 2).

4) *Privilegio personali* quod etiam obtineri potest speciali concessione S. Sedis, iure communi gaudent Cardinales, episcopi etiam titulares, vicarii et praefecti apostolici.

Notetur : a) Ut indicetur altare privilegiatum, nihil aliud inscribatur, nisi : *altare privilegiatum*, perpetuum vel ad tempus, quotidianum vel non, secundum concessionis verba (can. 918, § 1), omissa scil. omni alia mentione ut de eius infallibili efficacia ad liberandam determinatam animam purgatorii.

b) Pro missis celebrandis in altari privilegiato nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi missae eleemosyna (can. 918, § 2); quod esset simonia.

Ad conditiones implendas animadvertere oportet : 1° indulgentiam plenariam uni tantum applicari posse ; — 2° missam applicandam esse exclusive pro defunctis, secus indulgentia non applicatur ; — 3° indulgentiam, — nisi indultum permittat divisionem sacrificii et indulgentiae, — tantum applicari posse defuncto pro quo missa offertur, unde si pro uno offertur nulla requiritur intentio applicandi indulgentiam, sed ipso facto ipsa applicatur ; e contra si pro pluribus missa celebretur, praevie a celebrante determinari debet ille cui indulgentiam applicatam velit (S. Poen., 6 iul. 1917) ; — 4° non amplius requiri ut missa dicatur de requie, etiam diebus non impeditis (S. Off., 20 febr. 1913) ; — 5° casu quo ex speciali indulto altare sit privilegiatum *pro vivis et defunctis*, pro vivis conceditur indulgentia si pro vivis missa applicetur ; pro defunctis vero si pro hisce missa applicetur (S. C. Indg. 25 aug. 1897).

De obligatione suscepta missam celebrandi ad altare privilegiatum, dictum est supra n. 378, 4°.

677. Indulgentia Viae Crucis.— Exercitium viae crucis institutum fuit ad lucrandas omnes indulgentias visitatione reali obtinendas stationum viae crucis in Ierusalem, i. e. itineris D. N. I. C. a pretorio ad Calvariae locum. — Ad quod a) ex parte viae crucis requiritur 1) ut sit legitime erecta ; 2) ut adsint 14 cruces ligneae visibiles ; 3) in loco ipso (moraliter loquendo) fuerint benedictae in quo stationes erigantur, et ante vel post benedictionem affixae, quadam inter eas servata distantia: cetera non sunt necessaria ; b) ex parte fidelium requiritur 1) singularum stationum visitatio, seu motus localis de una ad aliam ; 2) meditatio passionis secundum uniuscuiusque capacitatem ad singulas stationes ; 3) exercitium uno tractu morali peractum seu non moraliter interruptum. In publico exercitio, si motus localis populi perturbationem causaret vel ob angustiam loci sit impossibilis, sufficit ut sacerdos, vel in sacellis communitatum religiosarum, unus e fratribus vel una e sororibus, stationes circumeat, dum multitudo audientium in suo loco consistat.

Erectio concessa est Ordini Fr. Minorum ; alii, secluso privilegio quale personaliter habent cardinales et episcopi, non possunt erigere nisi a S. Sede facultatem delegatam obtinuerint. Ad *validitatem* iam sufficit « sacerdos erigens, idcirco rogatus, debita facultate praeditus » (S. Poen. 1 mart. 1938), nec amplius requiritur licentia Ordinarii loci in scriptis. Sed ad liceitatem venia Ordinarii loci adsit, aut venia praesumpta, si non facile adiri possit.

Cum autem, deperditis authenticis documentis, dubium erat de indulgentiis exercitio viae crucis concessis, ad omnem dubitationem in posterum auferendam, Pius XI, ut constat ex decr. S. Poen. 20 oct. 1931, decernere dignatus est ut : Fideles omnes qui, sive singulatim sive in comitatu, saltem corde contrito, pium exercitium viae crucis, legitime erectae, ad praescripta S. Sedis, peregerint, lucrari valeant :

a) Indulgentiam plenariam toties quoties ipsum pium exercitium compleverint.

b) Aliam plenariam pariter indulgentiam si eodem die quo memoratum pium exercitium peregerunt, vel etiam si infra mensem ab eodem decies peracto ad s. Synaxim accesserint.

c) Indulgentiam partialem 10 annorum pro singulis stationibus, si forte inceptum exercitium, quavis rationabili causa, ad finem non perduxerint »

Easdem indulgentias lucrari possunt fideles legitime impediti, si habent *crucifixum viae crucis* ab habente potestatem benedictum hocque manu tenent (vel unus loco omnium) et simul ab eis recitantur, sine notabili ac morali interruptione, 14 *Pater*, *Ave* et *Gloria*, unum nempe pro qualibet statione, tunc 5 in honorem quinque vulnerum Domini, ac 1 ad intentionem S. Pontificis (S. C. Indg. 16 sept. 1859). Et si quis ob rationabilem causam impeditur quominus crucifixum manu teneat, sufficit illum, durante recitatione, secum deferre (S. Poen., 9 nov. 1933). Non vero sufficit crux, sed oportet adsit Crucifixi imago et quidem in materia solida et non fragili. Infirmi qui non possunt recitare dictas preces, indulgentias acquirere valent vel osculando vel etiam tantum intuendo, cum affectu et animo contrito, in aliquem Crucifixum ad hoc benedictum, eis vel a sacerdote vel ab aliqua alia persona exhibitum, et recitando, si possint, brevem aliquam orationem vel precem iaculatoriam in memoriam Passionis et mortis I. C. D. N. (S. Poen., 25 mart. 1931 et 18 mart. 1932).

Quod memorato decreto 20 oct. 1931 fuit confirmatum, et quidem « ita ut qui ex rationabili causa omnes praescriptos *Pater*, *Ave* et *Gloria* recitare nequiverint, pro indulgentia plenaria indulgentiam partialem 10 annorum consequantur pro singulis *Pater* cum *Ave* et *Gloria* recitatis; et si quis, vi morbi, vel tantum osculari vel intueri tantum queat in Crucifixum ad hoc benedictum, non vero addere precem iaculatoriam, indulgentiam plenariam consequi non impediatur ».

678. Indulgentia SS. Rosarii. — Rosarium B. M. V. est « sacra quaedam formula precandi Deum in honorem B. Mariae, qua per quindecim salutationis angelicae decades, interiecta singulis oratione dominica, quindecim praecipua redemptionis humanae mysteria piis meditationibus percensentur ». Ita in officio SS. Rosarii B.M.V., lect. 4. Recitari debet cum corona ad hoc specialiter benedicta quae sit 5 (non 4 aut 6 vel 7) vel 10 vel 15 decadum, et quae inter orandum manu teneri debet ac volvi; at si in communi recitetur, sufficit ut unus coronam teneat ac volvat, dum ceteri, curis semotis quae attentionem impediunt, ei devote in recitatione uniantur. Imo recenter concessum est, ut quoties vel causa operis manualis vel propter aliam rationabilem causam oriatur impedimentum, quominus eam manu teneant, possint fideles indulgentias lucrari, dummodo recitatione durante, secum quomodocumque eam deferant (S. Poen., 9 nov. 1933).

Quinque saltem decades uno tractu moraliter continuo sunt recitandae, imo, ex concessione Pii X, rosarii decades possunt separari, dummodo recitatio coronae eodem die absolvatur (C. Indg. 8 iul. 1908); confratres tamen Sodalitatis SS. Rosarii indulgentias lucrantur etiamsi separent singulas decades, dummodo integrum Rosarium dicant infra hebdomadam. Non requiruntur *Credo* aut *Salve Regina* in initio, nec oratio aut Litaniae in fine; nec *Gloria* in fine decadum, aut *Requiem* quando rosarium dicitur pro defunctis; sed singulae decades incipi debent a *Pater* et constare 10 *Ave*. Recitationem comitari omnino debet meditatio mysteriorum vitae, passionis et resurrectionis Christi, secundum uniuscuiusque capacitatem; mysteria nunc determinata sunt et quoad substantiam et ordinem logicum in recitatione mutari nequeunt (S. C. Indg. 13 aug. 1726), at quaecumque mysteriorum series meditetur sive gaudii sive doloris sive gloriae, aut quocumque ordine tres series ponantur, sufficit pro indulgentiis lucrandis.

Ante singulas decades mysterium considerandum annuntiari potest, vel et ante singulas salutationes angelicas, cum id non sit vera interpolatio in precibus nec moralis interruptio; — imo mos interponendi brevem annuntiationem mysterii, cuilibet salutationi post vocem « Iesu » de se reprobatus ob can. 934, § 2, ex indulto pro nonnullis locis permissus fuit; quod indultum iam extensum fuit in favorem omnium qui iuxta

praedictum morem in quibuslibet locis Rosarium recitare consueverint (S. Poen., 22 ian. 1921).

Benedictio rosarii concessa est Ordini Praedicatorum; alii, secluso privilegio quale personaliter habent cardinales et episcopi, non possunt benedicere nisi a S. Sede vel a magistro generali Praedicatorum facultatem delegatam obtinuerint; idem est dicendum de erectione Confraternitatis SS. Rosarii. Id valet pro concessionibus factis ante 1 apr. 1933; in posterum, ex decr. S. Poen. 20 mart. 1933, Generalis Praedicatorum adhuc valet delegare suos ad benedicendas coronas, non amplius extraneos. Hi debent in futurum adire S. Poenitentiariam, nisi ista de novo velit privilegium concedere Generali Praedicatorum.

Summarium indulgentiarum SS. Rosarii iussu Leonis XIII fuit editum et authenticum recognitum 29 aug. 1899; quibus postea quaedam aliae sunt adiunctae. Praecipuae sunt :

1. *Pro recitatione SS. Rosarii :* fidelibus omnibus indulgentia 5 annorum quoties tertiam partem rosarii devote recitent, et 10 annorum, semel in die, si in communi recitent; — plenaria in ultima mensis dominica si saltem ter in hebdomada una cum aliis tertiam partem recitent, et Sacramentis refecti ecclesiam quamdam aut oratorium publicum visitent ibique ad mentem orent S. Pontificis; — item plenaria, si peccatorum veniam obtinuerint et ad sacram Synaxim accesserint, quoties coram ss. Sacramento exposito aut in tabernaculo asservato tertiam partem devote recitaverint (Pius XI, breve *Ad S. Dominici*, 4 sept. 1927). — Quodsi utantur corona a P. Praedicatoribus specialiter benedicta, vel ab habente facultatem, indulgentia 100 dierum pro quolibet *Pater* et *Ave* dummodo tertia saltem pars rosarii recitetur, et plenaria semel in anno si singulis diebus tertiam saltem recitent partem et Sacramentis reficiantur.

2. *Pro specialibus exercitiis :* indulgentia 5 annorum semel, quolibet die, atque plenaria, sub conditionibus ordinariis, pro illis qui per 9 dies in honorem Reginae SS. Rosarii piis exercitiis operam dant (S. Poen. 18 mart. 1932); — item plenaria suetis conditionibus, quolibet ex 15 sabbatis continuis, si singulis sabbatis Sacramenta suscipiant, et tertiam partem Rosarii recitent : qui autem in sabbato sunt legitime impediti, exercitium peragere possunt in dominica (S. Poen. 31 aug. 1936); — item speciales indulgentiae adnectuntur exercitiis consociationis Rosarii viventis aut Rosarii perpetui.

3. *Pro festo SS. Rosarii et mense Octobri :* praeter indulgentiam toties quoties in die festo lucrandam omnibus qui, sacramentis refectis, visitant ecclesiam Praedicatorum vel aliud templum aut oratorium publicum in quo erecta est Sodalitas SS. Rosarii, conceditur indulgentia 7 annorum pro quovis die mensis octobris iis qui tertiam partem rosarii recitent; — insuper una indulgentia plenaria recitantibus tertiam partem rosarii die festo et singulis per octavam diebus, et alia si post octavam SS. Rosarii saltem decies infra mensem octobris tertiam partem rosarii dicant : sub conditione confessionis, communionis et alicuius ecclesiae visitationis (S. Poen. 18 mart. 1932).

4. *Confratribus Sodalitatis* SS. Rosarii multae conceduntur, v. g. indulgentia 100 annorum et totidem quadragenarum, semel in die, omnibus confratribus, ob B. Virginis reverentiam, coronam devote gestantibus (Pius X, 31 iul. 1906); — indulgentia 5 annorum et totidem quadragenarum quoties, recitando rosarium, in salutatione angelica, nomen Iesu devote proferunt; — item 10 annorum et totidem quadragenarum si ter in hebomada rosarium recitant, pro qualibet vice; plenaria si sacramentis refecti, intra spatium unius diei naturalis rosarium integrum pro triumpho Ecclesiae recitant et aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitant (S. C. Indg. 12 iun. 1907), — item 7 annorum et totidem quadragenarum quoties devotionibus in ecclesiis Praedicatorum mense octobri institui solitis intersunt, — item plenaria in festo

Annuntiationis si sacramentis refecti rosarium recitant, multaeque aliae iis qui certis diebus visitant capellam vel ecclesiam confraternitatis vel quibusdam exercitiis intersunt aut participant. De quibus omnibus conferri potest recens opusculum P. Fanfani, *De Rosario B. M. Virginis*, 1930, et *De Confraternitatibus Ordini Praedicatorum propiis*, 1934.

Notetur : a) Alias praeter rosarium esse coronas. Ita *corona s. Birgittae* quae constat 6 decadibus quarum singulae continent 1 *Pater*, 10 *Ave*, 1 *Credo* et 1 *Pater* in fine cum 3 aliis *Ave*, et non requirit meditationem mysteriorum, sed benedicenda est ab Ordine SS. Salvatoris Lateranensis, vel ab aliquo ad hoc a S. Sede delegato : quandoque conceditur facultas applicandi rosariis 5, 10 vel 15 decadum indulgentias coronae birgittinae, quo casu necesse non est adiicere 1 *Pater* et 3 *Ave* in fine, sed *Credo* dici debet in fine cuiuslibet decadis, et quinque decades tunc sufficiunt. Indulgentiae sunt 100 dierum pro quolibet *Pater*, *Ave*, *Credo* dummodo sex vel quinque decades recitentur; atque plenaria in articulo mortis iis qui semel in hebdomada hanc coronam recitare consueverunt, ac plures aliae.— *Corona Crucigerorum* ab his benedicenda adnexam habet indulgentiam 500 dierum quoties *Pater* vel *Ave* cum ea recitatur, quin oporteat integram coronam recitare aut meditationem adiungere. — *Corona Septem Dolorum B. M. V.* quae Ordini Servitarum est propria et componitur 7 partibus quae singulae uno *Pater* et 7 *Ave* constant et quibus in fine 3 *Ave* adduntur. Benedici debet speciali formula et pluribus gaudet indulgentiis.

b) Eidem coronae plures adnecti posse indulgentias v. g. S. Rosarii et S. Birgittae, sed ita ut iterata recitatione, nunc istas, nunc illas quis lucretur separatim, non autem una recitatione simul et coniunctim (can. 933).

c) Ex speciali tamen concessione Pii X cumulari posse indulgentias SS. Rosarii Praedicatorum atque coronae Crucigerorum (S. C. Indg. 12 iun. 1907) ; quibus iunxit indulgentias apostolicas Pius XI. (S. Poen. 17 feb. et 14 iun. 1922), et Pius XII (S. Poen. 11 mart. 1939).

d) SS. Rosarium, prae aliis, fuisse indulgentiis ditatum, ita ut illo generatim plures aut potiores acquiri facilius possint, saltem ab iis qui Sodalitati SS. Rosarii sunt adscripti.

679. Indulgentia S. Scapularis. — Scapulare a) debet esse exclusive ex lana confectum, unumquodque proprii coloris ; quod tamen non est necessarium pro funiculis, excepto scapulari Passionis cuius funiculi lanei et rubri sint oportet ; — b) debet esse legitime benedictum et impositum ; quod si detritum sit aut amissum, aliud non benedictum ipsi substitui potest ; — c) qui suscipit scapulare, plerumque adscribi debet confraternitati cuius est insigne ; — d) illud portare debet e collo pendens, ita ut una pars pectus, altera scapulas tegat ; nec requiritur ut immediate supra corpus geratur, etiam sufficit supra vestes ; — e) si quis regulariter illud non defert, suspenduntur indulgentiae, usquedum illud resumat ; — f) nec oportet ut de novo admittatur, nisi illud deposuerit ex contemptu aut ex voluntate confraternitatem derelinquendi vel scapulare abiiciendi ; — g) qui plura defert, ea satis distincta servare debet ita ut panniculi non unum scapulare efforment, et non consuantur nisi a parte superiori sed singuli funiculis adhaereant.

Praecipua scapularia sunt :

1° *Scapulare B. M. de monte Carmelo*, coloris *tannei*, quod est antiquissimum et eminet singulari protectione, quam B. V. pie creditur promisisse illis qui illud devote gesserint in eoque moriantur ; — atque speciali privilegio quo sodales, certis sub conditionibus, primo sabbato post mortem, potenti B. V. intercessione speciale adiutorium sperare possint in ordine ad promptam liberationem a purgatorio. Quod praedicare Carmelitis Ecclesia permisit (S. Off., 20 ian. 1613). Conditiones sunt ut quis castitatem secundum suum statum servet ; et si legere sciat,

parvum Officium B. V. quotidie recitet, cui conditioni satisfaciunt clerici et religiosi officium dicentes ad quod tenentur ; qui legere nescit, ieiunare debet diebus ab Ecclesia praescriptis, et abstinentiam servare feria 4ª et sabbato, excepta die Nativitatis Domini, sed confessarii omnes hanc abstinentiam commutare possunt.

2° *Scapulare SS. Trinitatis*, coloris *albi*, cruce munitum rubri coloris et caerulei non acu picta.

3° *Scapulare B. M. V. septem dolorum*, coloris *nigri*.

4° *Scapulare Immaculatae Conceptionis*, coloris *caerulei*. Quod singulari dotatum erat favore, quo sodales in honorem S. Trinitatis, B. M. V. sine labe conceptae et ad mentem S. Pontificis recitantes 6 *Pater*, *Ave* et *Gloria*, indulgentias Portiunculae, Ierusalem, 7 Urbis Basilicarum et S. Iacobi de Compostella lucrentur *toties quoties* i. e. semel in die pro plenariis. Recenti tamen decreto S. Poen. 22 apr. 1933, haec gratia, sicut omnes aliae similes, reducta fuit ita ut recitantes indulgentiam tantum partialem 10 annorum lucrari valeant singulis vicibus ; si vero per integrum mensem hoc peregerint, indulgentiam plenariam, suetis tamen conditionibus, acquirere queant.

5° *Scapulare Passionis*, coloris *rubri*, quod imagine debet esse munitum.

Omnia habent privilegia et indulgentias, de quibus, sicut de omnibus quae indulgentias spectant, conferri potest Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, quod opus in variis linguis fuit translatum.

Postquam scapulare impositum fuerit, etiam numisma loco illius gestari potest. Et quidem ex decr. S. Off. 16 dec. 1910 unicum numisma, exhibens effigiem D. N. I. C. suum SS. Cor ostendentis, ex alia parte B. M. V. effigiem, deferri potest sed *super propriam personam*, loco omnium scapularium a S. Sede probatorum ; exceptis iis quae Tertiorum Ordinum sunt propria. Numisma benedictum sit oportet tot *distinctis* benedictionibus quot sunt scapularia quorum loco sufficiatur, et quidem a sacerdote qui respectiva facultate benedicendi scapularia polleat.

680. Iubilaeum in sermone ecclesiastico est indulgentia plenaria solemnis, quae multa habet privilegia coniuncta et nonnisi certis temporibus a S. Pontifice conceditur. Non differt ergo ab indulgentia plenaria ordinaria, nisi ob circumstantias, ratione scil. solemnitatis, operum iniunctorum, privilegiorum ipsi adnexorum atque abundantiae gratiarum quas divina misericordia eo tempore largiri solet, ac maioris spei obtinendi totaliter indulgentiam.

Aliud est *ordinarium*, quod nunc solet regulariter concedi vigesimo quinto anno recurrente, qui vocatur *annus sanctus :* eo anno celebratur Romae et post annum extenditur iubilaeum ad universum orbem per sex menses, et quandoque per annum integrum. Aliud est *extraordinarium* quod conceditur ratione magnae solemnitatis, uti anno 1933 pro centenario Redemptionis, aut ratione specialis publicae necessitatis : hoc est *generale* si conceditur universo orbi, vel *particulare* si datur provinciae, civitati, vel loco particulari.

Finis iubilaei non est indulgentiae consecutio, sed aliquod commune et magnum Ecclesiae bonum obtinendum, ut provocatio populi christiani ad poenitentiam, solemnior celebratio magni eventus, publicae cessatio calamitatis, pax, etc., quem in finem decet ut fideles plura praestent opera bona ; ut autem ad ea praestanda allicerentur, plenariam indulgentiam implentibus opera concedit Pontifex atque varia privilegia.

A. *Conditiones* pro ordinario iubilaeo praescribi solitae sunt confessio rite facta, digna communio, devota visitatio ecclesiarum ad hoc designatarum cum oratione ad mentem S. Pontificis per plures dies, continuos vel interpolatos ; pro extraordinario iubilaeo nonnunquam adduntur ieiunium et eleemosyna. Quae implenda sunt durante tempore quo

iubilaeum currit, unde non sufficit confessio in eius vigilia ; et quidem servando regulas traditas a Benedicto XIV pro iubilaeo a. 1750, nisi expresse revocentur (S. Congr. Indg. 15 mart. 1852).

1° Opera bona debent esse supererogatoria, non aliunde debita, et debent fieri ex intentione lucrandi iubilaeum ; unde non sufficit confessio annua aut communio paschalis, visitatio ecclesiae ad audiendam missam de praecepto, eleemosyna ex legato aut voto debita, ieiunium iam praescriptum, nisi Pontifex expresse indulserit ; Viaticum tamen sufficit (S. Poen. 28 mart. 1900).

2° Qui post confessionem institutam labitur in peccatum mortale, iterare confessionem debet quando s. Communionem nondum suscepit ; secus ad lucrandum iubilaeum sufficit actus contritionis perfectae (S. Poen. 31 iul. 1924). Sed, ait Génicot, Th. M. II, n. 412, videtur iteranda confessio ab eo qui peccati alicuius, in confessione prius facta per innoxiam oblivionem non enuntiati, reminiscitur (Ben. XIV, const. *Inter praeteritos*).

3° Quot ecclesiae et quoties visitandae sint, et infra quodnam tempus, determinatur a Bulla quae iubilaeum concedit ; item an separatim vel eodem die, qui dies computari potest sive more civili de media nocte ad mediam noctem, sive more ecclesiastico a primis vesperis ad crepusculum. Quod si simul processionaliter visitantes omnes ingredi ecclesiam non valeant, sufficit ut isti stent prope foris ecclesiae et multitudini uniantur ; certum autem non est quod id valeat si ecclesia sit clausa, nisi id concessum fuerit, uti quandoque factum est pro basilicis romanis (S. Poen. 31 iul. 1924). Religiosi non satisfaciunt, visitando ecclesiam suam, nisi habeant indultum.

4° Ieiunium intelligitur cum abstinentia carnis, non sicut olim cum abstinentia ab ovis et lacticiniis (can. 1250). Obligat tamen omnes senes et pueros ; at ob grave incommodum potest commutari. Quandoque praescribitur ut fiat feria 4ª, 6ª et sabbato eiusdem hebdomadae.

5° Eleemosyna, si iniungatur secundum cuiusque devotionem, parva sufficit; si vero secundum facultatem, huic oportet esse proportionata.

B. *Privilegia* confessariis etiam ordinariis concedi *solita*, sunt :

1) *Commutandi* ex iusta causa *opera ad iubilaeum requisita*, excepta confessione ; commutatio non est concedenda sine iusto impedimento, quod rarissime occurret pro communione et precibus recitandis, nec facienda nisi in opus fere aequale.

2) *Absolvendi ab omnibus peccatis et censuris* a iure vel ab homine *reservatis*, sed in foro interno tantum et iniunctis iniungendis ; non tamen generatim a specialissime reservatis, nec absolvendi complicem.

3) *Absolvendi omnes*, etiam religiosas ; unde istae habent facultatem ex approbatis pro utroque sexu sibi eligendi confessarium in ordine ad iubilaeum lucrandum.

4) *Dispensandi a quibusdam irregularitatibus* occultis sed quoad ordines *susceptos*.

5) *Commutandi dispensando* ex iusta causa *in votis privatis* etiam iuratis ; non tamen in votis religiosis, aut a tertio acceptatis nisi iste renuntiet, nec in poenalibus nisi aliud imponendo quod aeque periculum arceat peccandi.

6) *Dispensandi*, sed in foro interno tantum, *a quibusdam impedimentis occultis*, ut consanguinitatis tertii aut secundi gradus collateralis, etiam attingentis primum, quae ex generatione illicita proveniat, sed in ordine ad matrimonium *contractum convalidandum;* vel criminis absque machinatione, etiam ad matrimonium *contrahendum*.

Facultates possunt esse strictiores aut latiores, de quibus proinde semper spectanda est Bulla iubilaei. Ampliores autem conceduntur Poenitentiariis maioribus in quatuor Basilicis romanis.

Facultatibus confessarii gaudent solum in ordine ad iubilaeum lucrandum et in foro interno tantum ; et quidem solum in actu confessionis, nisi aliter expresse notetur. Qui bonam confessionem ex intentione iubilaei instituit, alia opera vero postea non implet et iubilaeum non lucratur, manet valide absolutus aut dispensatus, sed de se peccat ad minus venialiter. Qui autem sacrilege confessus est nec absolutus nec dispensatus valide fuit.

C. *Suspensio gratiarum*, i.e. specialium facultatum et *privilegiorum* ac *indulgentiarum pontificiarum pro vivis*, solet extra Urbem fieri durante iubilaeo ut fideles illud lucrari curarent. Excipi tamen solent :

1) indulgentiae pro defunctis, imo illae quae alias pro vivis conceduntur, durante iubilaeo, defunctis applicari possunt ;

2) indulgentia in articulo mortis ;

3) indulgentiae concessae pro oratione *Angelus Domini* ad campanae pulsum ;

4) indulgentiae pro visitatione ss. Sacramenti per XL horas expositi, sicut pro eius comitatu cum ad aegrotos defertur vel pro cereo ad hoc misso per alios deferendo ;

5) indulgentia Portiunculae, sed Assisii lucranda.

Et quandoque sunt aliae quae in Bulla recensentur.

Facultates ex gratia aut privilegio concessae suspendi solent : absolvendi a peccatis et censuris reservatis, relaxandi censuras, vota commutandi et in eis dispensandi, dispensandi ab irregularitatibus et impedimentis canonicis. Nec facultates confessariorum in foro interno semper suspenduntur quantum ad poenitentes qui Urbem adire non possunt. In hac re tamen pro diversis iubilaeis potest esse diversitas, unde certam regulam non praebet nisi Bulla indicans iubilaeum et determinans praescriptiones.

Animadversio.— Quibusdam fidelium categoriis quae in impossibilitate versantur adeundi Urbem, concedi solet ut iam durante anno sancto iubilaeum lucrentur : ita omnes religiosae et piae feminae vitam communem agentes et conviventes mulieres et puellae ; anachoretae qui in continua clausura et solitudine vivunt, regularem Ordinem profitentes ; captivi, carceribus detenti, exilii vel deportationis poenam luentes ; infirmi, atque senes qui 70ᵐ annum compleverint ; operarii quotidiano sibi victum labore comparantes si iter romanum instituere impediantur ; et forsan alii si in Bulla indicentur.

Qui autem anno sancto lucrati sunt iubilaeum, illud rursus lucrari possunt si anno sequenti ad universum orbem extenditur.

Articulus III.

De Censuris.

S. Th., Suppl. q. 21-24.

681. Censura est sententia censoris deputati ad corrigendos mores, in sermone autem canonico non tam est ipsa sententia, quam poena peccatoribus inflicta. Usu iam recepto nunc bicitur exclusive de poena medicinali, nullatenus de vindicativa. Definiri potest : poena ecclesiastica medicinalis qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec a contumacia recedens absolvatur (can. 2241, § 1). Potest esse *a iure* vel *ab homine; ferendae* aut *latae sententiae; reservata* aut *non reservata*.

Censura 1) est poena *ecclesiastica*, ergo privat bonis de quibus Ecclesia disponere potest, uti sunt administratio et susceptio sacramentorum, suffragia communia et indulgentiae, exercitium Ordinum, sepultura

ecclesiastica, officia, beneficia et eorum reditus ; non autem bonis quae immediate a Christo procedunt, uti sunt character sacramentalis et potestas Ordinis, gratia, virtutes, nec bonis quae proveniunt a singulis fidelibus uti sunt opera bona et orationes privatae ; — 2) est poena *medicinalis* ad emendationem scil. peccatoris primario ordinata, unde nequit ferri in delictum mere praeteritum quod non habet tractum successivum aut quod iam emendatum est, nec ad determinatum tempus aut in perpetuum, sed quando emendatio delinquentis est obtenta, absolutio a censura dari *debet* (can. 2248, § 2) ; — 3) est poena quae *supponit contumaciam*, unde nequit ferri nisi praecesserit *monitio*, secus abesse censetur contumacia : monitio autem alia est *legalis* quae fit ab ipsa lege pro censuris latae sententiae, alia *personalis* seu *canonica* quae fit ab homine, et potest esse repetita cum intervallo aut una peremptoria, secundum prudens superioris arbitrium, pro censuris ferendae sententiae (can. 2242, § 2 ; 2233, § 2 ; 2309) ; quodsi praeceptum particulare iam communitum erat censura ferendae sententiae, statim post delictum comprobatum haec infligi poterit (com. int. 14 iul. 1922).

A. *Potestas ferendi censuras* implicite includitur in universali potestate ligandi quae pertinet ad claves iuxta Mt. XVI, 19, imo pro excommunicatione innuitur Mt. XVIII, 17 ; patet autem ex constanti Ecclesiae praxi, ex Conc. Const[1]., sess. 8, n. 30 contra Wicleff, et sess. 15, n. 19 contra Hus. *Ordinaria* potestate censuras ferre possunt generatim omnes qui habent ordinariam potestatem iurisdictionis in foro externo, quia pertinet ad externum Ecclesiae regimen, scil. S. Pontifex per se vel per Congregationes et Tribunalia romana ; Concilium oecumenicum ; episcopus et vicarius capitularis, non tamen vicarius generalis ; Concilium particulare ; vicarius et praefectus apostolicus ; abbas et praelatus nullius ; superior maior religionis clericalis exemptae secundum statuta, et capitulum generale (can. 2220), non vero parochi ;— *delegata* vero potestate omnes clerici quibus commissum est ab iis qui habent potestatem ordinariam.

B. *Subiectum censurae* est homo baptizatus, viator, et subditus ei qui censuram fert (can. 2226), rationis compos dolique capax (can. 2200-01), imo pubes (habens annos 14, etiam *probabiliter* si sit femina) iuxta vigentem disciplinam pro poenis latae sententiae (can. 2230).

Hinc *censurae sunt incapaces :* non baptizati, pueri et qui privantur usu rationis, mortui, et S. Pontifex utpote superiorem in terris non habens nullique subditus.

Notetur episcopos, extra dioecesim, in subditos posse censuras ferre per modum praecepti particularis, non autem per modum sententiae iudicialis ; in dioecesi etiam in peregrinos ibi delinquentes, sed generatim tantum per sententiam particularem, quia non ligantur censuris territorialibus, at peregrinus delinquens solet denuntiari proprio superiori ut ab eo puniatur ; — metropolitam autem in dioecesis suffraganeis posse censuras ferre tempore canonicae visitationis iuxta can. 274, 5°. — E contra, poena nonnisi a S. Pontifice infligi aut declarari potest in eos qui supremum tenent populorum principatum horumque filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum ; et nisi expresse nominentur, Cardinales sub lege poenali non comprehenduntur, nec episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti (can. 2227).

Potest aliquis *plures incurrere censuras*, quia pluribus vinculis ligari et iisdem bonis privari potest pluribus titulis ; multiplicantur scil. censurae pro diversitate, aut multiplicatione actuum aut poenarum. Unde can. 2244 : « 1. Non solum diversae, sed etiam eiusdem speciei censura potest in eodem subiecto multiplicari. — 2. Censura latae sententiae multiplicatur : a) si diversa delicta, quorum singula censuram secum ferunt, eadem vel distincta actione committantur ; b) si idem delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta ; c) si delictum, diversis censuris a distinctis superioribus punitum, semel aut pluries committatur. — 3. Censura ab homine multiplicatur, si plura praecepta,vel plures sententiae, vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant ».

C. *Obiectum seu materia censurae* est delictum externum, grave, consummatum in suo genere nec mere attentatum, cum contumacia coniunctum seu contemptu saltem virtuali censurae ; potest autem ferri censura etiam in delinquentes ignotos (can. 2242, § 1).

Ab ipsa censura excusant : nullitas censurae sive ob defectum iurisdictionis, sive ob defectum substantialem ordinis iuridici, sive ob defectum iustae causae scil. non probatae aut non verae ; — defectus ex parte peccati ; — impotentia physica et moralis observandi legem ; — metus gravis, nisi delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum ; — ignorantia, nunquam tamen affectata, nec crassa nisi lex requirat praesumptionem, perfectam scientiam aut temeritatem (can. 2205 et 2229).

Ab effectibus censurae excusant ante sententiam iudicis : gravis infamia (can. 2232, § 1), grave scandalum, et grave damnum proportionatum observationi censurae extrinsecum.

D. *Absolutio a censuris* necessaria est ad eas tollendas (can. 2248, § 1), unde mortui ab iis absolvuntur si cum poenitentiae signis decesserint, ut suffragia et sepultura ecclesiastica ipsis concedantur.

Iamvero, iuxta can. 2253, possunt absolvere :

1° A censura *non reservata*, in foro sacramentali quilibet confessarius ; extra forum sacramentale quicumque iurisdictionem in foro externo habeat in reum.

2° A censura *ab homine*, ille cui censura reservata est ad normam can. 2245, § 2, scil. qui eam inflixit, aut sententiam tulit, eiusve superior competens vel successor aut delegatus ; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit.

Ab homine est si feratur per modum *praecepti peculiaris* vel per *sententiam* iudicialem *condemnatoriam*, etsi in iure statuta ; quare poena ferendae sententiae, legi addita, ante sententiam condemnatoriam est a iure tantum, postea a iure simul et ab homine, sed consideratur tamquam ab homine (can. 2217, § 1, 3°).

3° A censura *a iure reservata*, ille qui censuram constituit vel cui reservata est, eorumque successores aut competentes superiores aut delegati.

Quandonam confessarius possit absolvere a reservatis declaratum fuit n. 597, C.

Conditiones ad absolvendum sunt : a) ex parte absolventis, potestas legitima et libera voluntas a vi et metu gravi iniuste extorquente immunis (can. 2238); b) ex parte absolvendi : ut sit subditus, absolutionem petat saltem regulariter, et firmiter promittat se velle exequi mandata Ecclesiae de satisfactione et emendatione; c) ex parte delicti, ut pro posse satisfiat personae laesae, scandalum reparetur, et imponatur salutaris poenitentia praeter poenitentiam sacramentalem.

Notetur : a) Absolutionem dari posse in foro interno et in foro externo. In foro externo data, valet etiam in foro interno, unde si quis a censura reservata fuit absolutus, peccatum non amplius est reservatum. Absolutio in foro interno de se non valet in foro externo ; at remoto scandalo, potest absolutus uti talem se habere etiam in actibus fori externi ; sed, nisi concessio absolutionis probetur, aut legitime praesumatur in foro externo, censura potest a superioribus fori externi, quibus reus parere

debet, urgeri, donec absolutio in eodem foro habita fuerit (can. 2251).
b) Absolvi posse ab una censura et non ab alia (can. 2249, § 1).
c) Quandoque solum absolvi ab aliquo censurae effectu : tunc manet censura sed tollitur effectus.
d) Absolutio censurae etiam dari potest absenti, vel et scripto (can. 2239).
e) Absolutio in foro sacramentali continetur in consueta formula absolutionis peccatorum ; in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhibere convenit in Rituali traditam (can. 2250, § 3).

E. *Triplex est species censurae : excommunicatio, suspensio et interdictum.* Nam in republica bene constituta est potestas quosdam sibi noxios excludendi a suo corpore sociali, alios male administrantes suspendendi ab officio suo, aliis interdicendi certos actus et functiones ; ergo et in Ecclesia quae a Christo constituta est ut societas perfecta.
Secundum can. 2255 : a) « excommunicatio afficere potest tantum personas physicas et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint ; interdictum et suspensio, etiam communitatem, ut personam moralem ;
b) excommunicatio et interdictum, etiam laicos ; suspensio, clericos tantum ; interdictum, etiam locum ;
c) excommunicatio est semper censura ; interdictum et suspensio possunt esse vel censurae vel poenae vindicativae, sed in dubio praesumuntur censurae ».
Gravior est excommunicatio, quia maioribus et pluribus bonis privat.

682. Excommunicatio (*Kerkban*) est censura qua quis excluditur ab ecclesiastica communione fidelium cum effectibus qui in iure enumerantur quique ab ipsa separari nequeunt (can. 2257, § 1) ; solemniter inflicta speciali nomine vocatur *anathema* (*banvloek*). Olim, ait Prümmer, Th. M. III, n. 499, distinguebatur maior seu perfecta ; et minor quae solum privabat a receptione sacramentorum et electione passiva ad beneficia, sed haec non amplius existit saltem tamquam censura a iure ipso inflicta. Excommunicatio maior aut delinquentem relinquit *toleratum*, aut reddit *vitandum;* toleratus autem vel est simpliciter talis, vel sententia declaratoria aut condemnatoria damnatus. Iuxta vigentem disciplinam, nemo est vitandus, nisi a) fuerit nominatim a Sede apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata,et in decreto vel sententia dicatur ipsum vitari debere (can. 2258) ; vel b) nisi violentas manus in personam S. Pontificis iniecerit, quo casu est ipso facto vitandus (can. 2343, § 1, n. 1).

A. *Effectus* excommunicationis est privare :
1° iure assistendi divinis officiis, excepta praedicatione, et quidem ita ut vitandus sit expellendus aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo ; ab assistentia vero activa, quae aliquam secumferat participationem in celebrandis divinis officiis, repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus (can. 2259) ;
2° licita receptione sacramentorum et, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, etiam sacramentalium (can. 2260, § 1) ;
3° licita confectione et administratione sacramentorum et sacramentalium, nisi simpliciter toleratus sit a fidelibus rogatus ; at ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis, postquam intercesserit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem, tum etiam, si alii desint ministri, cetera sacramenta et sacramentalia (can. 2261) ;

4° suffragiis communibus, indulgentiis, publicis Ecclesiae precibus; — non tamen privatis fidelium orationibus, unde possunt sacerdotes, privatim ac remoto scandalo, missam pro excommunicato applicare, sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum (can. 2262) ;
5° sepultura ecclesiastica post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (can. 1240, § 1) ;
6° ab actibus legitimis ecclesiasticis exercendis v. g. a munere patrini, et a muneribus ecclesiasticis fungendis concessisque antea privilegiis fruendis (can. 2263) ;
7° ab actibus iurisdictionis tam fori externi quam interni exercendis, et quidem ita ut si lata fuerit sententia condemnatoria vel declaratoria, etiam invalidi sint, praeter casum periculi mortis de quo sub 3°, secus sunt validi, imo liciti si a fidelibus petantur (can. 2264) ;
8° promotione ad ordines ; — imo iure eligendi, praesentandi, nominandi atque consecutione dignitatis, officii, beneficii, pensionis ecclesiasticae aliusve muneris in Ecclesia, ita ut actus positus sit nullus si ab excommunicato ponatur vitando vel ab alio post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Quo casu nec poterit ordinario gratiam ullam pontificiam valide consequi atque manet privatus fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis vel muneris quod in Ecclesia habet ; vitandus autem ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione vel munere (can. 2265-66).
Notetur : a) *Communionem in profanis* cum excommunicato vitando fideles vitare debent, nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis adsit causa (can. 2267).
b) *Irregularis ex delicto* est excommunicatus qui culpabiliter actum ordinis clericis in ordine sacro constitutis reservatum ponit (can.985,7°).
c) Si obdurato animo per annum insorduerit in excommunicatione, est de *haeresi suspectus* (can. 2340, § 1).

B. *Excommunicationem latae sententiae ex iure communi incurrunt :*

a) *Specialissime S. Sedi reservatam :*

1. Qui species consecratas *abiecerint* vel ad *malum* finem abduxerint aut retinuerint (can. 2320).
Abiicere i. e. ut rem vituperabilem aut nullius pretii proiicere vel disperdere, non autem supra mensam, ne perderentur, accurate deponere, aut in tabernaculo recondere, nec solum profanare iam abductas aut retentas. Huius criminis reus insuper est *a*) suspectus de haeresi, *b*) infamis ipso iure, *c*) deponendus, si clericus.
2. Qui violentas manus in personam S. Pontificis iniecerint (can. 2343, § 1).
Violentia illa intelligenda est gravis iniuria realis (non verbalis) qua laeditur personae corpus vel libertas vel dignitas. Huius criminis reus insuper est *a*) ipso facto vitandus, *b*) infamis ipso iure, *c*) degradandus, si clericus.
3. Reus absolutionis complicis in peccato turpi (can. 2367), eo modo quo dictum est supra, n. 636.
4. Confessarius qui sigillum sacramentale *directe* violare *praesumpserit* (can. 2369), de quo dictum est n. 626 et 630, n. 1.
Praedicti quatuor canones etiam valent pro Ecclesia Orientali.
5. Violantes secretum S. Officii de informationibus candidatorum ad episcopatum requisitis (S. C. C., 24 apr. 1917 ; cfr. can. 239, § 1, 1°).
6. Qui in conclavi partem habentes, directe vel indirecte secretum violaverint in iis quae spectant ad electionem S. Pontificis et quae in conclavi seu in loco electionis peraguntur (can. 2330, et Pius X, const. *Vacante*, 25 dec. 1904).
Reservationem specialissimam a S. Poenitentiaria exclusive absolvendam nuperrime incurrunt : sacerdotes matrimonium mere civile attentantes

et cum muliere caste viventes, in ordine ad receptionem sacramentorum more laicorum (S. Poen. 18-28 apr. 1936).

b) *Specialiter reservatam S. Sedi :*

1. Apostatae, haeretici, schismatici (can. 2314), animum suum exterius prodentes.
De hac re diximus I, n. 747, 750 et 956.
2. Suspecti de haeresi si, moniti, post sex menses non se emendent : habeantur scil. tamquam haereciti, haereticorum poenis obnoxii (can. 2315).
De quo vide I, n. 747, not. 1.
3. Opere publici iuris facto, edentes libros apostatarum, haereticorum, schismaticorum qui apostasiam, haeresim aut schisma propugnant, eosdem vel per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut *scienter* sine debita licentia legentes vel retinentes (can. 2318, § 1).
De hac re diximus I, n. 776.
4. Ad sacerdotium non promotus celebrationem missae simulans vel sacramentalem confessionem excipiens (can. 2322). Cfr. n. 90, 1.
5. Omnes appellantes a legibus, decretis, mandatis R. Pontificis pro tempore existentis ad universale Concilium (can. 2332).
6. Impedientes litteras vel acta S. Sedis vel eiusdem legatorum, eorum promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes (can. 2333).
7. Edentes leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae ; aut recurrendo ad laicalem potestatem impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae (can. 2334).
Edentes sunt omnes qui concurrere debent ut lex vel decretum feratur ; non autem actuarii qui mandata exscribunt, nec praecones qui ea evulgant, nec illi qui eiusmodi statuta observari faciunt, vel applicant aut iis utuntur.
8. Ad iudicem laicum trahere *audentes* Cardinalem, Legatum S. S., Officialem maiorem romanae curiae, Ordinarium proprium (can. 2341).
9. Violentas manus iniicientes in cardinalem, legatum S. Pontificis, quemcumque episcopum (can. 2343, § 2 et 3).
10. Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura Ecclesiae romanae (can. 2345).
Usurpare dicuntur qui auctoritative surripiunt et bona occupant tamquam sua, ut gubernatores qui bona aut iura Ecclesiae saecularizant, non qui ea furantur. Detinentes horum bonorum sunt ea ementes vel locantes, aut accipientes, non civiles officiales qui ea mere administrant, quia non pro se detinent.
11. Falsarii litterarum S. Sedis et falsis *scienter* utentes (can. 2360).
12. Falso per se vel per alios denuntians confessarium de sollicitatione, apud superiores (can. 2363), de quo dictum est supra, n. 643, C.

c) *Simpliciter reservatam S. Sedi :*

1. Quaestum facientes ex indulgentiis (can. 2327).
Quaestum faciunt qui pretium quaerunt ex concessione vel publicatione indulgentiarum, etiam si lucrum sit in favorem causae piae. Cui poenae iam subiiciuntur omnes, etiam episcopi.
2. Nomen dantes sectae massonicae aliique eiusdem generis consociationi (can. 2335).
De hac re diximus I, n. 750.
3. Absolvere *praesumentes* sine debita facultate ab excommunicatione

latae sententiae specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservata (can. 2338, § 1), de quo dictum est supra, n. 599, 5.
4. Auxilium vel favorem in delicto impendentes excommunicato vitando, et clerici *scienter et sponte* in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes (can. 2338, § 2), scil. auctoritative.
5. Ad iudicem laicum trahere *audentes* episcopum non proprium, praelatum nullius, superiorem religiosum supremum (can. 2341).
6. Violantes clausuram sive regularium sive monialium, et monalesi e clausura illegitime exeuntes (can. 2342).
7. *Praesumentes* usurpare, per se vel per alios, et in proprios usus convertere bona ecclesiastica, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, aut impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis percipiantur ad quos iure pertinent (can. 2346).
8. Duellantes eorumque complices (can. 2351).
De quo vide II, n. 366.
9. Clerici in sacris et religiosi voto solemni castitatis ligati matrimonium, etiam civiliter tantum, contrahere *praesumentes* eorumque compars (can. 2388) ; non vero merum concubinatum.
Clerici, si moniti non resipuerint, degradentur.
Pro absolutione clericorum in foro externo recurrendum est ad S. Officium ; pro absolutione sacerdotum matrimonium tantum civile attentantium, et cum muliere caste viventium eorumque admissione ad sacramenta mere laicorum, ad S. Poenitentiariam ex decreto 18 apr. 1936, — de quo supra *a*), et n. 597, C, 1º, b).
10. Simoniaci in officiis, beneficiis, dignitatibus eccesiasticis (can. 2392).
De hac re diximus II, n. 809, B. et 815, B.
11. Vicarius capitularis aliive subtrahentes, destruentes, celantes, vel substantialiter immutantes documentum ex curia episcopali (can. 2405).

d) *Ordinario reservatam :*

1. Matrimonium ineuntes coram ministro acatholico, aut illud contrahentes cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam, aut liberos baptizandos scienter offerentes ministro acatholico, vel eos in religione acatholica educandos vel instituendos *scienter* tradentes (can. 2319).
De hac re diximus I, n. 756, et 762.
2. Conficientes, aut *scienter* vendentes, distribuentes, exponentes falsas reliquias (can. 2326).
3. Violentas manus iniicientes in simplices clericos vel religiosos (can. 2343, § 4).
4. Procurantes abortum effectu secuto, matre non excepta (can. 2350). Quod si sint clerici, deponantur.
Abortus non est omnis occisio foetus, qualis est embryotomia, nec partus praematurus foetus vitalis qui extra matrem vivere possit, sed eiectio, de industria et studiose facta, foetus non vitalis, unde mors eius sequi nata est. De quo vide II, n. 363.
5. Religiosus apostata a religione : si religio sit clericalis exempta reservatur excommunicatio proprio superiori maiori ; si laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur (can. 2385).
6. Professi votorum simplicium perpetuorum *praesumentes* matrimonium contrahere etiam civile, eorumque compars (can. 2388, § 2).

e) *Nemini reservatam :*

1. Auctores et editores qui sine debita licentia S. Scripturarum libros vel eorum adnotationes aut commentarios imprimi curant (can. 2318, § 2), de quo dictum est I, n. 776.

2. *Audentes* mandare (auctoritate) seu cogere (vi vel metu) tradi sepulturae ecclesiasticae infideles, apostatas, acatholicos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos cum sententia condemnatoria vel declaratoria (can. 2339).

Canonem quidam intelligunt de cadaveris translatione ad ecclesiam, exequiis super illud celebratis, et dispositione in loco fidelibus legitime deputato; alii de sola inhumatione in loco sacro : hac sola data, secundum priores non incurritur excommunicatio, sed ista interpretatio non est conformis iuri antiquo.

3. Bona ecclesiastica alienare *praesumentes*, aut in iis alienandis consensum praebentes, beneplacito apostolico *scienter* praetermisso, si sint pretiosa, aut excedentia valorem 30.000 fr. (can. 2347, 3°), secundum aestimationem a probis factam, non vero secundum pretium publica licitatione obtentum (c. int. 20 iul. 1929).

Hanc summam plures intelligunt de valore aureo ob incertitudinem valoris; sed haec ratio non videtur valere in regionibus ubi pecunia iam est stabilita.

4. Omnes cogentes (physica vi vel morali v. g. metu, minis, mandato, etc.) ad amplectendum statum clericalem vel religiosum (can. 2352).

Ad censuram incurrendem, iuxta canonem, requiritur aut ingressus in statum clericalem receptione tonsurae, aut ingressus in noviciatum, aut emissio religiosae professionis, sive solemnis, sive simplex non solum temporanea, sed etiam perpetua.

5. *Scienter* omittens denuntiare confessarium a quo sollicitus fuerit (can. 2368), de quo dictum est n. 643, B.

Etiam a censuris nemini reservatis nemo absolvi potest nisi obligationi satisfecerit vel se impleturum serio promiserit.

683. Suspensio (*schorsing*) est *censura* qua *clericus* privatur exercitio seu *usu* cuiusdam potestatis seu functionis quae ipsi competit ratione ordinis, officii vel beneficii ; seu « qua clericus officio vel beneficio vel utroque *prohibetur* » (can. 2278).

Potest etiam non esse censura, sed poena vindicativa, vel et poenitentia quaedam aut mera prohibitio exercendi officium ; non est censura si in perpetuum feratur, vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum superioris (can. 2298, 2°), at in dubio utrum sit censura vel alia poena, praesumitur esse censura (can. 2255, § 2). Pro delicto occulto etiam ferri potest ex informata conscientia, sed id Ordinario non licet si potest sine gravi incommodo ad iuris normam in subditum procedere (can. 2186); casu quo ex informata conscientia feratur, generatim est poena vindicativa, quamvis etiam possit esse censura (cfr. can. 2188).

Suspensio alia est *generalis* vel *specialis* prout omni usu privat tum ordinis, tum officii, tum beneficii, — vel solum usu alicuius ex istis ; haec rursus est *totalis* vel *partialis* prout omni usu privat ordinis, officii aut beneficii, vel solum usu partiali, qualis est suspensio a divinis, a confessionibus, ab ordine pontificali aut a pontificalibus (cfr. can. 2279).

A. *Effectus*. Suspensus non prohibetur sacramenta suscipere, dummodo sincere doleat de peccatis ; sed

1) *graviter peccat* qui sine causa gravi excusante, actum sibi prohibitum exercet ; quod tamen peccatum admittit materiae levitatem, v. g. in mero exercitio ordinis minoris ;

2) *ab ordine suspensus* et culpabiliter violans suspensionem exercitio ordinis sacri fit irregularis (can. 985, 7°) ;

3) *suspensus mere toleratus* valide exercet iurisdictionem, illicite tamen nisi sit requisitus ; post sententiam condemnatoriam aut declaratoriam, etiam *invalide* (can. 2284) ;

4) *ab officio suspensus* simpliciter et absolute, usu quoque privatur

ordinis sicut iurisdictionis : suspensio scil. ab officio suspensionem ab ordine includit (can. 2279, § 1) ;

5) *quilibet suspensus* prohibetur iure eligendi, praesentandi, nominandi ; nequit consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia, nec promoveri potest ad ordines (can. 2283), eodem modo ac dictum est de excommunicatis (can. 2265);

6) *suspensus a beneficio* qui fructus beneficiales usurpat, ad *restitutionem* obligatur etiam ante sententiam iudicis, et ad eam potest etiam cogi canonicis poenis ; potest nihilominus in aedibus beneficii habitare, atque, nisi aliud expresse dicatur, huius bona administrare (can. 2280).

Notetur ex can. 2285 : si *communitas* seu collegium clericorum delictum commiserit, suspensio ferri potest vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem uti talem, vel in personas delinquentes et communitatem. Si primum, valent supra dicta ; si alterum, communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium quae ipsi, ut communitati, competunt ; si tertium, effectus cumulantur.

B. *Suspensiones latae sententiae hodie vigentes* sunt :

a) *Censurae S. Sedi reservatae :*

1. *Suspensionem* incurrunt clerici simoniace ordinationem aliaque sacramenta dantes aut recipientes (can. 2371).

2. *Suspensionem a divinis* contrahunt qui ordines recipere *praesumunt* ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico vel schismatico (can. 2372) ; item sacerdotes qui sine debita licentia et litteris discessorialibus, temere arroganterque ex Europa vel mediterranei oris ad Americam vel ad insulas Philippinas demigraverint (S. C. Consist. 30 dec. 1918).

3. *Suspensioni* clericus religiosus in sacris, dimissus ob delicta ad normam iuris, ipso facto subiacet, donec a S. Sede absolutionem obtinuerit (can. 670-671).

b) *Ordinario loci reservata :*

Suspensionem ab officio incurrit clericus qui ausus fuerit ad iudicem laicalem trahere, non obtenta Ordinarii licentia, aliam personam ecclesiasticam quae non sit in maiori dignitate constituta (can. 2341).

c) *Superiori maiori religioso reservata :*

Suspensionem incurrit religiosus fugitivus si sit in sacris (can. 2386) ; fugitivus ille est qui ex domo religiosa discedit cum intentione ad tempus vivendi extra religiosam obedientiam, postea vero redeundi.

d) *Non reservatae :*

1. Sacerdos qui *sine necessaria iurisdictione praesumpserit* sacramentales *confessiones audire*, est ipso facto suspensus *a divinis;* qui vero *a peccatis reservatis absolvere*, ipso facto suspensus est *ab audiendis confessionibus* (can. 2366).

2. Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum *ad ordines malitiose accesserit*, est ipso facto *a recepto ordine* suspensus (can. 2374).

3. Clericus qui *in manus laicorum* officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam *resignare praesumpserit*, ipso facto in suspensionem *a divinis* incurrit (can. 2400).

4. *Vicarius capitularis* illegitime concedens *litteras dimissorias pro ordinatione*, ipso facto subiacet suspensioni *a divinis* (can. 2409).

5. *Abbas vel Praelatus nullius* qui *benedictionem intra tres menses* a

receptis litteris apostolicis cessante legitimo impedimento *non recepit*, est ipso facto *a iurisdictione* suspensus (can. 2402).

e) Tamquam *poenae vindicativae :*

1. Ipso iure *suspensi* sunt episcopus episcopum sine mandato apostolico consecrans, eiusque assistentes, atque consecrationem recipiens, *donec Sedes apostolica eos dispensaverit* (can. 2370).

2. *Suspensi* sunt religiosi in ordinibus maioribus constituti, quorum professio ob admissum ab ipsis dolum nulla fuerit declarata : *donec Sedi apostolicae aliter visum fuerit* (can. 2387).

3. *In suspensionem per annum ab ordinum collatione* ipso facto incurrunt qui ordines conferunt sine requisitis litteris testimonialibus, aut titulo canonico, aut licentiis necessariis in ordinatione religiosorum (can. 2373).

4. *Superiores religiosi* qui illegitime *subditos suos ad episcopum alienum ordinandos* remittere *praesumpserint*, ipso facto suspensi sunt *per mensem a celebratione missae* (can. 2410).

5. Capitula conventus aliique electos, praesentatos vel nominatos ad beneficium, officium vel dignitatem ecclesiasticam ante litterarum exhibitionem admittentes,ipso facto *a iure eligendi,nominandi vel praesentandi* suspensi maneant *ad beneplacitum Sedis apostolicae* (can. 2394, 3°).

C. *Cessatio suspensionis.* 1. Suspensio lata *ut censura* tollitur solum *legitima absolutione.*

2. Suspensio quae est poena *vindicativa* aufertur *dispensatione* legitimi superioris, vel *lapsu temporis* si ad tempus sit inflicta ; quod si fuerit ex informata conscientia, etiam cessat morte praelati qui eam tulit, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerit (can. 24).

684. Interdictum (*ontzegging*) est *censura* qua *fideles*, in communione cum Ecclesia permanentes, *prohibentur usu* quorumdam sacrorum quae in iure enumerantur (can. 2268, § 1). Aliud est *directum* seu *personale* quo immediate personis ipsis usus eorum bonorum interdicitur ubique ; aliud *indirectum* seu *locale*, quo certis in locis eorumdem dispensatio vel perceptio vetatur (ib., § 2), ita ut immediate afficiat locum, mediate personas ibi degentes etiam exteros et exemptos. Est autem *generale*, si afficit integrum territorium vel universum populum aut totam civitatem ; vel *particulare*, si afficit determinatam partem alicuius loci vel populi, v. g. conventum, ecclesiam aut altare. Item est *totale* quod causat omnes effectus interdicti proprios ; vel *partiale* quod non prohibet nisi quasdam res sacras.

Notetur a) interdictum generale in integrum territorium vel in universum populum rei publicae aut dioecesis ferri tantum posse a S. Sede vel de eius mandato ; alia interdicta etiam ab episcopo (can. 2269, § 1) ; b) interdictum etiam infligi posse ut poenam vindicativam (can. 2255, § 2).

A. *Effectus.* 1. Interdictum afficit *personaliter* eos, qui eius causam dederunt (2338, § 4) ; reliqui vero versantes in loco interdicti debent quidem illud observare, sed possunt sacramenta suscipere sine absolutione ab interdicto, et extra hunc locum prorsus liberi sunt (can. 2269, § 2 et 2276).

2. Interdictum *locale generale* in loco interdicto prohibet *generatim* divina officia et ritus sacros, omnemque solemnitatem, cantum, pompam in sacra supellectili, sonitum campanarum, organorum aliorumve instrumentorum musicalium (can. 2270, § 1 et 2271). Attamen :

a) In 5 festis, Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis

Christi et Assumptionis B. V., interdictum locale suspenditur, et prohibetur tantum collatio ordinum et solemnis nuptiarum benedictio (can. 2270, § 2).

b) Clerici non *personaliter* interdicti possunt omnia officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio obire *privatim* i. e. ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis (can. 2271, 1°).

c) In ecclesia cathedrali, ecclesiis paroecialibus, vel in ecclesia quae unica sit in oppido, permittuntur unius missae celebratio, asservatio ss. Sacramenti, administratio Baptismatis, Eucharistiae, Poenitentiae, assistentia matrimoniis exclusa benedictione nuptiali ; mortuorum exequiae absque quavis solemnitate, benedictio baptismalis et s. oleorum, praedicatio verbi Dei. Item s. Viaticum ad infirmos deferri potest sed *privatim* (can. 2271, 2°).

3. In interdicto *locali particulari :* a) si interdictum fuerit *altare* vel *sacellum* alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebrari potest ; — b) si interdictum fuerit *coemeterium*, fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine omni ecclesiastico ritu ; — c) si latum fuerit in *ecclesiam* (vel *oratorium*) quae sit *capitularis* nec interdictum sit capitulum, clericis ibidem permittitur ac dictum est sub 2, b ; nisi interdicti decretum praecipiat missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia vel oratorio ; — d) si latum fuerit in *ecclesiam* (vel oratorium) quae sit *paroecialis*, valent dicta sub 2, c ; nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem substituat (can. 2272).

Notetur ex can. 2273 : Interdicta civitate, interdicta manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis ; interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium ; interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta.

4. Interdictum *personale* prohibet interdictis : a) ne divina officia celebrent, nec iis, praedicatione excepta, assistant : ita tamen quod passive assistentes non sint expellendi, sed ab activa assistentia, quae aliquam secumferat participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur post sententiam aut alioquin notorie interdicti ; — b) ne sacramenta et sacramentalia ministrent, conficiant et recipiant, sicut de excommunicatis dictum est ; — c) a sepultura ecclesiastica, si intercesserit sententia ; — d) a iure eligendi, praesentandi nominandi, a consecutione muneris in Ecclesia et a promotione ad ordines, sicut dictum est de excommunicatis (can. 2275).

5. *Interdictum in communitatem seu collegium* ferri potest vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem ut talem, vel in personas delinquentes et in communitatem. Si primum, servetur quod dictum est sub 4 ; si alterum, communitas seu collegium nequit ius ullum spirituale exercere quod ei competat ; si tertium, effectus cumulantur (can. 2274).

Qui autem causam dederunt interdicto, sunt ipso facto *personaliter* interdicti (can. 2338, § 4).

6. *Interdictum ab ingressu ecclesiae* secumfert prohibitionem ne quis in ecclesia divina officia celebret vel eisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat ; si autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur (can. 2277). Potest etiam privatim orare in ecclesia.

7. Qui violant interdictum peccant graviter ; clerici autem illicite exercentes sacrum ordinem fiunt irregulares, can. 985, 7°.

B. *Interdicta latae sententiae iure communi hodie vigentia* sunt quatuor,

quorum primum est speciali modo S. Sedi reservatum, alterum Ordinario, tertium iudici qui sententiam tulit, quartum nemini.

1. Universitates, collegia, capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis R. Pontificis pro tempore existentis ad universale Concilium appellantes, *interdictum speciali modo Sedi apostolicae reservatum* incurrunt (can. 2332).

2. Sponte dantes sepulturam ecclesiasticam infidelibus, apostatis a fide, haereticis, schismaticis aliisve excommunicatis aut interdictis, contrahunt *interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum* (can. 2339).

3. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, *interdictum ab ingressu ecclesiae* ipso iure contrahunt, donec, *arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint* (can. 2338, § 3).

4. Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem, sunt ipso facto personaliter interdicti (can. 2338, § 4).

C. *Cessatio interdicti.* Interdictum latum *in vindictam* cessat ad arbitrium praelati ferentis, i.e. vel dispensatione, vel lapsu temporis determinati. Interdictum latum *per modum censurae* non cessat nisi per absolutionem habentis potestatem.

Animadvertit Aertnijs-Damen, Th. M. II, n. 1038, in facultate confessario concessa, absolvendi a censuris in foro sacramentali non comprehendi facultatem absolvendi ab interdicto *locali* sive generali sive particulari, vel a *personali generali :* huic enim foro nec locus nec communitas subiicitur ; — e contra interdictum personale particulare.

TRACTATUS

DE EXTREMA UNCTIONE.

INTRODUCTIO.

685. Quintum sacramentum est Extremae Unctionis. — Sicut in vita corporali, praeter remedium quod ab aegritudine lethali sanat, requiritur aliud quod sanitatem perfecte restituat et vires totaliter reddat ; ita in vita spirituali, praeter Poenitentiam quae a morbo lethalis peccati liberat, aliud requiritur sacramentale remedium quod perfecte sanet cunctasque peccati reliquias tollat. Hoc est sacramentum *Extremae Unctionis*, quod proinde est quasi Poenitentiae complementum, et ad illam fere se habet sicut Confirmatio ad Baptismum ; imo « est ultimum et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad percipiendam gloriam praeparatur ; unde et extrema unctio nuncupatur ». Ita S. Thomas, c. Gent. IV, 73.

Nomen itaque desumptum est ex eo quod sit ultima in vita unctio quae post alias omnes administrari debet infirmis vita periclitantibus. Vocatur etiam *sanctum oleum (heilig Oliesel), oleum infirmorum, sacramentum exeuntium ;* graece εὐχέλαιον i. e. oratio cum oleo, ἅγιον ἔλαιον seu oleum sanctum.

686. Extrema Unctio definitur : *Sacramentum N. L., in quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis, infirmis adultis vita periclitantibus confertur alleviatio animae et corporis ;* seu quod infirmis datur ad salutem animae et corporis.

In qua definitione indicantur 1) materia : unctio olei benedicti ; 2) forma : oratio ; 3) minister : sacerdos ; 4) subiectum : infirmus adultus vita periclitans ; 5) effectus : alleviatio conferens ad salutem animae et corporis

687. Divisio tractatus. — Tractatus dividitur in quatuor quaestiones[1] :

1° De ipso Extremae Unctionis sacramento : a) de eius institutione ; b) de eius partibus constitutivis seu de materia et forma.

2° De effectibus Extremae Unctionis.

3° De ministro Extremae Unctionis.

4° De subiecto Extremae Unctionis.

Accedit appendix de benedictione apostolica moribundis impertienda.

QUAESTIO PRIMA.

DE IPSO SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS

Articulus I.

De Institutione Sacramenti.

S. Th., Suppl. q. 29, a. 1-3.

688. Status quaestionis. — Novatores unctioni infirmorum dignitatem sacramenti expresse denegarunt ; quam contra eos vindicavit et de fide ab omnibus credendam definivit Conc. Trid., sess. 14 de E. U., can. 1.

Iam olim Waldenses et Wicleffitae videntur hoc sacramentum neglexisse vel contempsisse. Lutherus vero negavit esse sacramentum, sed retinuit unctionem ut ritum sacramentalibus similem. Calvinus illum putat fuisse olim charisma, nunc vero prorsus inutilem esse ac histrionicam redolere hypocrisim. Hodierni Protestantes omnes, Ritualistis ut plurimum exceptis, virtutem sacramenti omnino negant, et verba S. Iacobi, V, 14-15, intelligunt de dono sanandi morbos corporales quo plures eo tempore gaudebant. Protestantes liberales et Modernistae asserunt morem Iudaeorum, qui oleo utebantur ad vulnera sananda, a Christianis in pium usum fuisse adoptatum et nonnisi lente in

1. De Extrema Unctione utiliter conferri possunt : S. Thomas, in Suppl. q. 29-33 cum commentatoribus, inter quos Billuart ; inter dogmaticos : Billot, Hugon, Tanquerey, Van Noort-Verhaar ; Heimbucher, *Die H. Oelung ;* Schmitz, *De Effectibus extremae unctionis ;* Kern, *De Sacramento Extremae Unctionis ;* Chardon, *Histoire des Sacrements ;* Bord, *L'Extrême-Onction ;* Ruch et Godefroy, in *Dict. de Théol. ;* de Guibert, in *Dict. Apol. ;* Theologia Mechliniensis, *De Extrema Unctione,* curante Gougnard ; A. Janssens, *Het H. Oliesel ;* Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis,* II, p. 11 ; et manualia moralia omnibus nota.

symbolum gratiae transformatum. Huc spectat Modernistarum prop. 48ª : « Iacobus in sua epistola non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit eo rigore quo acceperunt theologi qui notionem et numerum sacramentorum instituerunt ».

689. *Thesis.* **Est in Ecclesia verum et proprie dictum sacramentum, a Christo Domino institutum et ab Apostolis promulgatum, infirmis unctione extrema praebendum.** — Est de fide ex C. Trid., sess. 14 de E.U., c. 1, et can. 1 et 3 ; quod ita prof. fid. in C. Lugd. emissam confirmat atque Conc. Flor. doctrinam.

Probatur : A. *Ex Scripturis,* in quibus hoc sacramentum:

1) Est *insinuatum* et *quasi praemonstratum,* Mc. VI, 12-13 : *Exeuntes praedicabant ut poenitentiam agerent ; et daemonia multa eiiciebant, et ungebant oleo multos aegros, et sanabant.*

Ubi solus effectus sanitatis corporalis unctioni tribuitur et potestati Apostolorum ; quia tamen haec potestas ordinabatur ad sanitatem animarum et regnum Dei, insinuabat sacramentalem unctionem instituendam ad salutem animae et corporis.

2) Etiam *expresse promulgatum* et *fidelibus commendatum,* Iac. V, 14-15 : *Infirmatur quis in vobis ? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei.*

Quibus indicatur a) *signum sensibile,* scil. materia et forma : unctio cum oleo et oratio fidei ; b) *a Christo Domino institutum :* in nomine, i. e. iussu et auctoritate, Domini scil. Iesu (I, 1 ; II, 1 ; V, 7, 8) ; c) *conferens gratiam ex opere operato :* oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus, quae posito signo obtinentur nec de solo corpore sunt intelligenda sed etiam de animae salute (I, 21 ; II, 14 ; IV, 12 ; V, 20) et alleviatione, praesertim cum additur : si in peccatis sit, remittentur ei, quod sine infusione gratiae fieri non potest ; d) *permanens in perpetuum :* omnibus enim fidelibus graviter aegrotantibus[1] sine restrictione commendatur, ac proinde pro omnibus valet. Quae ita intelligenda esse, certissime constat ex Traditione.

Ergo non agitur de dono curandi morbos : tunc enim a) non presbyteri vocandi essent, sed charismatici qui donum curationum habent ; nec b) pro miraculosa sanatione deberet praescribi

1. Ex usu N. T. verbum : ἀσθενεῖ (v. 14) et κάμνοντα. (v. 15), significant infirmitatem gravem.

materia, scil. unctio, nam miracula diversis signis fiunt iuxta inspirationem divinam ; nec c) adderetur : si in peccatis sit remittentur ei, quia potestate miraculorum donati, hac potestate non possunt condonare peccata.

B. *Ex Traditione*. Saeculo IX, in Ecclesia tum Occidentali tum Orientali, Extrema Unctio universaliter habebatur ut sacramentum infirmis conferendum ad salutem animae et corporis ; a saeculo VIII usque ad IV^{m} plura quoque existunt de eo explicita testimonia, imo saeculo III inveniuntur sat clarae allusiones. Ex quibus *historice probabile* est sacramentum istud ab initio extitisse et traditionem usque ad testimonium Iacobi assurgere ; *theologice* autem est *omnino certum*, quia sub assistentia Spiritus sancti fides in Ecclesia conservatur incorrupta, et ideo ex eo quod traditio unanimis aliquod punctum fidei quocumque saeculo admittit, probatur illud semper in Ecclesia creditum fuisse et ab Apostolis traditum.

a) Consensus saec. IX constat, tum ex variarum regionum Conciliis : Tricinensi, Moguntino I, Aquisgranensi, Cabillonensi II, aut episcoporum statutis : Isaac ep. Lingonensis, Herardi archiep. Turonensis, Theodulphi ep. Aurelianensis, S. Bonifacii ap. Germaniae, Egberti ep. Eboracensis, etc., tum ex diversis testimoniis, uti Amulonis Lugdunensis, Ionae Aurelianensis, Prudentii Trecensis, Amalarii Metensis, Haymonis Halberstadiensis. Pro Oriente constat ex Euchologiis etiam orthodoxorum, et ex scriptis theologorum orientalium posterioris aetatis qui testantur antiquam fidem suarum Ecclesiarum in hoc sacramentum.

b) Antea testimonium afferunt : saec. VIII, Beda Venerabilis (in Iac. V, P. L. CXIII, 39) ; saec. VII, S. Eligius Noviomensis (de Rectitudine cath. conversationis, P. L. XL, 1172) ; saec. VI, Cassiodorus (Complexiones in ep. Ap., P. L. LXX, 1380) et Caesarius Arelatensis (P. L. XXXIX, 2238), atque synodus a patriarcha Nestorianorum celebrata ; saec. V, Victor Antiochenus (in Mc. VI, 13), Cyrillus Al. (de Ador. in sp. et ver.), Augustinus (Spec. de S. S.), Iohannes Mandakuni ex Armenis, et Innocentius I (ep. 25, c. 8); saec. IV, Euchologia Serapionis, Can. Hipp. VI, 4, et Iohannes Chrys. (de sac. III, 6).

c) Saeculo III, Extremae Unctioni alludere videntur : S. Aphraates (Dem.23), Eusebius (P.G.XXIV, 267, 1111), et Origenes (hom. 2 in Lev.) qui tamen, pariter ac Chrysostomus (l. c.), non omnino clare a poenitentia moribundorum eam distinguit.

Non obstat silentium priorum temporum. Nam a) pauca tantum supersunt scripta atque plura deperdita sunt. b) Toti erant in catechesibus quibus exponebant dogmata fundamentalia

atque sacramenta a catechumenis recipienda ; aut in defendenda veritate religionis christianae. c) Etiam pauca sunt testimonia de Poenitentia ; a fortiori de Extrema Unctione quae non est nisi illius pro infirmis complementum. d) Insuper tempore persecutionum prudentia monebat ad minimum reducere ritus sacros ; unctio autem infirmorum non est sacramentum necessarium. e) Ipsum poenitentiae sacramentum erat minus in usu, nec recipiebatur pro culpis venialibus ; similiter Extrema Unctio, utpote Poenitentiae complementum. f) Usque ad saec. IV Baptismus saepe differebatur usque ad finem vitae, et Extrema Unctio non dabatur poenitentibus publicis, ut ait Innocentius I, ep. 25, n. 8; g) Antiqua commentaria in epistolam Iacobi perierunt ita ut primus qui extet sit V. Bedae ; evangelium autem Marci non invenit interpretem ante Victorem Antiochenum in Ecclesia graeca, ante V. Bedam in latina. h) Quodsi hodie, ubi usus Extremae Unctionis factus est omnino universalis, valde raro de isto sacramento in libris piis aut doctrinalibus fiat sermo, mirum videri non debet paucissima de eo vel et nulla e quibusdam temporibus ad nos pervenisse.

C. *Ratione convenientiae* quam ex S. Thoma, desumptam ita declarat Billuart, a. 1 :

Christus instituit sacramenta ut fidelibus subveniret pro quovis tempore et secundum quemvis statum : sic in ingressu Ecclesiae est Baptismus, in progressu et decursu vitae Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, etc. ; ergo et in exitu, in quo adversarius noster omnes suae versutiae nervos ad nos perdendum intendit, ut habet Conc. Trid., sess. 14, de E.U. in proaem. Non est autem aliud quam Extrema Unctio, quae ideo dicitur sacramentum exeuntium.

690. Extrema Unctio est sacramentum unum, licet pluribus sub unctionibus ministretur, aut a pluribus sacerdotibus quorum singuli diversam unctionem cum sua respectiva forma ponant. Quod ita ostendit S. Thomas, a. 2 :

« Quodlibet sacramentum dicitur unum, in quantum multa quae sunt in uno sacramento, adunantur ad unum significandum, vel causandum, quia sacramentum significando causat. Et ideo quando una actio sufficit ad perfectam significationem, unitas sacramenti consistit in illa actione tantum, sicut patet de Confirmatione. Quando autem significatio sacramenti potest esse et in una, et in multis actionibus, tunc sacramentum perfici potest et una actione, et pluribus, sicut Baptismus una immersione, et tribus, quia ablutio, quae significatur in Baptismo, potest esse per unam immersionem et per multas. Quando autem perfecta significatio non potest esse nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti, sicut patet in Eucharistia, quia refectio corporalis, quae significat spiri-

tualem, non potest esse nisi per cibum et potum. Et simile est in hoc sacramento, quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinae ad diversas vulnerum radices. Et ideo plures actiones sunt de perfectione huius sacramenti ». Et « quamvis illae actiones sint plures simpliciter, tamen uniuntur in una perfecta actione, quae est unctio omnium exteriorum sensuum, quibus hauritur morbus interior » (ad 2). « Nec ministrorum pluralitas tollit unitatem huius sacramenti, quia instrumentaliter tantum operatur ; mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri » (ad 3).

691. Animadversio. — Incertum est quando et quomodo Christus istud sacramentum instituit. Videtur tamen non instituisse ante sacramentum Poenitentiae, nec proinde ante resurrectionem ; illud non exhibuit, quia immediata praeparatio ad introitum gloriae non erat concedenda ante Ascensionem, nec perfecte videtur illud determinasse, nec ipse promulgavit sed apostolis reliquit promulgandum (n. 18 et 71).

Articulus II.

De Partibus constitutivis.

S. Th., Suppl. q. 29, a. 4-9 ; q. 32, a. 5-7.

692. Materia remota Extremae Unctionis est *oleum ab episcopo benedictum*, ut habent C. Flor., et Trid., c. 1.

1° *Oleum*, uti constat ex testimonio Iacobi et ex traditione ac Ecclesiae praxi, et quidem *olivarum*, nam « oleum proprie non dicitur nisi oleum olivae » (a. 4).

Convenientiam ostendit S. Thomas :

« Spiritualis sanatio quae in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur ; et lenis, ut spes, quae exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est et penetrativum usque ad intima, et etiam diffusivum. Et ideo quantum ad utrumque praedictorum est conveniens materia huius sacramenti. Et quia oleum principaliter nominatur olivae liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum, olei nomen accipiant, ideo oleum olivae etiam debet esse quod assumitur in materiam huius sacramenti » (a. 4).

2° *Benedictum*, cuius triplex assignatur ratio :

« 1ª est quia omnis efficacia sacramentorum a Christo descendit. Et ideo sacramenta illa quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso uso suo ; sicut tactu suae carnis vim regenerativam contulit aquis. Sed hoc sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione ; et ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiae.

2ª est propter plenitudinem gratiae, quae confertur, non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpae et infirmitatem corporis.

3ª est ex hoc quod effectus eius corporalis, scil. sanatio corporalis, non causatur ex materiae naturali proprietate ; et ideo oportet quod haec efficacia ei per sanctificationem detur » (a. 5).

3° *Ab episcopo*, ita ut secus nec sacramentum valide administrari possit, ut ait S. Off., 13 ian. 1665, nec in casu necessitatis oleum a sacerdote benedici possit, ut habet 14 sept. 1842. Potest tamen sacerdos ex auctoritate apostolica ad oleum benedicendum specialiter delegari, etiam mediante episcopo uti probavit Clemens VIII pro Ecclesia graeca (31 aug. 1595), et confirmavit Ben. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, atque nunc Codex, can. 945.

Convenientiam ostendit S. Thomas, a. 6 : Sacramenti « efficacia primo est a Christo, et ab ipso in alios descendit ordinate, scil. in populum, mediantibus ministris, qui sacramenta dispensant, et in ministros inferiores, mediantibus superioribus, qui materiam sanctificant. Et ideo in omnibus sacramentis quae indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiae fit per episcopum, et usus quandoque per sacerdotem, ut ostendatur sacerdotalis potestas ab episcopali derivata ».

4° Imo, probabiliter, *speciali benedictione*, scil. : ad hoc benedictum (can. 945).

In casu tamen necessitatis, deficiente hoc oleo speciali, licitum est alio uti oleo sed ab episcopo benedicto, uti est catechumenorum aut s. chrisma ; sed sub conditione.

693. Materia proxima est *unctio corporis infirmi oleo benedicto facta*. Sufficit *ad essentiam* sacramenti et *validitatem* una unctio in capite vel alia parte principali, saltem si verba formae sint generalia et non restricta ad unum vel alterum corporis sensum, uti iam certum est ex can. 947 [1] ; innuitur quoque a Iacobo qui tantum requirit presbyteros

1. Plures quoque invocant responsum S. Off., 25 apr. 1906 : « in casu necessitatis sufficere formam : *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen* ». At responsum directe est de forma : sufficit praedicta, nec addere oportet : *per sensus*, vel *per visum*... enumerando singulos ; — non est de materia. Casu scil. necessitatis quo tantum sit tempus faciendi unam unctionem, forma enuntiata proclamatur adhibenda. At nondum dicebatur una unctio certo sufficiens ad validitatem.

infirmum ungentes oleo ; et constat ex historia, cum variis temporibus et in variis regionibus maxima fuerit quoad numerum aut locum in unctionibus diversitas. Aliae tamen unctiones quae in diversis ritualibus pro diversis Ecclesiis praescribuntur, pertinent *ad integritatem* sacramenti et ad pleniorem significationem signi sacramentalis. In Ecclesia latina fiunt unctiones in sensibus exterioribus, cuius convenientiam ostendit S. Thomas, q. 32, a. 5 et 6 :

« Hoc sacramentum per modum curationis exhibetur. Curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toti corpori appositam, sed illis partibus ubi est radix morbi. Et ideo etiam unctio sacramentalis debet fieri in illis partibus tantum in quibus est radix spiritualis infirmitatis... Principia peccandi in nobis sunt tria : 1^m est dirigens, scil. vis cognoscitiva, 2^m est imperans, scil. vis appetitiva, 3^m est exequens, scil. vis motiva. Omnis autem nostra cognitio a sensu ortum habet. Et quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet medicina adhiberi, ideo inunguntur loca quinque sensuum, scil. : oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum qui in pulpis digitorum praecipue viget, et propter appetitivam inunguntur aliquibus renes, pedes autem inunguntur propter motivam, qui sunt principalius eius instrumentum. Et quia primum principium operationis humanae est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur quae fit ad quinque sensus, *quasi* de necessitate sacramenti[1] ; sed quidam servant alias, quidam vero illam servant quae fit ad pedes, et non quae ad renes, quia appetitiva et motiva sunt secundaria principia ».

In praxi : 1) Casu necessitatis fiat unctio « unica in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviore » (can. 947) ; casus necessitatis esse potest vel ex parte infirmi ob mortem omnino instantem, vel ex parte ministrantis ob periculum contagii, vel ex defectu temporis ob multitudinem infirmorum, vel ex parte sacramenti ob periculum profanationis.

2) Attamen, si possibile sit, aliae unctiones sunt addendae sub gravi, quia pertinent ad integritatem sacramenti, et quidem absolute, non sub conditione (S. Off., 9 mart. 1917) ; unde in can. 947 additur : « salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo », i. e. cessante ratione ob quam sub breviore ritu ministratum est sacramentum.

3) Secundum recentes praescriptiones, « unctio renum semper omittatur ; unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest » (can. 947, § 2 et 3).

1. Notetur S. Thomam non affirmare unctionem quinque sensuum esse necessariam, sed observari *ac si* esset necessaria.

4) Quantum ad mutilatos « inungi debent, quanto propinquius fieri potest ad partes illas in quibus unctio fieri debuerat ; quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animae, quae illis membris debentur, saltem in radice, et interius peccare possunt per ea quae ad partes illas pertinent, quamvis non exterius » (q. 32, a. 7). Item si quis usu sensus careat vel et semper caruerit, est nihilominus in eo inungendus.

694. Forma est *essentialiter deprecativa*, uti constat tum ex verbis Iacobi in quibus voces : *orent* et *oratio* ex nativo sensu et ex contextu (v. 13 et 16) indicant orationem stricte dictam ; tum ex natura sacramenti quod non videtur esse nisi commendatio infirmi in manus misericordiae divinae (q. 29, a. 8). Unde forma debet esse deprecativa vel expresse, vel saltem aequivalenter, ita ut si grammatice et materialiter sit enuntiativa aut imperativa, ex ipso tamen tenore verborum vel ex verbis adiectis aut ex circumstantiis dignoscatur esse formaliter deprecativa quoad sensum.

Diversis temporibus et in diversis Ecclesiis magna fuit formarum diversitas, atque plures inveniuntur enuntiativae, optativae, imperativae, aut mixtae. Quod facile intelligitur ex eo quod Christus non omnino determinavit sacramentum. Unde can. 937 : « sacramentum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in ritualibus libris ab Ecclesia probatis praescripta ».

In Ecclesia latina, iuxta Rituale rom., tit. 5, c. 1, n. 20, forma nunc adhibenda est : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum) *deliquisti. Amen.* De qua ait S. Thomas, a. 9 :

« Est competens forma huius sacramenti, quia a) tangit sacramentum in hoc quod dicitur : *per istam sanctam unctionem* ; et b) illud quod operatur in sacramento, scil. *divinam misericordiam;* et c) effectum, scil. *remissionem peccatorum* ».

Forma brevior, iuxta Rituale, n. 21, adhibenda in casu necessitatis, est : *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.* Ubi certo essentialia sunt ista : *indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti*, quae indicant effectum principalem sacramenti.

695. Animadversiones de requisitis ad liceitatem. — 1. Oleum in Ecclesia latina adhibendum est *purum*, nam, ait S. Thomas, « non oportet quod balsamum ponatur in materia huius sacramenti, quia balsamum propter odorem pertinet ad bonitatem famae, qua de cetero non indigent propter se exeuntes, sed indigent tantum nitore conscientiae, qui per oleum signi-

ficatur » (a. 4, ad 1). Nec vinum est cum oleo miscendum, quia « vinum sanat mordendo, sed oleum liniendo ; et ideo curatio per vinum magis pertinet ad poenitentiam quam ad hoc sacramentum » (ad 2). Olim tamen in quibusdam Ecclesiis oleo admiscebatur quid balsami ; apud quosdam Orientales adhuc viget usus miscendi modicum aquae vel vini.

2. Oleum debet esse *benedictum* eodem anno ; in casu tamen necessitatis adhiberi potest vetus. Quodsi praevideatur quantitas eius fore insufficiens, potest non benedictum addi, etiam iterato, sed semper in minore quantitate (can. 734 et Rit. tit. 5, c. 1, n. 3).

3. Oleum adhibendum est *sufficiens ad ungendum* infirmum, ad quod tamen non requiritur magna quantitas, quia oleum de se est diffusivum. Non tamen sufficit oleum super sensus distillare, sed infirmus est liniendus. Ob maiorem securitatem ad singulos sensus pollex oleo est intingendus.

4. Unctio facienda est *pollice dextero, per modum crucis, in utroque organo, incipiendo a dextero; servato ordine* in Rituali praescripto ; atque sacerdos caveat ne formam absolvat antequam ambo paria membra perunxerit (Rit., n. 18). At in ore seu in labiis compressis una tantum est unctio facienda.

5. Extra casum necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant (can. 947, § 4) ; prohibetur itaque usus penicilli vel strophioli.

6. Etiam in Ecclesia latina potest esse ritus specialis ministrandi Extremam Unctionem legitimus. Ita in Ordine Praedicatorum, *ad ungendum infirmum fratrem*, ut invenitur in *Processionario* iuxta ritum dicti Ordinis.

696. Corollarium.— Sicut in ceteris sacramentis, distingui tria possunt in Extrema Unctione :

1° *Sacramentum tantum* seu signum externum quod significat et non significatur, et hoc est unctio cum oleo rite benedicto facta simul cum verbis formae praescriptis.

2° *Res* quae non significat sed solum significatur, scil. ipsa gratia allevians et confortans animam et abstergens peccatorum reliquias, ut explicabitur in Q. seq.

3° *Res et sacramentum* quod significatur a signo externo et simul significat gratiam, et hoc est, ait S. Thomas, « quaedam interior devotio, quae est spiritualis unctio » q. 30, a. 3, ad 3. Quae verba non intelligenda videntur de actu devotionis qui ab infirmo elicitur, sed de passiva devotione qua infirmus a ministro devovetur benignitati Dei, seu de consignatione qua reponitur in manus misericordiae divinae. Alii tamen intelligunt de ipsa alleviatione seu confortatione, sed haec videtur esse mera res quae nihil ulterius significat ; alii tenent pro confortatione corporis, sed id adhuc minus verum est, quia iste effectus non est nisi secundarius ac proinde a principali derivatus.

QUAESTIO SECUNDA.

DE EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS.

S. Th., Suppl. q. 30 ; c. Gent. IV, 73.

697. Effectus proprius et principalis Extremae Unctionis est gratia allevians et confortans animam infirmi contra peccatorum reliquias, seu contra spiritualem languorem et debilitatem quae tollit perfectum vigorem ad actus virtutum ; — non vero remissio peccati mortalis. — Alleviationem et confortationem animae esse effectum huius sacramenti est *de fide*, ex Conc. Trid. sess. 14, de E. U., can. 2 ; esse effectum primarium et quidem exclusive, est sententia S. Thomae.

Effectus indicatur in ep. Iac. V, 15 : *Oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominus et si in peccatis sit remittentur ei ;* et ita describitur a Conc. Trid., c. 2 : « Res haec gratia est Spiritus sancti, cuius unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti *animam alleviat et confirmat*, magnam in eo divinae misericordiae *fiduciam excitando*, qua infirmus a) sublevatus, et b) morbi incommoda ac labores levius fert, et c) tentationibus daemonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit... »

Probatur ex S. Thoma, q. 30, a. 1 :

« Quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum, quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramentum efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi eius principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cuiusdam medicationis, sicut Baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum institutum est ad sanandum infirmitatem peccati. Unde sicut Baptismus est quaedam spiritualis regeneratio, et Poenitentia quaedam spiritualis suscitatio, ita et Extrema Unctio est quaedam spiritualis sanatio vel medicatio.

Sicut autem corporalis medicatio praesupponit corporalem vitam in medicato ; ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus vita spiritualis tollitur, scil. contra peccatum originale vel mortale ; sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitae, gratiae vel gloriae : et hic defectus nihil aliud est quam quaedam debilitas et ineptitudo,

quae in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali, et contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum ».

Hinc sacramentum Extremae Unctionis

1° confert gratiam gratum facientem cum speciali vigore contra infirmitatem ex peccato relictam ;

2° peccati reliquias abstergit, quorum nomine non veniunt : macula culpae et reatus poenae aeternae quae cum ipso peccato per Poenitentiam tolluntur ; nec pravae dispositiones aut habitus inchoati, qui simul existere possunt cum gratia confortativa, nec proprie poenae temporales peccato debitae ; sed quaedam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata, etiam iisdem habitibus vel dispositionibus manentibus, non ita potest mens inclinari ad peccatum (ad 2) ;

3° attamen, cum sit immediata praeparatio ad introitum gloriae (III q. 65, a. 1, ad 4), poenas etiam tollit ex consequenti, non tamen semper sed tantum iuxta dispositionem et devotionem suscipientis.

698. Effectus secundarii sunt remissio peccatorum etiam mortalium, atque interdum sanatio corporalis ubi saluti animae expediat. — *Certum* est ex C. Trid., sess. 14, c. 2.

Probatur : I^m, tum ex verbis Iacobi : *si in peccatis sit remittentur ei*, tum quia id sequitur ex effectu primario, scil. gratia roborativa.

« Quia hoc robur (contra debilitatem ex peccato relictam) gratia facit, quae secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis... Et ideo etiam Iacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens : *si in peccatis sit, dimittentur*, scil. quoad culpam : non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit ; sed semper remittit quoad debilitatem praedictam quam quidam *reliquias peccati dicunt*... Unde dicendum quod *principalis* effectus huius sacramenti est remissio peccatorum quoad reliquias peccati ; et *ex consequenti* etiam quoad culpam, si eam inveniat » (a. 1).

Effectus iste qui per accidens aliis sacramentis vivorum probabiliter competit, *certo* competit huic sacramento, et quidem, ut videtur, *per se*, licet *secundario ;* ad quod aliquando sola potest sufficere attritio.

II^m explicite enuntiatur in verbis Iacobi : *oratio fidei salvabit infirmum*, quae sensu obvio saltem aeque intelligenda videntur de salute corporis ; constat porro ex universali traditione et ex Conc. Flor. et Trid.; effectus autem provenit ex virtute divina sed si expediat saluti.

« Extrema Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiae, sed ex virtute divina, quae rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed *quando expedit ad spiritualem sanationem;* et tunc semper eam inducit, *dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis* » (a. 2).

Hinc : 1) Iste effectus, utpote secundarius, derivatur per quamdam redundantiam[1] ab effectu principali, ut indicatur a Conc. Trid., scil. ab animae alleviatione, « *qua* infirmus sublevatus... et sanitatem corporis interdum, ubi saluti expedierit, consequitur ».

2) Proinde non datur nisi secundum quod expedit ad principalem effectum, sanationem animae, et quidem non secundum futuram sed secundum praesentem statum et conditionem subiecti ; nam, ut explicat S. Thomas, c. G. IV, 73 : « corporalis infirmitas interdum utilis est ad animae sanitatem, prout homo infirmitatem corporalem sustinet humiliter et patienter, et ei quasi in poenam satisfactoriam computatur ; est etiam quandoque impeditiva spiritualis salutis, prout ex infirmitate corporali impediuntur virtutes : conveniens igitur fuit ut contra peccatum aliqua spiritualis medicina adhiberetur, secundum quod ex peccato derivatur infirmitas corporalis, per quam spiritualem medicinam sanatur infirmitas corporalis aliquando, cum sic expedit ad salutem ».

3) Non datur semper ubi saluti expediat, nam sacramentumnon miraculose restituit sanitatem : si vires corporis sint nimis debilitatae, impedimentum est ex parte recipientis. Saepe tamen quoddam morbi levamen aegroti ex receptione sentiunt sacramenti.

699. Corollaria. — Ex praedictis concluditur Extremam Unctionem :

1° Non esse institutam principaliter in remissionem venialium, ut tenent S. Bonaventura et Scotus, quia tunc vel concedenda esset etiam sanis, vel non concedenda nisi in ipso extremo vitae instanti ; utrumque contradicit praxi Ecclesiae.

2° Nec principaliter ad remissionem mortalium, quia est sacramentum vivorum, et Poenitentia medium est necessarium ad deletionem mortalis peccati obtinendam (n. 433 et 449).

3° Ideo, nec indifferenter ad remissionem, prout invenerit, venialium aut mortalium non remissorum per Poenitentiam, ut dixerunt Bellarminus et Tournely.

4° A fortiori nec ad remissionem poenarum, cum dari possit iis quibus nulla post poenitentiam manet poena luenda ; nec ad sanitatem corporis esse principaliter ordinatam.

5° Non imprimere characterem, tum quia iterari potest, tum quia « character non imprimitur nisi in illis sacramentis quibus homo ad aliquid sacrum deputatur ; hoc autem sacramentum est solum in remedium, et non deputatur per ipsum homo ad aliquid sacrum agendum vel suscipiendum » (q. 30, a. 3).

1. Ita S. Bonaventura, IV Sent. in text. a. 1, q. 1, concl. 2 ; S. Albertus M., ib. a. 23, 1ᵃ, 11 ; S. Thomas, c. G. IV, 73.

6° Opportune recipi dum infirmus non sit nimis debilitatus, atque plenum habeat usum rationis, ad hoc quod ex aptiore conditione vel meliore dispositione plenius et certius obtineat sacramenti effectus.

7° Reviviscere stante eodem gravi eiusdem infirmitatis periculo, quia tunc iterari nequit sed pro toto tempore huius periculi infirmum commendat misericordiae divinae.

QUAESTIO TERTIA.

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

S. Th., Suppl. q. 31 ; Gent c. IV, 73.

700. Minister Extremae Unctionis qui eam valide confert est omnis et solus sacerdos (can. 938, § 1). — Est *de fide* ex C. Trid., sess. 14 de E. U., c. 1 et can. 4, confirmante doctrinam C. Flor. ad Arm. Constat ex testimonio S. Iacobi, ex intellectu traditionis et praxi Ecclesiae, et ex natura sacramenti quod est complementum Poenitentiae.

Hinc : 1) Valide confertur a sacerdote excommunicato aut haeretico, dummodo habeat intentionem conficiendi sacramentum seu faciendi quod facit Ecclesia.

2) Non potest valide conferri a diacono, sicut dixit Launoy, nec a fortiori a laico, et si quandoque usi sint laici oleo infirmorum, id potest considerari ut quoddam sacramentale.

3) Ab uno sacerdote conferri potest, uti est mos Ecclesiae latinae, nec Iacobus exigit plures, sed dixit presbyteros in plurali ad indicandum presbyterorum ordinem seu quemdam ex presbyteris ; potest tamen a pluribus simul conferri ita ut singuli diversos sensus ungant et unusquisque formam correspondentem pronuntiet, vel ita ut omnes simul cunctas unctiones faciant et formas dicant. In Ecclesia orientali solet conferri a septem presbyteris, vel a tribus, et iis deficientibus, etiam ab uno.

4) Non tamen potest sacerdos sibi ipsi conferre sacramentum, uti dicebat Clericatus (S. C. P. F. 23 mart. 1844), quod est contra sensum formae et contra textum Iacobi : *orent super eum.*

5) Quodsi inter administrationem sacerdos deficeret, alius unctiones nondum factas supplere deberet, dummodo saltem non sit nimis magna distantia et deficiat unio moralis. At si prior administratio esset dubie valida, prius sub conditione foret repetenda, et dein reliqua addenda.

Doctrinam compendiose tradit S. Thomas : « Ea in quibus gratia illuminans mentem confertur, exhibere solum pertinet ad sacerdotes, quorum ordo est illuminativus... Diaconus, dixerat antea in Suppl. q. 31, a. 2, habet vim purgativam tantum, non illuminativam ; unde cum illuminatio fiat per gratiam, nullum sacramentum, in quo gratia conferatur, diaconus potest dare ex officio ; et ideo nec hoc, cum in eo gratia conferatur... Nec requiritur ad hoc episcopus, cum per hoc sacramentum non conferatur excellentia status, sicut in illis quorum est minister episcopus. Quia tamen hoc sacramentum perfectae curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiae, competit huic sacramento quod multi sacerdotes intersint et quod oratio totius Ecclesiae ad effectum huius sacramenti coadiuvet ; unde Iacobus dicit : *Inducat presbyteros Ecclesiae... et oratio fidei salvabit infirmum.* Si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiae, cuius minister existit et cuius personam gerit » c. G. IV, 73.

701. Minister ordinarius legitimus ad licitam administrationem est parochus loci in quo degit infirmus (can. 938), vel qui loco parochi est. — Pertinet enim ad pastorem pascere fideles cibo spirituali sacramentorum.

Hinc : 1) Extra casum necessitatis est illicitum ministrare sacramentum absque licentia parochi, saltem rationabiliter praesumpta, quae ceteroquin non ubique nec semper praesumi potest. Est peccatum ex genere suo grave, quia est alienam iurisdictionem usurpare.

2) In casu tamen necessitatis alius sacerdos ministrare potest, ut si parochus in articulo mortis ministrare non possit aut non velit.

3) A iure parochi eximuntur episcopus iuxta can. 397, n. 3, et religiosi iuxta can. 514, § 1-3.

702. Obligatio ministrandi Extremam Unctionem oriri potest ex iustitia vel ex charitate.

I. *Ex iustitia sub gravi tenetur ministe ordinarius*, per se vel per alium, hoc sacramentum ministrare id expresse vel aequivalenter petentibus, atque diligenter curare ut infirmi tempestive, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant, monendo eos qui incurii sunt. Ita Rituale, t. 5, c. 1, n. 1 et 7, et c. 4, n. 10 ; can. 939 et 944.

Licet enim sacramentum non sit necessarium, est tamen utilissimum ; boni autem pastoris est suis ovibus providere non tantum de necessariis, sed etiam de valde ultilibus ad salutem ; hinc :

1) Graviter peccat parochus si ex notabili eius incuria exponatur infirmus periculo decedendi sine hoc sacramento.

2) Non tamen tenetur illud ministrare cum speciali periculo vitae, nisi esset sacramentum necessarium vel certius validum, ut esse potest sensibus destituto (n. 86).

II. *Ex charitate, deficiente parocho, tenentur alii sacerdotes* ministrare hoc sacramentum (can. 939); quae obligatio tamen non est gravis, nisi gravis urgeat necessitas infirmi et ipsi id ministrare possint sine magno incommodo.

At in casu quo sacramentum cuidam esset *omnino necessarium* in *extrema* necessitate *spirituali*, urgeret etiam cum periculo vitae (n. 87).

703. Animadversio.—Minister, extra casum urgentissimae necessitatis, tenetur ex gravi Ecclesiae praecepto servare totum ritum praescriptum; secus si tempus suppetat, omissa supplenda sunt. Grave esset omittere omnes orationes praecedentes, numerum minuere unctionum, sine ulla veste sacra ministrare.

Leve e contra est superpelliceum omittere *aut* stolam nisi ratio adsit excusans; item sine ministro ministrare, cruces omittere in ungendo, ordinem unctionum invertere.

Recitatio Psalmorum poenitentialium ac Litaniarum ab adstantibus non est de praecepto, et communiter omitti solet.

Iuxta hodiernam disciplinam Viaticum regulariter ministrandum est ante Extremam Unctionem, at propter iustam rationem ordo interverti potest.

QUAESTIO QUARTA.

DE SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

S. Th., Suppl. q. 32 et. 33.

704. Subiectum Extremae Unctionis capax est homo viator baptizatus, usum rationis adeptus et doli capax, qui ob infirmitatem in gravi mortis periculo versatur. — Constat ex testimonio Iacobi, ex Ecclesiae traditione et praxi, ex Conc. Flor., decr. pro Arm., et Trid., sess. 14, c. 3, ex Rituali, tit. 5, c. 1, n. 8 et ex can. 940.

Dicitur: 1) *viator*, tum generatim quia sacramenta viatoribus destinantur, tum speciatim quia hoc sacramentum praeparat ad mortem;

2) *baptizatus* seu fidelis, ut indicatur verbis Iacobi: Infirmatur quis *in vobis;* Baptismo enim fit homo capax recipiendi cetera sacramenta;

3) *usum rationis adeptus et doli capax*, ut innuitur verbo: *inducat* presbyteros, quod dicit actum humanum, et constat ex fine primario sacramenti quod institutum est contra reliquias peccati actualis, uti habet forma: *Indulgeat quidquid deliquisti*. Unde adultus qui baptizatur moribundus, immediate post Baptismum hoc sacramentum recipere potest, ut liberetur ab infirmitate relicta ex peccatis actualibus (S. C. P. F., 26 sept. 1821);

4) *qui ob infirmitatem in gravi mortis periculo versatur*, ut indicatur verbo: *infirmatur* (n. 689), et explicite docetur a Conc. Flor.; cum autem senectus vera sit infirmitas, etiam senes recipere possunt sacramentum si ob debilitatem e senectute in gravi periculo mortis versantur. Periculum mortis non requiritur prorsus imminens sed sufficit grave; unde non solum in exitu vitae seu articulo mortis sacramentum conferri potest, sed omni infirmo de cuius morte timetur.

Effectus enim primarius Extremae Unctionis est infirmi alleviatio et confortatio animi, secundarius restitutio sanitatis corporalis; uterque supponit infirmitatem mortalem; secus enim infirmus non indigeret speciali sacramento quo confortaretur vel sanaretur. Ait S. Thomas, q. 32: « Hoc sacramentum a) est quaedam spiritualis curatio, quae quidem per quemdam corporalis curationis modum significatur. Et ideo illis quibus corporalis curatio non competit, scil. sanis, non debet hoc sacramentum conferri... b) est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod aegritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur » (a. 1 et 2).

Hinc: 1° Sacramenti huius capaces non sunt: mortui, — infideles aut catechumeni, — pueri et perpetuo amentes utpote incapaces peccati, quia « non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatae; unde principaliter contra actualia peccata datur quae non sunt in pueris » (a. 4, ad 2), — item, ut videtur, B. V. Maria quae nec peccatum habuit nec alleviationis indigebat, — denique sani aut leviter infirmi licet proximo mortis periculo *extrinseco* expositi, uti damnati ad mortem, periculose navigaturi vel praeliaturi nisi postquam lethale vulnus receperint, periculosam operationem subituri nisi ex infirmitate contracta iam sint in periculo mortis aut post operationem factam periculum oriatur, mulieres illae quae regulariter cum aliquo periculo pariunt, nisi ob specialem *infirmitatem* timenda sit mors aut ex partu vires iam sint valde debilitatae.

2° E contra sacramentum recipere possunt illi, quibus ex infirmitate non tantum imminens sed etiam probabile est periculum *intrinsecum* mortis, uti omnes qui infirmitatem contraxerunt quae probabiliter mortem inferet, veneno infecti, graviter vulnerati, qui post incisionem chirurgicam valde debilitantur, et senes decrepiti etiamsi nullo speciali morbo laborant, cum ipsa senectus sit ipsis morbus insanabilis.

3° Si dubitetur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur, vel num mortuus sit, sacramentum ministretur sub conditione (can. 941).

4° Casu quo, deficiente vero periculo gravi, sacramentum ministratum fuerit in periculo mortis mere existimato, si dein verum periculum oriatur, est repetendum saltem sub conditione, v. g. : si nondum valide es inunctus.

705. Conditiones requisitae ad susceptionem Extremae Unctionis. — Requiritur :

1° ad *validam* sacramenti susceptionem *intentio*, quia sacramentum ab adulto recipi debet modo humano ; intentio autem sufficit habitualis non retractata, etiam implicita, qualis est in omnibus qui catholice volunt vivere aut mori : ita enim sacramentum iam implicite petierunt vel et verisimiliter petiissent explicite, si occasio data fuisset ;

2° ad *fructuosam* seu licitam susceptionem, *status gratiae* saltem legitime praesumptus, quia est sacramentum vivorum, atque Poenitentiae complementum. Unde qui peccavit mortaliter, prius debet recipere sacramentum Poenitentiae ; vel si hic et nunc sit impossibile, saltem elicere contritionem perfectam ; attamen qui bona fide existimat se esse dispositus, etiam cum sola attritione obtinet sacramenti effectus.

Hinc : 1) Infirmis qui, cum sanae mentis compotes essent, illud saltem implicite petierunt seu verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, *absolute* praebeatur. Ita can. 943.

2) Ignotis et aliis de quibus dubitari possit an praedictam intentionem petendi sacramentum habeant, ministretur sub conditione.

3) Amentibus qui rationis usum habuerunt, conferri potest dummodo intentionem saltem implicitam tunc habuerint recipiendi nec revocatam.

4) Item furiosis et phreneticis : ipsis tamen sacramentum non est conferendum nisi in lucidis intervallis, at necessitate omnino urgente, ministrari poterit etiam in crisi, dummodo non sit periculum irreverentiae pro sacramento.

5) Schismaticis aut haereticis, dum usu rationis gaudeant, sacramentum non est ministrandum nisi prius haeresim aut schisma abiecerint ; sensibus destitutis, si sint in bona fide, ministrari potest sub conditione et semoto scandalo, at regulariter solum illis qui Extremam Unctionem sacramentum esse admittunt, ut dictum est supra, n. 653.

6) Sacramentum non est conferendum illis qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant ; quodsi

hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione (can. 942), semoto tamen scandalo.

Conditio apponenda est illa quae respicit validitatem sacramenti, non vero illa quae respicit dispositionem ad sacramenti fructum, quia non est impedienda sacramenti reviviscentia. Hoc est generale principium quod valet pro omnibus sacramentis ; unde Extrema Unctio conferatur sub conditione : *si es capax*, vel alia simili, non sub conditione : *si es dispositus*. Nec existimetur in can. 942 huic regulae poni exceptionem, quia in illis qui in manifesto peccato contumaciter perseverant, iam non potest cum aliqua probabilitate supponi intentio recipiendi sacramentum ; unde si de hac contumacia dubium sit, pariter dubium erit de intentione, non de sola dispositione. Valet proinde regula generalis.

706. Speciale praeceptum suscipiendi Extremam Unctionem per se dari non probatur, quia sacramentum non est necessarium ad salutem, nec a Iacobo praeceptum sed commendatum, ut ait Conc. Trid., sess. 14, c. 1.

Hinc : 1) Qui illud non recipiunt, per se non peccant graviter.

2) Per accidens potest adesse grave peccatum, ratione specialis periculi tentationum, aut contemptus, aut scandali.

3) Imo tam magnum salutis medium atque firmum praesidium, occasione oblata et secluso sat magno incommodo, praetermittere in *proximo* mortis periculo, regulariter non fit ex rationabili motivo, ac proinde solet includere culpam levem. Unde can. 944 : « Quamvis hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere ; et omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant ».

Cura incumbit parocho et quidem sub gravi ; etiam cognatis et propinquis, qui peculari titulo curam aegroti habent, vel et amicis : hi sub gravi tenentur saltem si sacramentum sit necessarium saluti, imo tunc, iis deficientibus, tenetur omnis homo. Curandum autem est plene sui compos infirmus sacramentum recipiat, ut plenius et certius percipiat fructus.

707. Iterari potest Extrema Unctio, quia non confert characterem (q. 30, a. 3) nec effectum perpetuum, cum sanitas mentis et corporis possit amitti (q. 33, a. 1). Non tamen iterari potest in eadem infirmitate et eodem periculo mortis, quia commendatio seu repositio aegroti in manus misericordiae divinae, quae est res et sacramentum, fit pro toto periculo et auxilia confert durante toto periculi tempore et in ipso mortis articulo.

Cessante autem periculo per convalescentiam, si novum peri-

culum oriatur etiam in eadem infirmitate, uti fieri solet in morbis diuturnis, iterari sacramentum potest (a. 2), ut ait C. Trid., sess. 14, c. 3. Hinc can. 940, § 2 : « In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit ».

APPENDIX.

DE BENEDICTIONE APOSTOLICA IN ARTICULO MORTIS.

708. Benedictio apostolica seu absolutio generalis, ut vocari solet, moribundis quibus sacramenta ministrantur, etiam concedenda est, *atque* concedi potest a quocumque sacerdote, iuxta can. 468, § 2 : « sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi *Benedictionem apostolicam* cum indulgentia plenaria in articulo mortis secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat ».

Nomine absolutionis generalis itaque venit indulgentia plenaria quam S. Pontifex per se vel per delegatos moribundis impertitur, sub forma benedictionis : sub hac ratione omnino distinguitur ab indulgentia plenaria quam absque ulla benedictione lucrari possunt in articulo mortis, vel illi qui rem benedictam aut piam (v. g. crucem aut tabulam), secum vel in cubiculo gerendam usque ad mortem, detinent cui adnexa est indulgentia apostolica ; vel membra confraternitatis cui tale privilegium est concessum.

Absolutio generalis omnibus adultis seu doli capacibus, in gravi periculo, etiam ex alia quam morbi causa, constitutis, concedi potest, qui eam petierunt aut verisimiliter petiissent, aut signa contritionis dederunt ; — sed indulgentia suspensa manet et non consequitur effectum nisi in vero et physico mortis articulo. Et ideo iterari aut ex pluribus titulis dari nec debet nec potest in eadem infirmitate quantumvis diuturna, cum id omnino inutile sit, etiam si postea moribundus in novum peccatum mortale lapsus sit ; — sed solum iteranda est si infirmus convaluerit, et postea in novum periculum inciderit (S. C. Indg., 24 sept. 1838 ; 12 mart. 1855 ; 12 febr. 1842).

Conditiones ad eam lucrandam, ex bulla Benedicti XIV, *Pia mater*, 5 apr. 1747, in infirmo requisitae sunt :

a) Ut non sit excommunicatus aut manifeste impoenitens ; quodsi sit dubie dispositus, concedatur benedictio apostolica, quoties absolutio sacramentalis aut extrema unctio detur, etiam tantum sub conditione.

b) Ut sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae, si possit, susceperit ; quodsi non possit, sufficit gratiae status dum supremum edit suspirium.

c) Ut se paratum offerat ad acceptandum quidquid Deo placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando ipse promeruit.

d) Ut SS. nomen Iesu ore si possit, sin minus corde, devote invocet ; et actum doloris et charitatis eliciat.

Indulgentia praedicta non potest applicari defunctis.

TRACTATUS

DE ORDINE.

INTRODUCTIO.

S. Th., Suppl. q. 34, a. 1 et 2.

709. Sextum sacramentum est Ordinis. — Quinque priora ordinantur ad necessitates vitae supernaturalis singulorum fidelium ; duo ultima immediate respiciunt bonum societatis supernaturalis, scil. Ecclesiae Dei. Oportet enim societatem tum a superioribus ordinari et regi, tum propagatione perpetuari. Ad quod duo ultima fuerunt instituta sacramenta : Ordo et Matrimonium, quorum primum immediatius confert ad vitam supernaturalem, cum detur iis qui alios sacris initiare debent et vitam supernaturalem communicare, dum alterum praebet vitam naturalem filiis postea in honorem Dei educandis et sanctificandis.

710. Ordo sumitur multipliciter :

a) *Primario* est ipsa mutua habitudo seu relatio prioris et posterioris, superioris et inferioris, qua referuntur ad invicem et quae hac ratione est tam in inferiori quam in superiori : ubicumque scil. est aliquid prius et posterius, oportet esse aliquem ordinem vel secundum situm, vel secundum tempus, vel secundum originem, vel secundum potestatem aut officium, et ita porro. Unde Augustinus, de Civ. Dei, l. IX, c. 13, n. 1 : Ordo est parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio. Hoc sensu non accipitur ordo in praesenti tractatu.

b) *Secundo* est ipse gradus seu status qui hunc ordinem facit seu dictam relationem causat, et « quia ratio ordinis, prout est relatio, invenitur ubi primo aliquid superius

altero occurrit, ideo hic gradus eminens per potestatem ordo nominatur » (a. 2, ad 4), scil. potestas praeeminentiae, vel etiam coetus illorum qui hac dignitate ornantur. Sic loquuntur de ordine nobilium, equitum, militum, iudicum, advocatorum, clericorum, religiosorum, etc.

Hinc *in sermone ecclesiastico* ipsa potestas spiritualis et sacra, *per excellentiam* vocatur ordo. Et quia plures gradus diversos complectitur alios aliis subordinatos secundum quamdam hierarchiam [1], ordo est hierarchicus.

c) *Sensu translato* de effectu ad causam, est ipse ritus externus seu actio caeremonialis qua alicui confertur potestatis gradus, et quae proprie est ipsa *ordinatio sacra*.

Iamvero ordo sacrae potestatis est sacramentum. Quo nomine, ut ex dictis patet, principaliter venit ipsa potestas interior manens magis quam ritus externus seu actio transiens : « ipse character interior est *essentialiter et principaliter* ipsum sacramentum ordinis » (a. 2, ad 1) ; « et ideo character, qui est spiritualis potestas, in definitione ordinis ponitur » (ad 2).

711. Sacramentum Ordinis definitur : *Sacramentum N. L. quo ritu sacro a ministro competente spiritualis traditur potestas et confertur gratia ad offerendum sacrificium aliaque officia sacra rite obeunda.*

In hac definitione indicantur : signum externum, — minister, — duplex effectus : character seu potestas sacra, et gratia ; — et finis : sacrificium et alia officia exercenda et rite obeunda. Subiectum indicatur implicite ; signum et minister satis indeterminate, cum quoad illa possit esse diversitas tum in opinione tum etiam in re.

Brevius Magister Sententiarum : *Signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato ;* ubi duo ponit, scil. signum exterius : *signaculum quoddam ;* et effectum interiorem : *quo spiritualis potestas traditur* (a. 2).

Sacramentum vario nomine designatur : ratione signi externi, *impositio manus*, χειροτονία ; ratione potestatis principalis : *sacerdotium (priesterschap) ;* ratione diversi gradus : *sacramentum hierarchiae ;* ratione effectus : *consecratio sacerdotum et ministrorum*.

---

1. Hierarchia etymologice est sacer principatus, usu tamen recepto dicit distinctionem et subordinationem graduum : sacra potestas gradibus distincta.

712. Divisio tractatus. — Tractatus dividitur in quinque quaestiones :

1° De ipso sacramento Ordinis : a) de institutione ; b) de partibus constitutivis.
2° De effectibus Ordinis.
3° De diversis Ordinibus.
4° De ministro Ordinis.
5° De subiecto Ordinis [1].
Accedit appendix de irregularitatibus.

QUAESTIO PRIMA.

DE IPSO SACRAMENTO ORDINIS.

Articulus I.

De Sacramenti Institutione.

S. Th., Suppl. q. 34, a. 1-3 ; q. 35, a. 1.

713. Errores. — Ordinem esse sensu proprio verum sacramentum generatim negant Protestantes, Ritualistis exceptis. Omnes Christiani sunt sacerdotes, sed ob bonum pacis ex iis quidam seligendi erunt qui soli munia ecclesiastica exercerent : ministri quidem verbi Dei et ecclesiarum rectores sed nullo speciali charactere induti. Unde Ordo non est sacramentum a Christo Domino institutum, sed figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut merus quidam ritus eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, eosque deputandi ad praedicationem et munia sacra.

a) Initio Ecclesiae quidam inter Gnosticos discrimen inter

---

1. De Ordine utiliter conferri possunt : S. Thomas, in Suppl. q. 34-40 ; Billuart, Billot, Hugon, Tanquerey, Pesch, Diekamp, Van Noort-Verhaar inter dogmaticos ; Morinus, *Commentarius historicus ac dogmaticus de sacris Ordinationibus ;* Gasparri, *Tractatus canonicus de sacra Ordinatione ;* Many, *Praelectiones de S. Ordinatione ;* Coppens, *L'imposition des mains et les rites connexes ;* Tixeront, *L'Ordre et les Ordinations ;* Van Rossum, *De essentia Sacramenti Ordinis ;* Périnelle, *La Doctrine de S. Thomas sur le Sacrement de l'Ordre*, in *Rev. des Sc., Phil, et Théol.* 1930 ; Tymczak, *Quaestiones disputatae de Ordine ;* A. Janssens. *De H. Wijdingen : I. Bisschoppen en Priesters ; II. Diaconaat, Subdiaconaat en mindere orden ; Dict. de Théol.*, Galtier in art. *Imposition des mains*, et Michel in art. *Ordre ;* S. Alphonsus et manualia recentia theologiae moralis.

laicos et sacerdotes videntur negasse, de quibus Tertullianus, de Praescr., XLI : « Hodie presbyter qui cras laicus, nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt ». Qui error aliquatenus transiit ad Waldenses, ut videre est in prof. fidei ipsis ab Innocentio III imposita.

b) Novatores expresse propugnarunt Ordinem non esse sacramentum. Ait Luther : « Hoc sacramentum Ecclesia Christi ignorat inventumque est ab Ecclesia Papae » ; quem generatim secuti sunt.

c) Calvinus, licet admitteret impositionem manuum vocari posse sacramentum, negat tamen ipsa conferri gratiam aut potestatem offerendi sacrificium ; est scil. mera caeremonia quae deputat ad praedicandum verbum Dei et delegat ad sacra munia obeunda.

d) Hodie Protestantes generatim hoc sacramentum reiiciunt, praesertim Presbyteriani et Baptistae, qui renuunt supernaturalem characterem in ministris agnoscere.

e) Anglicani, licet admittant hierarchiam episcoporum et ordinationem quae nonnisi ab episcopis valide confertur, negant tamen ea dari gratiam.

f) Liberales et Modernistae contendunt hierarchiam ecclesiasticam esse institutionem humanam : primum scil. electos esse quosdam presbyteros i. e. seniores qui coetibus religiosis praeessent, postea inter eos unum agnitum esse episcopum, quasi supremum invigilantem, qui presbyteros et fideles regeret ; quod ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi factum est, non ad perpetuandam missionem et potestatem apostolicam (Mod. prop. 50). Et cum coena indolem assumpserit actionis liturgicae, qui ipsi praeesse consueverant habiti sunt sacerdotes (prop. 49).

714. *Thesis.* **Ordo seu sacra ordinatio, qua in Ecclesia insigniuntur ministri sacri et sacra potestate donantur, est verum et proprie dictum N. L. sacramentum.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 23, can. 3 et 4, confirmante prop. fidei emissam in Conc. Lugd. II et doctrinam Conc. Florentini. Thesis enuntiatur indeterminate, ita ut de aliquo saltem ordine verificetur, ad minus de sacerdotio, nullus tamen excludatur.

Probatur : A. *Ex Scripturis* inferri potest Christum instituisse sacramentum Ordinis.

1° Christus apostolos ab aliis selegit (Mt. IV, 19 ; X, 2-4 ; Mc. I, 16-20 ; Lc. VI, 13 ; Ioh. XV, 16) et speciali modo deputavit et consecravit ad munia spiritualia exercenda : ad celebrandum Eucharistiae sacrificium et sacramentum (Lc. XXII, 19), ad remittenda peccata (Ioh. XX, 23), ad docendum omnes gentes et baptizandum (Mt. XXVIII, 18-20).

2° Quae officia, cum perpetua esse deberent, etiam voluit ab apostolis transmitti signo sane externo et modo visibili, quo solo congruit hominibus.

3° Quod praestarunt apostoli signo impositionis manuum (Act. VI, 6 ; XIII, 3 ; XIV, 22 ; I Tim. IV, 14 ; II Tim. I, 6), qua constituebant presbyteros et episcopos ad regendas ecclesias (Act. XIV, 22 ; XX, 28), ad dispensanda mysteria Dei (I Cor. IV, 1), ad invigilandum doctrinae et moribus (I Thes. III, 2 ; I Cor. IV, 17 ; I Tim. I, 1-12 ; V, 19-22 ; Tit. I, 5-9).

4° Ritus impositionis manuum erat signum externum conferens gratiam ; ita docet Paulus ad Timothaeum prout intellexit traditio : Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam (i. e. propter praedictiones de te factas) cum impositione manuum presbyterii... Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te *per* impositionem manuum mearum ; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis (I Tim. IV, 14 ; II Tim. I, 6).

Ex quibus constat Ordinem esse ritum externum gratiae collativum ex intentione voluntatis Christi institutum.

Obiiciunt in textu graeco legi χάρισμα, quod nullatenus gratiam gratum facientem significat, sed nihil aliud designat nisi gratiam gratis datam. — Resp. : vox etymologice significat donum, quod potest indicare non solum gratiam gratis datam, sed etiam gratum facientem, ut Rom. V, 15-17 ; I Cor. XII, 31 ; XIII, 1 ; in praesenti autem significat tum potestatem sacram tum gratiam gratum facientem quae requiritur ad illam rite exercendam, ut apparet ex contextu cum tribuat spiritum fortitudinis, dilectionis, moderaminis, atque negligi et iterum excitari possit. Sicque intellexit Ecclesiae traditio.

B. *Ex Traditione*, quae ab initio explicite agnoscit hierarchiam iure divino constitutam episcoporum, presbyterorum et diaconorum, ex iis qui receperunt ordinem seu potestatem sacram et officium quoad celebrationem Eucharistiae et remissionem peccatorum ; a saeculo IV, manuum impositione non solum potestatem sacram verum et gratiam conferri expresse proponit.

1° A saeculo II hierarchia ordinum asseritur a Didachè, 14-15; Clemente R., ad Cor. 40, 42, 44 ; Ignatio, ad Magn. 6 ; Tertulliano, de Praescr. 41.

2° A saeculo IV gratiam ordinis affirmant inter alios Chrys., de sac. III, 4 ; hom. 1 in ep. 2 ad Tim., 2 ; Greg. Nys. or. in Bapt. Christi ; Cyrillus Al., in Ioh. XX, 22-23 ; Aug. c. ep. Parm., l. II, c. 13, n. 28 ; Innoc. I, ep. 24, n. 4 ; Greg. M., in I Reg. IV, 5 ; Theodoretus, in 2 ad Tim., I, 6 ; Leo M., serm. 3.

3° Eodem tempore id clare affirmant liturgiae et euchologia Ecclesiae tum Occidentalis tum Orientalis.

C. *Ex convenientia rationis*. Conveniens est in Ecclesia esse ordinem sacrae potestatis, illum esse sacramentum atque gratiae causativum ; ut ostendit S. Thomas.

1° *Est ordo potestatis sacrae* : « Deus sua opera in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, et per ea cognosci posset. Et ideo ut in suis operibus repraesentaretur, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur et perficerentur, et media per prima... Et ideo ut ista pulchritudo Ecclesiae non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam aliis sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes » (q. 34, a. 1).

2° *Ordo est sacramentum* : a) quia « propter ordinem fit homo dispensator aliorum sacramentorum ; ergo ordo habet magis rationem quod sit sacramentum quam alia » ; — b) quia « sacramentum... nihil est aliud quam quaedam sanctificatio homini exhibita cum aliquo signo visibili ; unde cum in susceptione ordinis quaedam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa (nec posset aliter fieri), constat ordinem esse sacramentum » (a. 3).

3° *Est gratiae collativus* : « Sicut gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne sacramenta recipiat, ita etiam ad hoc quod digne sacramenta dispenset. Et ideo sicut in Baptismo, per quem fit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens, ita in sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem » (q. 35, a. 1).

715. **Corollaria.** — Ex praedictis sequitur :

1° Ex institutione divina existere in Ecclesia statum clericalem a statu laicali distinctum (can. 948), ut contra Protestantes definivit C. Trid., sess. 7, can. 10, et sess. 23, c. 4, can. 6 ; licet ex institutione ecclesiastica status clericalis potuerit maiorem consequi ambitum.

2° In Ecclesia ex iure divino existere sacerdotium visibile et externum, ut ait C. Trid., sess. 23, c. 1, can. 1.

3° In Ordine, sicut in aliis sacramentis, tria esse distinguenda : a) *sacramentum tantum* seu signum externum quod significat et non significatur, est ritus sacer cum verbis consecratoriis, qui diversus est in diverso ordine ; b) *res et sacramentum*, quod scil. significatur a ritu visibili et simul significat gratiam, est sacra potestas indelebili charactere tradita ; c) *res* sacramenti quae significatur et non significat, est gratia ad potestatem sacram rite exercendam necessaria.

716. **Animadversio.** — Christus Apostolis tradidit potestatem consecrandi Eucharistiam in ultima coena, dicens : hoc facite in meam commemorationem ; potestatem remittendi peccata in die resurrectionis ; potestatem praedicandi ante ascensionem. Instituit autem sacramentum Ordinis, simul mandando praedictas potestates in perpetuam Ecclesiae utilitatem conferendas esse atque visibili signo transmittendas ; at ipse hoc sacramentum non ministravit.

Articulus II.

De Partibus Sacramenti constitutivis.

S. Th., Suppl. q. 34, a. 4 et 5 ; q. 37, a. 5 ; III, q. 84, a. 4.

717. **Status quaestionis.** — In Scripturis non alius indicatur ritus sacrae ordinationis nisi manuum impositio, cui adscribitur gratia sacramentalis ; similiter Patres, Liturgiae, Euchologia usque ad saeculum IX soli manuum impositioni tribuunt collationem sacerdotii. Saeculo VIII aut IX apparet porrectio instrumentorum, scil. patenae cum oblatis et calicis cum vino, ut indicatur in variis Sacramentariis Galliae et Germaniae. A Graecis porrectio nunquam recepta fuit, sed saec. XI in liturgiam romanam introducta, in tota Ecclesia latina fuit admissa atque praecepta ; imo tamquam pars principalior ordinationis habita, ut constat ex doctrina Scholasticorum atque ipsius Conc. Flor., in decr. pro Armenis. Saeculo XI, altera, in fine missae, manuum impositio fuit adhibita in quibusdam Ecclesiis, quae postea communis evasit in Occidente. Evolutio in ritibus ordinationis lenta fuit et duravit usque ad saeculum XV ; saeculo tamen XIII perfecta erat, quantum ad traditionem instrumentorum quae tunc in Occidente universaliter erat recepta.

In Ecclesia latina itaque adest in ordinatione sacerdotum :

1° Impositio manuum ab episcopo, et presbyteris, super caput cuiuslibet ordinandi sub silentio, et dein extensio manuum super omnes ordinandos cum oratione : *Oremus fratres... exaudi nos...*

et praefatione, quibus respective postulatur pro iis a Deo gratia sacerdotalis et dignitas presbyterii. Distingui ibi possunt duae impositiones quarum altera est continuatio prioris.

2° Traditis stola et casula, et unctis manibus ordinandorum, fit traditio instrumentorum, ut dictum est, sub verbis : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.*

3° Consecratione Sacrificii et communione peractis, in fine altera fit impositio manuum ab episcopo solo super singulos, sub verbis : *Accipe Spiritum sanctum : quorum remiseris peccata...*

Ex dictis patet in Ecclesia graeca, sicut olim in Ecclesia latina, ritum ordinationis non esse nisi impositionem manuum cum forma concomitante. Ante constitutionem Apostolicam « Sacramentum Ordinis » diei 30 nov. 1947 multum agitata est quaestio an idem hodie valeat in Ecclesia latina, aut quisnam habendus sit ritus validae ordinationis temporibus nostris.

718. Sententiae diversae. — Ad dictam quaestionem solvendam multiplex pronuntiata fuit sententia :

1ª tenet solam primam manuum impositionem esse essentiam sacramenti, tum quia sola in Scripturis invenitur et sola adhibita in octo prioribus saeculis, tum quia hodie sola adhibetur apud Graecos. Haec sententia est paucorum in medio aevo, post saec. XVI plures habuit defensores inter quos Morinus et Martene, et saec. XIX facta est longe communior, ita ut Card. Van Rossum et Pesch eam dixerint moraliter certam. Ecclesia enim non potest mutare materiam et formam sacramentorum ; et etiam, si id posset, non probatur talem fuisse Ecclesiae intentionem, cum id ex nullo textu iuridico constet. Quantum ad decretum Conc. Flor. multi illud dixerunt disciplinare, non dogmaticum ; alii illud dogmaticum agnoscunt, sed, ut Card. Van Rossum, dicunt hac in re Concilium errasse.

2ª e contra non agnoscit ut ritum essentialem Ordinis nisi solam traditionem instrumentorum. Sic multi scholastici, ita ut a saec. XIII ad XV haec opinio fuerit longe communior, atque a Conc. Flor. adoptata et usque ad saec. XVIII plures semper habuerit defensores ; saec. autem XIX fuit quasi derelicta, sed ultimis temporibus rursus defenditur a Hugon et Galtier.

In ista sententia oportet dicere Christum ritum Ordinis non determinasse in ultima specie, Ecclesiam vero alium et alium ritum praescripsisse pro variis temporibus et locis.

3ª dicit ritum essentialem consistere tum in traditione instrumentorum qua confertur potestas consecrandi seu in corpus Christi verum, tum in ultima manuum impositione qua confertur potestas remittendi peccata seu in corpus Christi mysticum. Ita Scotus et post eum plures, usque ad saeculum XVIII, inter quos Bellarminus et Billuart.

4ª tenet alterutram, nempe aut primam impositionem manuum, aut instrumentorum traditionem esse materiam validam. Ita pauci saec. XVII et XVIII, ut Amicus, Diana, Esparza, Clericatus, Hieronymus a S. Augustino O. S. Tr. Haec sententia quatenus affirmaret episcopum inter utrumque ritum posse eligere, falsa est, quia non pertinet ad ministrum, sed ad Christum et Ecclesiam determinare ritus essentiales sacramenti ; quatenus vero affirmaret pro diversitate temporum et locorum diversam esse materiam secundum diversam Ecclesiae determinationem, coincidit cum pluribus aliis opinionibus.

5ª tenet utramque, scil. primam manuum impositionem simul ac traditionem instrumentorum esse in Ecclesia latina ritum ad validitatem sacramenti necessarium. Ita antiquitus forsan aliqui, plures vero saec. XVIII et XIX ; recentius defenditur a Billot, Tanquerey, Hervé, Noldin, Van Noort.

6ª denique ait materiam constare ex tribus, atque non solum traditionem instrumentorum, sed etiam ultimam manuum impositionem aeque ac primam essentialiter requiri ad sacramentum. Ita inde a saec. XVII plures : Lugo, Gotti, Egger, Dalponte.

719. Materia ordinationis sacerdotalis hodiernis temporibus in Ecclesia latina consistit in *prima* manuum impositione quae silentio fit, non autem in ejusdem per manus dexterae extensionem *continuatione* nec in *ultima* cui conjunguntur verba : « Accipe Spiritum Sanctum : quorum remiseris peccata, etc... »

In Ecclesia graeca et aliis quibusdam orientalibus, existit sola impositio manuum, licet hic inde quaedam adsint varietates.

Probatur : 1° Ex Constitutione Apostolica « Sacramentum Ordinis »[1] in qua Summus Pontifex Pius PP. XII, divino lumine invocato, suprema auctoritate et certa scientia declarat, et quatenus opus sit, decernit et disponit ea quae in thesi modo posita habentur.

2° Quoad partem positivam, *necessitatem* scilicet et *validitatem* primae manuum impositionis, ex usu constanti hujus ritus inde a primis temporibus tum in Ecclesia latina, tum in Ecclesia graeca. Semper ritus iste servatus fuit, non solum in presbyterorum sed etiam in episcoporum et diaconorum ordinationibus. Quod etiam innuit Conc. Trid., sess. 14 de E. U., c. 3,

1. Constitutio Apostolica « Sacramentum Ordinis », die 3ª novembris, 1947. *Acta Apostolicae Sedis*, XL, 1948, pp. 5-7.

dum ait de ministris Extremae Unctionis quod sint sacerdotes « ordinati per impositionem manuum presbyterii ».

3° Quoad partem positivam et negativam simul, necessitatem scilicet et *sufficientiam* ad substantiam et validitatem secundum quod dependet a Domini Nostri Jesu Christi institutione, ex eo quod Ecclesia Romana semper validas habuit ordinationes Graeco ritu collatas absque instrumentorum traditione. Nec obstat quod in Concilii Tridentini Decreto pro Armenis statuitur : « Sextum Sacramentum est Ordinis cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo : sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem, etc. » (Denz. 701). Minime enim Concilium Graecis imposuit ut ritum ordinationis mutarent vel illi instrumentorum traditionem insererent : immo voluit Ecclesia ut in ipsa Urbe Graeci secundum proprium ritum ordinarentur. Quibus colligitur, etiam secundum mentem Concilii Florentini, traditionem instrumentorum non ex ipsius Domini nostri voluntate ad substantiam et validitatem hujus sacramenti requiri [1].

4° Ratione theologica ex ipsis essentialibus sacramenti secundum textum ejusdem Constitutionis Apostolicae supra citatae : « Constat autem inter omnes Sacramenta Novae Legis, utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Jamvero effectus, qui Sacra Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus Ordinatione produci ideoque significari debent, potestas scilicet et gratia, in omnibus Ecclesiae universalis diversorum temporum et regionum ritibus sufficienter significati inveniuntur manuum impositione et verbis eam determinantibus ».

1. De ipsa tamen recta interpretatione Decreti pro Armenis, de ejus valore dogmatico vel disciplinari et aliis controversiis in interpretando Decreto nihil statuere voluit Summus Pontifex. Determinat tantummodo quod si in decursu saeculorum aliquando porrectio instrumentorum fuerit necessaria ad valorem sacramenti hoc fuisset ex Ecclesiae voluntate (non ex Christi institutione) ita ut quod Ecclesia statuit etiam mutare et abrogare valeat.

Animadversio. Ex dicta Constitutione, quae lata est ad omnem controversiam circa ritus essentiales auferendam et ad conscientiarum anxietatibus viam praecludendam certissime constat instrumentorum traditionem, et continuationem primae manuum impositionis et ultimam manuum impositionem non pertinere ad substantiam Sacramenti nec in posterum requiri ad validitatem. Quod attinet ad tempora praeterita nihil determinat Constitutio Apostolica de ritibus ad validitatem necessariis, ita ut diversae sententiae supra allatae objectum maneant liberae controversiae.

720. **Forma ordinationis sacerdotalis** in Ecclesia latina in posterum constat verbis « Praefationis », quorum haec sunt essentialia, ideoque ad valorem requisita : « Da quaesumus, omnipotens Pater, in hunc famulum tuum Presbyterii dignitatem ; innova in visceribus eius spiritum sanctitatis, ut acceptum a Te, Deus, secundi meriti munus obtineat censuramque morum exemplo suae conversationis insinuet ».

Ita in Ecclesia latina. In Ecclesia graeca enim tota forma est in verbis quae comitantur unicam impositionem manuum : « *Divina gratia, quae semper infirma curat et ea quae desunt adimplet, promovet N., devotissimum diaconum, in presbyterum ; oremus pro eo, ut veniat super eum sanctissimi Spiritus gratia* ».

Probatur ex Constitutione Apostolica « Sacramentum Ordinis » verba formae determinante. — Quantum ad sensum formae, quia pertinet ad substantiam sacramenti a Christo instituta, Ecclesiae nulla competit potestas (Conc. Trid., sess. 7, c. 1 ; Denz. 844. Sess. 21, c. 2 ; Denz. 931) ; verba autem hunc sensum exprimentia Ecclesia stabilire potest, immo quandoque debet. Ut formam sacramenti igitur consideranda sunt verba applicationem materiae determinantia, quibus univoce significantur effectus sacramentales *quaeque ab Ecclesia qua talia accipiuntur et usurpantur*.

721. **Corollaria practica.** — Cum in sacramentis administrandis tutius sit agendum ne exponantur periculo nullitatis, ideo in praxi ante Constitutionem Apostolicam

anni 1947 erat ad omnes opiniones attendendum et omnes ritus qui iuxta quamdam opinionem forsan requirebantur observandi erant, nullo intermisso ; quia de validitate sacramenti non constat nisi omnia rite fuerint peracta. Quod si quaedam ex iis omissa aut dubia fuerint, ordinatio sub conditione erat repetenda, aut defectus saltem supplendus.

Haec omnia etiam post Constitutionem Apostolicam valent si de omissionibus et dubiis agatur in ordinationibus factis ante diem 28 aprilis 1948 (ante mediam noctem inter diem 27 et 28). Ab hac enim die documentum juridicum effectum obtinet et dispositiones ejus vim retroactivam non habent.

Hinc pro ordinationibus ante diem 28 aprilis factis : 1° Si prima manuum impositio omissa fuerit, et quidem sive particularis impositio sive subsequens extensio, ordinatio ex integro erit repetenda, quia disputant an illa vel haec vel alterutra sufficiat (S. Off., 21 iul. 1899 ; 4 iul. 1900 ; 7 mart. 1902) ; impositio probabiliter fieri debet tactu corporali (ib.), qui tamen sufficit mediatus, v. g. in caput coopertum (S. Off., 22 ian. 1290).

2° Si omissa fuerit, etiam partialiter, traditio consecrati calicis et patenae cum utraque specie, sub conditione saltem est ordinatio tota repetenda (S. C. C. 11 febr. 1708; S. Off., 6 iul. 1898 ; 11 ian. 1899) : contactus probabiliter requiritur physicus, sed sufficit mediatus, unde sufficere videtur tangere unum, quo mediante tangantur reliqua.

3° Consecratio tamen calicis cum patena non videtur requisita ad validitatem, quia S. Off. in rescr. 28 ian. 1937 declaravit in quodam tali casu ordinationem non esse iterandam.

4° Si quaedam essentialia omissa fuerint ex verbis formae in traditione instrumentorum ; aut sub extensione manuum in oratione : Oremus fratres... exaudi, vel in praefatione, pariter ex integro erit ordinatio repetenda.

5° Si ultima fuerit omissa manuum impositio aut forma concomitans, erit supplenda (S. C. R. 22 maii 1841 ; S. Off., 4 mart. 1874 ; 9 dec. 1897).

6° Certum est unctionem manuum, traditionem vestium, impositionem manuum a sacerdotibus assistentibus non esse sacramentales, sed mere accidentales ; nihilominus unctio omissa, et, probabiliter, traditio vestium est postea supplenda.

Reordinatio aut suppletio fieri possunt a quovis episcopo, etiam extra tempora ac secreto (can. 1007) ; in casu defectus occulti, occulte fieri debet ad vitandum scandalum et turbationem fidelium.

Sub novo vero regimine determinato a Constitutione Apostolica absolute repetenda erit ordinatio si quaedam essentialia ex forma, prout supra determinata, fuerint omissa vel etiam si prima manuum impositio omissa fuerit vel facta absque tactu saltem morali[1]. Sub conditione ordinatio erit repetenda si quid dubium circa essentialia ad validitatem occurrerit. — Utrum vero ex integro an tantum pro parte ordinatio sit repetenda Constitutio Apostolica non determinat. Et quamvis probabile sit ordinationem ex integro repetendam esse, prudens tamen erit in singulis casibus ad Sanctum Sedem recurrere secundum statutum explicitum ipsius Constitutionis : « Si dubium aliquod contingat, illud huic Apostolicae Sedi erit subiiciendum ». Idem valet de iterandis vel supplendis caeremoniis non essentialibus, de quibus in Constitutione nihil habetur.

722. Animadversio. — Non est sacramentum sub conditione iterandum aut defectus supplendus, nisi de defectu saltem adsit positivum dubium ; dubia scil. levia et negativa aut scrupulosa non sunt attendenda. Unde legimus apud S. Alphonsum Th. M., l. VI, n. 757 : « etiamsi quis timeat ne invalide ordinatus sit, aut non recordetur se tetigisse sacra vasa, aut non tetigisse imaginetur, non illico iterandum esse ordinem, cum sola oblivio vel timor non sufficiat ad prudens et rationabile dubium vel probabilitatem ». Et in praxi ordinatus hac in re confidere potest testimonio sacerdotis qui episcopo assistit.

QUAESTIO SECUNDA.

DE EFFECTIBUS ORDINIS.

S. Th., Suppl. q. 35.

723. Effectus sacramenti Ordinis est gratia ad rite fungendum muneribus sacris et potestas ad illa exercenda. — Est *de fide* ex C. Trid., sess. 23, c. 3 et 4, can. 4.

A. Ordo non ponentibus obicem confert *gratiam*, quod est de fide ex C. Trid., can. cit., et sess. 7, can. 1 et 6 : gratiam scil. ad bonum usum potestatis sacrae necessariam seu ad rite exercendum ministerium sacrum et dispensanda sacramenta ; « augmentum gratiae, ait Conc. Flor., ut quis sit idoneus minister ». Nam « cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quae executio illius possit congrue fieri » (a. 1).

1. De validitate tactus tantummodo moralis etiam in Constitutione statutum est : « Ne vero dubitandi praebeatur occasio, praecipimus ut impositio manuum in quolibet Ordine conferendo caput Ordinandi physice tangendo fiat, quamvis etiam tactus moralis ad Sacramentum valide conficiendum sufficiat.

Confert autem :

1) Gratiam habitualem gratum facientem, quae necessaria est ad sacramenta digne ministranda (n. 76) ; — et quidem auget eam ad gradum eminentem, quia Ordo est dignius omnium sacramentorum post Eucharistiam, cum ad munus praestantissimum, ipsam Eucharistiam, immediate ordinetur :

« Ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens ; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. Et ideo praeexigitur gratia quae sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebe Christi ; sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiae munus, per quod ad maiora reddantur idonei » (ad 3). Haec gratia commemoratur ab Apostolo I ad Tim., IV, 14 et II Tim. I, 6-7, et universali refertur traditione, a Pontificali ut *spiritus sanctitatis* et *totius forma iustitiae*, a Conc. Trid., quod docet in ordinatione *dari Spiritum sanctum*, qui non datur sine gratia.

2) Gratiam sacramentalem specialem, quae gratiae gratum facienti speciale auxilium praebet et habitualem vigorem ad debite exercenda munera sacra, et infirmitatem vincendam quae ab officiis retrahit.

3) Consequenter ius ad gratias actuales, ad hunc finem necessarias, per totam vitam opportuno tempore obtinendas.

B. Ordo confert *characterem* quo ordinandi consecrantur cultui divino tamquam ministri, iisque indelebiliter inhaeret sacra potestas, et quidem activa, ad dispensanda sacramenta. Est de fide ex Conc. Trid., sess. 23, can. 4, et sess. 7, can. 9. Character Ordinis de necessitate supponit characterem Baptismi qui reddit capacem ad alia sacra recipienda ; de congruitate characterem Confirmationis qui reddit idoneum ad exercendum Ordinem.

Potestas characteris est duplex :

1° Principalis, circa corpus Christi reale, scil. consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem Domini, ut constat ex ipsa forma sacramenti, ex verbis Christi : Hoc facite in meam commemorationem (Lc. XXII, 19), ex doctrina Apostoli, ad Hebr. V, 1 et XIII, 10, et ex Conc. Trid., sess. 23, c. 1, can. 1.

2° Secundaria, circa corpus Christi mysticum, seu reddendi fideles aptos et idoneos ad sacramentum Eucharistiae, per verbi divini praedicationem et sacramentorum ministrationem, praesertim Baptismi et Poenitentiae (Mt. XXVIII, 19 ; Ioh. XX, 23) ; unde in ordinatione confertur potestas remittendi peccata (C. Trid., sess. 23, c. 1, can. 1).

Potestas enim conficiendi et dispensandi Eucharistiam includit potestatem omnia praestandi quae ad dignam Eucharistiae receptionem requiruntur. Homines autem ad Eucharistiam remote disponuntur per praedicationem verbi, proxime per sacramentorum administrationem, maxime Poenitentiae.

« Eiusdem virtutis esse videtur aliquam perfectionem tribuere et ad susceptionem illius materiam praeparare... Cum igitur potestas Ordinis ad hoc se extendat ut sacramentum corporis Christi conficiat et fidelibus tradat, oportet quod eadem potestas ad hoc se extendat quod fideles aptos reddat et congruos ad huius sacramenti perceptionem. Redditur autem aptus et congruus fidelis ad huius sacramenti perceptionem per hoc quod est a peccato immunis : non enim potest aliter Christo spiritualiter uniri, cui sacramentaliter coniungitur, hoc sacramentum percipiendo. Oportet igitur quod potestas Ordinis se extendat ad remissionem peccatorum per dispensationem illorum sacramentorum quae ordinantur ad peccati remissionem, cuiusmodi sunt Baptismus et Poenitentia » atque Extrema Unctio. Ita S. Thomas, c. Gent. IV, 74. Cfr. q. 37, a. 4, ad 1.

724. Corollaria. — 1. *Eminens est sacerdotis dignitas*, nam per characterem configuratur ipsi Christo (q. 40, a. 5, ad 2) et participat de potestate et sacerdotio Christi ; unde in ipso, ait S. Thomas, II-II, q. 184, a. 8 « requiritur maior sanctitas interior, quam requirat etiam religiosus status », a sacerdotio scil. seiunctus.

2. *Sacramentum Ordinis* quia imprimit indelebilem characterem *non est iterabile*, quod semper creditum fuit in Ecclesia, licet aliquando disputationes fuerint de validitate ordinationum ab haereticis factarum vel simoniacis ; a sæculo autem XIII consensus theologorum hac in re est communis (q. 38, a. 2).

3. Hinc si cum obice recipiatur sacramentum, *remoto obice reviviscit ;* et quidem in perpetuum, ob characterem semper manentem.

4. Quod si bona fide peccator recipiat sacramentum, id *per accidens causat gratiam primam*, dummodo peccator sit attritione dispositus.

QUAESTIO TERTIA.

DE DIVERSIS ORDINIBUS.

S. Th., Suppl. q. 37 ; q. 35, a. 2 et 5 ; et q. 40.

725. Plures sunt in Ecclesia ordines, qui ad diversa ordinantur officia. — Est *certum*, imo a Conc. Trid., sess. 23, c. 2 et can. 2 definitum tamquam pertinens ad catholicam veritatem.

Rationes profert S. Thomas, q. 37, a. 1 :

« Ordinum multitudo est inducta in Ecclesia propter tria :
1° Propter Dei sapientiam commendandam, quae in distinctione rerum ordinata maxime relucet tam in naturalibus quam in spiritualibus...
2° Ad subveniendum humanae infirmitati, quia per unum non poterant omnia quae ad divina mysteria pertinebant expleri sine magno gravamine ; et ideo distinguuntur ordines diversi ad diversa officia. Et hoc patet per hoc quod Dominus dedit Moysi septuaginta senes in adiutorium.
3° Ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores ; quo nihil est divinius, ut Dionysius dicit in Eccl. hier. 3 ».

726. Septem distinguuntur in Ecclesia ordines quibus, velut per gradus, clerici usque ad sacerdotium ascendunt. — Est *certum* ex Conc. Trid., sess. 23, c. 2.

Rationem distinctionis S. Thomas, a. 2, desumit ex relatione ad Eucharistiam, ad quam sacramentum Ordinis ordinatur : Sacerdos Eucharistiam consecrat ; tres nobiliores aliquo modo ipsi cooperantur in ordine ad ipsam Eucharistiam : diaconus sacerdoti immediate cooperatur, in ipso sacramento, et illud non quidem consecrat sed dispensat ; subdiaconus materiam praeparat in vasis sacris, acolythus vero in vasis non sacris ; tres reliqui cooperantur solum in ordine ad praeparandos suscipientes Eucharistiam : exorcista mundat fideles habentes impedimentum ex daemonis potestate ; lector subiectum praeparat instruendo, seu rudimenta fidei docendo ; ostiarius ab Ecclesia indignos arcet, solis dignis aperiendo.

Ita in Ecclesia latina ; et licet tempore Apostolorum ministri inferiores nondum fuerint a diaconis discreti, sed eorum potestas et officium in diaconatu contentum manserit, ab initiis tamen Ecclesiae omnes ordines cum propriis eorum ministeriis in usu fuisse cognoscuntur [1].

In Ecclesia graeca vero praeter diaconatum non est nisi subdiaconatus et lectoratus ; sed ad istos aliorum officia reducuntur : sic acolythatus et ostiariatus conferuntur simul cum subdiaconatu, exorcistatus cum diaconatu.

727. Omnes ordines ***probabilius*** **sunt sacramenta, sed non constituunt nisi unum Ordinis sacramentum.** — Est sensus obvius Conc. Flor. et Trid., l. c.

A. *Singuli sunt sacramenta*. Probatur :

1° *Ex Conciliis*. Conc. Flor. enim ait : « Sextum *sacramentum* est Ordinis, cuius *materia* est illud *per cuius traditionem Ordo confertur* » ; quod applicat presbyteratui, diaconatui, subdiaconatui et similiter aliis ordinibus.

Idem facit pro ordinum forma. Postea addit : Effectus *augmentum gratiae*, ut quis sit idoneus minister.

Similiter Conc. Trid. postquam enumeraverit septem ordines, statim sine restrictione addit : Ordinem esse sacramentum.

2° *Ex Pontificali*, quod generatim de omnibus ordinibus ait : « Moneat episcopus ordinandos, ut tangant instrumenta, quibus character imprimitur ».

3° *Ex ratione* S. Thomae, q. 35, a. 2 : « Quidam dixerunt quod in solo ordine sacerdotali character imprimitur ; sed hoc non est verum, quia actum diaconi nullus potest exercere licite, nisi diaconus ; et ita patet quod habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione sacramentorum, quam alii non habent. Et propter hoc alii dixerunt quod in sacris ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus. Sed hoc iterum nihil est, quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur super plebem in aliquo gradu potestatis ordinatae ad sacramentorum dispensationem. Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur ; cuius etiam signum est quod perpetuo manent, et nunquam iterantur ».

Ceterum characterem eorum esse indelebilem constat ex eo quod per excommunicationem non tollitur.

---

1. Ita Conc. Trid., l. c. — Sic v. g. Cornelius (a. 251), ep. ad Fab. Ant. (H. E. VI, 43) ait « esse in Ecclesia romana presbyteros 46, diaconos 7, subdiaconos 7, acolythas 42, exorcistas autem et lectores cum ostiariis 52 ». Horum omnium munus describunt Constitutiones Apostolicae, l. II, c. 57. Etiam numerantur in Libro Pontificali, decr. Caii papae ; postea in canonibus qui sub nomine veniunt Concilii Carthag. IV. — Iam ante Cornelium, in Traditione apostolica Hippolyti, nominantur subdiaconi et lectores ; imo in can. 7 Hippolyti exhibentur lectores ut praestanti munere fungentes ita quod debeant esse diaconorum virtutibus ornati. Conc. quoque Laod. de pluribus loquitur, etiam de exorcistis, qui iuxta can. 26, debent esse ab episcopis ordinati.

Multi tamen moderni negant, et omnes ordines diaconatui inferiores non habent ut sacramenta sed ut mera sacramentalia ab Ecclesia instituta, tum quia non semper in Ecclesia fuerunt, tum quia non conferuntur impositione manuum quae est ritus essentialis Ordinis a Christo institutus. — Resp. Si Christus non determinavit signum sacramentale in ultima specie sed illud magis determinandum Ecclesiae reliquit, haec potuit ordinare ut potestas quae primitus tota simul in presbyteratu aut in diaconatu conferebatur, nunc iam aut alibi in pluribus vicibus conferretur per partitiones ; atque etiam ut apte fieret signo licet a manuum impositione diverso. « In primitiva Ecclesia, ita S. Thomas, q. 37, a. 2, ad 2, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconis committebantur... Nihilominus erant omnes praedictae potestates, sed implicite in una diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus ; et Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis ».

B. *Omnes ordines sunt unum specie sacramentum.* Constat ex eo quod non plus nec minus in Ecclesia sunt quam septem sacramenta. Atque intelligitur ex eo quod sacramentum Ordinis essentialiter et principaliter consistit in potestate sacra characteris, quae in supremo ordine existit plene, nempe in sacerdotio, in aliis participative et deficienter.

Unde S. Thomas : « Divisio ordinis non est totius integralis in suas partes ; neque totius universalis (sicut genus quod plures habet species), sed totius potestativi, cuius haec est natura quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic : tota enim plenitudo sacramenti huius est in uno ordine, scil. sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis... Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum » (q. 37, a. 1, ad 2).

728. Animadversio. — *Tres ordines sacri* dicuntur speciali titulo, scil. *ratione materiae* quia circa rem sacram versantur. Nam « ordo sacer dicitur dupliciter : uno modo *secundum se*, et sic quilibet ordo est sacer, cum sit sacramentum quoddam (saltem, secundum alios, sacramentale) ; alio modo *ratione materiae* circa quam habet aliquem actum, et sic ordo sacer dicitur qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam. Et sic sunt tres tantum ordines sacri, scil. *sacerdotium* et *diaconatus*, qui habent actum circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et *subdiaconatus*, qui habet actum circa vasa consecrata ; et

ideo eis etiam continentia indicitur, ut sancti et mundi sint qui sancta tractant » (a. 3), et a nuptiis arcentur (can. 132, § 1). Hinc etiam vocantur *maiores*, quia dignitate et sanctitate alios excedunt.

Ante saeculum XII tamen subdiaconatus non reputabatur ordo maior et sacer ; atque hodie in Ecclesia graeca adhuc inter ordines minores recensetur, ubi nec adnexum habet continentiae votum.

729. Potestas et actus singulorum ordinum. — Ordines distinguuntur gradu potestatis sacrae et consequenter actibus diversis ad quos potestas ordinatur.

1° *Presbyteratus* est ordo sacer quo confertur potestas consecrandi corpus et sanguinem Christi atque remittendi peccata. Esse sacramentum est doctrina fidei, ut demonstratum fuit, n. 714 ; sed de eius materia et forma disputatur, ut notavimus, n. 718-720. Quinque numerari solent ipsius actus : « sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare », ait Pontificale.

Offerre indicat potestatem circa corpus Christi reale, scil. corpus et sanguinem Domini consecrandi, offerrendi in sacrificium et in communionem dispensandi. Alia referuntur ad corpus Christi mysticum : *benedicere*, etiam solemniter, res et personas ; *praeesse* i. e. divinis officiis, absente episcopo, praesidere, et sub episcopo populum regere ; *praedicare* seu verbum Dei annuntiare ; *baptizare* et alia sacramenta in remissionem peccatorum conferre, scil. Poenitentiam et Extremam Unctionem.

2° *Diaconatus* est ordo sacer, quo traditur potestas sacerdoti in missa solemni immediate ministrandi ad altare, solemniter cantandi Evangelium, et ex legitima commissione solemniter baptizandi, dispensandi Eucharistiam, ac praedicandi.

Secundum sententiam iam diu communem, diaconatus est sacramentum ; quod videtur certum. Nam in ipso adest signum sensibile conferens potestatem sacram ; est a Christo institutus, cum pertineat ad hierarchiam divina ordinatione institutam, ut definit Conc. Trid., sess. 23, can. 6 ; confert etiam gratiam, ut deducitur ex eodem Concilio, can. 4 : Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere : Accipe Spiritum sanctum..., a. s. ; ita autem dicunt episcopi in ordinatione diaconorum.

De ritu diaconatus in Ecclesia latina disputabatur. Alii illum reponebant in sola impositione manus tactu physico, cum verbis : *Accipe Spiritum sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius;* alii in sola traditione libri Evangeliorum, cum verbis : *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis;* alii in utraque simul.

Nunc quaestio pro futuro iam decisa est ex Constitutione Apostolica supra citata : « In Ordinatione Diaconali materia est Episcopi manus impositio quae in ritu istius Ordinationis una occurrit. Forma autem constat verbis « Praefationis » quorum haec sunt essentialia ideoque ad valorem requisita : « Emitte in eum, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roboretur ».

3° *Subdiaconatus* est ordo sacer, quo confertur potestas ministrandi diacono in missa solemni et solemniter in ea cantandi epistolam. Hinc potest materiam sacrificii praeparare, calicem et patenam offerre diacono, sacerdoti solemniter celebranti aquam effundere in calicem.

Materia est traditio calicis consecrati vacui cum patena vacua ; forma : *Videte cuius ministerium vobis traditur ; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis ut Deo placere possitis.* Attamen ad validitatem requiri consecratio calicis cum patena non videtur ex rescr. S. Off. 28 ian. 1937. Ad essentiam non pertinent : traditio libri epistolarum (vel Missalis) sub verbis : *Accipe librum epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia...*, nam olim epistola legebatur a diacono ; item nec traditio urceolorum quae fit ab archidiacono, nec vestium sacrarum.

Obligationes subdiaconatui adnexae in Ecclesia latina sunt recitandi divinum officium et servandi continentiam, cuius votum implicite emittitur ordinis susceptione, ut intellexit perpetua Ecclesiae traditio ; quodsi aliquis vovere interne renueret, teneretur nihilominus ad continentiam ex praecepto Ecclesiae.

4° *Acolythatus* est ordo, quo potestas traditur urceolos cum vino et aqua porrigendi in missa et lumina accendendi et deferendi ; seu quo confertur officium ministrandi sacris ministris in missa solemni, necnon sacerdoti in missa privata.

Materia et forma est duplex : 1) traditio candelabri cum cereo extincto sub verbis : *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini;* — 2) traditio urceoli vacui, cum verbis : *Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.*

5° *Exorcistatus* est ordo, quo potestas confertur exorcismis Ecclesiae expellendi daemones a corporibus baptizatorum vel catechumenorum et aquam benedictam praebendi.

Materia est traditio libri exorcismorum ut est Rituale, cuius loco dari potest Pontificale vel Missale ; forma : *Accipite et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* — In praxi tamen non est licitum solemniter exorcismos proferre *in obsessos*, nisi ex peculiari et expressa Ordinarii licentia, quae non conceditur nisi sacerdotibus piis et prudentibus (can. 1151).

6° *Lectoratus* est ordo, quo confertur potestas verbum Dei in Ecclesia legendi, et populum catechizandi in rudimentis fidei.

Materia est traditio libri in quo continentur lectiones Scripturae ; cuius loco tradi potest Biblia, Missale, Breviarium ; forma : *Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.*

Antiquitus benedicere consueverant ; notat Pontificale : Lectorem oportet benedicere panem, et omnes fructus novos ; hodie ista potestas ligatur, ita ut illas tantum valide et licite benedictiones dare possint, quae ipsis expresse a iure permittuntur (can. 1147, § 4).

7° *Ostiariatus* est ordo, quo confertur potestas spiritualis aperiendi et claudendi ecclesiae ianuas, populum convocandi ad sacrificium, dignos admittendi et arcendi indignos, et sacrae supellectilis custodiam habendi.

Materia est traditio clavium ; forma : *Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus quae his clavibus recluduntur.*

730. Praeambulum ad ordines est tonsura. — Tonsura proprie non est ordo, quia non confert potestatem sacram, nec a Conciliis aut Pontificali inter ordines numeratur sed ab iis distinguitur. Unde iuxta theologos communiter non est ordo, sed praeparatio ad ordines, sicut novitiatus ad professionem. Est ritus sacer quo laicus transfertur ad statum clericalem ; hic autem ita nominatur a κλῆρος (sors, haereditas), eo quod ad illum sorte seu electione gratuita vocentur, vel Deus sit clericorum pars et haereditas.

Consistit tonsione capillorum in vertice capitis sub verbis, a ministro et tonsurando simul proferendis : *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei; tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.* Corona significat dignitatem regiam quam clerici adipiscuntur et, ratione subtractionis capillorum, res inutiles et mundanas a clericis esse contemnendas ne mens eorum a contemplatione divinorum retardetur (q. 40, a. 1).

Effectus sunt quod tonsuratus 1) transferatur ad statum clericalem (can. 108, § 1), et ita fiat capax potestatem sive ordinis sive iurisdictionis, et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinendi (can. 118) ; 2) fiat particeps iurium et privilegiorum clericorum (can. 119-123) ; ac etiam subiectus communibus clericorum obligationibus (can. 124-144).

731. Omnibus ordinibus supereminet Episcopatus. — Definivit Conc. Trid., sess. 23, c. 4 et can. 7, *episcopos esse superiores* presbyteris, et quidem non solum potestate iurisdictionis, sed etiam potestate confirmandi et ordinandi quae est ordinis. Insuper can. 6, in Ecclesia catholica esse *hierarchiam divina ordinatione institutam*, quae constat *ex episcopis, presbyteris, et ministris* i. e. saltem diaconis. Ex quo logice sequi videtur episcopos esse iure divino superiores presbyteris, licet Concilium id noluerit definire.

Ita contra Aërium saec. IV, Waldenses, Wicleff, Calvinum et Presbyterianos. Innuitur in Scripturis, cum inter presbyteros a S. Paulo ordinatos, quidam potestatem habebant alios ordinandi, regendi et iudicandi, ut Timothaeus et Titus (I Tim. V, 19 ; Tit. I, 5) ; constat autem ex tota traditione, inde ab Ignatio Ant., quod probari solet in tr. de Ecclesia. Rationem affert S. Thomas, q. 40, a. 4, quia, « humanorum officiorum ordo exigit ut in quolibet officio praeponatur unus, qui sit princeps illius officii, sicut praeponitur militibus dux. Ergo et sacerdotibus debet aliquis praeponi qui sit sacerdotum princeps ; et hic est episcopus ».

Episcopatus, licet sit ordo seu gradus hierarchicus, potestate et officio superior presbyteris, non tamen est ordo sacramentalis a presbyteratu adaequate distinctus ; secus octo essent ordines, cum tamen in Ecclesia non numerentur nisi septem. Etenim :

1° Distinctio ordinum fit secundum habitudinem ad Eucharistiam ; sed quantum ad Eucharistiam non est in episcopis diversa habitudo aut potestas ac in presbyteris ; ergo nec ordo sacramentalis distinctus, sed solum ordinis extensio aut complementum.

2° Sacramentum Ordinis essentialiter est in potestate sacra suprema, cuius aliae sunt consequentiae aut participationes. Sed suprema potestas sacra est ad offerendum sacrificium seu ad consecrandum corpus et sanguinem Domini, quae aequaliter competit sacerdotibus et episcopis. Ergo episcopatus non est sacramentum essentialiter a presbyterato distinctum ; sed non est nisi potestas secundaria consequenter addita seu presbyteratus extensio.

3° Episcopatus seu potestas alios ordinandi sacerdotes nec concipi potest sine sacerdotio, sed illud necessario supponit et includit, cum nemo possit communicare aliis potestatem quam non habet. Et ideo non potest valide ordinari episcopus, qui non sit aut saltem non ordinetur simul sacerdos. Ergo episcopatus non est ordo condivisus et per se stans, sed sacerdotii intrinsecum complementum.

Hinc : 1° Sacerdotium non est participatio episcopatus, cum potestas excellentior in corpus Christi verum non sit participatio potestatis minus excellentis in corpus Christi mysticum ; sed episcopatus est ampliatio sacerdotii cuius est plenitudo et consummatio.

2° E contra diaconatus et ordines inferiores sunt participatio potestatis sacerdotalis.

3° Unde valide ordinari potest sacerdos qui non recepit diaconatum aut ordines inferiores, quia eminenter in sacerdotio continentur ; e contra qui non est sacerdos non valide consecratur episcopus, quia episcopatus sacerdotium formaliter supponit et extendit.

4° In episcopatu non imprimitur novus character, sed character sacerdotii potestate ampliatur et quidem indelebiliter.

5° Consequenter ex opere operato confertur etiam augmentum gratiae, ad potestatem episcopalem debite exercendam.

Episcopatus autem conferri non potest nisi ritu peculiari ordinationis, ut constat ex tota traditione Ecclesiae ; quo ritu potestas characteris sacerdotis ampliatur, et gratia confertur, uti certum est iuxta Conc. Trid., sess. 23, can. 4, quia in ordinatione episcopi datur Spiritus sanctus, cum frustra non dicantur verba in ea prolata : *Accipe Spiritum sanctum.*

In Ordinatione seu Consecratione Episcopali materia est manuum impositio quae ab Episcopo consecratore fit. Forma autem constat verbis « Praefationis », quorum haec sunt essentialia ideoque ad valorem requisita : « Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum coelestis unguenti rore sanctifica ». Constitutio Apostolica « Sacramentum Ordinis », 30 nov. 1947.

Ideo multi moderni dicunt esse verum ordinem distinctum,

et sacramentum, cum conferat potestatem indelebilem et gratiam ; id autem probat episcopatum ad ordines pertinere et ad Ordinis sacramentum, nullatenus vero esse sacramentum a presbyteratu adaequate distinctum, aut ordinem separatum [1].

732. Corollaria. — 1. Septem tantum sunt ordines proprie dicti ; quandoque tamen apud canonistas enumerantur octo vel novem, comprehendendo scil. episcopatum vel primam tonsuram, sed tunc ordo sumitur sensu latiore et improprio (can. 950).

2. Character ordinis superioris non necessario praesupponit characterem ordinum inferiorum, et ideo quamvis illicitum sit ordinationem recipere per saltum (can. 977), est tamen valida, quia potestates ordinum sunt distinctae et una non praerequirit aliam in eodem subiecto. « Et ideo in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant ; et tamen poterant omnia quae inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu et ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiae determinatum est, quod ad maiores ordines se non ingerat qui prius minoribus officiis se non humiliavit. Et inde est quod qui ordinantur per saltum, secundum canones non reordinantur, sed id quod omissum fuerat de praecedentibus ordinibus eis confertur » (q. 35, a. 5).

3. Hinc « si quis, ritu orientali ad aliquos ordines iam promotus, a Sede apostolica indultum obtinuerit superiores ordines suscipiendi ritu latino, debet prius ritu latino recipere ordines quos ritu orientali non receperit » (can. 1004).

4. Ordine quandoque datur sacra potestas ad agendum quae secus valide aut licite fieri non possent ; quandoque datur ad ea quae etiam aliter quis facere posset, sed « suscipit potestatem

1. Obiiciunt : 1) olim diaconos directe ordinatos fuisse episcopos, imo qui non fuerint diaconi ; 2) rem mere pendere a positiva voluntate Dei et intentione Ecclesiae, unde nihil impedit dicere totam plenitudinem sacerdotii simul conferri una ordinatione.

Resp : Ad 1^{m}. Non repugnat quod in eadem ordinatione conferatur presbyteratus primum et in fine episcopatus ut eius complementum ; imo quod eodem signo conferatur principaliter potestas sacerdotii et simul secundario eius complementum, scil. episcopatus, atque ita quandoque factum fuit in Ecclesia primitiva ; e contra repugnat quod conferatur solus episcopatus qui eminenter includeret sacerdotium, quia episcopatus sacerdotium supponit sicut complementum accessorium supponit principale.

Ad 2^{m}. Res non pendet a sola positiva voluntate Dei, sed voluntas quae regitur divina sapientia conformetur oportet naturae rerum : ex natura rei potestas offerendi sacrificium est principalis, quae in episcopo ampliatur addita potestate ordinandi ; non autem potestas ordinandi est principalis quae includeret tamquam minorem potestatem offerendi sacrificium. Unde potestas sacerdotii saltem natura prius debet conferri quam potestas ordinandi.

ut ex officio hoc agere possit ; quamvis etiam ab aliis (scil. laicis) fieri possit, sed non ex officio. Et ita est in omnibus actibus minorum ordinum, quod possint per alios licite fieri, quamvis illi ad hoc non habeant aliquod officium : sicut etiam in domo non consecrata potest dici missa, quamvis consecratio ecclesiae ad hoc ordinetur ut in ea missa dicatur » (q. 37, a. 4, ad 9).

5. Hierarchia ordinis quasi triplici gradu constat, episcopis, presbyteris, et ministris quorum nomine veniunt diaconi aliique ipsis inferiores. In episcopis potestas sacra est secundum plenitudinem, in presbyteris secundum substantiam, in diaconis aliisque secundum inchoationem et praeparationem.

6. Supra omnes episcopos debet esse aliquis superior in totam Ecclesiam. Nam « ubicumque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquod universale regimen supra particularia regimina... Et ideo cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet, si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiae supra potestatem episcopalem, qua unaquaeque specialis Ecclesia regitur ; et haec est potestas papae » (q. 40, a. 6; cfr. c. Gent. IV, 76). Non tamen est ipsis superior potestate ordinis in qua « omnes episcopi sunt aequales, et propter hoc quilibet episcopus alium potest consecrare » (ad 3) ; sed potestate iurisdictionis regendi, quae a papa in omnes debet descendere (ad 1).

QUAESTIO QUARTA.

DE MINISTRO ORDINIS.

S Th., Suppl. q. 38.

733. Minister ordinarius sacramenti Ordinis est omnis et solus episcopus. — *Certum* est ex Conc. Flor., decr. pro Arm. et ex definitione Conc. Trid., sess. 23, c. 4, can. 7.

Constat ex praxi Ecclesiae inde ab initio, uti habetur ex Scripturis (Act. VI, 6 ; XIV, 22 ; I Tim. IV, 14 ; V, 22 ; II Tim. I, 6 ; Tit. I, 5) et ex antiquis monumentis traditionis et statutis Ecclesiae antiquae.

Ratio congruentiae est, quia ad episcopum, utpote excellentiore praeditum potestate in corpus mysticum, pertinet in omnibus divinis ministeriis alios collocare, ait S. Thomas, a. 1.

Episcopus intelligitur omnis qui sit consecratus (can. 951), etiam haereticus, schismaticus, intrusus, simoniacus, excommunicatus, degradatus : valide scil. ordinat modo ritum essentialem ordinationis servet (a. 2).

734. Minister extraordinarius sacrae ordinationis est sacerdos ex commissione Pontificia, iure aut indulto

speciali concessa et tantum ad aliquos inferiores ordines conferendos (can. 951). — Constat ex variis Conciliis, ut Nic. II, c. 14 et Trid., sess. 23, de ref., c. 10 ; et ex praxi Ecclesiae, de qua S. Thomas, a. 1, ad 3 :

« Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non episcopo ea quae ad episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad corpus Christi. Et ideo 1) ex eius commissione aliquis sacerdos simplex potest conferre minores (i. e. inferiores) ordines et confirmare, non autem aliquis non sacerdos ; 2) nec iterum sacerdos maiores (superiores) ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet maiorem potestatem quam simplex sacerdos » (ad 3). Hoc alterum testantur Const. Ap. III, 20, et S. Epiphanius, c. haer. LXXV, 4.

Sacerdotes itaque delegari possunt ad conferendum :

1° ordines minores, consequenter etiam tonsuram introductoriam ; iure ad id delegantur : Cardinales (can. 239, 22°), Vicarius et Praefectus apostolicus, Abbas et Praelatus nullius (can. 957, § 2), Abbas quoque regularis de regimine (can. 964) ; quorum ordinationes tamen, extra fines *legitimae* administrationis collatae, non tantum illicitae sunt, sed etiam invalidae ;

2° etiam subdiaconatum, quia olim erat ordo inferior ;

3° forsan diaconatum, licet fieri non soleat, et multi illud negent cum S. Thoma (ad 5) ;

4° non autem ad conferendum presbyteratum aut episcopatum. Et licet pro presbyteris quidam dixerint id aliquando fuisse concessum, de concessione tamen dubitatur, aut saltem de sensu concessionis factae (quam plures intelligunt de privilegio exemptionis totalis a iurisdictione Ordinarii loci quantum ad ordinationes) ; at etiam si authentica esset, factum constitueret omnino particulare et solitarium, atque etiam brevi revocatum, quod proinde infallibilitate Ecclesiae et R. Pontificis non munitur.

735. Minister ordinarius legitimus est episcopus proprius, vel ille qui ab eo delegatur et legitimas accepit litteras dimissorias. — Constat ex Conc. Trid., sess. 23, de reform., c. 8 ; et ex can. 955.

A. *Episcopus proprius :* a) *Quoad ordinationem saecularium,* iuxta can. 956 esse potest :

1) *titulo domicilii una cum origine,* si ordinandus in eius dioecesi domicilium habeat et simul originem ;

2) *titulo simplicis domicilii,* si ordinandus in dioecesi domicilium habeat sine origine, sed animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmet ;

3) *titulo incardinationis* in dioecesi, quam ordinandus recepit sive per primam tonsuram, sive per litteras excardinationis perpetuae et absolutae a propria dioecesi et incardinationis perpetuae et absolutae in hanc alienam dioecesim, sive per beneficium residentiale quod ibi obtinuit (can. 111-114).

Notetur : a) Locus originis filii, etiam neophyti, est ille in quo, cum filius natus est, domicilium, aut, in defectu domicilii, quasi-domicilium habebat pater vel, si filius sit illegitimus aut postumus, mater ; — at si agatur de filio vagorum, locus originis est ipsemet nativitatis locus ; si de exposito, est locus in quo inventus fuit (can. 90).

b) Qui duo domicilia habet in diversis dioecesibus, ab alterutro episcopo ordinari potest, at recepta ordinatione non potest amplius ad utramque dioecesim pertinere, quia ordinatione a proprio episcopo suscepta eiusdem dioecesi incardinatur.

c) Potest tamen episcopus dioecesis in qua aliquis domicilium habet, eum ordinare pro servitio alius dioecesis, quo in casu per primam tonsuram huic alii dioecesi incardinatur (com. int. 17 aug. 1919).

d) Nec prohibetur episcopus proprium promovere subditum (ratione domicilii), qui in futurum, praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur (can. 969, § 2).

e) Illi qui caret episcopo proprio, nihil remanet nisi quod sibi provideat indulto apostolico.

b) *Quoad religiosos professos ordinandos,* iuxta can. 965, est episcopus dioecesis in qua sita est domus religiosa ad cuius familiam pertinet ordinandus ; — nisi habeant speciale indultum.

Ad illum igitur superior religiosus litteras dimissorias mittere debet ; ad alium vero episcopum eas tantum mittere potest, cum 1) episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut 2) sit diversi ritus, aut 3) sit absens, aut 4) non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore (i. e. sabbatis 4 temporum, sabbato ante dominicam passionis, et sabbato sancto), vel denique 5) cum dioecesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat (can. 966, § 1). Attamen :

a) necesse est ut singulis in casibus id episcopo ordinaturo constet ex authentico curiae episcopalis testimonio (can. 966, § 2) ;

b) caveant superiores religiosi ne in fraudem episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria ad id tempus differant, quo episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes (can. 967).

B. *Ab episcopo proprio delegatus* potest licite ordinare dummodo legitimas acceperit ab Ordinario ordinandi litteras *dimissorias*. Sunt litterae quibus competens superior dimittit proprium subditum ad episcopum alienum cum facultate ab eo ordines suscipiendi ; unde differunt a litteris *testimonialibus* quibus datur solum attestatio authentica de natalibus, aetate, moribus, doctrina, aptitudine ordinandi, qui dignus exhibetur cui ordines conferantur.

Litteras dimissorias *pro saecularibus* dare possunt quamdiu iurisdictionem in suo territorio retinent :

1° Episcopus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime ceperit, licet nondum consecratus ;

2° Vicarius generalis, ex speciali tamen episcopi mandato ;

3° Vicarius capitularis post annum a sede vacante et de capituli consensu ; intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti aut recipiendi, aut ratione alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum ; — tamen litteras dimissorias ne concedat iis qui ab episcopo reiecti fuerunt ;

4° Vicarius ac praefectus apostolicus, Abbas vel Praelatus nullius, licet episcopali charactere careant, etiam ad ordines maiores (can. 958).

Quantum *ad ordinationem religiosorum*, religiosi exempti a nullo episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii superioris maioris ; at superiores professis votorum simplicium praeviorum i.e. ante professionem perpetuam, litteras dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores, revocato quolibet indulto contrario (can. 964, 2°, 3° et 4°).

Notetur : Vicarius ac Praefectus apostolicus, Abbas vel Praelatus nullius, si charactere episcopali polleant, episcopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem (can. 957, § 1) ; item qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines conferre per se ipse, si necessariam ordinis potestatem habeat (can. 959).

736. Dispositiones speciales Iuris canonici. — A. *Quoad consecrationem episcopalem :*

1° « Consecratio episcopalis reservatur R. Pontifici ita ut nulli episcopo liceat quemquam consecrare in episcopum nisi prius constet de pontificio mandato » can. 953 ; secus agentes eo ipso suspensi sunt donec Sedes apostolica dispensaverit (can. 2370).

2° « Episcopus consecrator debet alios duos episcopos adhibere qui sibi in consecratione assistant, nisi hac super re a Sede apostolica dispensatum fuerit » can. 954 ; nec proinde ad validitatem. Ex Constitutione Apostolica, 30 nov. 1944, episcopi assistentes considerandi sunt tanquam co-consecratores ac eadem facere debent ac consecrator principalis.

B. *Quoad ordinatos ab ipso R. Pontifice :* « Nemini licet ordinatum a R. Pontifice ad altiorem ordinem promovere sine Sedis apostolicae facultate » can. 952.

C. *Quoad episcopum proprium :* « Episcopus proprius, iusta causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet ; sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest » can. 955, § 2.

D. *Quoad litteras dimissorias :*

1° « Litterae dimissoriae mitti possunt ab episcopo proprio, etiam Cardinali episcopo suburbicario, ad quemlibet episcopum, communionem cum Sede apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, episcopo ritus diversi a ritu promovendi » can. 961.

2° « Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis omnibus testimoniis quae iure exiguntur (ad ordinationem)... » can. 960.

3° « Quilibet episcopus, acceptis legitimis litteris dimissoriis, alienum subditum licite ordinat, dummodo ipse de germana litterarum fide dubitare nullatenus possit », nec nova testimonia necessaria sint, quia post obtentas litteras tempus decurrit sufficiens quo promovendus contrahere potuerit canonicum impedimentum : can. 962 et 994.

4° « Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedente vel ab eius successore limitari aut revocari, sed semel concessae non extinguuntur resoluto iure dantis » can. 963.

5° « In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi apostolicae reservatam ipso facto incurrunt : qui contra praescriptum can. 955, alienum subditum sine Ordinarii proprii litteris dimissoriis ordinaverint ;... et qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii superioris, nisi legitime probatum fuerit aliquem e casibus occurrere, de quibus can. 966 et supra n. 735, A, b (can. 2373).

E. *Quoad tempus ordinationis :*

1° « Consecratio episcopalis conferri debet intra missarum solemnia, die dominico vel natalitio Apostolorum.

2° « Ordinationes in sacris celebrentur intra missarum solemnia sabbatis 4 temporum, sabbato ante dominicam passionis, et sabbato sancto.

3° « Gravi tamen causa interveniente, episcopus potest eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto [1].

4° « Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest ; ordines minores singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen.

5° « Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora praecedentibus paragraphis praescripta ; quae servanda quoque sunt, cum episcopus latini ritus ordinat ex apostolico indultu clericum ritus orientalis aut contra » (can. 1006).

1. Quidam intelligunt de festis praeceptis etiam suppressis, conformiter ad Pontificale ; sed id reprobatum fuit a com. int. 15 maii 1936.

F. *Quoad locum ordinationis :*

1° « Ordinationes generales in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ecclesiae canonicis, publice celebrentur ; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia adeatur.

2° « Non prohibetur autem episcopus, iusta suadente causa, ordinationes particulares habere in aliis etiam ecclesiis itemque in oratorio domus episcopalis aut Seminarii aut religiosae domus.

3° « Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in privatis oratoriis » can. 1009.

QUAESTIO QUINTA.

DE SUBIECTO ORDINIS.

S. Th., Suppl. q. 39, a. 1-2, et q. 30.

737. **Subiectum capax sacramenti Ordinis** est solus vir baptizatus (can. 968), et, si sit adultus, habitualem saltem habens intentionem suscipiendi Ordinem.

Incapax igitur est :

1° Femina, uti constat tum ex Apostolo docenti (I Cor. XIV, 34-35 ; I Tim. II, 11-13 ; Eph. V, 22, 24) non esse mulieri permissum loqui in ecclesia, nec docere, nec dominari in virum, sed eam debere discere in silentio cum omni subiectione ; tum ex praxi et traditione Ecclesiae. Ratio est quia in muliere deficit significatio sacramenti, ut ait S. Thomas, q.39, a. 1 : « cum in sexu femineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subiectionis habet, ideo non potest Ordinis sacramentum suscipere ». Addit S. Bonaventura, in IV, d. 25, mediatorem, Christum, cuius legatione funguntur sacerdotes, esse virum, non mulierem.

2° Non baptizatus, quia Baptismus est ianua aliorum sacramentorum et fundamentum, cum charactere baptismali homo capax fiat illa aliaque sacra valide recipiendi.

3° Adultus qui caret intentione saltem habituali, i. e. habita et non retractata, recipiendi Ordinem, uti constat ex principiis generalibus theologiae sacramentalis (n. 92-93).

Hinc : a) Infantes et perpetuo amentes valide ordinantur, sed illicite ; nec exinde quadam obligatione tenentur, nisi post adeptum sufficientem usum rationis, optionem faciant pro ordine suscepto et ita ordinem ratum habeant, ut dicit Ben. XIV, instr. *Eo quamvis* 4 maii 1745, § 23.

b) Valide ordinantur ebrii et dormientes, qui antea habuerint intentionem non retractatam.

c) Invalide ordinantur qui, physica vi coacti, prorsus sunt reluctantes.

d) Pariter invalide ordinatur qui ficte accedit, aut modo iocantis et ludentis ritum in se fieri sinit.

e) Qui gravi metu coactus consentit, valide ordinatur ; at postea, remoto metu, potest ordinationem ratam habere saltem per Ordinis exercitium, ita volens obligationibus se subiicere, vel obtenta sententia iudicis ad statum laicalem sine ullis reduci obligationibus (can. 214, § 1).

f) Episcopae, presbyterae, diaconissae, de quibus sermo est in historia primitivae Ecclesiae, non recipiebant ordinationem sacramentalem ; sed quandoque mere caeremonialem.

g) Hermaphroditus, si quis sit, valide ordinatur dummodo in ipso praedominetur sexus masculinus.

738. **Subiectum licitae ordinationis** est ille qui habet dispositiones et conditiones requisitas, scil. statum gratiae et vitae probitatem, immunitatem a censuris, irregularitatibus aliisque impedimentis, characterem confirmationis, animum clericandi, et approbationem proprii Ordinarii iudicantis de dotibus et qualitatibus debitis (can. 968).

1° *Status gratiae* requiritur, quae obligatio gravis est saltem pro ordinibus qui certo habent dignitatem sacramenti, ut diximus n. 96-97 ; ceterum « cum... ordine aliquis constituatur dux aliis in rebus divinis, quasi praesumptuosus mortaliter peccat qui cum conscientia peccati mortalis ad ordines accedit » (q. 36, a. 1). Pro aliis probabiliter est de se levis, quamvis per accidens requiratur sub gravi, ratione communionis in ordinatione recipiendae.

2° *Vitae probitas* (can. 973 et 974, 2°), de qua Conc. Trid., sess. 23 de ref., c. 12 : « sciant... episcopi... debere ad hos ordines assumi dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus sit », imo ad presbyteratum qui sint « pietate et castis moribus conspicui » (c. 14), et S. Thomas : « Ordines sacri praeexigunt sanctitatem; sed status religionis est exercitium ad sanctitatem assequendam » II-II, q. 189, a. 1, ad 3. Quod facile intelligitur ex eminentia potestatis sacrae et sacerdotii (Cfr. I Tim. III et Tit. I).

Qui vitam honestam non habet sufficienter probatam, vel habituatus in vitio turpi, puta luxuriae, nondum sufficienter est emendatus, prohibendus est ab ordinibus sacris etiam sub poena denegatae absolutionis ; nisi forsan extraordinariae conversionis qua plane immutetur et a fragilitate omnino liberetur, *indubia* praebeat signa, quod est rarissimum [1].

---

1. Cfr. S. Alphonsus, Th. M., l. VI, n. 53 et opusc. nostrum *De Variis Poenitentium Categoriis*, c. 1, q. 4, VII.

3° *Immunitas ab irregularitatibus, censuris aliisque impedimentis,* quae ex natura sua impediunt exercitium ordinis vel ab Ecclesia fuerunt statuta (can. 968).

4° *Character Confirmationis,* ut exigit Conc Trid., sess. 23 de ref., c. 4, et can. 974,1° ; secus non censentur satis firmi in fide, nec decet ut aliorum duces constituantur qui nondum facti sunt Christi milites. Qui tonsuram aut ordines secus susceperit, non potest, utpote male promotus, ad alios ordines ascendere, nec retinere beneficia de quibus fuit provisus, sine Pontificis dispensatione (S. C. C. 27 sept. 1601).

5° *Animus clericandi,* i. e. propositum permanendi in statu clericali et serviendi Deo per ordinis suscepti ministeria, imo, ex can. 973, § 1, propositum ascendendi ad presbyteratum et talis vitae habitudo ut prudenter expectari possit ordinandum fore dignum sacerdotem. Ordinatus tamen, si ascendere renuat, non potest cogi, nec a recepti ordinis exercitio prohiberi, nisi adsit gravis causa vel impedimentum (ib., § 2).

6° *Iudicium proprii Ordinarii de qualitatibus debitis* seu de canonica idoneitate ; quod positivis argumentis innixum et moraliter certum esse debet, et quidem sub culpa gravi (can. 973, § 3).

739. Qualitates et dotes in ordinando requisitae numerari solent : vocatio divina, aetas legitima, scientia debita, mores congruentes, et, pro ordinis maioribus, titulus sustentationis.

1. *Vocatio divina,* ut innuitur Hebr. V, 4 et Ioh. XV, 16. Ordinatus enim est mediator homines inter et Deum, a quo proinde acceptari debet ; est dispensator mysteriorum Dei, unde ab eo legitime est deputandus.

Cuius signa sunt idoneitas ad statum clericalem et sacerdotium ex gratiae et naturae dotibus, recta intentio seu libera, firma et constans voluntas obligationes status assumendi et exequendi, et plerumque supernaturalis propensio seu gratiae incitamentum, licet id lege ordinaria necessarium non sit. Quae signa constituunt vocationem internam et in actu primo ; in actu secundo formaliter confertur et externe completur per episcopum vocantem nomine Dei[1].

2. *Aetas canonica,* ut constat ex Conc. Trid., sess. 23, de ref., c. 12, et ex can. 974, 3° et 975.

Pro tonsura et ordinibus minoribus nulla aetas directe determinatur ; sed solum indirecte quatenus aliae qualitates requirantur, uti certa scientia. Pro ordinibus maioribus statuit can.

1. Cfr. Lahitton, *La vocation sacerdotale ;* Hurtaud, *La vocation au sacerdoce ;* Mulders, *La vocation au sacerdoce.*

975 : « Subdiaconatus ne conferatur ante annum 21^m^ completum ; diaconatus ante 22^m^ completum ; presbyteratus ante 24^m^ completum »; pro episcopatu requiritur annus 30^s^ completus ex can. 331, 2°. Quae intelligenda sunt de anno civili et stricte intelligenda, ut non possit ordinari absque dispensatione, cui paucae tantum horae desunt.

Dispensatio de aetate pertinet ad s. Sedem ; quae rarissime dispensat ad subdiaconatum, raro ad diaconatum, saepius ad presbyteratum etiam in defectu unius anni cum dimidio. Episcopis delegare solet facultatem dispensandi in defectu unius anni, sed tantum ad sacerdotium suscipiendum.

3. *Scientia debita,* ut constat ex Conc. Trid., sess. 23, de ref., c. 13-14, et ex can. 974, 4°, qua ordinandus sciat : « tantum... quod sufficiat ad hoc quod dirigatur in actu ordinis illius..., plus vel minus secundum quod ad plura vel pauciora se eius officium extendit ; scil. ut illi qui aliis praeponuntur curam animarum suscipientes, sciant ea quae ad doctrinam fidei et morum pertinent, et alii sciant ea quae ad executionem sui ordinis spectant » (q. 36, a. 2).

Ex can. 976 : « 1. Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum. 2. Subdiaconatus ne conferatur, nisi exeunte tertio cursus theologici anno, diaconatus nisi incepto quarto anno ; presbyteratus nisi post medietatem eiusdem quarti anni. 3. Cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in scholis ad id institutis secundum studiorum rationem in iure, can. 1365 determinatam.

Ex can. 331, 5° episcopus sit laurea doctoris vel saltem licentia in s. theologia aut iure canonico potitus in athenaeo vel instituto studiorum a s. Sede probatis, vel earumdem disciplinarum vere peritus ; quodsi ad religionem aliquam pertineat, a suis superioribus maioribus vel similem titulum vel saltem verae peritiae testimonium habeat.

4. *Mores congruentes* ordini suscipiendo, quae ex probitate vitae innotescant ita ut prudenter expectari possit ordinandum digne ordinem exercere atque fore dignum sacerdotem (can. 974, 2° et 973).

Ob hanc causam in iure statuitur : a) Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros, qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in eis vocationis germen foveant (can. 1353).

b) Curandum ut ad sacros ordines adspirantes inde a teneris annis in Seminario recipiantur ; sed omnes ibidem commorari tenentur saltem per integrum sacrae theologiae curriculum, nisi Ordinarius in casibus peculiaribus, gravi de causa, onerata eius conscientia, dispensaverit (can. 972, § 1).

c) Qui ad ordines adspirant et extra Seminarium legitime morantur, commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui eis invigilet eosque ad pietatem informet (ib., § 2).

5. *Titulus sustentationis* est cautio qua providetur ordinando de honesta et perpetua sustentatione (can. 979, § 2). Requiritur pro ordinibus maioribus ex Conc. Trid., sess. 23, de ref., c. 2, et ex can. 974, 7°, tum ne clerici vilem artem exercere vel mendicare cogantur, tum ut liberius vacent spiritualibus.

Titulus varius esse potest.

A. *pro clericis saecularibus :*

1° Titulus *canonici beneficii* (can. 979, § 1), quod scil. actu est obtentum et pacifice possessum.

2° Eo deficiente titulus *patrimonii* aut *pensionis* (ib.), cuius quantitas et ratio, ut sit vere sufficiens, statutis vel normis Ordinarii definienda est (ib., § 2).

3° Deficientibus titulis consuetis, supplere potest titulus *servitii dioecesis,* aut etiam *missionis* pro locis S. C. de Prop. Fide subiectis, ita tamen ut ordinandus iureiurando se devoveat perpetuo dioecesis aut missionis servitio (can. 981, § 1) : ingressus in religionem iuramento non excluditur in dioecesi, at excluditur in missionibus, sine licentia S. Sedis.

B. *pro religiosis :*

1° Titulus *paupertatis* seu solemnis professionis religiosae, pro regularibus, qui scil. vota emiserunt solemnia (can. 982, §1).

2° Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum, titulus *mensae communis* seu *congregationis* aliusve, ad normam constitutionum (can. 982, § 2).

Notetur : a) Qui titulum amittit, non ideo suspensus est, sed alium sibi providere debet, nisi, iudicio episcopi, eius congruae sustentationi aliter cautum sit (can. 980, § 1).

b) Episcopus qui sine titulo canonico scienter ordinaverit vel ordinari permiserit subditum, debet ipse eiusque successor, eidem egenti alimenta necessaria praebere, donec congruae sustentationi aliter provisum fuerit (ib., § 2).

c) Quod si episcopus aliquem ordinaverit sine titulo cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum omni vi caret (ib., § 3).

d) Titulus insufficiens beneficii patrimonio suppleri potest et e converso, ut resolvit S. C. C., prout habet Ben. XIV, *Quaest. can.* 46.

e) Dimissio beneﬁii, cuius titulo clericus ordinatus fuit, irrita est, nisi expressa mentio fiat clericum illius titulo promotum fuisse, eidemque, de consensu Ordinarii, alium titulum substituisse (can. 1485).

f) Religiosi cum votis temporalibus, ad ordinationis titulum quod attinet, iure saecularium reguntur (can. 982, § 3).

g) Religiosi qui egrediuntur, sibi alium titulum quaerere debent, et interim donec episcopum benevolum receptorem invenerint, aut Sedes apostolica aliter providerit, extra religionem sacros ordines exercere nequeunt (can. 641).

740. Dispositiones speciales iuris canonici de modo procedendi ad ordinationes.

A. *Quantum ad examen* instituendum de qualitatibus et dotibus seu de ordinandi idoneitate, ad mentem can. 973 :

a) *quoad bonos mores,* testimonium afferre debet sui superioris vel sacerdotis cui commendatus fuerit (can. 993).

b) *quoad debitam scientiam,* quilibet promovendus sive saecularis sive religiosus debet praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum ; promovendi ad ordines sacros in aliis quoque de s. theologia tractationibus periculum faciant, secundum modum et materiam ab episcopo determinanda qui proprio iure ordinat vel dat dimissorias litteras, qui tamen potest illud alieno episcopo ordinaturo committere si id oneris suscipere hic velit (can. 996-997).

At alienus episcopus ordinans licet possit, non tamen tenetur litteris dimissoriis acquiescere quibus asseritur candidatum examinatum fuisse et idoneum repertum ; sed si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum non promoveat (can. 997, § 2).

B. *Quantum ad publicationes* faciendas ad indagandum de ordinandi moribus et de ordinum impedimentis, valet can. 998 :

« § 1. Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, exceptis religiosis a votis perpetuis sive solemnibus sive simplicibus, publice denuntientur in paroeciali cuiusque candidati ecclesia ; sed Ordinarius pro sua prudentia potest tum ab hac publicatione dispensare ex iusta causa, tum praecipere ut in aliis quoque ecclesiis peragatur, tum publicationi substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur.

« § 2. Publicatio fiat die festo de praecepto in ecclesia inter missarum solemnia aut alia die et hora quibus maior populi frequentia in ecclesia habeatur.

« § 3. Si sex intra menses candidatus promotus non fuerit, repetatur publicatio, nisi aliud Ordinario videatur ».

Notetur : a) « Omnes fideles obligatione tenentur impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Ordinario vel parocho ante s. ordinationem revelandi » (can. 999).

b) « Parocho qui publicationem peragit, et etiam alii, si id expedire videatur, Ordinarius committat ut de ordinandorum moribus et vita a fide dignis diligenter exquirat et litteras testimoniales, ipsam investigationem et publicationem referentes, ad Curiam transmittat ». Atque « Ordinarius alias percontationes etiam privatas, si id necessarium aut opportunum iudicaverit, facere ne omittat » (can. 1000).

C. *Quantum ad gradationem*, ponit can. 977 :

« Ordines gradatim conferendi sunt ita ut ordinatio per saltum omnino prohibeatur », de quo vide n. 732, 2.

D. *Quantum ad interstitia*, notetur can. 978 :

« § 1. In ordinationibus serventur temporum interstitia quibus promoti in receptis ordinibus, secundum episcopi praescriptum, sese exerceant ». Quod tamen exercitium non est rigorose praeceptum.

« § 2. Interstitia primam tonsuram inter et ostiariatum vel inter singulos ordines minores prudenti episcopi iudicio committuntur ; acolythus vero ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur, quam acolythus unum saltem annum, subdiaconus et diaconus tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, iudicio episcopi, aliud exposcat ».

« § 3. Nunquam tamen, nisi de peculiari licentia R. Pontificis, minores ordines cum subdiaconatu duove sacri ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur ; — imo nec primam tonsuram conferre licet una cum aliquo ex ordinibus minoribus, neque omnes ordines minores una simul », licet consuetudo contraria non reprobetur.

E. *Quantum ad exercitia spiritualia* ordinationi praemittenda, audiatur can. 1001 :

« § 1. Qui ad primam tonsuram et ordines minores promovendi sunt, spiritualibus exercitiis per tres saltem integros dies ; qui vero ad ordines sacros, saltem per sex integros dies vacent ; sed si qui, infra semestre, ad plures ordines maiores promovendi sint, Ordinarius potest tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen ultra tres integros dies ».

« § 2. Si, expletis exercitiis, sacra ordinatio qualibet de causa ultra semestre differatur, exercitia iterentur ; secus iudicet Ordinarius utrum iteranda sint, necne ».

« § 3. Haec spiritualia exercitia religiosi peragant in propria domo vel in alia de prudenti superioris arbitrio ; saeculares vero in Seminario, aut in alia pia vel religiosa domo ab episcopo designata ».

F. *Quantum ad testimonia* episcopo afferenda :

I. Promovendi *saeculares* aut *religiosi qui*, quod pertinet ad ordinationem, *saecularium iure reguntur*, afferant :

1° Testimonium ultimae ordinationis aut, si de prima tonsura agatur, recepti Baptismatis et Confirmationis.

2° Testimonium de peractis studiis, pro singulis ordinibus, ad normam can. 976, requisitis (n. 739, 3).

3° Testimonium rectoris Seminarii, aut sacerdotis cui candidatus extra Seminarium commendatus fuerit, de bonis eiusdem candidati moribus.

4° Testimoniales litteras Ordinarii loci in quo promovendus tantum temporis moratus est ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit (i. e. ex can. 994 trimestre pro militibus, pro aliis semestre post pubertatem, quod intelligi potest moraliter continuum).

5° Testimoniales superioris maioris religiosi, si cui religioni promovendus adscriptus sit (can. 993).

6° Insuper, iuxta can. 1001, § 4, de peractis spiritualibus exercitiis testimonium a superiore domus in qua peracta fuerint ; vel a superiore maiori, si agatur de religiosis.

II. *Religiosi qui proprio iure reguntur*, scil. professi cum votis perpetuis, afferre debent litteras *dimissorias* superioris religiosi, quibus is non solum testari debet promovendum professionem religiosam emisisse et esse de familia domus religiosae sibi subditae, sed etiam de studiis peractis et de aliis iure requisitis, sicut modo dictum est ; quibus acceptis litteris episcopus aliis testimonialibus non indiget (can. 995).

Notetur ex can. 994 : a) Episcopus ordinans, pro sua prudentia, exigere potest litteras testimoniales etiam ob brevius commorationis tempus, et ob tempus quod pubertatem praecesserit.

b) Si Ordinarius promovendum non satis noverit ut testari possit eum nullum impedimentum in suo territorio contraxisse, aut si promovendus per tot dioeceses vagatus sit ut impossibile aut nimis difficile evadat omnes litteras testimoniales exquirere, provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium a promovendo praestandum.

c) Si post obtentas litteras et ante ordinationem, promovendus in eodem territorio rursus praedicto temporis spatio (3 vel 6 mensium) moratus sit, novae litterae testimoniales Ordinarii loci necessariae sunt.

G. *Instructiones speciales* recentissime datae fuerunt a S. C. Sacr. et a S. Congr. Relig.

I. *Pro clericis*. Ut maiore cum prudentia et certitudine ii qui vere vocati videntur, cum plena libertate ad ordines tendunt atque digni sunt, seligantur aliis relictis, S. C. Sacr., 27 dec. 1930, instructionem dedit de scrutinio ordinandorum instituendo. Normas tradit generales circa inquisitiones, quae tamen omnes non sunt in singulis casibus faciendae, dummodo de moribus explorata sint ea quae requiruntur ut ad ordinem tuto procedi possit.

1. *Ante primam tonsuram et ordines minores* faciendum est scrutinium :

a) Candidatus, duos saltem ante menses, moderatori seminarii autographam et subscriptam petitionem tradere debet, qua significet se libere et spontanea voluntate primam tonsuram et ordines minores postulare.

b) Declaratio candidati, cum attestatione de susceptis Baptismo et Confirmatione, a seminarii moderatore, una cum sua personali de candidati idoneitate informatione transmittatur episcopo; qui eam remittit dicto moderatori vel alii, cum mandato inquirendi.

c) Hic a praefectis, a doctoribus, tum separatim tum simul congregatis, vel et a deputatis pro disciplina seminarii si de persona edocti sint, diligentissime exquiret de qualitatibus et moribus candidati, atque collectas notitias cum proprio iudicio episcopo remittet.

d) Episcopus quoque mandabit parocho alumnorum, ut inquirat de moribus candidati, de existimatione parentum et rei familiaris ratione, de abnormali propensione quam candidatus fortasse ex parentibus hauserit, et nominatim si parentes impellant ad sacerdotium aut timeant damnum in casu ordinationis postpositae. Quodsi hoc prudenter suspicetur, episcopus moneat ipsos de excommunicatione can. 2352.

Parocho, si esset cum promovendo coniunctus, alius sacerdos substituatur.

e) Episcopus ipse a moderatore et eius vices gerente, seorsim auditis, expetat quid de candidato, post notitias acceptas et examinatas, sentiant; atque etiam alias personas interroget, praesertim si aliquid dubii supersit.

f) Episcopus per se, vel per ecclesiasticam personam in dignitate constitutam, paterne intimius candidatum interroget, adhortetur ad fiduciam et consilio adiuvet.

2. *Ante ordines maiores*, iterum inspiciendae erunt inquisitiones antea factae et sedulo conservatae, atque novae perscrutationes de moribus ante subdiaconatum erunt faciendae, servata methodo iam explicata.

Quodsi nulla canonica ratio suadeat alumnum esse arcendum, ipse sua manu scribere debebit declarationem, iuramento firmatam, qua fatetur se omnimoda libertate ad s. ordinem accedere, riteque perspecta habere omnia onera adnexa. Quae declaratio similiter exaranda est ante diaconatum et presbyteratum.

Quoties episcopus, antequam ad diaconatum aut ad presbyteratum promoveat, pro certo habeat canditatum esse vocatione destitutum, S. Sedem adire debet eique statum rerum candide et plane referre.

Acta in perscrutationibus confecta sub secreto servanda sunt in tabulario curiae.

II. *Pro religiosis*, instructionem specialem similiter edidit S. C. de Relig., 1 dec. 1931, in qua haec speciatim notanda veniunt. Cum superioribus competat ius litteras dandi dimissoriales vel testimoniales, obligationes habent similes episcoporum probandi candidatos.

1. *Ante professionem votorum temporalium*, quae praecedere debet ordinationes:

a) Novicii scriptam petitionem superiori deferant, in qua expresse testentur suam ad statum religiosum et clericalem vocationem, simulque firmum propositum pendant perpetuo se militiae clericali, in statu regulari, mancipandi.

b) Superiores quemquam ad ordines ascendere non sinant, quamdiu de eiusdem moribus, pietate, modestia, castitate, ad statum clericalem propensione, in studiis ecclesiasticis profectu, necnon religiosa disciplina, sibi per accuratum scrutinium non constiterit. Ad quem finem exquirant testimonia magistri spiritus aliorumque, quibus, ob specialem cum alumnis frequentiam, eorum vitam moresque pernoscere contigerit; quae testimonia sedulo ponderanda sunt.

c) Superior ipse, per se vel per alium, scientia ac prudentia praeditum, sibique adolescentum fiduciae comparandae idoneum, hos interroget ut certior reddatur ipsos libere ac scienter ordines in statu religioso appetere.

2. *Ante professionem, sive solemnem sive perpetuam*, quae praecedere debet ordinum maiorum susceptionem; vel, ubi non sunt vota perpetua, post triennium votorum completum, aut, si non sint vota, post triennium completum a prima post noviciatum cooptatione in societatem:

a) Nova inquisitio facienda est, comparando documenta prioris inquisitionis cum praesenti statu. Quod si digni et idonei inventi fuerint, superiores litteras dimissoriales concedere possunt, iis servatis quae in iure canonico propriisque constitutionibus statuuntur.

b) Insuper testificationem manu propria subscriptam et iurisiurandi fide, coram superiore firmatam, exigere debent, in qua candidatus 1. affirmat se libere sacrum ordinem amplecti velle cum adnexis oneribus; 2. haec esse ipsi cognita fatetur atque eadem proponit toto vitae curriculo velle servare; 3. quae castitatis voto et coelibatus lege praecipiuntur, testatur se clare perspicere, eaque integre servare usque ad extremum vitae, Deo adiuvante, firmiter statuit; 4. denique sincera fide spondet iugiter se fore obsequentissime obtemperaturum iis omnibus quae sibi a praepositis, iuxta Ecclesiae disciplinam, praecipiuntur.

c) De quibus omnibus, in dimissorialibus et testimonialibus litteris, superiores testari debent episcopo ordinatori; cui tamen liberum est alumnos ordinandos etiam privatim interrogare.

Ante diaconatum et presbyteratum non sunt tam amplae informationes et nova testimonia necessaria. At si in intervallo nova acciderint, quae dubiam aut nullam vocationem commonstrent, praescrutatione diligentissime peracta, additoque virorum prudentum consilio, novi ordinis susceptionem superiores penitus interdicant, remque referant ad S. C. Relig. quae pro opportunitate providebit.

Acta praedicta in archivo sunt asservanda.

741. Animadversiones.— 1. Promovendi ad subdiaconatum omnes *professionem fidei* emittere tenentur ex praescripto

can. 1406, § 1, 7° ; atque Ordinario competit ius eam ante collationem singulorum ordinum denuo exigendi, si id necessarium vel utile duxerit (S. Off., 22 mart. 1918).

2. Omnes ad maiores ordines promoti obligatione tenentur sacrae communionis in ipsa ordinationis Missa recipiendae (can. 1005) ; quae obligatio pro neo-sacerdotibus *certo* est gravis, ad Missae Sacrificium complendum.

3. In suspensionem per annum ab ordinum collatione Sedi apostolicae reservatam ipso facto incurrunt: qui sine debitis litteris testimonialibus subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, ordinaverint contra praescriptum can. 993-994 ; aut qui aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverint contra praescriptum can. 974 (can. 2373).

4. Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines *malitiose* accesserit, est ipso facto *a recepto ordine suspensus;* qui autem sine litteris testimonialibus vel detentus aliqua censura, irregularitate aliove impedimento, gravibus poenis secundum rerum adiuncta puniatur (can. 2374).

5. In fine ordinationis *episcopus imponere quaedam onera solet*, verbis utendo Pontificalis : « Singuli ad primam tonsuram vel ad quatuor minores Ordines promoti, dicite semel septem psalmos poenitentiales cum Litaniis, versiculis et orationibus ; ad subdiaconatum vel diaconatum, nocturnum talis diei. Ad presbyteratum vere ordinati, post primam vestram missam, tres alias, videlicet, unam de Spiritu sancto, aliam de B. Maria semper Virgine, et tertiam pro fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate ».

Iamvero : a) Non constat de obligatione gravi, imo sunt auctores qui tenent nec probari obligationem levem, quia episcopus non intendit imponere verum praeceptum.

b) Nocturnus intelligitur vel nocturnus feriae, vel primus nocturnus festi aut Dominicae, prout ordinatio feria, festo vel dominica habita fuerit (S. C. R. 27 iun. 1899) ; constat autem nocturnus psalmis cum antiphonis, sine lectionibus, invitatorio et hymno (19 iul. 1903). At nihil impedit quominus episcopus alium nocturnum aut alius diei iniungat.

c) Tres missae intelliguntur votivae, nisi occurrat festum B. M. V. aut dies qua missa de Spiritu sancto dicenda sit : tunc ea celebratione oneri satisfit. Missae celebrandae sunt cumprimum adveniunt dies non impediti.

d) Nihil prohibet quominus pro missis stipendium recipiatur, licet id videri possit minus conveniens.

6. Expleta ordinatione :

a) Nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis,

locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur (can. 1010, § 1).

b) Singulis ordinatis detur authenticum ordinationis receptae documentum : qui, si ab episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo servando (can. 1010, § 2).

c) Praeterea loci Ordinarius, si agatur de ordinatis e clero saeculari, aut Superior maior, si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissoriis, notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittat ad parochum baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro ad normam can. 470, § 2 (can. 1011).

APPENDIX.

DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS.

S. Th., Suppl. q. 39.

Ordinandus immunis sit oportet a quibuscumque censuris, irregularitatibus aliisque impedimentis. De censuris diximus supra. Est autem differentia inter irregularitatem et simplex impedimentum, quod irregularitas sit de se perpetua perpetuoque impediens ordinis receptionem, nisi dispensatione tollatur ; e contra simplex impedimentum de se sit non perpetuum atque certis cesset adiunctis. De quibus breviter sumus dicturi ; plura videri possunt apud commentatores Codicis, uti Blat, Vermeersch-Creusen, Claeys Bouaert-Simenon.

742. Irregularitas (*onbevoegdheid*) etymologice est recessus a regula, unde cum in praesenti agatur de sacris ordinibus et de statu clericali, *irregularis* dicitur ille qui extra categoriam est illorum existens qui sunt capaces ad statum clericalem assumendum, seu, ut loquitur Conc. Nic. I, *alienus a regula* seu a canone i. e. a registro ecclesiae cui clericus adscriptus est per ordinationem. Hinc irregularitas definitur : impedimentum de se perpetuum in lege canonica expressum quo prohibetur vir baptizatus primario ab ordinum licita susceptione et secundario a receptorum ordinum exercitio (can. 968 et 983).

Irregularitas 1) est *impedimentum*, unde non necessario supponit culpam nec proprie habet rationem poenae vindicativae, sed est inhabilitas quae directe statuitur ob dignitatem et decentiam sacri ministerii ut in finem ; — 2) *perpetuum*, et ita distinguitur a simplici impedimento quod de se cessare potest, dum irregularitas non tollitur nisi dispensatione ; — 3) *in lege canonica expressum* (can. 983), quia iuridicam originem habet ius ecclesiasticum, et ita distinguitur ab inhabilitatibus e iure divino ortis, quae non solum illicitam reddunt ordinationem sed et invalidam (n. 737) ; quapropter s. Pontifex irregularitatem incurrere non potest ; — 4) *prohibens* a sacra ordinatione, quo nomine etiam venit prima tonsura, *licite* recipienda aut ea recepta exercenda ; ita quod duplicem habeat effectum et illicitam reddat ordinum receptionem atque receptorum exercitationem (can. 968).

Est ergo impedimentum, non irritans seu dirimens, sed mere impediens a receptione Ordinum aut a receptorum exercitio, non vero ab actibus solius iurisdictionis.

Hinc tum ordinans qui irregularem promovet, tum irregularis qui ordinem suscipit vel exercet, graviter peccat, nisi excuset parvitas materiae aut grave incommodum.

In dubio de irregularitate, si sit dubium iuris, irregularitas non contrahitur ; in dubio facti, Ordinarius dispensare potest in irregularitatibus in quibus s. Pontifex dispensare solet (can. 15).

Oritur proxime et ipso facto irregularitas, alia *ex defectu*, alia *ex delicto* personali ; ex parte autem effectus, est *totalis* quae omnis susceptionem aut omnis suscepti ordinis usum impedit, ut est homicidium, vel *partialis* quae solum ascensum ad superiorem ordinem aut solum alicuius ordinis exercitium impedit : ita sacerdos absque culpa pollice privatus a sola celebratione missae prohibetur, non autem ab aliis actibus v. g. auditione confessionis.

Cum irregularitates aliaque impedimenta sint inhabilitates, a quibus nulla ignorantia excusat nisi expresse dicatur (can. 16), hinc :

1° « Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat » (can. 988).

2° Irregularitates et impedimenta multiplicantur sicut inhabilitates, multiplicatis eorum causis nisi aliud caveatur ; hinc : « Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorumdem causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario » (can. 989) ; non igitur ex abortu, nisi in casu quo certo sit homicidium.

3° Omnes irregularitates et impedimenta tolli possunt dispensatione regulariter a S. Sede concedenda ; attamen :

a) « Licet *Ordinariis* per se vel per alium *suos subditos* dispensare ab irregularitatibus omnibus *ex delicto occulto* provenientibus, ea excepta quae incurritur ex voluntario homicidio aut ex abortu, aliave deducta ad forum iudiciale » (can. 990, § 1) ; imo idem videtur semper existere privilegium apud confessarios regulares.

b) « Eadem facultas (cum eisdem exceptionibus) competit *cuilibet confessario* in casibus *occultis urgentioribus* in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens *ordines iam susceptos* exercere licite valeat » (can. 990, § 2).

c) Exceptionaliter Ordinarii, non vero confessarii, etiam dispensare possunt ab irregularitatibus publicis, « si difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede apostolica concedi solet » (can. 81) ; imo, ut dictum est, in dubio facti ab omnibus irregularitatibus in quibus S. Pontifex dispensare solet (can. 15).

Notetur ex can. 991 : § 1. In precibus pro irregularitatum ac impedimentorum dispensatione, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt ; secus dispensatio generalis valebit quidem etiam pro reticitis bona fide, excepta irregularitate quae ex homicidio vel abortu voluntario oritur, aliave deducta ad forum iudiciale, non autem pro reticitis mala fide.

§ 2. Si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam numerus delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis.

§ 3. Dispensatio generalis ad ordines valet pro ordinibus quoque maioribus ; et dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, sed renuntiari nequit S. R. E. cardinalis, episcopus, abbas vel praelatus nullius, superior maior in religione clericali exempta.

§ 4. Dispensatio in foro interno non sacramentali concessa, scripto consignetur ; et de ea in secreto Curiae libro constare debet.

743. Irregulares ex defectu sunt, iuxta can. 984 :

1° *Ex defectu natalium*, « *illegitimi*, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota solemnia professi ».

Illegitimitas non praesumitur, sed probari debet ; legitimatio non sufficit civilis sed ecclesiastica.

Irregularitas non afficit legitimatos nec solemniter professos ; ab aliis tollenda est dispensatione : hi tamen omnes excluduntur a dignitate cardinalis, episcopi, abbatis vel praelati nullius, et superioris maioris in religione (can. 991, § 3 ; 232, § 2 ; 331, § 1 ; 320, § 2 ; 504).

Notetur illegitimos in Seminarium admitti non posse (can. 1363, § 1).

2° *Ex defectu corporis*, « *corpore vitiati* qui *secure* propter debilitatem, vel *decenter* propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt ».

Sic v. g. caeci, vel ita caecutientes ut missale legere nequeant ; omnino surdi, muti, vel adeo balbutientes ut verba pronuntiare nequeant aut risum moveant ; pede, brachio vel manu vel digitis necessariis carentes scil. pollice aut indice dextro, vel duobus aliis cum medietate palmae ; notabiliter deformes ut pigmaei, leprosi, enormiter gibbosi, faciem gerentes valde maculatam, aut nares vel labia habentes abscissa, notabiliter claudicantes ; paralytici in brachiis vel manu ita ut hostiam elevare et frangere non possint, manibus trementes ut sine periculo effundendi sanguinem celebrare nequeant, vertiginosi qui laborant periculo deficiendi aut notabiliter errandi, abstemii qui nec modicum vini sine periculo evomendi degustare possunt, aut incoercibili tussi laborantes.

In dubio, iudicium ad Ordinarium pertinet ; sed episcopus qui ordines confert, hoc iudicio stare non tenetur. Post ordines susceptos sacerdos facile dispensationem obtinere potest si habeat membrum artificiale, bene aptatum, etsi brachium aut manum, aut si caecus evadat et memoriter sciat missam B. V. et defunctorum atque celebrare valeat cum assistentia alterius sacerdotis.

3° *Ex defectu animi*, « qui *epileptici* vel *amentes* vel a daemone *possessi sunt* vel *fuerunt*; quodsi post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere ».

Epileptici sunt qui morbo caduco correpti in terram cadere solent ; amentes intelliguntur qui, ex causa permanenti et habituali, vere tales sunt vel fuerunt, non vero si accidentaliter, puta vi febris aut vulneris.

4° *Ex defectu sacramenti*, « *bigami* qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt ».

Ita conformiter ad I Tim. III, 2, 12 ; Tit. I, 6. Ratio est, tum quia bigamus qui carnem suam inter plures uxores diviserit, unionem Christi et Ecclesiae iam perfecte repraesentare nequit, et ideo defectus est in significatione sacramenti ; tum quia ex praesumptione maculam incontinentiae prae se fert. Incurritur etiam si ante Baptismum quis plures valide duxerat uxores, vel si unam ante et aliam post Baptismum.

5° *Ex defectu famae*, « qui *infamia iuris* notantur ».

Infames sunt *ipso facto* : a) qui sectae acatholicae nomen dederit vel publice adhaeserit (can. 2314, § 1, 3°) ; nomine sectae acatholicae etiam venit secta atheistica (c. int. 30 iul. 1934).

b) qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit (can. 2320) ;

c) qui cadavera vel sepulchra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit (can. 2328) ;

d) qui violentas manus iniecerit in personam R. Pontificis vel cardinalis aut legati s. Pontificis (can. 267 et 2343) ;

e) duellantes et eorum patrini (can. 2351) ;

f) qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi civile, attentaverit (can. 2356) ;

g) laici, legitime damnati ob delicta contra 6^m commissa cum minoribus infra aetatem 16 annorum, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium (can. 2357, § 1).

Sententia iudicis infames declarandi sunt : a) omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici et schismatici, si moniti non resipuerint (can. 2314, § 1, 2°) ; b) clerici in sacris, sive saeculares sive religiosi, qui delictum admiserint contra 6^m cum minoribus infra aetatem 16 annorum, vel rei sunt adulterii, stupri, bestialitatis, sodomiae, lenocinii, incestus cum consanguineis aut affinibus in primo gradu (can. 2359, § 2).

6° *Ex defectu lenitatis christianae,* « *iudex* qui mortis sententiam tulit ; qui munus *carnificis* susceperint eorumque *voluntarii* ac *immediati ministri* in executione capitalis sententiae ».

Irregularitatem non incurrunt : iurati quia sententiam non ferunt ; iudices qui in sententiam efficaciter non influxerunt ; milites coacti qui reum occidunt quia munus non susceperunt, nec eorum dux quia sententiam non pronuntiat ; nec qui tabularium erigunt quia non sunt immediati corporatores ; qui ante Baptismum sententiam tulit aut executus est, quia non potuit *christianam* laedere lenitatem.

744. Irregulares ex delicto sunt iuxta can. 985, modo delictum fuerit grave, — externum, sive publicum sive occultum, — atque post Baptismum perpetratum, aut ipsa illegitima ab acatholicis susceptio Baptismatis (can. 986) :

1° *Ex delicto contra fidem et unitatem Ecclesiae,* « apostatae a fide, haeretici, schismatici ».

Qui haeresi vel schismati bona fide sunt adscripti, non sunt irregulares ; in foro tamen externo tales praesumuntur, et ideo ad cautelam dispensatio est petenda.

2° *Ex abusu Baptismi,* « qui praeterquam in casu extremae necessitatis Baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt ».

Acatholici in casu intelligendi sunt stricto sensu, scil. haeretici et schismatici, non autem *probabiliter* infideles, qui ceteroquin Baptismum non habent ; at quovis modo Baptismus recipiatur sufficit, sive ritibus sectae adhibitis sive ritu catholico aut nullo speciali, sive ex libera postulatione sive ex libera permissione seu non facta oppositione.

3° *Ex attentatione Matrimonii,* « qui matrimonium attentare, aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta ».

Nihil refert utrum impedimentum ex parte viri existat an mulieris, at requiritur plena cognitio et deliberatio, ut indicant verba : ausi sunt ; non tamen excusat ignorantia irregularitatis.

4° *Ex voluntario homicidio vel abortu,* « qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt effectu secuto, omnesque cooperantes ».

Homicidium committitur quando, citra casum legitimae defensionis, alteri mors infertur actione directe voluntaria sive in se, ut si mors ipsa intendatur, sive in causa, ut si ex negligentia graviter culpabili causa sit mortis illatae ; non autem si casualiter ex negligentia levi vel ex mera omissione sequatur. Requiritur pro homicidio sicut pro abortu quod fiat effectu secuto ; at irregularitas contrahitur etiam si quis poeniteat antequam effectus sequatur. Cooperatores intelligendi sunt qui positive, sive physice sive moraliter, influunt efficaciter, ut in iudicio capitali qui reum iniuste testificantur, vel condemnant, et in bello iniusto omnes qui praeliantur ; — non vero negativi cooperatores, qui non impediunt, etsi debuissent.

Notetur : a) In vetere iure oriebatur irregularitas ex defectu lenitatis in iis qui in bello causa erant occisionis vel ipsi cooperabantur ; hinc S. C. Const., 25 oct. 1918, Ordinariis facultatem concessit cum suis subditis ex bello redeuntibus « dispensandi, saltem ad cautelam, quoties sacerdotes, clerici et Seminariorum alumni in eam incurrerint non ex facto proprio, sed ex necessitate, coacti nempe ad arma capessenda et mortem vel mutilationem forte inferendam ». Insuper ait : « quoties vero agatur de clericis in sacris, qui non legum necessitate coacti, sponte sua se obtulerunt ad arma suscipienda, aut ea susceperunt, pro dispensatione ad S. Sedem erit recurrendum », quod de iis quoque intelligendum dixit qui, ex alio servitio, puta infirmorum, sponte sua ad militiam pugnantem transierunt, etiamsi mortem vel mutilationem nulli intulerint (28 mart. 1919).

b) Item ex vetere iure, quando sacerdos certus de homicidio dubitabat utrum sua actione homicidium causatum fuerit vel actione alterius, declarabatur in hoc dubio facti irregularitatem, in ordine ad celebrationem missae, contrahere. Nunc autem generatim declaratur in dubio facti Ordinarium posse dispensare, dummodo in simili casu s. Pontifex dispensare soleat (can. 15). Igitur in casu regulariter erit dispensatio expectanda ; dubitamus vero an ipse Ordinarius vel potius S. Sedes adiri debeat, cum casus homicidii forsan non sit ex illis in quibus s. Pontifex facile dispenset seu dispensare soleat.

5° *Ex mutilatione vel conatu suicidii,* « qui seipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt ».

Attentatio suicidii et mutilatio debent esse voluntariae et graviter culpabiles; mutilatio autem hic intelligitur sensu restricto, ut abscissio membri seu partis corporis quod proprium a ceteris distinctum officium habet, ut est manus, brachium, pes, oculus, lingua, testiculus, mamma feminae, etc., non vero dens, capilli, digitus, nec pars membri ut auricula ; nec adest si membrum laeditur aut deformatur aut debilitatur, etiam si ex eo fieret inutile. Si membra gemina sint vere distincta, sufficit unius abscissio ; non autem si unita, ut nares.

6° *Ex illegitimo exercitio artis medicae,* « clerici medicinam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur ».

Ut irregularitatem quis incurrat, oportet sit clericus, graviter peccet contra legem quae vetat medicinam exercere absque indulto apostolico, et quod mors tamquam ex causa exinde sequatur etsi mors non sit ipsi graviter imputabilis : in hoc enim casu accederet irregularitas ex delicto homicidii.

7° *Ex abusu Ordinis,* « qui actum Ordinis, clericis in Ordine sacro constitutis reservatum, ponunt eo Ordine carentes, vel ab eius exercitio

poena canonica, sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti ».

Requiritur a) ut *laicus* vel *clericus inferior* qui Ordinem non habet, vel ille qui Ordinem habet sed ab eius exercitio *canonica prohibitus est poena*, sive medicinali seu censura, sive vindicativa, b) *Ordinem* exerceat, non actum merae iurisdictionis, c) non minorem sed *sacrum*, d) et quidem *reservatum* sive ratione sui, qui scil. nullo modo ab illo Ordine carentibus exerceri potest, sive ratione solemnitatis qui eo modo non potest nisi ab habentibus Ordinem exerceri.

In specie irregulares fiunt : sacerdos exercens actum ordinis episcopo reservatum, ut confirmare, ordinare, ecclesiam aut calicem consecrare ; diaconus qui sacramentaliter absolveret vel missam celebraret ; subdiaconus qui solemniter baptizaret aut stola indutus officium diaconi obiret in missa et Evangelium solemniter cantaret ; clericus qui cum manipulo officium subdiaconi ageret in missa solemni et sic epistolam cantaret ; sacerdos qui suspensus aut in loco interdicto temere celebrat ; clericus in sacris qui censura ligatus cum manipulo epistolam cantat in missa solemni, vel cum stola Evangelium ; — non autem sacerdos qui sine iurisdictione absolvit ; nec diaconus qui non commissus solemniter baptizat ; nec clericus vel laicus sine manipulo officium subdiaconi exercens in missa, vel sine stola cantans Evangelium ; aut fructus vel panes benedicens aut exorcismum proferens ; nec qui ordinem exercet censuratus sed ab alio requisitus vel ob grave incommodum vitandum, aut ab ordine prohibitus sed non canonica poena.

Notetur *ex rationabili causa* permitti ut subdiacono substituatur clericus saltem tonsura insignitus, qui missae solemni inserviat, sed paratus sine manipulo : ita S. C. R. 14 mart. 1906.

745. **Ab ordine suscipiendo et exercendo sunt simpliciter impediti,** ex can. 987 :

1° « *Filii acatholicorum* quamdiu parentes in suo errore permanent »; scil. descendentes in primo gradu (com. int. 14 iul. 1922), a parentibus acatholicis, haereticis scil. aut schismaticis, etiam si unus tantum sit acatholicus et licet matrimonium cum dispensatione fuerit contractum (com. int. 16 oct. 1919). Disputant utrum post mortem parentis acatholici, impedimentum permaneat.

2° « *Viri uxorem habentes* », licet ab ea separati.

3° « Qui *officium* vel *administrationem gerunt* clericis vetitam (ex can. 139) cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint ».

4° « *Servi* servitute proprie dicta, ante acceptam libertatem ».

5° « Qui ad ordinarium *militare servitium* civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint ».

Servitium militare ordinarium *probabiliter* non est illud speciale quo clerici aliquando adstringuntur exclusive aegrotis et vulneratis curandis, sed proprie dictum militiae armatae : non quidem illud quod extraordinarie, bello forsan exorto, exigetur, sed quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent, licet ad illud forsan vocabuntur sed de facto nondum vocati sunt, vel quia aetate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati (com. int. 2 iun. 1918).

6° « *Neophyti* donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint », ut iam monet Apostolus, I Tim. III, 6 : neophyti sunt qui in adulta aetate ad fidem conversi recenter Baptismum receperunt.

7° « Qui *infamia facti* laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat », licet sint innocentes.

TRACTATUS

DE MATRIMONIO

INTRODUCTIO.

S. Th., Suppl. q. 44.

746. **Ultimum sacramentum est Matrimonii.** — Sicut humana societas quantum ad vitam corporalem est a superioribus regenda, et generatione propaganda et perpetuanda, ita sacramentum Ordinis providet propagationi sacrorum ministrorum qui societati spirituali Ecclesiae praeesse debent, Matrimonium vero est sacramentum quo supernaturaliter providetur propagationi corporali Ecclesiae Christi. « Propagatores et ordinatores corporalis vitae, ait S. Thomas, c. Gent. IV, 58, secundum duo attenduntur, scil. secundum originem naturalem, quod ad parentes pertinet ; et secundum regimen politicum, per quod vita hominis pacifica conservatur, et hoc pertinet ad reges et principes. Sic igitur est in spirituali vita. Sunt enim quidam propagatores et conservatores spiritualis vitae secundum spirituale ministerium tantum, ad quod pertinet Ordinis sacramentum ; quidam vero secundum corporalem et spiritualem simul, quod fit per sacramentum Matrimonii, quo vir et mulier conveniunt ad prolem generandam et educandam ad cultum divinum ».

747. **Matrimonium secundum nomen** est quasi *matris munium* i. e. munus seu officium, quia mulier ideo nubit ut mater fiat, eique partus est magis onerosus quam patri ; cum, ait Gregorius IX, l. III Decr. t. 33, c. 2, *puer adhuc infans... magis materno indigeat solatio quam paterno, matrique ante partum onerosus, dolorosus in partu,*

post partum laboriosus fuisse noscatur... et ex hoc legitima coniunctio maris et feminae magis matrimonium quam patrimonium nuncupatur. Patrimonium, e contra, designat bona externa familiae necessaria, quia patris seu viri est quaerere victum.

Ita a) *matrimonium* appellatur *secundum effectum;*

b) *secundum essentiam* quae est viri et mulieris coniunctio, vocatur *coniugium* i. e. coniunctio duorum sub eodem iugo, quia vir et mulier quasi uni iugo adstringuntur, cum se submittant uni eodemque vinculo ad onera matrimonii simul sustinenda ; item *consortium,* quia arctissima corporum et animorum societate inter se connectuntur, eiusdem sortis seu conditionis participes ;

c) *secundum causam* vero, quae est desponsatio seu solemnitas contractus qua perficitur : *connubium* seu *nuptiae* (a nube seu velo), quia antiquitus sponsa, quando viro tradebatur, caput velo, pudoris et submissionis causa, obtegebat [1].

748. Realis definitio Matrimonii a Scholasticis traditur post Magistrum Sententiarum, l. IV, d. 27 : *Viri et mulieris coniunctio maritalis inter personas legitimas, individuam vitae consuetudinem retinens.* Dicitur :

1° *coniunctio,* quasi genus, quae vox sumitur vel causaliter, active et in fieri, pro actu transeunte mutui consensus, seu contractu quo vir et mulier fidem coniugalem sibi promittunt ; vel essentialiter, quasi passive et in facto esse, pro societate et statu coniugali, seu vinculo permanente quod ex mutuo consensu resultat ;

2° *maritalis,* tamquam differentia specifica ex proprio fine desumpta : coniunguntur scil. vir et mulier in unum principium generationis legitimum, et ita matrimonium distinguitur ab omni alia coniunctione, puta filiali, fraterna, amicali, negotiatoria, etc. ; a marito dicitur maritalis, quia maritus est caput coniunctionis matrimonialis ;

3° *viri et mulieris,* ut significetur subiectum matrimonii quod diversitatem sexuum exigit ;

4° *inter legitimas personas,* ut indicetur conditio subiecti, nempe ut sint habiles ad contrahendum et nulla lege impediti seu impedimento irretiti ;

1. Nuptiae quandoque tamen specialiter significabant solemnitates et festivitates cum contractu matrimoniali coniunctas, vel etiam ipsam copulam coniugalem.

5° *individuam vitae consuetudinem retinens,* quibus significantur duae proprietates matrimonii : unitas et indissolubilitas, quod scil. una individua vita, i. e. unius viri et unius mulieris, perpetuo et indissolubiliter retineatur usque ad alterutrius mortem.

Cum autem ipsa essentia matrimonii inter baptizatos ad dignitatem sacramenti fuerit elevata, eadem est definitio sacramenti ; sed ut istud explicite significetur, definitioni addi possunt : *et gratiam coniugibus necessariam significans conferendam.*

Novissimis temporibus alia definitio tradi solet : conventio vel unio legitima inter virum et mulierem, mutuum, perpetuum et exclusivum ius ipsis conferens, tum ad actus per se aptos ad generationem, tum ad vitae communis consortium.

Ita conformiter ad can. 1081, § 2 et 1128. Dicitur :

1° *conventio* vel *unio,* quae si active sumitur i. e. pro actu seu mutuo consensu quo vir et mulier sese coniungunt, erit matrimonium *in fieri;* si sumitur passive i. e. pro vinculo morali permanente quod ex illo mutuo consensu oritur, erit matrimonium *in facto esse;*

2° *legitima,* i. e. inita iuxta leges tum naturales tum positivas quibus personae contrahentes subiacent quibusque contractus earum vel firmatur vel irritatur ; personae autem quae iuxta illas leges matrimonium valide et licite inire possunt, vocantur iure habiles ;

3° *inter virum et mulierem,* quibus verbis designatur subiectum huius contractus, quod diversitatem sexuum exigit iuxta ordinationem naturae ;

4° *ius conferens ad actus per se aptos ad generationem prolis,* quibus verbis designatur obiectum essentiale, seu ius ad actum de se aptum generationi, et finis primarius matrimonii, scil. prolis procreatio et consequens educatio.

Notetur autem ad essentiam matrimonii sufficere ius ad actus generationi inservientes, quamvis non habeatur usus istius iuris, ut in matrimonio B. Virginis et S. Ioseph ; vel quamvis per accidens generatio de facto non sequatur, ut in matrimonio sterili. Sedulo proinde distinguatur: a) ius utendi corpore coniugis ad actum coniugalem, quod vocatur ius petendi debitum ; b) exercitium seu usus huius iuris, qui ad essentiam matrimonii non pertinet.

5° *et ad vitae communis consortium,* quod est finis secundarius matrimonii.

Apud Scholasticos, ut vidimus, obiectum et finis matrimonii dicitur individua vitae consuetudo, quae essentialiter consistit in iure et officio mutuo quoad corpora in ordine ad actum coniugalem, integraliter autem continet etiam commune torum, mensam et cohabitationem.

749. Qualificationes matrimonii et variae partitiones. — Matrimonium iniri potest inter baptizatos et tunc vocatur christianum, et si sit validum, est sacramentum ; vel inter non baptizatos et tunc est contractus mere naturalis, et solum existit ut est in officium naturae. Hinc :

A. *Ratione proprietatis et dignitatis*, primum, si sit validum, vocatur *ratum* (*bezegeld*) i. e. firmum, Ecclesiae ratificatione, approbatione et sacramento firmatum ; alterum inter non baptizatos, si validum sit, dicitur *legitimum* (*wettelijk*).

Utrumque, *ratione effectus*, est *consummatum* (*voltrokken* of *geslachtelijk voltooid*).

Ita, si post initum matrimonium inter coniuges locum habuerit coniugalis actus ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro, i. e. copula carnalis de se apta ad generationem ; quo casu matrimonium christianum dicitur *ratum et consummatum* (can. 1015).

B. *Ratione celebrationis*, matrimonium est 1° *publicum* i. e. authenticum, quod in facie Ecclesiae i. e. praemissis proclamationibus publice celebratur, servata forma ab Ecclesia praescripta ; estque a) *solemne* quod fit cum accidentali solemnitate benedictionis nuptialis et festivitatis, vel b) *minus solemne* in quo solum servantur solemnitates substantiales ;

2° *clandestinum*, quod omissa forma praescripta contractum est ;

3° *occultum*, quod servata forma praescripta sed omissis proclamationibus secreto contrahitur, et dicitur *matrimonium conscientiae* si fiat ea lege ut evulgari et manifestari non debeat.

Nonnisi ex gravissima et urgentissima causa et ab ipso loci Ordinario — excluso vicario generali sine speciali mandato — permitti potest ut matrimonium conscientiae ineatur (can. 1104), nempe si sit moralis necessitas nunc ineundi matrimonium ad consulendum conscientiae scopulis et simul sit moralis impossibilitas illud celebrandi publice ob legem civilem vel alias circumstantias. Quo casu, Ordinarius, parochus et testes assistentes sub gravi tenentur ad secretum ; et etiam alter coniux, altero non consentiente divulgationi (can. 1105). Matrimonium contractum non describitur in libro ordinario copulatorum, sed in libro peculiari servando in secreto archivo curiae episcopalis ; item liberi nati vel nascendi, post Baptismum susceptum, inscribendi non sunt in libro paroeciali baptizatorum, sed in libro secreto asservato in curia episcopali (can. 1107). Secreti servandi obligatio ex parte Ordinarii cessat : a) si aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria immineat ; b) vel si parentes non curent filios ex tali matrimonio susceptos baptizari ; c) aut eos baptizandos curent falsis expressis nominibus, quin interim Ordinario intra triginta dies notitiam prolis susceptae et baptizatae cum sincera indicatione parentum praebeant ; d) vel christianam filiorum educationem negligant (can. 1106).

A matrimonio conscientiae differt *morganaticum*, quod contrahitur a viro nobili cum femina humilioris conditionis, eo pacto ut tam uxor quam liberi inde nascituri congrua sustentatione vel certa bonorum parte contenti sint, a dignitatibus, titulis et bonorum successione exclusi.

C. *Ratione validitatis*, est 1° *verum* seu *validum*, quod cum omnibus conditionibus ad valorem requisitis est initum, ac proinde sine impedimento dirimente, et est *licitum* vel *illicitum*, prout etiam absit omnis prohibitio aut impedimentum impediens, vel e contra adsit ; — aut 2° *invalidum*, *nullum* seu *irritum* : hoc autem potest esse a) *attentatum* quando mala fide initur, ab utraque vel ab alterutra parte, dissimulando v. g. impedimentum ; vel b) *putativum* quando celebratum est coram ecclesia bona fide, saltem ex una parte, donec utrique de nullitate certo constet, et hoc sufficit ad legitimitatem prolis — Com. I. C., die 26 junii 1949.

Praeterea matrimonium dicitur *praesumptum*, quod non existit, sed a iure, posito quodam facto, tamquam existens praesumitur (cfr. can. 1972), ut si externe duo contrahant sed unus interne consensum dare renuat. Ita olim, posita copula a sponsis habita, iure eos in matrimonium consensisse praesumebatur.

750. Divisio tractatus. — Cum sacramentum Matrimonii non sit nisi ipse contractus qui ex institutione Christi factus est signum sacrum et causa gratiae, postquam de unoquoque dictum sit secundum se, de utroque quantum ad reliqua dicemus simul. Tractatus autem dividitur in quatuor partes.

Prima pars est : *De ipso Matrimonio*, scil. 1° de Matrimonio ut est in officium naturae : a) de origine, b) de praecepto, c) de honestate, d) de finibus, et e) de essentia matrimonii ; — 2° de Matrimonio ut est sacramentum :

a) de institutione, b) de essentia ac partibus constitutivis, c) de ministro ; — 3° de effectibus et bonis Matrimonii ; — 4° de causa Matrimonii seu de consensu : a) de qualitatibus, et b) de vitiis consensus ;— 5° de proprietatibus Matrimonii : a) de unitate, b) de indissolubilitate ; — 6° de Matrimonii regimine.

Secunda pars est : *De celebratione Matrimonii :* 1° de praeparatione ad Matrimonium seu de sponsalibus ; — 2° de praeviis ad Matrimonium seu de bannorum proclamatione ; — 3° de ipso ritu seu forma celebrationis.

Tertia pars est : *De impedimentis Matrimonii :* 1° de impedimentis in generali ; — 2° de impedimentis impedientibus ; — 3° de impedimentis dirimentibus : a) de aetate, b) de impotentia, c) de ligamine, d) de disparitate cultus, e) de ordine et voto, f) de raptu et crimine, g) de cognatione carnali, spirituali et legali, h) de affinitate et publica honestate ; — 4° de dispensatione ab impedimentis ; — 5° de Matrimonii convalidatione.

Quarta pars est : *De obligationibus coniugum :* 1° de debito coniugali : a) de liceitate copulae coniugalis, b) de eius circumstantiis, c) de actibus cum ea connexis, d) de excessu, et e) de defectu in usu coniugii ; — 2° de cohabitatione ; — 3° de mutuo amore et adiutorio.

Accedit appendix de matrimonio in legislatione civili.

Recentiores plerumque ordinem chronologicum sequuntur temporis, vel ordinem codicis iuris canonici ; at cum non sit ordo logicus ipsi naturae rerum conformis, sed vel ad peculiarem finem electus, non praebet fundamentum divisioni vere scientificae, nec convenit syntheticae expositioni.

751. Momentum tractatus. — Id elucet a) *generatim* ex eo quod, si familiae et totius humanae societatis in matrimonio fons et origo consistat, ut ait Leo XIII in enc. *Arcanum*, ex honestate et sanctitate matrimonii, salus totius societatis dependeat : familiae scil., Status, atque Ecclesiae ; unde sanctitate coniugii violata, in immoralitatem et irreligiositatem populos corruisse historia comprobat ; — b) *speciatim*, quia nostris temporibus inimici religionis ac omnis humanae societatis ipsum « humanae consortionis principium et fundamentum », ut ait Pius XI in enc. *Casti connubii*, praesertim impetunt atque eius sanctitatem. Quam proinde in bonum publicum simul et privatum defendere et promovere est sacerdotis.

Hinc in pastorali ministerio tractatus de Matrimonio est unus ex utilioribus et magis necessariis ; quapropter sacerdotes matrimonii doctrinam, obligationes et leges apprime cognoscere debent. Quod facile sane non est : coniugium enim varium omnino praebet aspectum, nec solum ethicum, sed et socialem, dogmaticum, pastoralem, liturgicum atque iuridicum, cum iure canonico regatur simul et civili [1].

---

1. De Matrimonio utiliter conferri possunt, praeter duas encyclicas Leonis XIII *Arcanum* 10 feb. 1880, et Pii XI *Casti connubii* 31 dec. 1930 : S. Thomas, in Suppl. q. 41-68 ; c. Gent. III, 122-126 ; 136-137, et IV, 78, cum commentatoribus ut Ferrariensis, Sylvius, Gonet et Billuart ; P. Ledesma, *De magno Matrimonii sacramento ;* Th. Sanchez, *De sancto Matrimonii sacramento ;* De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio ;* Tanquerey, *De Matrimonio*, in theologia sua dogmatica et morali ; Rosset, *De Sacramento Matrimonii*, tractatus dogmaticus, moralis, canonicus, liturgicus et iudiciarius ; Vermeersch, *De Castitate*, et *Th. M.* III et IV ; Theologia Mechliniensis, *Tractatus de Matrimonio*, ed. 7ª curante A. Gougnard ; *Dict. de Théol.*, art. *Mariage*.

Speciatim pro quaestionibus magis speculativis : Palmieri, *De Matrimonio ;* Billot, Hugon, Diekamp et alii dogmatici ; Dermine, *La doctrine du Mariage chrétien* ; J. Leclercq, *La Famille ;* G. Renard, *La Théorie de l'Institution ;* A. W. Hoegen, *Over den zin van het Huwelijk, een moraaltheologische studie.*

Pro quaestionibus moralibus et practicis : S. Alphonsus, Marc, Aertnijs-Damen, Ballerini, Lehmkuhl, Haine, Génicot-Salsmans, Noldin-Schmitt, Prümmer, etc. ; Chrétien, *Praelectiones de Matrimonio.*

Inter canonistas : S. Raymundus de Pennafort ; Reiffenstuel ; Feye, *De Impedimentis et Dispensationibus matrimonialibus ;* De Becker, *De Sponsalibus et Matrimonio ;* Gasparri, *Tractatus canonicus de Matrimonio*, 1892 ; nova ed. post cod. 1932 ; Vlaming, *Praelectiones de iure matrimoniali ;* Chelodi, *Ius matrimoniale ;* Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, V ; Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*, III ; Blat, *Commentarium textus Codicis iuris canonici*, III ; Claeys-Bouüaert et Simenon, *Manuale Iuris canonici*, II ; Schaeffer, *Das Eherecht nach dem Codex ;* Knecht, *Grundriss des Eherechts ;* v. Scherer, *Handbuch des Kirchenrechts*, II ; Linneborn, *Grundriss des Eherechts nach dem Codex iuris canonici ;* Leitner, *Lehrbuch des Kirch. Eherechtes ;* Triebs, *Praktisches Handbuch des geltendes Eherechts ;* Vromant, *De Matrimonio.*

Inter opuscula magis practica : Durieux, *Le Mariage en Droit canonique ;* Salmon, *De Matrimonii sacramento tractatus pastoralis ;* De Smet, *Praxis matrimonialis ad usum parochi et confessarii* (nov. ed. curante Verhamme) ; Bender, *Huwelijk en Huwelijksbeletselen ;* Tünnissen en Vlaming, *Huwelijkswetgeving der Katholieke Kerk ;* Rud. Geis, *Sexualethik ;* Schilgen, *Im Dienste des Schöpfers ;* Payen, *De Matrimonio in missionibus.*

Inter commentatores encycl. *Casti connubii :* Villain de l'Action populaire, *L'Encyclique sur le Mariage chrétien « Casti connubii » ;* Vermeersch, *Catéchisme du Mariage chrétien d'après l'encyclique Casti connubii ;* Rud. Geis, *Die Ehe-Enzyclika Pius XI Casti connubii ;* v. Acken, *De Ehe-Enzyclika Pius XI bearbeitet in Frage und Antwort ;* B. Lavaud, *Le monde moderne et le mariage chrétien.*

Inter oratores : Monsabré, *Le Mariage.*

PRIMA PARS.

DE IPSO MATRIMONIO.

QUAESTIO PRIMA.

DE MATRIMONIO UT EST IN OFFICIUM NATURAE.

Articulus I.

De Origine Matrimonii.

S. Th., Suppl. q. 41 et q. 44, a. 1 ; II-II, q. 154, a. 2 ; c. Gent. III, 122.

752. **Status quaestionis.** — Circa originem et essentiam matrimonii plures erraverunt, negantes illud esse a natura et Deo institutum. Id negant Materialistae, Positivistae, Evolutionistae, dicentes illud esse institutionis mere humanae ; unde eius leges habent ut relativas et mutabiles easque non in natura fundatas.

1) *Evolutionistae* aiunt esse institutionem relative recentem, quae est fructus longioris evolutionis, quae per tria stadia decurrit : a) in primo erat sexuum *promiscuitas*, ita ut coniunctio sexualis fiebat citra omnem legem : homo primitivus est animal quod instinctu sexuali regitur quodque satisfactionem quaerit quacumque causa ; suscitata conscientia morali, statui ceperunt regulae : ita unio iam facta est minus transiens, et prohibetur inter proximos, at nondum est stabile matrimonium ; — b) in altero stadio succedit *matrimonium per raptum* seu ex violentia ; — c) in tertio *matrimonium per emptionem*, nondum per consensum. Sub triplici quoque extitit forma : a) prius extitit *matriarchatus*, in quo proles exclusive nomen matris gerit et sola haereditate materna gaudet ; quod non declaratur nisi incertitudine prolis ob promiscuitatem ; — b) tunc fuit *patriarchatus polygamus* ; — c) denique matrimonium in *monogamia*.

Asserta sunt merae hypotheses nullatenus probatae, aut generalisationes non legitimae [1]. Facta autem, quae ab evolutionistis obiiciuntur, non necessario promiscuitatem supponunt [2].

---

1. Constat ex ipso Westermarck, *History of human Marriage (Origine du Mariage dans l'espèce humaine)*, qui tamen est evolutionista ; item ex Howard, *A history of matrimonial institutions*, et ex Leroy, *La Religion des primitifs*. Etiam ex Durkheim, qui tamen ortum vitae familialis non ducit ex matrimonio qualiter nunc concipitur, sed ex totem, in quo coetus familialis paulatim fuit efformatus atque matrimonium. At ethnologi ostenderunt theoriam totemismi contradicere factis. — Cfr. Dehove, *Les théories de la religion chez Durkheim*, in *Rev. Ap.*, 1930.

2. Sic v. g. sacra prostitutio in templis, necnon ius primae noctis, aut praxis hospitibus tradendi propriam uxorem, et alia huiusmodi sunt *abusus*,

2) Inter modernos, *moderatiores* fatentur monogamiam esse ceteris formis perfectiorem, ideoque retinendam, divortium tamen esse admittendum facilius, quo coniugibus separatis pateat novis nuptiis accessus.

3) *Naturalistae* e contra, atque *communistae pluresque socialistae* favent unioni liberae. Naturam humanam habent naturaliter bonam ; unde homo sequatur oportet naturales inclinationes ut felix existat. Matrimonium ut finem habet mutuam voluptatem, ad quam requiritur et sufficit mutuus amor : si haec procurare nequeat aut cesset, est divortio solvendum ; proles quoque si voluptati aut felicitati obstet supprimi potest, nata vero curante societate civili est alenda et educanda absque parentum interventu.

Contra quos omnes cum doctrina catholica affirmandum est, unionem stabilem matrimonii originem habere in ipsa natura humana, atque a Deo esse statutam monogamiam et indissolubilitatem.

753. *Thesis I.* **Matrimonium non solum est divinae institutionis positivae, sed etiam est homini naturale et ideo de iure naturali.** — *Certum* est ex encyclica Pii XI *Casti connubii*, asserente : « Matrimonium non humanitus institutum neque instauratum, sed divinitus ; non ab hominibus sed ab ipso auctore naturae Deo » ; unde de pravis erroribus hodiernis postea loquens, ait : « praecipua eorum radix est in eo quod matrimonium non ab auctore naturae institutum... sed ab hominibus inventum vocitent ».

---

qui ex innata libidine falsoque hospitalitatis conceptu oriuntur ; sed nequeunt dici vestigia pristinae promiscuitatis. Sic ius primae noctis, quo neonupta uxore per primam noctem abuti poterat princeps imo, dicunt, in quibusdam locis sacerdos, si alicubi extiterit, reducendum esset ad abusum mere localem et transeuntem, at nunquam fuit admissum quasi legaliter probatum nec apud paganos nec apud christianos. Quod autem venit sub hoc nomine, aliis veris modis intelligi potest. 1° Apud paganos, pudicitia virginis censebatur divinitati consecrata, et ideo ius pudicitiam violandi etiam per copulam coniugalem, erat impetrandum a divinitate, a Dei legato, scil. a principe vel a sacerdote, v. g. solvendo pretium quod vocabatur ius primae noctis. Quandoque ipsa uxor accipiebat aliquod donum in pretium amissae virginitatis, quod iterum vocabatur ius primae noctis. 2° Apud Christianos, triplici sensu intellectum est ius primae noctis : a) ius consummandi matrimonium in determinato quodam loco ; b) merum symbolum subiectionis respectu principis occasione matrimonii a vassalibus contracti ; c) licentia ex dispensatione proveniens consummandi matrimonium a prima nocte, quin observaretur triduum quod medio aevo erat transeundum in continentia ad exemplum Tobiae. Cfr. Schmidt, *Ius primae noctis ; Eine geschichtliche Untersuchung*.

Dicitur : a) *matrimonium*, quo nomine intelligitur unio ordinis moralis, obligatorie stabilis et de se perpetua inter virum et mulierem.

b) *est divinae institutionis positivae.* Teste Genesi, Deus matrimonium *instituit* quando post creationem Adami Evam formavit in consortium et adiutorium viri : *Non est bonum*, ait II, 18, *hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi;* et diversitatem sexuum instituit ut provideret multiplicationi speciei, nam ut dicitur I, 27 : *Masculum et feminam creavit eos benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini et replete terram.*— Praeterea vere *stabilis* matrimonii *nexus* in unitate et perpetuitate vinculi coniugalis proponitur verbis Adami : *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro ex carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* — Quod autem unio constituenda sit per contractum seu conventionem voluntatum, patet ex eo quod adhaesio illa non intelligitur nisi voluntaria et libera.

Quapropter Conc. Trid., sess. 24, docet : *matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens, divini spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : Hoc nunc os...* Cum itaque Adam, inspirante tantum Deo, ita dicere potuit, Christus illa verba ipsi Deo tribuit et ex illis infert, Mt. XIX, 6 : *Itaque iam non sunt duo sed una caro; quod ergo Deus coniunxit homo non separet.*

c) *etiam est homini naturale*, non ac si esset ex principiis naturae ex necessitate causatum, sed quia ad illud natura inclinat, licet a libero arbitrio complendum ; unde ratio humana eius necessitatem intelligit, et ideo est de iure naturali. Hinc Aristoteles, Eth. VIII, c. 12 : « homo est magis naturaliter coniugale animal quam politicum ».

Probatur : Deus homines creando ratione ditatos, ad imaginem et similitudinem suam, simulque sexu diversos et generationi aptos, eo ipso, per humanam naturam, se velle ostendit ut genus humanum propagaretur generatione : non tamen qualibet generatione, sed illa tantum quae locum haberet in circumstantiis per se necessariis ad bonum prolis, adeoque in matrimoniali viri et mulieris coniunctione. Nam 1° bonum humanae prolis per se exigit ut parentes devinciantur vinculo morali et stabili quod pro libitu solvi nequeat : proles enim per se parentibus indiget ut bene educetur et ad perfectum statum ducatur ; 2° idem requiritur bono coniugum ex mutuo obsequio in vita domestica, quorum unus non sufficit sibi in omnibus quae ad vitam spectant, sed quaedam opera competunt viro, quaedam mulieri.

Apposite S. Thomas, q. 41, a. 1 : « Matrimonium est naturale, quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter :

1° *quantum ad principalem eius finem*, qui est *bonum prolis*. Non enim intendit natura solum generationem prolis, sed etiam traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis, in quantum homo est, qui est virtutis status. Unde, secundum Philosophum, *tria* a parentibus habemus, scil. *esse, nutrimentum et disciplinam.* Filius autem a parente educari et instrui non posset, nisi determinatos et certos parentes haberet ; quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quae matrimonium facit.

2° *quantum ad secundarium finem* matrimonii, qui est *mutuum obsequium* sibi a coniugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dictat ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus quae ad ipsam vitam pertinent, ratione cuius dicitur homo naturaliter politicus ; ita etiam eorum quibus indigetur ad humanam vitam, quaedam opera sunt competentia viris, quaedam mulieribus. Unde natura movet ut sit quaedam viri ad mulierem associatio, in qua est matrimonium ».

Confirmatur ex Summa contra Gentiles, III, 122 :

« a) Est enim considerandum quod in animalibus in quibus sola femina sufficit ad prolis educationem, mas et femina post coitum nullo tempore commanent, sicut patet de canibus. Quaecumque vero animalia sunt in quibus femina non sufficit ad educationem prolis, mas et femina simul post coitum commanent quousque necessarium est ad prolis educationem et instructionem, sicut patet in quibusdam avibus... Manifestum est autem quod in specie humana, femina minime sufficeret sola ad prolis educationem, cum necessitas humanae vitae multa requirat quae per unum solum parari non possunt. Est igitur conveniens, secundum naturam humanam, ut homo post coitum mulieri commaneat et non statim abscedat, indifferenter ad quamcumque accedens, sicut apud fornicantes accidit. — Non autem huic rationi obstat quod aliqua mulier suis divitiis potens est ut sola nutriat foetum ; quia rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea quae per accidens contingunt in uno individuo, sed secundum ea quae totam speciem consequuntur.

b) Rursus considerandum est, quod in specie humana proles non indiget solum nutritione quantum ad corpus, sicut in aliis animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam ; ... nec

huiusmodi instructionis sunt capaces mox geniti, sed post longum tempus, et praecipue postquam ad annos discretionis pervenerint. Ad hanc etiam instructionem longum tempus requiritur ; et tunc etiam, propter impetus passionum..., indigent non solum instructione sed etiam repressione. Ad hoc autem mulier sola non sufficit, sed magis in hoc requiritur opus maris, in quo est et ratio perfectior ad instruendum et virtus potentior ad castigandum. Oportet igitur in specie humana non per parvum tempus insistere promotioni prolis, sicut in avibus, sed per magnum spatium vitae.

Unde, cum necessarium sit marem feminae commanere in omnibus animalibus quousque opus patris necessarium est proli, naturale est homini quod, *non ad modicum tempus, sed diuturnam societatem* habeat vir ad determinatam mulierem. Hanc autem societatem matrimonium vocamus. Est igitur matrimonium homini naturale[1] ».

Breviter « natura non tantum intendit *esse* in prole, sed etiam *perfectum esse*, ad quod exigitur matrimonium » q. 41, a. 1, ad 4.

754. Obiicitur : 1° Ergo coelibatus est contra naturam, utpote contra inclinationem naturalem ; et ideo peccatum. — Resp. *Nego consequens :* omne quod est contra inclinationem naturalem non est peccatum, sed id quod est contra inclinationem naturalem ex dictamine rationis obligantem. Ratio autem dictat matrimonium non esse necessarium et obligatorium pro quolibet, praesertim ob maius bonum.

« Neque exinde sequitur, ait Haine, Th. M. IV, de Matr., q. 36, virginitatem et coelibatum, utpote contra inclinationem naturae, propterea esse peccata. Non enim omne illud quod est contra naturalem inclinationem semper peccatum est ; sed tantum id quod est contra inclinationem naturalem ex dictamine rationis obligantem. Nunc autem multiplicato sufficienter genere humano, ratio dictat ad id non esse necessarium matrimonium in quolibet, et consequenter inclinatio naturalis non

1. Similiter in II-II, q. 154, a. 2 : « Videmus quod in omnibus animalibus in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris et feminae, quod in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam feminam, unam vel plures, sicut patet in multis avibus ; secus autem in animalibus in quibus sola femina sufficit ad educationem foetus, in quibus est vagus concubitus, ut patet in canibus... Manifestum est autem quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, a quo nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est instituendus et defendendus, et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. Et ideo *contra naturam hominis* est quod utatur vago concubitu ; sed oportet quod sit maris ad determinatam feminam cum qua permaneat *non per modicum tempus, sed diu vel per totam vitam...* Haec autem determinatio certae feminae matrimonium vocatur ; et ideo dicitur esse de iure naturali ».

obligat ad illud. Praeterea licet quandoque agere contra inclinationem naturalem propter maius bonum animae, ut patet in eo qui mortificationis causa abstinet a cibo utili et aliqualiter necessario corpori, ad quem tamen habetur naturalis inclinatio ».

2° Inclinatio naturalis est communis omnibus ; sed non apparet in omnibus inclinatio ad matrimonium. — Resp. Est in omnibus, sed in omnibus non se exerit sensibiliter, eo quod conservationi naturae specificae sufficienter est provisum a multis.

Ita etiam inclinatio naturalis ad defendendum bonum commune et rempublicam.

3° Inclinatio naturalis est tantum ad generationem estque omnibus animalibus communis ; haec autem non est ad unionem stabilem ac indissolubilem seu matrimonium. — Resp. Inclinatio naturae ex parte differentiae specificae, in quantum est rationalis, est tantum ad generationem, *nego ;* ex parte generis in quantum est animalibus communis, *subd. :* ita est communis ut diverso modo sit in omnibus, *conc.*, ita ut eodem modo sit in omnibus, *nego.*

« Natura hominis ad aliquid inclinat dupliciter : uno modo, quia est conveniens naturae generis, et hoc est commune omnibus animalibus ; alio modo quia est conveniens naturae differentiae, qua species humana abundat a genere in quantum est rationalis... Et sicut natura generis quamvis sit una in omnibus animalibus, non tamen eodem modo est in omnibus, ita etiam non inclinat eodem modo in omnibus, sed secundum quod unicuique competit. Ad matrimonium ergo inclinat natura hominis ex parte differentiae, quantum ad rationem secundam assignatam (scil. mutuum obsequium), unde Philosophus hanc rationem assignat in hominibus supra alia animalia ; sed quantum ad rationem primam (bonum prolis) inclinat ex parte generis, unde dicit quod filiorum procreatio communis est omnibus animalibus. Tamen ad hoc non inclinat natura eodem modo in omnibus animalibus : quia quaedam animalia sunt quorum filii nati statim possunt sufficienter sibi victum quaerere, vel ad quorum sustentationem mater sufficit ; et in his non est aliqua maris ad feminam determinatio ; in illis autem quorum filii indigent utriusque sustentatione, sed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad tempus illud, sicut in avibus quibusdam patet. Sed in homine, quia indiget filius cura parentum usque ad magnum tempus, est maxima determinatio masculi ad feminam, ad quam etiam natura generis inclinat » q. 41, ad 1.

755. Corollaria. — 1. Ergo systemata illa falsa sunt, quae asserunt matrimonium esse institutionis humanae.

2. Ergo leges fundamentales matrimonii non relativae sunt et mutabiles, sed absolutae et immutabiles : a natura sunt et a Deo. « Matrimonium... ab ipso auctore naturae Deo... legibus esse communitum..., quae proinde leges nullis hominum placitis, nulli ne ipsorum quidem coniugum contrario conventu obnoxiae esse possunt » ; « ita ut si quis semel matrimonium contraxerit, divinis eius legibus et essentialibus proprietatibus subiiciatur ». Ita Pius XI in enc. *Casti connubii.*

3. Ergo « unioni maris et feminae *essentiale* est ut ordinetur et quasi in *primarium* finem tendat in propagationem speciei, et non in privatum bonum et felicitatem, uti volunt neoterici matrimonii reformatores ». Ita De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonii*, n. 77.

4. Ergo omnis usus facultatis generativae, quatenus non servat debitum ordinem generationis et educationis est iure naturae illicitus, et ita quidem ut non dubitaverit dicere S. Thomas : « post peccatum homicidii quo natura humana iam in actu existens destruitur, huiusmodi genus peccati videtur secundum locum tenere, quo impeditur generatio (ordinata) huius naturae » c. Gent. III, 122.

5. Non tamen omnis actus per se aptus ad generationem eo ipso est licitus et honestus, sed ille solum qui locum habet in matrimonio, ideoque non tantum pollutio et onanismus, sed et fornicatio repugnat iuri naturali. Usus scil. facultatis generativae est matrimonio reservata. Cfr. II-II, q. 154, a. 2.

6. Cuique capaci est ad matrimonium ius naturale, et quidem anterius omni societati humanae. Unde nulla humana auctoritas potest illud *absolute*, i. e. cum omni persona in perpetuum cuidam prohibere contra illius antecedentem voluntatem, nam haec prohibitio foret contra ius naturale. « Ius coniugii, ait Pius XI, naturale et promigenum homini adimere, causamve nuptiarum praecipuam, Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere lex humana nulla potest. *Crescite et multiplicamini* ». Et ideo concludit esse contra naturae ius illos, qui infirmitate laborant ad filios probabiliter transmittenda, vel matrimonio prohibere vel operatione chirurgica reddere steriles. Et S. Officium, ad quaestionem : An licita sit directa sterilisatio, sive perpetua sive temporanea, sive viri sive mulieris?, die 24 febr. 1940, respondit : *Negative*, et prohibetur lege naturali.

7. Quantum ad systemata adversa, notetur evolutionis theoriam esse meram hypothesim, non scientifice probatam. Et quidem : a) non demonstratur promiscuitas primaeva, cum apud *maxime primitivos* non inveniatur ; b) nam falsum est populos primitivos dictos, aut gentes feras Australiae vel Africae centralis, esse in eodem statu ac hominem praehistoricum : constat ex ipsorum traditionibus illos non esse vere primitivos sed degeneratos ; c) promiscuitas *psychologice* repugnat, ob zelum qui est naturalis effectus amoris ; d) apud nationes antiquiores in cultura, matrimonium existit sine ullo vestigio evolutionis, ut apud Chaldaeos, Aegyptios, Indos, Sinenses, Graecos, Romanos ; e) in specie, *matriarchatus* aliter explicari potest : ex nexu intimiore prolis cum matre, vel ex polygamia ; f) *matrimonium per raptum* non probatur esse stadium legale in evolutione coniugii, cum nullatenus ubique, et tantum raro inveniatur ; g) *matrimonium per emptionem* dicitur, quia pretium dabatur pro emptione domus vel dominii, aut compensatio vel et donatio gratitudinis ; nullatenus vero de emptione coniugis a parentibus contra eius consensum [1].

Articulus II.

De Praecepto Matrimonii.

S. Th. Suppl. q. 41, a. 2 ; II-II, q. 152, a. 2, ad 1 ; c. Gent. III, 136.

756. Status quaestionis. — Dixerunt plures

1) matrimonium omnibus capacibus esse obligatorium. Ita quidam tempore S. Thomae, quos confutavit scribendo contra illos qui perpetuam continentiam impugnant ; hodiernis vero temporibus aliqui acatholici, ut Platen, Nyström, Voivenel [2] ;

2) scholastici, post Petr. Lombardum et S. Thomam, sat generatim dixerunt praeceptum matrimonii per se obligare multitudinem, non autem singulos nisi per accidens : ita Durandus, Paludanus, Soto, Ledesma, Viguerius, Henriquez, Sanchez, Lud. Lopez, Vivaldus Candelabro, Vega, et generatim thomistae ;

3) e contra alii dicunt nullum praeceptum esse matrimonii, nec pro multitudine, nec pro singulis ; nisi per accidens, in iis circumstantiis in quibus necessarium esset ad conservationem generis humani, ut facile intelligebant in initio creationis, et forsan adhuc esset si secus genus huma-

1. Praeter auctores allegatos, pag. 737, n. 1, de hac re conferri possunt De Smet, o. c. n. 80-82 ; Tanquerey, o. c. n. 674 sq. ; *Dict. de Théol.*, art. *Mariage ;* v. Scherer, *Handbuch des Kirchenrechts ;* Leitner, *Lehrbuch des Kath. Eherechtes ;* Schmidt, *Der Ursprung der Gottesidee ;* Lemonnyer, *Le Mariage et l'Évolution.*

2. Platen, *Le livre d'or de la santé ;* Nyström, *Das Geslachtsleben und seine Gesetze ;* Voivenel, *La castidad perversà.*

num periret[1]. Ita recentius Palmieri, et post illum Gasparri, *De Matrimonio*, n.14: « Verum praeceptum cum obligatione quod afficiat speciem et nullum individuum ne intelligi quidem potest... Haec obligatio non demonstratur... Deus obtinet finem suum per inclinationem naturalem sine praecepto ». Et id tenent plures moderni, ut Wernz, Noldin, Cappello, saltem ut probabilius, quia tale praeceptum est superfluum et inefficax.

757. *Principium I.* **Est aliquod praeceptum matrimonii naturale, seu matrimonium cadit aliquo sensu sub praecepto naturali.**

Probatur ex Billuart, diss. 1, a. 2, § 2 : « Medium maxime necessarium ad finem a natura intentum cadit sub praecepto naturae. Atqui matrimonium est maxime necessarium ad finem a natura intentum, scil. ad debitam et congruentem conservationem speciei, ut dictum est. Ergo matrimonium cadit sub praecepto naturae. — Neque simile est de aliis animalibus quibus non datur praeceptum, sed sufficit inclinatio naturalis ad conservationem speciei, tum quia sunt praecepti incapacia, tum quia homo, non obstante inclinatione naturali, manet adhuc liber ad illi assentiendum vel dissentiendum ».

Apposite S. Thomas, in II-II, q. 152, a. 2, ad 1 :

« Praeceptum habet rationem debiti. Dupliciter autem aliquid est debitum : uno modo ut impleatur ab uno, et hoc debitum sine peccato praeteriri non potest ; aliud autem est debitum impendendum a multitudine, et ad tale debitum implendum non tenetur quilibet de multitudine : multa enim sunt multitudini necessaria, ad quae implenda unus non sufficit, sed implentur a multitudine, dum unus hoc, alius illud facit. Praeceptum igitur legis naturae homini datum de comestione, necesse est quod ab unoquoque impleatur ; aliter enim individuum conservari non posset. Sed praeceptum datum de generatione respicit multitudinem hominum, cui necessarium est non solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent ; quidam

1. Non omnes id admittunt : S. Bonaventura in IV, d. 26, a. 1, q. 3 et Durandus, ib. a. 3, q. 3, dicunt cessasse praeceptum, multiplicato genere humano.

vero ab hoc abstinentes, contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem et salutem : sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant, quae tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt ».

758. *Principium II.* **Praeceptum matrimonii per se et directe non obligat singulos individuos,** nisi forsan casu quo paucitas hominum exigeret ut quilibet generationi vacaret. — *Certum* est.

Ratio est, quia praeceptum non refertur ad perfectionem singularem et propriam individui : generatio enim non est de necessitate individui, sed de necessitate speciei et communitatis ; ad hanc autem non requiritur ut singuli nubant, imo nec possibile est quod convenienter ita fiat, cum etiam aliis rebus communitati necessariis sit providendum.

Dicitur : a) *per se et directe*, nam per accidens potest quis teneri ratione peculiaris conditionis, v. g. si continentiam alias servare non possit, aut media eam servandi non velit adhibere ; item ad iniuriam reparandam vel prolem legitimandam aut ad promissionem implendam, ad pacem inter principes conciliandam, vel princeps ad vitandum bellum civile, aut ad fidem catholicam in regione conservandam, etc.

b) *nisi forsan casu quo paucitas hominum id exigeret ;* quia sicut in casu necessitatis quilibet teneri potest ad defensionem reipublicae, ita ad conservationem speciei, quae non minus necessaria est.

Probatur ex S. Thoma, c. Gent. III, 136 : Iis quae necessaria sunt unicuique, necesse est et obligatorium ut singuli utantur, v. g. cibo et potu ; ea vero quae necessaria sunt multitudini, non oportet ut unusquisque procuret, imo nec est possibile. Atqui generatio non est de necessitate individui, sed de necessitate speciei. Ergo non est necessarium vel obligatorium quod omnes homines actibus generationi vacent. Nam :

a) Multa sunt necessaria multitudini hominum, ut sunt cibus, potus, indumentum, domus aliaque, quae impossibile est quod per unum procurentur, tum quia diversae sunt aptitudines, tum quia activitates diversae se excludunt.

b) Ideo, sicut in corpore diversa membra ad diversa ordinantur, ita in societate oportet diversa esse officia, nec oportet quod omnes sint agricolae, aedificatores aut milites.

c) Ita nec oportet quod omnes generationi intendant, praesertim ob bonum magis necessarium vel perfectius possunt abstinere, ut ob militiam et defensionem patriae, vel ob contemplationem, quae etiam ad bonum societatis concurrit.

d) Imo plures sunt in conditionibus quibus non possent convenienter vacare prolis generationi et educationi.

Nec obstat quod inclinatio sit naturalis ad matrimonium. Nam, ut ait S. Thomas, in Suppl. q. 41, a. 2: «Natura inclinat ad aliquid dupliciter : Uno modo sicut ad id quod necessarium est ad perfectionem unius, et talis inclinatio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. Alio modo inclinat ad aliquid quod est necessarium ad perfectionem multitudinis ; et cum multa sint huiusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum praecepti, alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam et aedificationem, et ad huiusmodi officia quae sunt necessaria communitati humanae ; sed inclinationi naturae satisfit, cum per diversos diversa de praedictis complentur. Cum ergo ad perfectionem humanae multitudinis sit necessarium aliquos contemplativae vitae inservire, quae maxime per matrimonium impeditur, inclinatio naturae ad matrimonium non obligat per modum praecepti, etiam secundum philosophos. Unde Theophrastes probat quod sapienti non expedit nubere ». Hinc ait Apostolus, I Cor. VII, 38 : *Qui non iungit matrimonio virginem suam, melius facit*, scil. quam qui iungit.

759. **Obiiciunt :** 1° Natura organis generationi destinatis dotavit individuum. Organis non uti a natura datis est contra ordinem naturae, quae exigit organi functionem, cum nihil inutile dederit nec hominis sit eam emendare. Ergo organis generationi destinatis non uti est contra ipsum ordinem naturae.

Resp. *Dist. M.* : Natura organis generationi destinatis dotavit individuum, ad bonum speciei, *conc.*, ad bonum individui, *nego. Contrad. min.* : organis non uti destinatis ad necessitatem et bonum individui est contra ordinem naturae, *conc.*, ad necessitatem et bonum speciei, *nego*. Cfr. Gent. III, 136, ad 2.

2° Omnis appetitus est necessitas naturae cui est satisfaciendum, ut v. g. appetitus cibi, potus, etc. Omne individuum sentit appetitum concupiscentiae sexualis. Ego sicut appetitui famae et sitis, ita appetitui sexuali est satisfaciendum.

Resp. *Dist. M.* : Appetitui est satisfaciendum qui indicat necessitatem individui, *conc.*; qui indicat necessitatem speciei, *subd.* : ab aliquibus in communitate, *conc.*, ab omnibus, *nego. Contrad. min.* : Omnis sentit appetitum concupiscentiae sexualis, qui ordinatur ad necessitatem speciei, *conc.*, qui ordinatur ad necessitatem individui, *nego. Dist. cons.* : ergo appetitui sexuali est satisfaciendum ab aliquibus, *conc.*, ab omnibus, *nego*. Cfr. II-II, q. 152, a. 2, ad 1.

3° Lex physiologica est omne organum, ut maneat sanum et robustum, exigere normale et moderatum exercitium, sine excessu abusus, et sine defectu inertiae ; secus debilitatem et atrophiam incurrit. Ergo et organo genitali oportet moderate uti.

Resp. *Nego*, quia non cessat facultas generandi per non usum. Non enim organum genitale subiicitur atrophiae. Et sperma, quod non inservit finibus matrimonii, auget vigorem individui, quia resorbetur partim ita ut sit disponibile pro bono aliorum organorum. Quod et affirmant medici[1].

760. *Principium III.* **Praeceptum matrimonii per se et directe imponitur multitudini seu communitati generis humani,** cuius est curam habere de sufficienti sui conservatione ; ita quod individui obligantur, si necesse sit conservationi generis humani. Quod denuntiavit ipse Deus, Gen. I, 28 : *Crescite et multiplicamini*..., cuius ratio additur, quia *masculum et feminam creavit eos*.

Probatur : 1° Datur praeceptum matrimonii, ut dictum est n. 757 ; non obligat per se et directe singulos in particulari ; ergo obligat multitudinem, omnes in communi.

2° Praeceptum habet rationem debiti a creatura rationali implendi. Debitum est a multitudine implendum quod genus humanum propagetur et conservetur. Ergo hoc est ipsi praeceptum, atque lex : est enim ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui habet curam communitatis promulgata, mediante ratione humana.

Confr : a) praeceptum illud datum est initio generis humani omnibus,

b) nec fuit revocatum cessante necessitate : non enim extinguitur praeceptum naturale cessante necessitate, licet pro tunc non obliget, ut patet de praecepto eleemosynae.

1. Cfr. Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicae ;* Gemelli, *Non moechaberis ;* Féré, *L'instinct sexuel ;* Moll, *Handbuch der Sexual Wissenschaften ;* Forel, *Die sexuelle Frage ; La question sexuelle.*

Oppositio adversariorum ex eo videtur provenire quod non recte concipiunt legem naturalem, vel illam nimis similem fingunt legi positivae, cum tamen non sit nisi inclinatio naturae rationalis ipsa ratione cognoscenda et dictamine rationis enuntianda (I, n. 246).

Ita v. g. obiiciunt :

1° Obligatio quae afficit speciem et nullam personam individuam nec intelligi potest. — Resp. : *transeat*, sed afficit personas individuas in communi : afficit enim naturam, non in abstracto sed in concreto, et ideo afficit omnes naturam possidentes.

2° Posita generis humani inclinatione ad matrimonium, lex est superflua ; imo inefficax quia nullum in particulari obligat. — Resp. : ipsa inclinatio naturae ad matrimonium in ente rationali est lex naturalis ; alia lex positiva est superflua, *transeat*. Inclinatio autem ipsius naturae non est inefficax et omnes, non distributive sed collective, obligat.

3° Quod omnes tangit, neminem angit. Praeceptum quod obligat multitudinem, a plerisque negligetur. Ergo est inutile et insufficiens. — Resp. *dist.* : si agitur de mero onere, *conc.* ; si de opere ad quod natura inclinat, *nego*.

4° Praeceptum omnino indeterminatum quoad modum, tempus, aetatem, personas, repugnat, cum sit inefficax. — Resp. : praeceptum positivum indeterminatum quoad circumstantias repugnat, *conc.*, praeceptum naturale indeterminatum repugnat, *nego*. Multa sunt praecepta naturalia indeterminata : Deus est colendus, iustitia est servanda, contractus sunt iuste ineundi, etc. Lex naturalis siquidem est de se indeterminata ; et ideo lex positiva necessaria est ad legem naturalem determinandam [1] (I, n. 263).

761. Animadversio. — In praxi non refert utrum dicatur praeceptum proprie dictum imponi multitudini, vel id negetur, cum inclinatione naturae individuis indita, simul cum divina providentia, sufficienter provideatur conservationi generis humani.

---

1. Recenter P. Agapito Martin de Sobradillo, O. M. C., in opere : *La Procréation et la Stérilisation*, obiicit tria :

1° Difficulter intelligitur obligatio quae primo est individuorum, tunc societatis, tunc individuorum si esset necessitas. — Resp. : Semper eodem modo afficit omnes collective, differentia est applicationis ex circumstantiis.

2° Multitudo ut talis non habet officia, sed individui : vel omnes obligantur, et hoc falsum ; vel si alii abstinent, et in casu sufficit dicere quod tunc est obligatio in his circumstantiis. — Resp. : Tunc obligatio applicatur, quia lex generalis est curandi de conservatione speciei.

3° Societas generare non potest, sed individuus. Ergo ipsa societas non est subiectum obligationis generandi. — Resp. : Non societas ut talis est subiectum, sed omnes collective.

Articulus III.

De Matrimonii Honestate.

S. Th., Suppl. q. 41, a. 3-4 ; q. 49, a. 4-5 ; II-II, q. 152, a. 2 et 4 ; q.153, a. 2 ; I-II, q. 34, a. 1, ad 1 ; c. Gent. III, 126.

762. Status quaestionis. — Plures habuerunt matrimonium et copulam coniugalem ut illicita. Ita primis saeculis Encratitae, Saturninus, Marcion, Montanistae et Ascetae, atque Manichaei, qui, Gnosticorum placitis addicti, coniugia humana ideo damnabant quod corpus humanum a malo principio esse reputabant. Item postea Albigenses.

E contra, saec. IV Helvidius, Iovinianus, Vigilantius matrimonium virginitati et perfectae continentiae aequale meritis aestimabant. Ita quoque Lutherus [1] et Calvinus, imo plures novatores etiam nuptias virginitati meliores dictitabant.

E contra doctrina catholica tenet matrimonium esse licitum et honestum, virginitati tamen postponendum.

763. *Thesis I.* **Matrimonium in se est licitum et honestum,** utpote a Deo institutum in finem honestum. — Est *de fide* ex C. Lat. II, can. 23, et ex Conc. Lat. IV, et prof. fid. Innoc. III.

Probatur : 1° Ex revelatione :

a) *indirecte :* Nullum peccatum est de praecepto. Sed actus matrimonialis est in praecepto, secundum Gen. I, 28 et I Cor. VII, 3 : *Uxori vir debitum reddat*... Ergo non est peccatum.

b) *directe :* Illud est bonum et laudabile quod Deus instituit, Christus confirmavit et Apostoli commendarunt. Atqui matrimonium Deus instituit (Gen. I, 27 ; II, 18, 23 ; Mt. XIX, 6 ; C. Trid., sess. 24), Christus confirmavit (Ioh. II et Mt. XIX, 4 sq.), Apostoli commendarunt (Hebr. XIII, 4 ; I Cor. VII, 3, 38 ; I Tim. IV, 1-3 ; V, 14 ; cfr. Eph. V, 22-32). Ergo.

---

1. Prius agnoverat Luther virginitatis praestantiam (ante 1520) ; postea, mutata sententia, dixit matrimonium necessarium et asseruit virginalis continentiae impossibilitatem, secluso miraculo.

Quod Patres diserte affirmarunt et defenderunt, ita ut acriter invecti sint in antiquos haereticos: Irenaeus passim; Cl. Al., 3 Strom.; Tertull. c. Marcionem; Hier. c. Iovinianum; Aug., de Bono coniugali; de Nuptiis; c. Eustathium, ascetam et Eusthaticos Syn. Gangrensis s. IV; c. Priscillianistas s. VI Syn. Bragensis, denique C. Lat. II, can. 23 haereticos habet qui legitimarum damnant foedera nuptiarum.

2° *Ratione:* Actus coniugalis est unicum medium propagandi genus humanum. Si igitur Deus vult propagationem generis humani, vult actum coniugalem, qui proinde de se licitus est. Hinc S. Thomas, q. 41, a. 3:

« Supposito quod natura corporalis a Deo bono sit instituta, impossibile est dicere quod ea quae pertinent ad conservationem naturae corporalis, et ad quae natura inclinat, sint universaliter mala; et ideo cum inclinatio sit naturae ad prolis procreationem, per quam natura speciei conservatur, impossibile est dicere quod actus quo procreatur proles sit universaliter illicitus, et in eo medium virtutis inveniri non possit. — Nisi ponatur, secundum quorumdam insaniam, quod res corruptibiles creatae sunt a malo deo; ex quo forte derivatur illa opinio... et ideo est pessima haeresis ».

Damnare actum coniugalem est damnare naturam, et auctorem naturae; quodsi actus coniugalis sit licitus, et matrimonium quod essentialiter ad illum ordinatur.

764. Corollaria.—Cum matrimonium sit legitimum, hinc:

1° Nemo potest propagationem generis humani prohibere.

2° Actus coniugalis est et meritorius, dummodo fiat ex motivo virtutis (e. g. ad debitum reddendum ex iustitia, ad prolem in cultum Dei ex religione), et datis conditionibus debitis, quarum praecipua est quod fiat ex charitate.

3° Usus matrimonii non illicitus est propter peccatum originale, cuius vera causa non est usus matrimonii sed voluntas Adae: per se usus matrimonii est ad procreationem filiorum; quod etiam simul transmittitur peccatum originale est per accidens. Et « turpitudo illa concupiscentiae, quae actum matrimonialem semper concomitatur, non est turpitudo culpae, sed poenae ex peccato primo proveniens » (a. 3, ad 3). Quod si delectationis intensio tollat rationis usum, non tamen tollit rationis ordinem, quia actus matrimonialis a ratione est praeordinatus (ad 6).

765. *Thesis II.* **Matrimonium postponendum est virginitati et coelibatui servatis ex motivo virtutis.** — Est *de fide* contra Iovinianum et Novatores ex C. Trid., sess. 24, can. 10.

Probatur: 1) Christus, tum exemplo, quia virginitatem

servavit et matrem virginem elegit, tum verbo commendavit virginitatem ut opus consilii, Mt. XIX, 10 sq.; item Apostolus, I Cor. VII, 1-40.

2) Patres, ut Tert. adv. Marc., Cypr., Ambr., Chrys., Greg. Naz., Greg. Nys., Hier., Aug. laudant virginitatem. Et Papa Siricius damnavit Iovinianum.

3) Virginitas praestat matrimonio, « tum 1) quia bonum divinum est potius humano bono; tum, 2) quia bonum animae praefertur bono corporis; tum etiam 3) quia bonum contemplativae vitae praefertur bono activae. Virginitas autem ordinatur 1) ad bonum animae, 2) secundum vitam contemplativam, 3) quod est cogitare *ea quae sunt Dei;* coniugium autem ordinatur 1) ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani, et 2) pertinet ad vitam activam, 3) quia vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare quae sunt mundi, ut patet per Apostolum, I Cor. VII, 33-34. Unde indubitanter virginitas praeferenda est continentiae coniugali » II-II, q. 152, a. 4.

Conf^r: a) Abstinere ab aliquibus inferioribus ad consulendum bono superiori est bonum: ita a delectatione corporali propter contemplationem veritatis.

b) Matrimonium de se reddit hominem minus aptum ad serviendum Deo, quia proprius matrimonii actus convenit homini secundum portionem inferiorem qua similis est brutis, quaeque in eo non obedit rationi et maximam habet verecundiam coniunctam.

c) Virginitas removet a sollicitudine saeculi et super res terrenas elevat, ut homo Deo liberius vacare possit.

766. Animadversiones. — 1. Ignominia est in matrimonio sine prole, non in abstentione a matrimonio.

2. Bonum commune praeferendum est bono privato, si sint eiusdem ordinis.

3. Non instituitur comparatio inter personas, aut inter earum perfectionem, vel in talibus adiunctis, sed inter status.

767. Obiicitur: 1. Bonum commune maius est bono privato. Sed coniugium ordinatur ad bonum commune, virginitas ad bonum privatum. Ergo coniugium est potius.

Resp. *dist. M.:* si bonum privatum sit eiusdem ordinis, *conc.*, si diversi et superioris ordinis, *nego*. Et *dist.m.:* Virginitas est ad bonum privatum, partim, *conc.*, unice, *nego*, nam confert ad bonum commune. In matrimonio scil. spectatur bonum corporale, in virginitate bonum spirituale et divinum.

2. Si bonum est quod unus se continet, melius erit quod multi et omnes.

Resp. *dist.:* secundum bonum individui, *conc.*, secundum bonum speciei, *nego*. Bonum commune scil. requirit varietatem statuum et bonorum, etiam officia inferiora.

Articulus IV.

De Matrimonii Finibus.

S. Th., Suppl. q. 41, a. 1; q. 44, a. 1; q. 42, a. 2; a. 3, ad 4; q. 48; q. 49, a. 2, ad 1; q. 65, a. 1; q. 67, a. 1, ad 2; c. Gent. III, 122.

768. Notiones. Finis matrimonii proprie est *intrinsecus* et *essentialis*, seu *operis*, ad quem natura sua matrimonium institutum est, ordinatur atque per se tendit; — ab illo distingui potest finis *extrinsecus* et *accidentalis*, seu *operantis*, quem operans intendit seu qui a contrahentibus est intentus et adiunctus.

Finis intrinsecus operis, alius est *primarius* seu *principalis*, alius *secundarius* qui primario est essentialiter *subordinatus* et consequens: supponit primarium, nam non est finis nisi dependenter ab illo principali, atque medium ad primarium finem ut securius et certius obtineatur, ita ut ad finem secundarium ordinari nequeat matrimonium nisi salva ordinatione ad finem primarium [1].

769. *Principium I.* **Fines matrimonii, ex parte operis, intrinseci seu essentiales, sunt tres: unus primarius, procreatio et educatio prolis, duo secundarii, mutuum solatium et adiutorium, ac delectatio concupiscentiae sedativa** (can. 1013, § 1).

1° Finis *essentialis et primarius* operis, seu id ad quod matrimonium natura sua, primario et principaliter ordinatur, est propagatio speciei humanae, procreatio et educatio prolis; secus esset alia societas, non matrimonium. Patet ex supra dictis de naturali origine matrimonii, et ex S. Litteris: *Crescite et multiplicamini*, ait Deus, Gen. I, 28; *Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse*, ait Paulus de iunioribus viduis, I Tim. V, 14. Cfr. Tob. VI, 22; VIII, 9; I Tim. II, 15.

1. Cfr. possunt: Dr Biot, *Les buts du mariage*, et Rud. Geis, *Katholische Sexualethik*.

Hinc qui omninode excluderet finem primarium, excluderet matrimonium, et matrimonium esset nullum.

2° Finis *essentialis* sed *secundarius* operis est etiam finis qui natura rei obtineri debet, sed tantum secundario et dependenter a fine primario; unde ad illum finem matrimonium etiam per se ordinatur, non tamen tamquam ad finem independentem, qui independenter a primario intendi posset, sed potius tamquam medium quo melius de se obtineatur finis primarius. Iamvero finis secundarius matrimonii est duplex:

a) *Solamen et mutuum adiutorium* quod, Deo et natura disponente, coniuges inveniunt in matrimonio, quatenus exinde iucundior evadat cohabitatio ad educandam prolem necessaria et minus premant onera vitae communis ac senectutis (Prov. XXXI, 10-12; Eccli. XXVI, 1-2; Eph. V, 22, 25). Hinc creato primo viro, dixit Deus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi* (Gen. II, 18); hinc etiam ipsa natura diversis sexibus indidit diversas inclinationes et facultates, quae in statu matrimoniali sese complent.

b) *Delectationis fruitio et sedatio concupiscentiae* adnectitur usui coniugii ut securius et certius obtineatur finis generationis. Concupiscentia in statu naturae lapsae nonnisi difficulter intra rationis limites continetur, sed minus excitat ad illicita si illi in matrimonio concedantur licita in ordine ad finem primarium. Et sic matrimonium factum est remedium concupiscentiae. Unde Apostolus: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquaeque suum virum habeat...; quod si non se continent nubant: melius est enim nubere quam uri* (I Cor. VII, 2 et 9).

De finibus matrimonii legatur Augustinus, *de Bono coniugali*, c. 2-5.

770. *Principium II.* **Fines accidentales matrimonii complures intendi possunt ex parte operantis, modo honesti sint nec opponantur fini primario.**

Complures fingi possunt huiusmodi fines accidentales, e. g. pax familiarum concilianda, honor familiae conser-

vandus, pax, charitas et amor consanguineis comparanda, illustris familiae conservatio, pax reipublicae, divitiae, voluptates, honor personalis, senectus tranquilla, etc.; imo secundum S. Thomam, q. 48, a. 2 et ad 1, in infinitum possunt tales fines multiplicari. Sunt potius conditio, aut occasio, et ratio applicationis ad contrahendum tale matrimonium et ad alios fines prosequendos. Ait enim Cat. Rom., n. 15 : « Quod si ad eas causas aliae etiam accedant, quibus homines inducti matrimonium ineant, atque in habendo uxoris dilectu, hanc illi praeponant, ut haeredis relinquendi desiderium, divitiae, forma, generis splendor, morum similitudo : huiusmodi sane rationes damnandae non sunt, cum matrimonii sanctitati non repugnent : neque enim in s. Litteris Jacob patriarcha reprehenditur quod Rachelem eius pulchritudine illectus, Liae praetulerit ».

Conditio autem requisita est ut honestae sint, secus redderent matrimonium illicitum; nec opponantur fini primario, secus et reddere possent invalidum.

Hinc: 1° Contrahere matrimonium ob finem inhonestum, peccatum est : mortale si finis sit graviter, veniale si leviter inhonestus, v.g. si fiat ob vanitatem, vel exclusive ob delectationem.

2° Matrimonium non potest iniri, si finis eius essentialis et primarius ideo per se obtineri nequit, quia initum inter personas quae ad ponendum actum de se generandae proli aptum sunt per se ineptae, quales sunt eunuchi et spadones.

3° Imo intentio positiva finis primarii seu generationis exclusiva, si in pactum deducitur, irritat matrimonium.

4° A fortiori si in pactum deducitur conditio inhonesta huic fini contraria.

5° Nupturientes qui matrimonium ineunt unice ad finem secundarium, v. g. ob mutuum solatium et auxilium, praescindendo a fine primario, non tamen illum excludendo, vitant inordinationem positivam et proinde excusantur a peccato ; imo eo ipso quod non excludunt generationem, implicite includunt, quod sufficit ad meram honestatem. Ad perfectionem tamen operis requiritur, ut intentio operantis positive conformetur primario fini prolis generandae.

771. Corollaria. — 1. *Essentiale* est matrimonio ut ordinetur in *primarium* finem, propagationem convenientem generis humani, non in privatum partium bonum et felicitatem. Primarius finis est procreatio et educatio prolis : a) *procreatio*, quia sine facultate generativa institutio matrimonii nec concipitur, usus bonus illius facultatis promovet alios fines matrimonii, denique iste finis immediate spectat bonum commune, cui bonum privatum est subordinandum ; b) *educatio*, quia sine ea opus procreationis est imperfectum ; ergo et ipsa est finis primarius.

2. Unde errant qui solam procreationem ut finem primarium habent, et educationem finem secundarium ponunt, cum vita humana prolis, physica et moralis, completa intendatur (q. 49, a. 2, ad 1 ; can. 1113).

3. Errant quoque qui tres fines mere coordinatos et aequales habent.

4. Item errant qui putant finem proprium matrimonii esse mutuum complementum humanae personalitatis ; prolis vero generationem esse quid accessorium ex dicto complemento resultans. Dicunt scil. hominem singularem, — sive marem sive feminam,— non esse perfectum et completum, sed solum per unionem maritalem seu per commutationem proprietatum sexualium talem existere. — At non est confundendum complementum *sexuale* cum complemento *humano* seu ad perfectum esse hominis requisito, quasi homo non coniugatus censeri debeat dimidius tantum homo vel imperfectus. Complementum sexuale ideo solum requiritur, ut unum et perfectum sit principium generationis, educationis et socialis unitatis domesticae ; non autem ut homo individuus sit completus[1].

5. Nec mutuus amor et mutua perfectio est finis primarius, ut quidam somniarunt, etiam inter catholicos, concludentes copulam coniugalem posse licitam esse, etsi impediatur procreatio prolis, atque abutentes auctoritate Cat. Rom. qui mutuum amorem et perfectionem ponit tamquam causam primam matrimonii. Cui alludit Pius XI, in enc. *Casti connubii*, de matrimonio christiano quod regitur perfectissimo amore supernaturalis charitatis, scribens : « Haec mutua coniugum interior conformatio, hoc assiduum sese invicem perficiendi studium, verissima quadam ratione, etiam primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio, consuetudo, societas accipiatur ». Proinde non finis primarius institutionis matrimonii dicitur nec finis operis, sed causa ; non simpliciter sed *quadam ratione*, scil. primaria *causa impellens* seu principium movens operantem, et *ratio* ex qua praecipua excellentia et tota perfectio matrimonii derivatur ; et solum, si id non sumatur pressius ut institutum ad prolem rite procreandam et educandam, seu quantum ad finem primarium, sed latius ut totius vitae communio, i. e. praecise quantum ad finem secundarium.

Ceteroquin ipse Pontifex et in eadem encyclica explicite primarium finem dicit procreationem prolis, et alios vocat secundarios. Quodsi finis primarius esset amor mutuus, facile

1. Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*, vol. III, *De Matrimonio*, n. 8, nota 18.

exinde deducerent matrimonii dissolubilitatem, seu divortium, ob absentiam amoris, cum dicerent matrimonium sine amore non posse attingere finem suum primarium, nec proinde valide consistere, sed esse dissolvendum. Unde talis opinio est vitanda, utpote logice ducens ad conclusiones falsas.

Dubio de hac re proposito Congr. S. Off. negative respondendum decrevit : « An admitti possit quorundam recentiorum sententia, qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque principales et independentes. » Negative. (Decr. S. Off., 1 april. 1944.)

Articulus V.

De Matrimonii Essentia.

S. Th., Supp. q. 41, a. 1 ; q. 42, a. 1, ad 5, et a. 4 ; q. 44, a. 1 ; q. 45, a. 1 et 2 ; q. 48, a. 1 ; III, q. 29.

772. **Status quaestionis.** — Matrimonium spectari potest *in fieri*, i. e. in actu quo initur seu conventione qua constituitur ; et *in facto esse* seu in statu constituto.

A. Circa matrimonium *in fieri*, 1° putaverunt olim plures ad eius essentiam requiri copulam carnalem, dicentes matrimonium inchoari in desponsatione seu consensu, nondum tamen perfectum existere nisi reali traditione in copula exercita. Unde nomen: *copulatheoria*.

Ita Iulianus pelagianus, Hincmarus Rhemensis, Ivo Carnotensis, Algerus Leodiensis, Gratianus et multi canonistae praesertim scholae Bononiensis, inter quos magister Rolandus [1] ; contra S. Petrum Damianum, et theologos, praesertim scholae Parisiensis cum Petro Lombardo, qui docebant matrimonium constitui solo mutuo consensu. At Rolandus, pontifex creatus sub nomine Alexandri III, quoad substantiam sancivit doctrinam scholae Parisiensis ; sed secundum opinionem Bononiensem statuit matrimonium ratum et non consummatum non esse perfecte indissolubile.

2° Alii noluerunt vocari contractum, vel ad hoc affirmandum haesitantes inventi sunt, tum inter veteres, tempore quo nondum efformata erat definitiva doctrina iuridica et scholastica de matrimonio, tum etiam inter recentes, imo « nonnulli recentiores scriptores... a voce contractus veluti abhorrent, quasi tale nomen aut matri-

1. Sententia postea tribuitur Wicleff et aliquot Protestantibus ; eam rursus propugnare cepit Freisen, *Geschichte d. Kan. Eherechts*, § 3, sed postea eam retractavit.

monium dedeceat, aut matrimonii conceptum minus rectum ingerat [1] ».

Finis immediatus, aiunt, actus ineundi matrimonium non est obligatio, sed consortium vitae cuius obligationes non voluntate contrahentium sed ipso iure determinantur. Ex eo enim quod contractum dixerint, nonnulli falso deduxerunt matrimonium esse voluntate contrahentium dissolubile atque regi potestate civili, ad modum aliorum contractuum. Unde non est contractus, nec realis nec mere consensualis, sed status, institutio, societas.

Ius romanum nunquam utitur voce contractus ; S. Thomas qui haesitanter dixerat contractum in Commentario super Sententias, in Summa contra Gentiles id non amplius dicit, sed simpliciter ait esse coniunctionem. Et licet de contractu loquantur documenta ecclesiastica, sumunt ista contractum in sensu latiore ; at in sensu omnino proprio, et melius, non dicitur contractus[2].

Doctrina autem catholica tenet matrimonium a) negative : non consistere in copula carnali, sed b) positive : consensu mutuo externe manifestato. Unde non est contractus realis, sed consensualis.

B. Matrimonium *in facto esse* est effectus resultans ex contractu matrimoniali seu ex matrimonio in fieri : ipse status inductus a contractu, societas *permanens* quae efficitur a consensu qui est causa matrimonii. Iamvero quaeritur in quo praecise sit huius status essentia, seu in quo essentialiter consistat.

Multa sunt quae ad matrimonium pertinent : consensus mutuus, expressio externa consensus, mutua traditio, mutua potestas in corpus compartis, nexus et vinculum permanens inter virum et mulierem, ius mutuum ad actus de se aptos generationi seu ad vitam individuam, obligatio et officia vitae individuae, ipsa vitae consuetudo, usus matrimonii. Quorum plura pertinent ad causam matrimonii seu ad contractum, qui est matrimonium in fieri, ac proinde illud in facto esse non constituunt, ut tria priora ; quaeritur autem quid inter reliqua sit ipsa status matrimonialis *essentia*.

773. *Thesis I.* **Matrimonium *in fieri* est contractus,**

1. Gasparri, *de Matrimonio*, n. 3.
2. Ita plures iuristae moderni in Germania, ut Scherer, Vering, Laemmer, Schulte, Breda ; et in Gallia. Conferri de hac re possunt : Desforges, *Étude historique sur la formation du mariage en droit romain et français ;* Lefebvre, *Le mariage civil n'est-il qu'un contrat?* in *Nouv. Rev. historique du droit*, 1902 ; Hauriou, *Précis de droit constitutionnel*, 1930 ; G. Renard, *La doctrine de l'institution ;* et in *Vie intell.*, 1931 : *La doctrine institutionnelle du mariage ;* Le Fur, *Le droit naturel et la théorie de l'institution ;* Delos, in *Bull. Thom.*, 1930-33.

non realis sed consensualis, essentialiter consistens mutuo consensu, exterius manifestato et insupplebili, in vitam coniugalem, quo scil. vir et mulier mutuo sibi tradunt corpora in ordine ad actus de se aptos generationi; unde, *licet essentialiter ordinem dicat ad copulam carnalem, haec tamen non pertinet ad eius essentiam aut substantialem integritatem* (can. 1081). — Matrimonium, etiam inter baptizatos, essentialiter esse contractum, *certum* est ex encycl. Leonis XIII *Arcanum* et ex encycl. Pii XI *Casti connubii;* copulam vero carnalem non pertinere ad eius essentiam, *communis et certa* est doctrina, inde a decreto Alexandri III.

Probatur : A. Ad essentiam matrimonii, non pertinere copulam carnalem, patet ex universali traditione, quae constat :

1° ex Patribus : Origene, hom. 6 in Lc., Basilio, de s. Christi gen. 3-5 ; Ambrosio, de inst. virg. VI, 42 ; Hieronymo, c. Helv. 4; Augustino, de bon. coni. I, 2 ; de nupt. et conc. I, 11; c. Iul. 5, 12; Siricio papa, ep. 1 et 9;

2° ex eo quod ipsi atque dein theologi generatim docent inter Adam et Evam in paradiso terrestri, et inter B. V. Mariam et S. Ioseph, verum extitisse matrimonium (Mt. I, 20 ; Lc. II, 5, 48) ;

3° ex doctrina Conciliorum et Pontificum : ita Nic. I in resp. ad Bulg. c. 3 ; Conc. Flor. aiens : « causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus » ; C. Trid. clandestina matrimonia, libero consensu facta, rata et vera esse matrimonia asserens sess. 24, de ref., c. 1, atque matrimonium ratum non consummatum dirimi per solemnem religionis professionem, can. 6 ;

4° ex regula iuris : « Nuptias non concubitus sed consensus facit », et ex can. 1081 et 1015, § 1 ;

5° ex fidelium, imo et hominum, communi persuasione : virum et mulierem sine peccato copulari quia coniuges sunt, non esse coniuges quia copulantur.

B. Matrimonium esse verum contractum constat, cum sit mutuus in idem placitum iuris consensus, seu consensus

obligationem inducens in utraque parte ex iustitia commutativa, consensus scil. in easdem obligationes status matrimonialis et individuae vitae coniugalis. Ut constanter affirmatur, v. g. ab Inn. III, in decr. Grat., c. 26, X, IV, 1 ; Conc. Trid., sess. 24, de ref., c. 1 ; Pio VI, 11 iul. 1789; Pio IX, syll. prop. 66 et 73; Leone XIII, enc. *Arcanum;* Pio XI, enc. *Casti connubii* ; et C. I. C., can. 1012, § 1 et 2 ; can. 1015, § 1. Doctrinam tam constantem intelligendam esse in sensu latiore, non de contractu proprie dicto, videri posset temerarium.

Obiectum materiale contractus sunt corpora, seu, ut S. Thomas dicit, ipsae personae contrahentium : « legitimae personae ad contrahendum », ait q. 45, a. 5. Obiectum formale est vitae individuae consuetudo ad quam se obligant coniugali vinculo, quod complectitur ius mutuum, exclusivum et perpetuum in corpus alterius ad actus de se aptos generationi.

Hinc licet matrimonium non possit esse validum quin radicale saltem ius conferat ad copulam carnalem, huius tamen iuris usus aut impletio obligationis matrimonialis non pertinet ad essentiam eius, sicut nec usus rei de qua contrahitur pertinet ad essentiam contractus [1].

---

1. Ius romanum quidem non utitur voce contractus, sed iurisperiti dicunt contrahere matrimonium, et commentatores dixerunt contractum. — Inter scriptores ecclesiasticos, Ambrosius dicit, de inst. virg., c. VI : « Non defloratio virginis facit coniugium, sed *pactio coniugalis* ». Eamdem doctrinam tradit Decr. Gratiani, p. 2, c. 27, q. 2, can. 5. Petrus Lombardus, in IV Sent. d. 27, c. 3 utitur voce : *pactio coniugalis ;* insuper comparando sponsalia et matrimonium, ait sponsalia esse promissionem de futuro, matrimonium promissionem de praesenti, ac proinde hoc est contractus sicut illa. Item Abaelardus, Ep. Th. chr., c. 31 : *foederatio de coniugio contrahendo*. Item s. Raymundus, in Summa, IV, t. 2, § 2 ; S. Bonaventura, in IV, d. 27, a. 2, q. 1 et d. 29, a. un. q. 3 ; S. Albertus M., in IV, d. 27, a. 4, 6, 7 et 8, dicunt *contractum*. Et haec doctrina passim occurrit apud S. Thomam : ita v. g. q. 45, a. 1 et 2 : coniunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus ; et a. 2 : in matrimonio fit contractus inter virum et mulierem ; et a. 3, ad 2 : etiam in aliis contractibus ; et a. 5 : in matrimonio occulto servatur debita materia, quia ibi sunt legitimae personae ad contrahendum. Et q. 47, a. 1 : in matrimonio est quidam contractus ; et a. 3 : metus perpetuitatem contractus tollit, et ideo ... tollit matrimonium ; et. a. 5 : in aliis contractibus fit obligatio sub conditione..., ergo cum matrimonium sit contractus... Et q. 49, a. 3, de bonis matrimonii dicitur quod ex ipsa pactione coniugali causantur. Et q. 50, impedimenta dirimunt contractum ex parte contractus, aut ex parte contrahentium : primo modo, cum contractus matrimonii fiat per volun-

774. Obiiciunt: A. *contra primam partem.* Copula est de essentia matrimonii.

Nam 1° Matrimonium christianum significat unionem Christi cum Ecclesia; sed haec unio non significatur nisi per coniunctionem carnalem; ergo coniunctio carnalis ad essentiam matrimonii pertinet. — Resp. *dist.:* Matrimonium christianum significat unionem Christi cum Ecclesia per gratiam et charitatem seu unionem moralem, *conc.;* significat unionem physicam, *subd.:* mediante copula coniugali, *conc.;* essentialiter, *nego.*

2° Explicat hanc unionem S. Paulus, ad Eph. V, 31 sq.: *Erunt duo in carne una: sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico: in Christo et in Ecclesia;* ergo ad essentiam matrimonii pertinet unio carnalis. — Resp. Verba: erunt duo in carne una, non necessario nec primo significant unionem carnalem, sed vinculum indissolubile inter coniuges cum iure ad corpus compartis, et vinculum dilectionis quo eam diligit sicut propriam carnem. Alludit enim Apostolus ad verba Adami: « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea... quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una », i. e. in uno principio generationis. Quod etiam verificatur antequam coniuges copulam exerceant; unde in istis verbis non *directe* agitur de copula carnali.

3° Matrimonium est in officium generationis et in remedium concupiscentiae; sed neutrum habetur nisi per copulam; ergo copula pertinet ad essentiam matrimonii. — Resp. *nego conseq.*, quia assecutio finis alicuius rei non est de illius essentia.

Copula ergo carnalis tantum est de integritate matrimonii secundaria et accidentali (q. 42, a. 4).

B. *contra alteram partem.* Matrimonium non est proprie dictus contractus, sed institutio et societas.

Nam 1° Contractus immediate parit obligationes et iura, conventio matrimonialis immediate parit statum. — Resp.: matrimonium simul est status et contractus; essentialiter et in esse est institutio et societas, sed causaliter et in fieri est verus contractus. Matrimonium enim immediate parit statum coniugalem, sed ut obligatorium, atque omnes obligationes eius. Etiam potestatem et ius concedit: proprietatem corporis concedit, scil. dominium in corpus compartis. Ergo est verus contractus.

2° Contractus est actus qui obligationem parit inter solos contrahentes, et quidem inter aequales, atque immutabiliter; matrimonium et obligationes in aliis parit, est hierarchicum, et decursu saeculorum se adaptavit variis circumstantiis. — Resp. Matrimonium immediate obligationem parit in contrahentibus, mediate et consequenter in aliis; est inter aequales quantum ad ius essentiale et obiectum primarium, copulam carnalem, licet coniuges non sint aequales quoad vitam domesticam; est in essentialibus immutabilis, licet modificationes subierit accidentales. Etiam alii contractus possunt mediate obligare tertium, ut locatio; instituere hierarchiam, ut v. g. contractus famulatus; nec semper sunt in omnibus immutabiles.

3° Si matrimonium esset contractus, posset solvi mutuo consensu, sicut contractus, et regi potestate civili ad modum aliorum contractuum. — Resp. *dist.:* si esset contractus institutionis mere humanae circa res temporales, *conc.;* si esset contractus naturalis a Deo institutus, praesertim non mere profanus, sed aliquo sensu religiosus, *nego.*

tarium consensum, qui tollitur per ignorantiam et per violentiam. Et q. 51, a. 2: sicut emptio est quidam contractus, ita etiam matrimonium; q. 52, a. 1: in matrimonii contractu obligatur unus alteri ad debitum reddendum; ignorantia impotentiae tollit contractum; q. 53, a. 1: peccat contrahens matrimonium post votum simplex continentiae; tamen quia verus contractus est...; q. 58, a. 1: in matrimonio est contractus quidam... unde sicut in aliis contractibus; similiter a. 3; et a. 5: matrimonium cum fiat per modum contractus cuiusdam, etc. Nullatenus igitur S. Doctor locutus est haesitanter, ut quidam dixerit. Quod si in Summa c. Gentes non loquatur de contractu, ratio est quia non exponit totam matrimonii doctrinam, sed relative pauca habet, scil. de statu matrimonii in facto esse et de unitate et indissolubilitate, nihil vero de causa et de matrimonio in fieri.

775. Corollaria. — Ex praedictis eruuntur sequentia:

1° Matrimonium est *contractus*, quia essentialiter est duorum in idem consensus, et quidem *perfecte bilateralis.*

2° Est contractus *excellentissimus*, tum ratione obiecti, quod non est minus quam ipsae personae contrahentium; tum ratione finis, qui est legitima procreatio prolis eiusque educatio ad cultum Dei.

3° Est contractus *naturalis*, utpote ab ipsa natura indicatus et impositus.

4° Ideo tamen *non mere profanus* est, sed *sponte sua est religiosus*, ait Leo XIII, idque independenter a dignitate sacramentali; est scil. religiosus et sacer, non quidem intrinsece et essentialiter, sed secundum rationem extrinsecam, in ordine praesenti supernaturali: tum ratione originis immediate divinae; tum ratione significationis rei sacrae, quae est adumbratio unionis incarnati Verbi cum natura humana; tum ratione finis ad quem ordinatur, scil. procreare et educare filios Deo ad visionem beatificam, atque, addit Pius XI: « ex eiusdem naturali coniugii officio, providentissima Dei conditoris mente instituto, ut quoddam sit transvehendae vitae quasi vehiculum, quo parentes divinae omnipotentiae velut administri inserviunt ». Quapropter « intime cum religione et sacrarum rerum ordine coniunctum » est, et hac ratione, ait Leo XIII, « inest eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum sed natura insitum ». Et ideo monumenta antiquitatis et mores atque instituta populorum testantur matrimonium esse rem cum religione et sanctitate coniunctam nec sine caeremoniis religiosis fieri consuetam.

5° Est contractus *non mere privatus*, utpote non primario ad bonum contrahentium sed ad bonum commune ordinatus, cuius indoles non a libera conventione dependet sed a natura et auctore naturae determinatur.

6° Est contractus *singularis*, tum quia consensus matrimonialis nulla humana lege suppleri potest (can. 1081, § 1), tum quia eius leges, utpote a Deo et natura institutae, nec hominum legibus aut placitis nec ipsorum coniugum contrario convento obnoxiae esse possunt, tum quia est de se perpetuus atque indissolubilis.

7° Matrimonium ergo « divina simul et humana voluntate constituitur : ex Deo sunt ipsa matrimonii institutio, fines, leges, bona ; Deo autem dante atque adiuvante, ex hominibus est, per generosam quidem propriae personae pro toto vitae tempore factam alteri traditionem, particulare quodlibet matrimonium (inter hunc virum nempe et hanc mulierem) cum officiis ac bonis a Deo statutis coniunctum ». Ita Pius XI.

776. *Thesis II.* **Matrimonium** *in facto esse* **essentialiter consistit in formali nexu seu vinculo ordinis moralis de se permanente quod oritur ex contractu, seu in relatione coniunctionis, qua coniuges uniti sunt et ad invicem ligantur et formaliter sunt coniuges seu maritus et uxor ;** ex quo habetur ulterius mutuum ius exigendi, sicut mutua obligatio servandi fidelitatem et adimplendi munia coniugii.

Doctrina indicatur *in Scriptura.* Gen. II, 24 : « homo... *adhaerebit* uxori suae : et erunt duo in carne una » ; quibus alludens Christus ait, Mt. XIX, 6 : « Quod ergo Deus *coniunxit*, homo non separet ». Et Apostolus, I Cor. VII, matrimonium habet ut vinculum seu ligamen, quo vir est *alligatus* uxori (v. 27), et mulier *alligata* est quanto tempore vir eius vivit (v. 39).

Similiter in *documentis Traditionis*, v. g. Alex. III : « Cum matrimonium sit maris et feminae *coniunctio...* » ; Conc. Flor. ait : « *matrimonii vinculum...* perpetuum », et Trid. sess. 24 dicit : « matrimonii perpetuum indissolubilemque *nexum* », quo « *vinculo* duos tantummodo *copulari et coniungi*, Christus Dominus apertius docuit... *statimque eiusdem* nexus firmitatem... confirmavit ».

Probatur ex naturali matrimonii ordinatione, iuxta S. Thomam, q. 44, a. 1 :

1° *Matrimonium est coniunctio :* « Coniunctio adunationem quamdam importat ; unde ubicumque est adunatio aliquorum, ibi est aliqua coniunctio. Ea autem quae ordinantur ad aliquid unum, dicuntur in ordine ad illud adunari, sicut multi homines adunantur ad unam militiam vel negotiationem exequendam, ex qua dicantur commilitones ad invicem, vel socii negotiationis. Et ideo cum

per matrimonium ordinentur aliqui ad unam generationem et educationem prolis, et iterum ad unam vitam domesticam, constat quod in matrimonio est aliqua coniunctio, secundum quam dicitur maritus et uxor ; et talis coniunctio ex hoc quod ordinatur ad aliquid unum est matrimonium ». Hinc Gen. II, 24 : *erunt duo in carne una.*

2° *Haec coniunctio est in genere relationis :* « Relatio est secundum quam aliqua ad invicem referuntur. Sed secundum matrimonium aliqua ad invicem referuntur : dicitur enim maritus vir uxoris, et uxor mariti uxor. Ergo matrimonium est in genere relationis, nec est aliud quam coniunctio » ad unum scil. finem, nempe ad unam generationem et educationem prolis, et ad unam vitam domesticam.

Praedicta « relatio quae est matrimonium, ex una parte habet unitatem in utroque extremorum, scil. ex parte causae (nempe finalis), quia ad eamdem numero generationem ordinatur ; sed ex parte subiecti habet diversitatem secundum numerum, et ideo haec relatio est una ex parte causae, et multiplex ex parte subiecti. Et secundum quod est multiplex ex parte subiecti, significatur his nominibus : *uxor* et *maritus ;* secundum autem quod est una, significatur hoc nomine : *matrimonium* » (ad 3).

Obiiciunt : Matrimonium non est coniunctio. Vinculum enim distinguitur a coniunctione ipsa. Unde, si sit vinculum, non est coniunctio. — Resp. Matrimonium est vinculum formaliter et non effective ; et ideo est ipsa coniunctio (ad 1). Vinculum scil. non sumitur causaliter pro re quae vinculat : sic esset contractus ; sed est coniunctio passiva ex vinculo causali resultans.

777. **Corollaria.** — Hinc intelligitur :

1° Quam recte matrimonium definiatur *coniunctio*, et quidem *maritalis, qua sint maritus et uxor*, quia hoc vinculum coniugale fundamentum habet et oritur ex mutua traditione facta, et non ex sola promissione de futuro, sicut vinculum obligatorium quod oritur ex sponsalibus.

2° Sicut omnis societas formaliter est relatio seu adunatorum coniunctio, ita et societas coniugalis. An sit relatio rationis vel realis, disputatur sicut pro societate ; esse realem communius docent.

3º Est tamen relatio specialis, ordinis moralis, importans mutua iura et obligationes.

4º Est relatio mutua, unde adagium : *Matrimonium claudicare non potest*. Ut ait S. Thomas, q. 47, a. 4 : « cum matrimonium sit quaedam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio, ideo, quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero, quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod sit aliqua uxor non habens virum, sicut nec mater non habens filium ; et ideo dicitur communiter, quod matrimonium non claudicat ».

Hinc infidelis, licet non teneatur impedimentis et legibus matrimonialibus iuris ecclesiastici, nihilominus, obtenta etiam dispensatione super impedimento disparitatis cultus, non potest valide contrahere matrimonium cum parte catholica, nisi servet statuta iuris canonici : hisce scil. ligatur fidelis et ideo indirecte infidelis.

5º Inter omnia supra relata quae ad matrimonium pertinent, intelligitur matrimonium non consistere essentialiter :

a) nec in consensu mutuo, sive externo sive interno, neque in mutua traditione corporum, quia ista transeunt remanente matrimonio ;

b) neque in iure mutuo ad copulam aut in huius officio, quia ius ad copulam, vel officium, est quid consequens ad matrimonium constitutum, ac potest tolli matrimonio remanente : ideo enim coniuges habent ius ad copulam, vel obligationem, quia matrimonio iuncti ;

c) neque in usu coniugii seu copula, quia usus et operatio supponit essentiam. Unde S. Thomas, q. 42, a. 4 : « ideo erit carnalis commixtio de secunda integritate matrimonii (quae consistit in operatione), et non de prima » quae est in esse rei.

6º Matrimonium non consistere in unione animarum, ut tribuitur Fichte, quae requiritur ut matrimonium bene vergat : mutuus enim amor est conditio necessaria ut matrimonium felices sortiatur effectus et ad onera eius sustinenda. Unde S. Thomas, q. 44, a. 1 : « Coniunctio corporum et animarum ad matrimonium consequitur ». Quandoque tamen unio animarum intelligitur ipse mutuus consensus ad matrimonium.

7º Nec a fortiori consistere in communione bonorum fortunae, licet haec saltem in quadam mensura sit de convenientia.

8º Plura manualia moderna non semper recte loqui, dum dicunt vinculum constare mutuo iure et obligatione, seu essentiam vitae coniugalis consistere in mutuo iure et obligatione ; sed dicendum esset essentiam matrimonii seu vinculum *secum ferre* ius et obligationem et haec inde resultare. — Nisi nomine obligationis intelligatur vinculum quo ad invicem obligantur, seu obligatio radicalis vel ligamen, quo sensu loqui videtur S. Thomas, q. 41, a. 1 et q. 42, a. 1, ad 5.

778. Animadversio. — Cum secundum essentiam sit coniugale vinculum, matrimonium de hoc dicitur propriissime et essentialiter ; de contractu tantum causaliter, qui proprie non est matrimonium sed matrimonii causa. Unde matrimonium magis est vinculum quam contractus.

QUAESTIO SECUNDA.

DE MATRIMONIO UT SACRAMENTO.

Articulus I.

De Institutione Sacramenti.

S. Th., Suppl. q. 42 ; III, q. 65, a. 1 ; c. Gent. IV, 78.

779. Status quaestionis. — Praeter Gnosticos et Manichaeos, qui nuptias ut malas damnabant (n. 762-763) et ita indirecte characterem sacramentalem iis denegabant, hunc directe negarunt Protestantes, licet ex alia parte illas bonas dixerint et saepe extollerint.

Idem ac Manichaei tenuerunt Petrus de Bruis, Arnaldus de Brixia, ac generatim Waldenses et Albigenses. Luther dixit matrimonium esse rem mundanam et negavit esse sacramentum, cum ipsi desit divina promissio. Calvinus ait non magis rationem sacramenti convenire nuptiis quam agriculturae vel arti sutoriae, neque ut sacramentum habitas fuisse ante tempora Gregorii I. Recentiores Protestantes matrimonium licet ut religiosam institutionem habeant, negant tamen esse sacramentum, Ritualistis exceptis qui illud reponunt inter sacramenta minora. Atque Modernistae plures tenent, prop. 51 : « Matrimonium non potuit evadere sacramentum N. L. nisi serius in Ecclesia ; siquidem, ut matrimonium pro sacramento haberetur, necesse erat ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio ».

E contra doctrina Ecclesiae est, matrimonium inde ab initio futuram unionem Christi cum Ecclesia quidem praenuntiasse, at in N. L. esse signum huius unionis iam existentis, atque proprie dictum sacramentum gratiae significativum et productivum a Christo derivatae.

Ut haec doctrina bene intelligatur, notandum :

a) Duplicem esse Christi cum natura humana unionem : unam physicam, alteram spiritualem. Vi prioris trahitur assumpta

humanitas ad ipsum esse personale Verbi ; vi alterius charitas et gratia descendit a Christo capite in Ecclesiae corpus : ita secunda unio priorem integrat et complet.

b) Ulterius unio coniugalis viri et mulieris habet similitudinem proportionalem cum unione Verbi ad humanitatem, et quidem dupliciter :

1) Ratione finis et operationis ad finem. Nam finis principalis matrimonii est homo procreandus et educandus ad cultum Dei ; finis autem unionis Verbi cum carne et Christi cum Ecclesia est pariter homo ad Dei cultum per gratiam reparandus. Deinde in operatione ad finem matrimonii obtinendum, requiritur indivisa opera viri et mulieris, pariter ad finem incarnationis obtinendum requirebatur theandrica operatio unius personae in qua duplex natura : divina et humana ; et post redemptionem consummatam, requiritur indivisus influxus Christi et Ecclesiae ad vitam spiritualem fidelium.

2) Ratione relationum inter coniuncta scil. inter Christum et Ecclesiam, virum et mulierem.

In unione coniugali habetur consortium vitae et communicatio iurium, ita tamen ut vir sit caput mulieris, retineatque ius regendi et veluti ad se uxorem assumat, non vice versa. Sic proportionaliter pro Ecclesia respectu Christi, et pro humanitate assumpta respectu divinitatis assumentis.

Quae si considerentur, matrimonium iam ex sua natura habuit quamdam singularem idoneitatem, ut assumeretur tamquam signum et symbolum coniunctionis Verbi cum carne et Christi cum Ecclesia. Teste autem Scriptura, de facto ad hoc significandum assumptum fuit (Eph. V, 32). In antiqua quidem lege esse non potuit nisi typus umbratilis et signum mere prognosticum futurae incarnationis, quare non fuit sacramentum gratiae collativum. In N. T. autem matrimonialis unio est signum sacrum exprimens similitudinem unionis iam existentis inter Christum et Ecclesiam, imo ordinatur ad finem eiusdem ordinis ac finis incarnationis, scil. in prolem formandam, nec quolibet modo sed secundum legem gratiae ad Ecclesiae propagationem et perennem conservationem ; quapropter in lege Christi coniugium quoad suam substantiam perficitur et elevatur, ita ut sit signum collativum et titulus de se exigens atque causa gratiae praesentis, adeoque sacramentum proprie dictum.

780. *Thesis*. **Matrimonium inter baptizatos legitime celebratum est verum et proprie dictum N.L. sacramentum.** — Est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 24, can. 1, et sess. 7, can. 1 et 6.

Dicitur : 1) *matrimonium*, et non aliquid ipsi additum, ita ut ipsum matrimonium in fieri et in facto esse, nempe contractus et vinculum morale exinde resultans, ad dignitatem sacramenti fuerit elevatum ;

2) *inter baptizatos :* lex enim evangelica, quae matrimonium in sacramentum constituit, non applicatur nisi iis qui Baptismate ei subiiciuntur, dum infideles matrimonium habent quale in lege naturali sancitur ; Baptisma scil. est conditio sine qua non potest esse sacramentum matrimonii, sicut nec alia sacramenta ;

3) *legitime celebratum* seu validum, ita ut non detur matrimonium validum inter baptizatos quod non sit sacramentum ;

4) *est verum et proprie dictum N. L. sacramentum*, signum rei sacrae in quantum est sanctificans homines, quod non solum significat sed et confert gratiam.

Probatur : A. *Ex Scripturis* quae id *innuunt* Eph. V, 22-32 : *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae : ipse salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret... ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit : sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Quibus verbis indicatur matrimonium esse a) signum sacrum, b) signum gratiae, atque c) signum practicum gratiae collativum.

1° *Est signum sacrum.* Recitatis enim verbis Adami, quibus intima et arctissima coniunctio viri et mulieris exprimitur ita ut sint duo in carne una, Paulus addit : Hoc est *sacramentum* (μυστήριον i. e. mysticum signum) et magnum quidem : ego autem dico in Christo et in Ecclesia (εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν i. e. in Christum et in Ecclesiam seu versus illum et illam), quasi diceret : maritalis unio, si in se spectatur, res videtur obvia et naturalis ; attamen magnum mysterium dicenda est, eo quod tamquam signum referri debet ad altissimum Christi cum Ecclesia connubium quod miro et mysterioso modo significat.

2° *Est signum gratiae.* Significat enim unionem Christi cum Ecclesia ; haec autem unio per gratiam perficitur, nam Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ut illam *sanctificaret*, quod sine gratia fieri nequit ; ergo matrimonium est gratiae signum.

3° *Est signum practicum seu gratiae collativum*, non signum mere speculativum ut in V. T.

Apostolus formaliter id non docet, sed *innuit*, ut loquitur Conc. Trid., sess. 24, et supponit. Nam :

a) Vox : sacramentum, seu mysticum signum, intelligenda est iuxta diversitatem temporum, ita ut in sensu latiore sumatur pro nudo signo rei sacrae, quod convenit matrimonio sub lege naturae et lege mosaica, nunc in sensu strictiore pro signo sacro collativo gratiae, quod convenit matrimonio sub nova lege cuius sacramentis proprium est ut producant quod significent.

b) Apostolus, ex altissima significatione matrimonii, coniuges Christianos obligatos esse docet ad excellentissimam charitatem qua Christus dilexit Ecclesiam, et ad devotam subiectionem qua Ecclesia ordinatur ad Christum ; haec autem dilectio et subiectio debent esse quid constans et permanens, sicut dilectio Christi et subiectio Ecclesiae sunt permanentes. Atqui ad talem charitatem et subiectionem iugiter sibi exhibendam coniuges indigent principio permanenti, scil. gratia habituali cum iure ad auxilia actualia. Ergo Paulus innuit et supponit gratiam illam vere conferri, ob ipsam coniugalem unionem in quantum est signum unionis Christi et Ecclesiae.

c) Unio coniugalis, quatenus est signum unionis Christi et Ecclesiae, ordinat virum et uxorem ad finem qui iam eiusdem ordinis est ac finis incarnationis, scil. ad prolem educandam in Ecclesiae conservationem et propagationem. « Christus enim, ait S. Robertus Bellarminus, de Matr. c. 4, Christus et Ecclesia semper filios spirituales per Baptismum gignunt, per Eucharistiam nutriunt ; et sic obligantur coniuges christiani ex ipso coniugio ad officia divina. Atqui nunquam committuntur a Deo officia quae naturam superant, nisi etiam simul gratia detur per quam illa officia exerceantur ut oportet ». Ergo unio coniugalis quatenus est tale signum sacrum, exigit gratias convenientes et est signum efficax gratiae seu N. L. sacramentum.

B. *Ex Traditione* quae *dogma proponit*, prius implicite, dein explicite, ut constat ex testimoniis Patrum, doctrina Conciliorum et Pontificum, voce liturgiae et monumentis antiquitatis, atque consensu omnium sectarum Orientalium.

1° *Patres* docent : a) Christum matrimonio benedixisse et sanctitatem adiunxisse : ita Epiph. haer. 67 ; Cyr. Al. in Ioh. II, 2 ; episcopi in syn. Ephesina ; Aug. in Ioh. IX, 2.

b) Matrimonium esse rem sacram, solemni benedictione Ecclesiae obsignandam, et gratiae coniunctam : ita Ign. ad Pol. V, 2 ; Tert. ad ux. II, 7-9 ; Orig. in Mt. XIV, 16 ; Ambr ep. ad Sir. ; Siricius papa, ep. 1, c. 4 ; Epiph. haer. 61 et 67.

c) Matrimonium christianum dignitate praevalere supra matrimonium infidelium, et hac ratione esse sacramentum ; quod proinde de sacramento proprie dicto est intelligendum, unde illud comparant Baptismo et Ordini : ita Ambr., de Abraham I, 7 ; Aug., de bono coni., 18 et 24 ; de nupt. et conc. I, 10 ; Leo m., ep. 167, n. 4.

2° *Pontifices et Concilia*, sicut theologi, inde a saeculo XII, saepius explicite recensent matrimonium inter septem Ecclesiae sacramenta : ita Lucius III in Conc. Veronensi, a. 1184 ; Innocentius III in prop. fid. pro Waldensibus ; prof. fid. in Conc. Lugd. II lecta, a. 1274 ; Conc. Flor. in decr. pro Armenis.

3° *Libri liturgici*, scil. Sacramentaria Latinorum et Euchologia Graecorum inde a saec. V, eodem modo loquuntur : in iis matrimonium exhibetur res sanctissima inter missarum solemnia peragenda, et vocatur sacramentum, atque exoratur Deus ut gratiam suam sponsis largiatur. Atque *monumenta antiquitatis* exhibent celebrationem coniugii cum benedictione Christi vel sub eius patrocinio peractam.

4° *Dissidentes Ecclesiae Orientales*, quarum schisma a saec. V ad IX fuit perfectum, omnes admittunt matrimonium esse verum sacramentum ; haec doctrina proinde non fuit post separationem apud eas introducta, sed ad communem et antiquam fidem pertinere ostenditur.

Et quamvis initio testimonia sint ambigua et obscura, haec tamen intelligenda sunt secundum expressam et claram doctrinam posteriorum temporum ; quia cum in Ecclesia explicatio doctrinae fiat sub assistentia Spiritus Veritatis, si posterioribus temporibus matrimonium indubie ponitur esse sacramentum proprie dictum gratiam conferens ex opere operato, eo ipso demonstratur hunc esse sensum implicite contentum in testimoniis fidei primitivae et Apostolis revelatum.

C. *Ex ratione convenientiae* quae thesim confirmat, et quidem dupliciter, tum ex eo quod sacramenta omnibus necessitatibus vitae spiritualis providere debent, tum ex eo quod in remedium instituta sunt concupiscentiae.

1° Sacramenta instituta sunt pro necessitatibus vitae spiritualis tam socialis quam individualis. Atqui sicut ad societatem spiritualem requiritur ordo potestatis qua regitur, ita requiritur matrimonium quo conservatur et propagatur ; porro illi qui regere eam aut propagare destinati sunt, officia sua debite implere nequeunt sine gratia. Ergo sicut oportebat sacramentum instituere ad gratiam conferendam illis qui societatem spiritualem regunt, ita et matrimonium instituere in sacramentum quod gratiam confert illis qui societatem sunt propagaturi.

2° Sacramenta instituta sunt in remedium peccati originalis et pravae concupiscentiae ex eo derivatae. Atqui concupiscentia maxime refrenanda est carnalis ad propagationem speciei inclinans ; cui matrimonium opportunum praebet remedium. Ergo decebat matrimonium instituere in sacramentum gratiae colla-

tivum, quo concupiscentia carnalis efficacius freno rationis subiiciatur.

781. Quandonam Christus sacramentum Matrimonii instituit ? — Id videtur perfecisse in triplici stadio :

1° nuptias consecravit et sanctificavit sua praesentia in Cana Galilaeae, Ioh. II, 1-11 ;

2° essentiales proprietates matrimonii sanxit, unitatem scil. et indissolubilitatem, illudque in primitiva perfectione restituit, Mt. XIX, 3-9 ;

3° post resurrectionem suam definitive illud instituit ut sacramentum gratiae collativum, institutis scil. ceteris sacramentis.

782. Corollaria. — 1. Christus ad dignitatem sacramentalem evexit ipsum matrimonium, in fieri scil. et in facto esse, ac proinde non solum contractum, nec solum vinculum, sed utrumque ; uti constat ex documentis Ecclesiae quae modo asserunt contractum matrimonialem elevatum fuisse ad dignitatem sacramenti, modo idem dicunt de ipso vinculo, ut legenti facile patebit. Ita quoque S. Thomas, q. 42, a. 1, ad 1 et 2 ; a. 3, ad 2 ; q. 45, a. 1, ad 2.

2. Hinc, sicut in aliis sacramentis, ita in Matrimonio, distinguuntur tria (q. 42, a. 1, ad 5 ; a. 3, ad 2 ; q. 44, a. 1, ad 2) :

a) *Sacramentum tantum* seu signum externum quod significat et non significatur, et hoc est ipse contractus per actus exterius apparentes initus viri et mulieris, seu mutuus consensus expressus.

b) *Res et sacramentum*, quod significatur simul et significat, et hoc est obligatio quae innascitur viri ad mulierem ex talibus actibus, seu coniugale vinculum repraesentans unionem Christi et Ecclesiae : significatur enim et efficitur a contractu, etiam significat ac exigit et confert gratiam.

c) *Res* quae significatur et non significat, et haec est effectus sacramenti, scil. gratia sacramentalis ad officia implenda.

3. Attamen, cum vinculum sit matrimonium secundum essentiam, et magis quam cont actus, hinc etiam sacramentum matrimonii principalius est in vinculo, quod principaliter significat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Illud scil. primo fuit elevatum in signum sacrum unionis Christi et Ecclesiae, et consequenter etiam mutuus consensus quo constituitur factus est ritus sacer. Eodem modo sacramentum Ordinis primario est in charactere, potius quam in ritu externo (n. 710).

783. Animadversio. — Quidam Scholastici, quamvis Matrimonium inter sacramenta sanctificantia numeraverint, negarunt aut dubitarunt illud conferre gratiam gratum facientem, ut Petrus Lombardus et Durandus. Vera doctrina defenditur a S. Thoma, q. 42, a. 3, et quidem omnino firmiter in I-II, q. 100, a. 2, ad 6 et c. Gent. IV, 78 ; postea explicite ab Ecclesia fuit proposita in Conc. Flor. et Trid.

Articulus II.

De Essentia Sacramenti et Partibus constitutivis.

S. Th., Suppl. q. 42, a. 1 et a. 3, ad 2 ; q. 44, a. 1, ad 2 ; q. 45, a. 2 et 5.

784. Errores. — Doctrina traditionalis in Ecclesia est, sacramentum non esse quid extrinsece adiunctum matrimonio christianorum, sed ea intime esse connexa ac realiter inseparabilia : ipsum scil. matrimonium elevatum fuisse ad dignitatem sacramenti, ita ut inter baptizatos non possit validum esse matrimonium quin sit sacramentum. Cui doctrinae varii opponuntur errores et sententiae, tam circa essentiam quam circa constitutionem huius sacramenti.

A. *Circa essentiam sacramenti :*

1° Quidam dixerunt sacramentum esse a contractu matrimoniali *adaequate distinctum*, atque huic extrinsecum utpote ipsi accessorium et superveniens, et v. g. in benedictione nuptiali sacerdotis, vel in contractu religioso aut coram Ecclesia inito consistens.

Ita Marcus Antonius de Dominis, ep. Spalatensis, haereticus factus, in libro *De Republica christiana;* item Launoy et Regalistae, et s. XIX Nuytz, prof. Taurinensis, multique politici et iuristae civiles.

2° Alii sacramentum habuerunt a contractu realiter sed *inadaequate distinctum*, ita ut contractus solum esset materia, benedictio sacerdotalis forma constituens sacramentum. Ita Melchior Canus pluresque theologi post ipsum.

3° Alii denique nullatenus in re, nec imperfecte distinctum esse affirmarunt contractum a sacramento, sed sola ratione, et nihilominus esse separabilem, ita ut in quibusdam casibus possit validus esse contractus matrimonialis inter baptizatos, quin sit sacramentum, ut si intentione sua contractum inire velint, sacramentum nolint. Ita Vasquez, Salmanticenses, Billuart, Wirceburgenses.

B. Consequenter *circa partes sacramenti constitutivas*, nempe materiam et formam :

1° Alii, ut iam dictum est, ipsum contractum dixerunt sacramenti materiam, formam vero benedictionem sacerdotis : *Ego vos coniungo*... Id forsan tenuit Gulielmus Parisiensis, sed postea formaliter docuerunt Melchior Canus, Estius, Sylvius, Tournely et alii plures.

2° Alii consensum internum posuerunt materiam, formam vero verba consensum exprimentia. Ita Navarrus, Capreolus, Scherer et Schnitzler.

3° Alii personas contrahentes seu corpora dixerunt materiam, formam vero verba quibus corpus tradunt vel consentiunt in traditionem corporis. Ita S. Bonaventura, Paludanus, S. Antoninus, Laymann, Vasquez.

4° Alii denique materiam dixerunt verba exprimentia consensum prioris contrahentis, formam verba exprimentia consensum posterioris contrahentis. Ita Richardus, Victoria, Grisaldus, B. Ledesma, Henriquez, Vivaldus.

785. *Thesis I.* **Christus ipsum matrimonium elevavit ad dignitatem sacramenti, ita ut inter baptizatos non possit verum esse matrimonium quin sit sacramentum** (can. 1012). — *Certum* est.

Probatur : a) *Ex documentis traditionis* quae id *implicite* supponunt, cum asserant ipsum matrimonium, quod a Deo initio fuit institutum, qualiter existebat in officium naturae, elevatum fuisse ad dignitatem sacramentalem ; hoc autem non est nisi ipse contractus et consequens vinculum.

Hinc Scholastici, sine restrictione de omnibus matrimoniis inter christianos, ipsum consensum mutuum verbis expressum dixerunt esse signum sacramentale (S. Th., l. c.) atque Conc. Flor. asserit : « Septimum est sacramentum Matrimonii..., causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus » ; Conc. vero Trid. docet, sess. 24, de ref. c. 1, matrimonia clandestina *rata* et *vera* fuisse matrimonia, quamdiu Ecclesia eadem irrita non fecerit, licet in iis non sit nisi contractus matrimonialis.

b) *Ex explicitis Pontificum declarationibus*, recentiore tempore factis.

Ita Pius VI, ep. 16 sept. 1788 ; Pius IX in brevi 22 aug. 1851 ; in ep. ad reg. Sard. 19 sept. 1852 ; in alloc. 27 sept. 1852 ; in Syllabo, prop. 65, 66 et 73 ; Leo XIII in enc. *Arcanum*, et Pius XI in enc. *Casti connubii*.

Obiicitur : In omni sacramento minister intentione sua facere potest ut ritus, v. g. ablutio, mere materialiter et externe ponatur

et non sit sacer seu sacramentum ; ergo et in matrimonio ministri contrahentes facere possunt quod non sit sacramentum, sed solus contractus.

Resp. *Nego conseq.* Ministri possunt impedire quominus sit sacramentum, sed simul impediendo contractum, quia Christus instituit quod omnis verus contractus matrimonialis inter baptizatos sit sacramentum. Differentia est 1) quod ritus, in aliis sacramentis, v. g. in Baptismo, sit actio mere physica, quae manet talis si materialiter ponatur ; actio autem coniugum est actio moralis, scil. contractus qui effectum habet vinculum morale et obligationem. Unde si intentionem habent actionem mere materialiter et externe ponendi, iam deest vinculum et non adest contractus. Hinc 2) possibile est intendere ablutionem, quin intendatur sacramentum ; impossibile intendere contractum quin intendatur sacramentum.

786. **Corollaria.** — Ex praedicta doctrina sequitur :

1° Catholicos, imo haereticos vel schismaticos modo baptizatos, dum valide celebrant matrimonium, simul et suscipere sacramentum, etsi illud ignorent aut negent (q. 51, a. 2, ad 2); — imo si id nolint, dummodo praevalente voluntate matrimonium inire intendant et sacramentum non omnino excludant : hoc enim casu nec valide contraherent.

2° Sacramentum matrimonii, non quidem re, sed tamen *ratione* distingui a contractu et societate coniugali, ut habet S. Thomas, q. 49, a. 2, ad 7 : « Quamvis matrimonium sit sacramentum, tamen aliud est matrimonio esse matrimonium, et aliud est ei esse sacramentum : quia non solum ad hoc est institutum ut sit in signum rei sacrae, sed etiam ut sit in officium naturae. Et ideo ratio sacramenti est quaedam conditio adveniens matrimonio secundum se considerato ».

3° Sacramentum matrimonii, sicut contractum, valide iniri posse inter absentes, v. g. per litteras, per nuntios, aut per procuratorem : ita contra Caietanum (can. 1088).

4° Matrimonium infidelium, eo quod ambo baptizentur coniuges, ipso facto fieri sacramentum, etiam si ignoraverint, quia contractus matrimonialis virtualiter in iis perseverat et in ipso vinculo subsistit, quod, accedente Baptismo, eo ipso fit signum sacrum ; sicut innuit S. Thomas, q. 59, a. 2, ad 1, imo S. Paulus Ephesios alloquens ante Baptismum coniugatos : ita contra Vasquez, Salmanticenses, Billuart et alios.

5° Matrimonium e contra, inter fidelem et infidelem nunquam esse sacramentum : cum enim contractus sit numerice unus et perfecte bilateralis, non potest esse in uno et non in alio ; ergo similiter ut sacramentum quod separari nequit. Matrimonium claudicare non potest ; unde vinculum non potest esse strictius et firmius in uno ac in altero, esse ratum et sacrum in uno, non in altero. Ita sententia communior [1]. Ceterum S. Off. huiusmodi matrimonium vocat vinculum *naturale*.

1. Quod ut evidentius appareat, animadverte consensum non immediate significare gratiam sacramentalem sed mediante vinculo, quod in

787. *Thesis II.* **Partes constitutivae, seu materia et forma sacramenti, sunt elementa constitutiva ipsius contractus, scil. mutua traditio et acceptatio corporum verbis aut signis expressa.** — Est *sententia hodie quasi communis.*

Probatur : Sacramentum matrimonii nihil aliud est quam contractus elevatus ad dignitatem sacramentalem ; ergo ea est materia et forma sacramenti quae contractus. Atqui in contractu traditio rei seu consensus in traditionem exterius expressus est materia ; acceptatio seu consensus in acceptationem exterius expressus est forma. Ergo ita in sacramento matrimonii. Et sane : elementum determinabile habet rationem materiae, elementum determinativum rationem formae ; sed in contractu oblatio seu traditio est quid determinabile quo inchoatur, completur autem in ratione perfecti contractus per acceptationem quae se habet ut elementum determinativum ; ergo traditio est materia, acceptatio forma.

Confirmatur, quia consensus in traditionem, licet verbis exprimatur, non se habet ut locutio sed ut actio oblativa ; e contra expressio acceptationis formaliter est locutio et significatio.

Hinc : 1) Res quae traditur seu materia remota circa quam fit contractus, sunt ipsae personae seu corpora contrahentium, vel potius potestas in corpus alterius in ordine ad actus de se aptos ad generationem ; sed non sunt materia proxima ex qua contractus matrimonii constituitur.

2) Ipse consensus internus, licet necessario requisitus, non est tamen ut talis, elementum constitutivum signi externi et contractus in ratione actus externi, utpote non sensibilis.

3) Consensus prioris contrahentis non est sola et tota materia, posterioris contrahentis sola et tota forma ; sed uterque ut se alteri offerens inchoat contractum et ponit materiam, ut alterum acceptans perficit contractum et ponit formam.

788. **Animadversio.** — Consensus, ut causans vinculum coniugale, est *causa efficiens* matrimonii ; ut determinans traditionem compartis, est *forma;* ut traditio determinanda ab acceptatione compartis, est *materia* sacramenti.

---

matrimonio christiano est sacrum, utpote speciali modo repraesentans unionem Christi et Ecclesiae, et ita signum efficax gratiae. Vinculum autem est relatio quae claudicare non potest, et ideo signum est efficax gratiae in utroque, vel non est.

Articulus III.

De Ministro Sacramenti.

S. Th., Suppl. q. 44, a. 1 et 2 ; q. 45, a. 5.

789. *Thesis.* **Minister matrimonii sunt ipsi contrahentes, et quidem non solum sub ratione contractus, sed etiam sub ratione sacramenti.** — Est *sententia hodie communis et certa,* contra Melchiorem Canum et illos qui sacerdotem dicebant ministrum sacramenti, et immediate sequitur ex doctrina articuli praecedentis.

Probatur : 1° *Directe.* Si ipse contractus matrimonii est sacramentum nec ab ipso realiter differt, oportet ut illi qui conficiunt contractum, etiam ministri sint sacramenti ; hoc autem sunt contrahentes.

2° *Indirecte,* ex doctrina et praxi Ecclesiae.

Constat : a) quia matrimonia clandestina fidelium ante Conc. Trid., et etiam nunc in quibusdam adiunctis (can. 1098-99), habentur ut vera sacramenta ;

b) quia ad validitatem matrimonii sufficit praesentia parochi, nec requiritur ut quamdam verborum formam proferat ; unde documenta illum vocant testem matrimonii, non ministrum sacramenti ;

c) ex sententia unanimi antiquorum scholasticorum per quinque fere saecula, usque ad tempora Melchioris Cani.

Obiiciunt : Minister sacramentum confert vice et nomine Christi. Sed contrahentes non agunt nec loquuntur nomine Christi ; hic non accipit uxorem ut suam.

Resp. Non loquuntur nomine Christi, in quantum faciunt contractum, *conc.,* in quantum faciendo contractum se uniunt vinculo sacro et gratia, *nego.* Nam ut instrumenta Christi reddunt vinculum naturale sacrum et gratiam sibi conferunt.

790. **Corollaria.** — Exinde sequitur :

1° In sacramento matrimonii non differre ministrum conficientem, et subiectum suscipiens.

2° Nihilominus contrahentes non sunt ministri in quantum sunt subiectum ; imo nec omni sub respectu quo sunt contrahentes. In quantum enim comparti tradunt potestatem in proprium corpus, ponunt materiam sacramenti et ministri non sunt, sed solum in quantum acceptando ratam habent donationem a comparte factam, ponunt formam et perficiunt obligationis vinculum : sic ministri sunt, quia ad ministrum pertinet coniun-

gere materiam formae ; et ministri sunt Christi, quia in matrimonio fidelium obligationem vinculi coniugalis Christus principaliter sancit et obsignat.

3° Hinc ut valide ineant matrimonium, debent contrahentes, praeter hoc quod sint iure habiles, nullo impedimento dirimente impediti, habere intentionem saltem virtualem contrahendi seu faciendi quod alii faciunt nubentes, in qua implicite continetur intentio faciendi quod facit Ecclesia ; insuper ad hoc quod matrimonium sit sacramentum oportet sint baptizati.

4° Ad hoc quod fideles etiam licite contrahant, requiritur absentia omnis prohibitionis aut impedimenti impedientis, atque status gratiae, quia matrimonium est sacramentum vivorum. Quod si scienter contrahant in statu peccati, sacrilegio peccant, et quidem mortaliter in quantum sacramentum indigne recipiunt ; in quantum autem indigne sibi ministrant, licet peccent, non tamen probatur eos peccare mortaliter, quia non sunt ministri ex officio constituti (n. 76-77).

791. Animadversio. — « Verba quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma huius sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam *sacramentale* », ait S. Thomas, q. 42, a. 1, ad 1. Unde sacerdos dicitur *minister solemnitatis*, non celebrationis aut confectionis ; quod si dicat se coniungere *sponsos*, intelligendum est de ratihabitione, seu coniunctione coram facie Ecclesiae.

QUAESTIO TERTIA.

DE EFFECTIBUS ET BONIS MATRIMONII.

S. Th., Suppl., q. 42, a. 3 ; q. 49 et q. 65, a. 1.

792. Effectus matrimonii alii sunt naturales, alii supernaturales : alii siquidem ipsi competunt in quantum est contractus, alii in quantum est sacramentum. Effectus naturales a supernaturalibus perficiuntur, ita ut multo perfectiore modo inveniantur in matrimonio christiano.

793. Effectus naturales sunt tria bona matrimonii intrinseca, quae recensentur a S. Augustino, de bono coni. I, 32 : « Haec omnia bona sunt, propter quae nuptiae bonae sunt : proles, fides, sacramentum ». Quae doctrina communiter a Scholasticis fuit recepta et a Conc. Flor. adoptata. Bonum prolis est eiusdem procreatio, educatio et religiosa institutio. Bonum fidei est mutua fidelitas

quam coniuges sibi debent, qua positive alter alteri debitum reddat coniugale, et negative neuter alienae personae commisceatur. Bonum sacramenti i. e. signi sacri est firmitas et indissolubilitas, quam habet matrimonium ratione sacrae significationis in quantum signum repraesentans unionem indissolubilem Christi et Ecclesiae ; unde competit etiam matrimonio infidelium, licet validior sit firmitas in matrimonio sacramentali fidelium. Sic Augustinus, de Gen. ad litt. IX, 7 :

« *In fide* attenditur ne praeter vinculum coniugale cum altero vel altera concumbatur ; *in prole*, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur ; *in sacramento* autem, ut coniugium non separetur, et dimissus aut dimissa, nec causa prolis, alteri coniungatur. Haec est tamquam regula nuptiarum, qua vel naturae decoratur fecunditas vel incontinentiae regitur pravitas ».

Animadvertit S. Thomas, q. 49, a. 3, inter haec tria bona, dignius esse tertium, scil. bonum sacramenti, atque etiam essentialius si consideretur in se, quia indissolubilitas est proprietas essentialis matrimonii secundum se quae deesse non potest, dum proles et fides, si considerentur in seipsis, pertinent ad usum matrimonii et deficere possunt. At si proles et fides considerentur secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis, et pro fide debitum servandi fidem, sic sunt essentialia ita quod sine iis matrimonium esse non potest ; — imo sic proles primo est *essentialissimum* in matrimonio, et secundo fides, et tertio sacramentum. Eodem modo homini est essentialius esse naturae quam esse gratiae, quamvis esse gratiae sit dignius.

794. Effectus supernaturalis matrimonii est gratia animorum unitiva et concupiscentiae refrenativa. — Quod exponit Conc. Trid., sess. 24 : « Gratiam... quae naturalem... amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret coniugesque sanctificaret (tamquam generatores, ut scil. filios ad sanctitatem educare possent), ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit ».

Confert Matrimonium :

1° Gratiam habitualem gratum facientem, quod est de fide ex Conc. Trid., sess. 24, can. 1, sicut pro reliquis

sacramentis : per se quidem secundam, quia sacramentum non est institutum ad peccata delenda sed ad coniuges sanctificandos; per accidens vero probabiliter primam, si bona fide suscipitur a peccatore attrito qui se existimat dispositum. Convenit scil. ut illi qui multiplicare et educare debent filios Dei, et ipsi constituantur filii Dei per gratiam.

2° Gratiam sacramentalem specialem, quae gratiae gratum facienti speciale auxilium praebet et habitualem virium vigorem adiuvantem, ad sancte implenda coniugii officia atque concupiscentiam moderandam quae ab his officiis retrahit. Datur scil. ad coniugalem amorem conservandum et perficiendum, ad fidelitatem et castitatem coniugalem integre servandam, ad prolem bene educandam aliaque onera matrimonii ferenda.

3° Consequenter ius ad gratias actuales, ad hunc finem necessarias, per totam vitam opportuno tempore obtinendas.

Itaque sacramentum matrimonii suscipiendo, fideles, ait Pius XI, « aperiunt sibi sacramentalis gratiae thesaurum, ex quo supernaturales vires hauriant ad officia et munera sua fideliter, sancte, perseveranter ad mortem usque adimplenda.

Hoc enim sacramentum, in iis qui obicem, ut aiunt, non opponunt, non solum a) permanens vitae supernaturalis principium, gratiam scil. sanctificantem, auget, sed etiam b) peculiaria addit dona, bonos animi motus, gratiae germina, naturae vires augendo ac perficiendo, ut coniuges non ratione tantum intelligere, sed intime sapere firmiterque tenere, efficaciter velle et opere perficere valeant quidquid ad statum coniugalem eiusque fines et officia pertinet ; c) ius denique iis concedit ad actuale auxilium toties impetrandum, quotiescumque ad munera huius status adimplenda eo indigeant ».

Ubi praeter ipsam gratiam gratum facientem, indicantur plura : peculiaria addita dona quae potius indicant vires habituales permanentes, — boni motus qui sunt inspirationes gratiae actualis, — gratiae germina quae videntur esse amborum semina in anima deposita et postea suscitanda, — denique ius ad actuale auxilium speciale, sed oratione obtinendum, quando magis est necessarium.

Sicut autem, pergit Pontifex, per Baptismum et Ordinem homo deputatur et consecratur indelebili charactere ad munia sacra, ita coniugali vinculo, quod in christianis vere est sacrum, permanenter deputantur et quasi consecrantur ad officia matrimonii christiani : non quidem charactere, quia non est signaculum physicum nec potestatem sacram concedit, sed ligamine ordinis moralis quod tamen est titulus permanens ad sacramentalem gratiam coniugibus necessariam. Ex quo concludendum videtur

hoc sacramentum durante toto coniugii tempore reviviscere, casu quo obex adsit et removeatur.

795. Animadversiones. — 1. Tribus suis bonis cohonestatur matrimonium eiusque usus, ut ex S. Thoma ostendit Billuart, diss. 4, a. 1 : « Nemo sapiens debet iacturam aliquam sustinere nisi pro aliqua recompensatione alicuius aequalis vel melioris boni. Atqui in Matrimonio plures incurruntur iacturae, plura damna et incommoda quae his tribus bonis assignatis compensantur. Ergo. Prob. min. : Tria potissimum damna et incommoda incurruntur in matrimonio : 1^m^ libido et ex ea resultans detrimentum usus rationis, debilitas corporis et sensuum obtusio ; et hoc damnum compensatur bono prolis, seu procreatione liberorum quibus genus humanum propagatur et Deus perpetuo colitur. — 2^m^ damnum est sollicitudo molesta placendi comparti, suscipiendi, concipiendi, parturiendi, educandi prolem et rebus familiae providendi ; et hoc damnum compensatur bono fidei, qua alter alteri tenetur reddere debitum, nec potest alteri commisceri. — 3^m^ damnum est perpetua quaedam subiectio seu servitus qua vir uxori et uxor viro obligatur ; et istud damnum compensatur bono sacramenti i. e. vinculi indissolubilis, quo coniuges repraesentant coniunctionem Christi cum Ecclesia, tenenturque se invicem diligere, sicut Christus dilexit Ecclesiam... Quamquam etiam multo magis compensetur hoc damnum bono sacramenti proprie sumpti pro signo efficaci gratiae, quatenus sanctificat coniuges, eis confert auxilia supernaturalia ad se diligendum, praestandaque suaviter et fideliter usque ad finem vitae cetera munia et onera matrimonialia ».

Haec tamen bona non sunt causa extrinseca, per accidens ex parte agentis excusans aliquid quod secus esset malum, sed sunt « de ratione matrimonii », quod ex parte actus honestatur ab iis sibi intrinsecis, « quasi causantibus in ipso honestatem quae ei secundum se competit », ut ait S. Thomas, q. 49, a. 1, ad 2.

2. Praedicta bona, licet in omni matrimonio adesse debeant, multo tamen perfectiore modo sunt in matrimonio christiano, ut luculenter patet ex enc. Pio XI *Casti connubii*.

3. Porro bona tanti sunt momenti, ut peccata ipsis opposita sint mortalia ex genere, atque exclusio obligationis seu debiti eorum a contractu coniugii illum irritum redderet.

4. In laudata encyclica Pius XI totus est in tribus bonis declarandis, et in denuntiandis erroribus et vitiis oppositis : a) Bono prolis opponuntur onanismus coniugalis, attentatio vitae prolis, iniusta prohibitio coniugii aut sterilisatio ob rationes eugenicas. — b) Bono fidei, adulterina laesio castitatis coniugalis, emancipatio feminae seu laesio subordinationis eius ad virum, et laesio amoris coniugalis. — c) Bono sacramenti, saecularisatio matrimonii, matrimonia mixta, et divortium.

QUAESTIO QUARTA.

DE CAUSA MATRIMONII SEU DE CONSENSU.

S. Th., Suppl., q. 45, a. 1 et 3 ; q. 48, a. 1.

796. *Principium generale.* **Consensus partium** *externe* **expressus in matrimonium de praesenti est causa efficiens ipsius matrimonii et ita necessarius ut nulla humana potestate possit suppleri** (can. 1081, § 1). — *Certum* est ex Conc. Flor., ex ep. Pii VI, 11 iul. 1789 et ex enc. Pii XI *Casti connubii.*

Dicitur : 1° *consensus partium externe expressus per verba de praesenti,* quo se mutuo accipiant hic et nunc in coniuges : consensus enim de futuro non facit matrimonium, sed solum matrimonii promissionem seu sponsalia ;

2° *est causa efficiens ipsius matrimonii* scil. in facto esse, seu vinculi coniugalis, si tamen consensus debitis stipatus sit conditionibus ; non autem est causa matrimonii in fieri, quod formaliter non est nisi partium consensus externe expressus ;

3° *est necessarius :* vinculum enim coniugale non oritur nisi ex contractu (n. 748), qui non est nisi mutuus consensus ;

4° *ita ut nulla humana potestate possit suppleri :* nulla enim humana auctoritas valet tradere dominium corporis viri in mulierem nec mulieris in virum, quia non habet directam potestatem in corpus et vitam subditorum.

Probatur : 1° Ex eo quod in matrimonio est mutua traditio corporum : Quae sunt unius non traduntur alteri sine proprio consensu. Ergo matrimonium, in quo est traditio corporum, non est sine mutuo consensu.

Et sane : Matrimonium, qua contractus et qua sacramentum, constat materia et forma, quae consistunt in mutua externa traditione et acceptatione iuris ad corpus, seu in verbis vel signis consensum exprimentibus quoad illam traditionem et acceptationem. Unde S. Thomas, q. 45, a. 1 : « Unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius, nisi per eius consensum. Sed per matrimonium accipit uterque coniugum potestatem in corpus alterius, ut patet ex I Cor. VII, cum prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet. Ergo consensus facit matrimonium ».

2° Ex eo quod matrimonium constituitur contractu : Contractus sine consensu mutuo nec intelligi potest, nam omnis contractus est quoddam pactum mutuum, seu duorum vel plurium in idem placitum consensus. Cum ergo matrimonium constituatur contractu, consensus ad matrimonium constituendum est omnino necessarius. Quod si alii contractus non fiunt sine mutuo consensu, ergo a pari matrimonium.

3° Ex eo quod matrimonium est sacramentum, in quo coniunctio spiritualis significatur et obtinetur mediante coniunctione materialis contractus, ut exponit S. Thomas, q. 45, a. 1 :

« In omnibus sacramentis est aliqua spiritualis operatio, mediante materiali operatione, quae eam significat ; sicut per ablutionem corporalem in Baptismo fit ablutio interior spiritualis. Unde cum in matrimonio sit quaedam spiritualis coniunctio, in quantum matrimonium est sacramentum, et aliqua materialis, secundum quod est in officium naturae et civilis vitae, oportet quod mediante materiali fiat spiritualis virtute divina. Unde cum coniunctiones materialium contractuum fiant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis coniunctio ».

797. Consensus matrimonialis debet mutuo praestari per actum voluntatis et ferri in matrimonium. Hinc definiri potest : *actus voluntatis inter personas habiles, legitime* (i. e. iuxta modum pro valore praescriptum) *manifestatus, quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem* (can. 1081, § 2).

Licet necessaria sit utriusque voluntas, non tamen requiritur in unaquaque parte duplex actus formaliter distinctus, sed fieri potest uno actu, quo quis indivisibiliter consentit in propriam obligationem quam alteri offert et quo simul acceptat virtualiter obligationem alterius.

Consensus itaque explicite et formaliter non fertur in copulam carnalem, sed in ius et potestatem ad copulam, implicite et virtualiter in copulam. Copula enim non est de essentia matrimonii, sed eius effectus et operatio : essentia est mutua translatio potestatis mutuae in alterius

corpus in ordine ad copulam de se aptam generationi prolis. Ergo consensus explicite et formaliter non fertur in copulam, sed in potestatem ad eam ; et ita consequenter, implicite et virtualiter in ipsam copulam. Hinc S. Thomas, q. 48, a. 1 :

« Consensus qui matrimonium facit, est consensus in matrimonium, quia effectus proprius voluntatis est ipsum volitum. Unde sicut carnalis copula se habet ad matrimonium, ita consensus qui matrimonium causat, est in carnalem copulam. Matrimonium autem... non est essentialiter ipsa coniunctio carnalis, sed quaedam associatio viri et uxoris in ordine ad carnalem copulam... secundum quod eis datur potestas ad invicem respectu carnalis copulae... Unde bene dixerunt... quod consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicite, non explicite : non enim debet intelligi, nisi sicut implicite effectus continetur n sua causa, quia potestas carnalis copulae, in quam consentitur, est causa carnalis copulae, sicut potestas utendi re sua est causa usus ».

Nam 1) consensus in aliquam rem explicite solum fertur in id quod est de essentia, et nonnisi implicite in effectum ad quem ordinatur tamquam causa.

Attamen 2) qui consentit in id quod essentialiter ordinatur in aliquid, consentit implicite in illud ; sed qui consentit in matrimonium, consentit in id quod essentialiter ordinatur ad copulam carnalem ; ergo implicite consentit in copulam. Nam ius et potestas ad copulam essentialiter ordinatur ad usum, sicut potentia ad actum et causa ad effectum.

Unde 3) consensus est nullus, si ex vi seu conditione contractus, excludant copulam.

Quae intelligenda sunt quantum est *ex parte contractus*, ita ut ex vi contractus consentiant implicite in copulam nec ullo modo eam excludant ; — non vero quantum est *ex parte contrahentium*, qui simul possunt, unus vel ambo, habere intentionem oppositam, scil. non exercendi copulam, aut etiam aliud pactum de hoc inire. Uti patet ex matrimonio B. Virginis et S. Ioseph.

Consensu valide praestito, eo ipso adest matrimonium.

798. Corollaria. — 1. Consensus mutuus est causa efficiens matrimonii dupliciter :

a) matrimonii, ut est contractus et sacramentum, *in fieri*. Sic consensus, in quantum est internus, est causa externi consensus, ita ut non solum sit causa efficiens sed etiam causa formalis intrinseca contractus et sacramenti : intentio enim est de essentia contractus et sacramenti ;

b) matrimonii *in facto esse* seu coniunctionis viri et mulieris et vinculi sacri. Sic consensus ut expressus verbis est causa efficiens

et extrinseca matrimonii : non est de essentia eius, sed necessarius ita ut haec sine illo non sit.

2. Docet Scotus, in IV d. 27, q. 2, n. 2 : « Non est dicendum quod consensus sit propria causa efficiens illius vinculi. Sed est dispositio praevia, sicut baptizari et ordinari est dispositio praevia ad characterem ». — E contra, consensus vere efficit vinculum ut causa principalis ; quod insuper vinculum sit sacrum et gratiam conferat, huius est causa instrumentalis, in quantum contrahentes sunt ministri Christi.

3. Quaerunt Scholastici : an consensus possit ab alio suppleri, v. g. a Deo, aut esse matrimonium absque coniugum consensu? Certum est consensum non posse suppleri potestate humana parentum, reipublicae, S. Pontificis, ut expresse dicitur a Pio VI, a Pio XI et in can. 1081, § 1, tum quia nemo habet directam potestatem in corpora subditorum ; — tum quia ius disponendi de proprio corpore in ordine ad matrimonium est ius naturale primarium, quod antecedit omnem societatem et potestatem humanam ; — tum quia id noceret bono communi, cum uniones sine consensu et amore infaustissimum habeant eventum atque necessario in perniciem vergant, unde ipsi fines matrimonii frustrarentur. — At quaestio est an Deus possit supplere, quae quaestio a codice reservatur ,cm de sola potestate humana loquatur. Iamvero :

a) Certe posset Deus, motione sua efficaci, de nolentibus facere volentes, et de non consentientibus, libere in matrimonium consentientes.

b) Certum est Deum non posse supplere matrimonium in fieri, seu in ratione contractus, ita ut matrimonium contrahatur sine mutuo coniugum consensu ; quia consensus est de intrinseca eius ratione, et contractus essentialiter sit mutuus consensus.

c) Quantum ad matrimonium in facto esse seu ad vinculum coniugale, videtur potius affirmandum Deum, sine mutuo coniugum consensu, tale vinculum posse efficere. Cum enim sit supremus dominus corporum et animarum, potest tradere viro dominium perpetuum in corpus mulieris in ordine ad generationem, et vicissim ; ex qua traditione resultat vinculum coniunctionis inter utrumque aequivalens vinculo matrimoniali. Unde Adam et Eva creari potuissent vinculo matrimoniali uniti, etiam si in id non consensissent[1].

Non obstat quod Deus non potest statuere relationem, qualis est illa coniunctio, sine fundamento. Nam in casu fundamentum huius relationis foret reale, licet diversum, nempe voluntas efficax Dei tradentis dominia corporum.

4. Conditiones requisitae ad validitatem consensus, sunt eaedem ac in aliis contractibus. Igitur dicere oportet de qualitatibus requisitis ut consensus iste subsistat, et de vitiis quae illum impedire aut invalidare valeant.

1. Iuristae modern so ent negare, sed eorum argumenta potius respiciunt matrimonium in fieri.

Articulus I.

De Qualitatibus Consensus.

S. Th., Suppl., q. 45, a. 2-4 ; q. 46 ; q. 47, a. 5.

799. Consensus in matrimonium debet esse internus, externe manifestatus et mutuus. Ita enim essentialiter requiritur ad omnem contractum (II, n. 456). Debet esse :

1° *Internus*, quia est actus propriae voluntatis ; requiritur autem ut sit :

a) *Verus*, scil. ex intentione matrimonium ineundi elicitus seu mutuo tradendi et accipiendi dominium in corpus : nemo enim transfert dominium rei quam habet nec gravem sibi imponit obligationem nisi velit, sicut nemo potest valide sacramentum ministrare aut adultus illud recipere nisi intenderit ; unde non valet consensus fictus, simulatus, iocosus.

b) *Perfecte deliberatus :* nemo enim censetur gravem obligationem assumere nisi cum perfecta cognitione et plena advertentia ; nec sufficit consensus inconscius.

c) *Perfecte voluntarius et liber :* nemo intendit gravem obligationem suscipere pro tota vita nisi consensu directe voluntario et plene libero ; non ergo sufficit consensus coactus et extortus.

2° *Externe manifestatus et intimatus*, tum quatenus matrimonium est sacramentum quod debet esse signum sensibile, tum quatenus est contractus inter homines initus, qui non potest fieri nisi exterius exprimatur signo humano et sensibili.

3° *Mutuus*, ab utraque parte scil. datus et acceptus, atque moraliter simultaneus, ita ut consensui unius non retractato accedat consensus alterius ; secus enim non in unum consentirent.

800. Consensus regulariter debet esse verbis expressus et ab ipsis contrahentibus personaliter prolatus : est tamen per se validus si signo aut nutu aut scripto detur, ope telegraphi vel telephonii, vel per procuratorem aut interpretem, nisi lex positiva illum invalidaret.

Pro matrimoniis in quibus una saltem pars est fidelis, valent praescripta iuris canonici.

A. Quantum ad validitatem :

1° « Ad matrimonium *valide* contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem » can. 1088, § 1 ; non ergo valide initur per epistolam vel nuntium inter absentes. Praescriptum hujus canonis applicatur etiam matrimoniis acatholicorum baptizatorum (Resp. C. S. Officii, die 26 junii 1949).

2° « Matrimonium per interpretem quoque contrahi potest » (can. 1090).

3° « Firmis dioecesanis statutis desuper additis, ut matrimonium per procuratorem *valide* ineatur, requiritur mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus. Quodsi mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet ; secus mandatum irritum est. Et si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint. Ut autem matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se fungi[1] » (can. 1089).

Secundum responsionem Comm. Interpr. Cod., diei 31 maii anni 1948, mandans ipse debet designare procuratorem in individuo et non valet ejusdem designationem alii committere.

B. Quantum ad liceitatem :

1° « Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis ; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint » (can. 1088, § 2).

2° « Matrimonio per procuratorem vel per interpretem contrahendo parochus ne assistat, nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia » (can. 1091).

801. Consensus potest esse conditionatus, i.e. datus sub conditione suspensiva a cuius existentia contractus dependet et cui consensus alligatur, non autem sub conditione resolutoria cum matrimonium sit indissolubile. Iamvero, conformiter ad can. 1092 :

A. Matrimonium initum sub conditione *de praesenti vel*

---

1. Notetur in casu mandati : 1° nomen et cognomen personae quacum contrahendum oportet sint ita determinata ut confundi nequeat cum alia persona ; 2° indicationes diei, mensis et anni videntur requiri ad mandati validitatem (can. 1659, § 1 et 1894, 4°) ; 3° ut actus mandatarii valeat, sufficit ut tempore quo contrahit adsit voluntas mandantis, licet antea non extiterit aut occulte revocata fuerit.

de praeterito, est statim validum si impleatur conditio, vel invalidum si haec non impleatur.

B. Initum sub conditione *de futuro :*

1° Si haec est contra matrimonii substantiam, est invalidum.

2° Si non est contra matrimonii substantiam, sed

a) est de *necessario vel impossibilis vel turpis*, matrimonium de se validum est et conditio censetur non adiecta, quia praesumitur non esse serio accipienda ; nisi tamen quis intenderit consensum vere dependentem reddere a conditione, quo casu si haec sit impossibilis, matrimonium nunquam erit validum, si sit necessaria aut turpis, non erit validum nisi post impletionem ;

b) si conditio est *de contingenti licito*, suspenditur matrimonium usque ad impletionem conditionis ; hac autem impleta, transit eo ipso consensus in absolutum et fit irrevocabilis. Unde hoc momento contrahentes debent esse in statu gratiae ; at non possunt uti matrimonio antequam exploratum sit conditionem esse impletam.

Contra substantiam matrimonii est conditio quae contrariatur essentiali obiecto contractus matrimonialis, vel fini primario matrimonii, aut eius essentialibus obligationibus aut proprietatibus (cfr. can. 1086, § 2) : ita conditio non tradendi ius in proprium corpus, vel vitandi omnem prolem, sterilitatem aut impotentiam procurandi, aut ius reservans adulterandi aut matrimonium pro libitu solvendi. At non sunt contra substantiam : voluntas solum frustrandi generationem partialiter, obligationes matrimonii mere non implendi, aut educandi prolem in haeresi vel iudaismo aut infidelitate quia id non opponitur naturali eius bono sed solum spirituali, aut solum propositum renuntiandi usui matrimonii.

Articulus II.

De Vitiis Consensus.

S. Th., Suppl., q. 47, a. 1-4 ; q. 51 et 52.

802. Vitia quae consensum impediunt sunt : fictio, ignorantia et error, vis et metus. Fictio opponitur intentioni contrahendi matrimonium ; ignorantia et error perfectae deliberationi ; vis et metus consensui perfecte voluntario et libero.

803. Fictio consensus matrimonialis consistit in eo quod contractus matrimonii initur absque interna intentione. Adest quando alter contrahens externe quidem verba aliave signa consensum exprimentia rite profert, interne tamen consentire renuit et aliam intentionem habet ; quae triplex esse potest : omnino non contrahendi ; contrahendi sed nullatenus se obligandi ; contrahendi et se obligandi, sed non implendi. Prima matrimonium evidenter irritat, quia excludit consensum ; item altera, quia duae intentiones sese excludunt et intentio nullatenus se obligandi destruit intentionem contrahendi ; tertia, quamvis de se sit graviter mala quia iniuste deceptiva compartis, non tamen irritat matrimonium, quia mera intentio non implendi non excludit consensum seu intentionem contrahendi et se obligandi, sicut voluntas obligationem assumendi et eam violandi non se excludunt.

In praxi, iuxta can. 1086 :

1° « Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis ». Unde in foro externo non censetur fictio adfuisse, nec compars eam tenetur admittere, nisi indubiis indiciis probetur ; uti si *simul* adsint : confessio spontanea simulantis praesertim iuramento firmata et statim post contractum edita, manifesta simulationis causa, atque circumstantiae antecedentes, concomitantes vel subsequentes quae eam evincant.

2° « At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit ». Tunc enim adest intentio non contrahendi vel non se obligandi.

Illicitum est, nulla ratione cogente, ficte contrahere, quia est gravem deceptionem et gravem iniuriam inferre comparti. In quibusdam tamen circumstantiis licitum esse potest ex gravi causa, ut si quis per metum gravem iniustum cogatur ad matrimonium ineundum, vel si detegat impedimentum dirimens a quo dispensatio hic et nunc obtineri nequeat atque matrimonium absque scandalo differri non possit. In his casibus non adest simulatio consensus, sed mera dissimulatio denegati consensus, cum matrimonium metu extortum aut cum impedimento dirimente initum non possit esse validum, ac proinde fictio seu restrictio ex circumstantiis intelligi potest : consentio in quantum possum. Unde nec adest simulatio sacramenti et sacrilegium : id quidem adesset, si materia et forma ponerentur absque intentione ; in casu autem non ponuntur materia et forma, quia verus contractus non adest nec adesse potest.

Qui ficte consentit : a) non potest debitum coniugale petere

nec reddere : esset enim putida fornicatio ; b) tenetur iniustum damnum reparare quod comparti intulit iniuste decipiendo ; c) imo ad hoc regulariter tenetur quantocius verum consensum praestare, praesertim si damnum aliter reparari nequeat ; nisi tamen maiora damna ex eo timeantur, aut consors separationi consentiat.

804. **Ignorantia,** quo nomine etiam venit inadvertentia et error (I, n. 80-83), impedit deliberationem requisitam ad validum consensum, si est substantialis seu versatur circa elementum substantiale. Quapropter distingui possunt :

1° *Inadvertentia* i. e. actualis defectus sufficientis usus rationis, quae impedit actum humanum et consequenter intentionem debitam et liberum consensum.

Hinc consensus praestitus in amentia, a perfecte ebriis, hypnotizatis aut dormientibus, furiosis aut stultis est invalidus, ex ipsa rei natura.

2° *Ignorantia* i. e. defectus habitualis notitiae circa ipsam substantiam seu naturam matrimonii: ex ipso iure naturali invalidat consensum, quia nihil volitum nisi praecognitum.

Hinc can. 1082 : « § 1. Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.

§ 2. Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur ».

Non tamen requiritur ut explicite cognoscatur modus quo instituitur copula carnalis aut fit generatio ; sufficit noscatur in confuso id fieri quadam opera communi corporum, vel matrimonium ordinari ad habendos filios ex coniuge, quo cognito si quis consentiat, eo ipso implicite consentit in omnia ad hoc necessaria vel convenientia.

3° *Error* seu falsa apprehensio, quae ignorantiae addit iudicium falsum de obiecto consensus.

Alius est *iuris,* qui versatur circa ipsum matrimonium, eius scil. naturam, aut proprietates vel obligationes ; alius *facti,* circa personam eiusque qualitates ; uterque autem potest esse *antecedens,* qui dat causam contractui, ita ut hic alias non fuisset initus, aut mere *concomitans,* qui non influit in contractum, ita ut hic etiam absque errore initus fuisset. Iamvero :

A. *in errore iuris :* a) Error *circa ipsam substantiam* seu

naturam matrimonii, licet concomitans tantum, consensum reddit invalidum (can. 1082, § 1).

Ita qui putat matrimonium non esse stabilem societatem, sed mere amicalem, vel coniunctionem quamdam fornicariam aut mere precariam, aut operae locationem in rem familiarem, vel societatem ad educandos filios ab alio emptos, invalide contrahit.

b) Error *circa solas proprietates aut obligationes* matrimonii, non invalidat consensum, quia est error mere accidentalis, etiam si fuerit antecedens, et contrahens, si scivisset, matrimonium non iniisset ; — nisi tamen error fuerit in pactum deductus seu conditio cui alligatur consensus : tunc enim fit substantialis, quia est circa obiectum primo intentum.

Hinc can. 1084 : « Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem ». Qui ergo falso existimat matrimonium esse dissolubile aut non esse sacramentum, valide contrahit nisi intendat : non contraho nisi sit dissolubile aut dummodo non sit sacramentum.

B. *in errore facti :* a) Error *circa ipsam personam,* licet concomitans tantum, invalidat consensum, quia est substantialis, circa ipsum essentiale obiectum contractus.

b) Error *circa solas qualitates personae* (v. g. quod sit virgo, vel dives aut nobilis) non invalidat consensum, quia est accidentalis, licet sit antecedens, et contrahens, si scivisset, matrimonium non iniisset ; — nisi tamen :

1. error redundet in substantiam seu in errorem personae, ut si quis velit nubere filiam regis, aut primogenitam comitis ;

2. qualitas sit expressa conditio cui alligatur consensus, ut si quis dicat : non volo nubere nisi sit virgo, nobilis, dives, quia tunc qualitas est principaliter intenta et redundat in substantiam ;

3. aut error sit de conditione servili, casu quo pars libera contrahens (non ita serva) servitutem alterius ignoret eamque liberam esse putet : iure scil. praesumitur qualitas liberae esse conditio sine qua non consensus, quia praesumitur libera nolle inire matrimonium nisi cum libera, et ideo generatim talia matrimonia ius irritat.

Hinc can. 1083 : « § 1. Error circa personam invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum :

1° Si error qualitatis redundet in errorem personae.

2° Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta ».

S. Thomas enuntiat principium, q. 51, a. 2 : « oportet quod error qui matrimonium impedit, sit alicuius eorum quae sunt de essentia matrimonii. Duo autem includit ipsum matrimonium, scil. personas duas quae coniunguntur, et mutuam potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit ». Primum tollitur per errorem personae, secundum per errorem circa naturam matrimonii. Et ita est ex ipso iure naturali. Excepto tamen casu servitutis ignoratae quae tantum ex iure positivo videtur matrimonium irritare, licet id aequitate naturali suadeatur ut conveniens : servitus enim non omnino obstat fini primario matrimonii, etsi individuae societati et cohabitationi coniugum multis modis noceat. Unde S. Thomas, q. 52, a. 1, ad 3 : « iure positivo determinante est factum quod servitus ignorata matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur : est enim quaedam poena uxoris quod habeat virum servum, et e converso ». Et ideo cum sit dispositio iuris ecclesiastici, non afficit directe infideles ; insuper dispensatione tolli posset, at Ecclesia de facto non dispensat.

805. Animadversio. — Conditioni alligare consensum et eam in pactum deducere, quidam id stricte intellexerunt de pacto externo, ac si explicita conditio ipsi addi deberet et in ipso contractu esset apponenda. Sufficit tamen quod sit men aliter in intentione unius contrahentis, et mente sit in pactum deducta tamquam conditio cui alligatur consensus seu principaliter intenta, sive explicite sive implicite ; uti constat ex ipsa natura contractus et ex legibus generalibus quae contractus regunt. Nec requiritur ut explicite enuntietur aut pacto externo sit adiecta ; licet secus possit deficere medium probationis quo in foro externo de ea possit constare, quo casu praesumptio iuris est pro valore matrimonii.

Praedictus sensus constat ex decl. S. Off. 2 dec. 1680 et 6 apr. 1843 ; et S. C. C. 9 febr. 1732. Unde et S. Rota quae prius videbatur exigere intentionem in pactum externum deductam, id non amplius requirit : sic v. g. explicite 1 mart. 1913 et 9 febr. 1915.

806. Vis et metus impediunt consensum plene voluntarium et perfecte liberum voluntatis. Vis proprie est coactio physica reluctanti illata, quae ipsi quidem actui interno voluntatis nequit inferri, sed actum externum omnino reddit involuntarium (I, n. 69-70). Metus e converso moraliter influit in ipsum internum voluntatis actum, apprehensione scil. mali imminentis, ad quod fugiendum movet voluntatem ad id volendum quod secus non vellet. Ab altero incussus, vocatur vis seu violentia moralis, quae voluntarium minuit sed non aufert, nisi exceptionaliter si omnem tollat usum rationis (I, n. 71-73). Iamvero :

1° Vis physica seu absoluta, cui resisti non potest et quae plene invito infertur, irritat matrimonium, quia deest internus consensus : ad actum externum cogit cum pleno dissensu voluntatis ; quod in celebrando matrimonio rarissime accidit, sed tamen possibile est.

2° Metus gravis, si exceptionaliter omnino tollat usum rationis, matrimonium irritat, quia impedit actum humanum et liberum consensum.

3° Metus gravis et ab extrinseco iniuste incussus invalidat consensum, si quis ut ab eo se liberet eligere cogatur matrimonium tamquam unicum effugium, sive metus quoad substantiam sive quoad modum fuerit iniustus, quia consensus est fructus iniustitiae. — E contra metus gravis ab intrinseco vel a causa naturali proveniens, aut iuste incussus, aut iniustus qui aliter ac matrimonio vitari potest, non invalidat matrimonium, quia consensus est simpliciter voluntarius nec est effectus iniustitiae ; a fortiori metus levis, qualis per se etiam est metus reverentialis, nisi accedat gravis vexatio.

Hinc can. 1087 : « § 1. Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

§ 2. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumferet ».

Ante codicem sat generatim dicebant matrimonium solum invalidari, dum metus iniuste incutitur ad consensum extorquendum. Id iam non videtur stricte necessarium, ita ut metus, etiam alio fine incussus, matrimonium invalidet quod quis eligere cogatur ut a metu se liberet ; at casus rarus erit, quamvis non impossibilis.

Vis absoluta et metus tollens usum rationis ex iure naturali irritant matrimonium ; an idem dicendum sit de metu solum gravi et iniusto disputatur. Plures, praesertim canonistae, existimant irritum ex solo iure positivo ; alii multi, ut S. Raymundus de Pennafort et S. Thomas [1], ex iure naturali ducunt nullitatem. Cum enim contractus matrimonialis sit indissolubilis, metus iniuste incussus qui alios contractus onerosos reddit rescindibiles, contractum matrimonii irrevocabilem debet reddere nullum, ut plena libertas contrahentis salvetur necessaria in assumendo onere perpetuo.

Hinc dubius est valor matrimonii ab infideli ex tali metu initi, nisi lex civilis illud irritaret. Et Ecclesia, ratione dubiae suae potestatis, super vi et metu non potest dispensare et de facto non dispensat ; unde matrimonium metu extortum non revalidatur nisi, metu sublato, consensus renovetur.

807. Corollarium. — Igitur error accidentalis et metus non iniustus, licet dent causam contractui, illum non irritant, quamvis contrahens, si scivisset aut timore motus non fuisset, non contraxisset. Non enim valet intentio interpretativa scil., sed intentio existens ; non quod quis voluisset aut fecisset, sed quod voluit et fecit.

808. Animadversiones. — 1. « Matrimonium gaudet favore iuris, quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127 : in re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris » can. 1014.

Quae intelligenda sunt de dubio positivo et probabili remanente post inquisitionem. In tali dubio matrimonium praesumitur validum, donec contrarium probetur ; nisi obstet bonum fidei, quod est praestantius. Unde ob bonum fidei, matrimonium dubium pro nullo declarari potest, dummodo tamen non timendum sit scandalum, nec periculum sit laedendi matrimonium ratum et consummatum, quod iure divino est omnino indissolubile et a quo Ecclesia dispensari non potest : ut in casu matrimonii consummati inter duas personas dubie baptizatas (cfr. S. Off. 5 maii-10 iun. 1937). Et in singulis casibus recurrendum est ad S. Officium (ibid. et can. 247, § 3), vel ad aliquem cui facultas dispensandi forsan delegata est.

2. « Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit » can. 1085 : si nihilominus quis intendat, quantum est in se est consentire ; quo casu consensus, licet iuridice invalidus, physice tamen subsistit.

3. Hinc « etsi matrimonium invalide ratione impedimenti initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit » can. 1093.

1. Suppl. q. 47, a. 3.

QUAESTIO QUINTA.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

809. Duae sunt essentiales matrimonii proprietates : unitas et indissolubilitas (can. 1013, § 2). — Sunt *proprietates*, quia ex natura coniugii naturaliter sequuntur, et quidem *essentiales*, quia necessario competunt matrimonio perfecto qualiter in lege existit evangelica ; non tamen ad ipsam rei essentiam pertinent ita ut sine illis amplius concipi nequeat quaecumque coniugii ratio, quae sita est in unione stabili et permanenti viri et mulieris in ordine ad procreationem et educationem prolis : permanens enim unio esse potest, licet ad plures sit aut quandoque dissolvi possit.

Articulus I.

De Unitate Matrimonii.

S. Th., Suppl., q. 65, 66 et 63 ; c. Gent. IV, 124.

810. Status quaestionis. — *Unitas* matrimonii consistit in coniugali unione unius viri ad unam mulierem, unde vocatur *monogamia*. Cui opponitur *polygamia*, tum improprie dicta seu *successiva*, dum unus vir successive ducat plures uxores, vel vice versa ; tum proprie dicta et *simultanea*, dum simul tempore ita fiat. Haec proinde est duplex : *polyandria* seu coniunctio maritalis unius uxoris cum pluribus simul viris ; et *polygynia* seu coniunctio unius viri simul cum pluribus uxoribus.

A. Polygynia simultanea, ante Christum, apud plerosque vigebat populos, et nunc adhuc existit apud quosdam infideles, ut apud mahumedanos, praesertim ditiores qui plures mulieres alere possunt. Polyandria, raro tantum vel exceptionaliter, extitit apud quasdam tribus, praesertim ubi pauciores sunt feminae quam viri. Quandoque, dum femina duxerat primogenitum, huius minores fratres ad eam successive accedebant iuxta quasdam regulas praefinitas aut consuetudines ; quandoque duo aut tres viri unam uxorem ducebant vel et convivebant : ita paupertatis causa, aut securitatis dum, successive absentes, ad eamdem mulierem redibant. Hi tamen casus erant exceptionales,

ita ut apud illas tribus, plerumque praevaleret monogamia[1].

In lege autem christiana, sola monogamia est legitima. Nihilominus docuit Luther polygyniam, etiam sub lege nova, licitam esse atque Philippo Hassiae permisit alteram habere uxorem. Eumdem errorem propugnarunt Anabaptistae, atque etiam diu Mormones. Ex adverso contendebat Calvinus polygamiam etiam sub V. L. illicitam fuisse, atque veteres patriarchas qui plures simul duxerant uxores, adulterii habebat reos. Ad quod confutandum, quidam catholici benignius locuti sunt, dicentes polygyniam iuri naturali non esse oppositam nec ante legem evangelicam fuisse iure divino prohibitam.

B. Polygamia successiva, posita dissolutione praecedentis coniugii, non est contra legem naturalem aut divinam.

Secundas tamen et ulteriores nuptias ut iure divino illicitas damnarunt Montanistae, quibus adhaeserunt Tertullianus et Novitiani ; illas exosas habuerunt plures Patres qui de ipsis durius locuti sunt. Atque apud Graecos, a saec. X, iure ecclesiastico, quartae nuptiae habentur *invalidae*.

811. *Thesis I.* **Iuri naturali repugnat polygamia simultanea, ita quidem ut polyandria opposita sit praeceptis primariis legis naturalis, polygynia vero praeceptis secundariis.**

Declaratur a S. Thoma, q. 65, a. 1 :

« Omne illud quod actionem inconvenientem reddit fini, quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur. Potest autem actio esse non conveniens fini vel principali, vel secundario ; et... hoc... dupliciter. Uno modo ex aliquo quod omnino impedit finem... Alio modo ex aliquo quod facit difficilem, aut minus decentem, perventionem ad finem principalem vel secundarium... Si ergo actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturae prohibetur primis praeceptis legis naturae, quae sunt in operabilibus sicut communes animi conceptiones in speculativis. Si autem sit incompetens fini secundario quocumque modo, aut etiam principali ut faciens difficilem, vel minus congruam perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis praeceptis legis naturae, sed secundis quae ex primis derivantur, sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent... »

Probatur A. *1ª pars : Polyandria repugnat primis praeceptis legis naturalis.* Opponitur enim : a) procreationi prolis ; quamvis eam non absolute impossibilem reddat, eam tamen multum impedit, cum fecunditas mulieris ex

1. Cfr. Westermarck, o. c., c. 20-22.

commercio cum pluribus viris valde minuatur, ita ut etiam plerumque fiat sterilis, sicut experientia constat in meretricibus ; b) bonae educationi prolis quam impedit, quia incertum reddit patrem, ac proinde incertam eius obligationem filios educandi ; c) insuper subiectioni qua mulier viro naturaliter subdita sit oportet.

Unde S. Thomas : « Unum virum habere plures uxores non est contra prima praecepta legis naturae... sed unam uxorem habere plures viros, est contra prima praecepta legis naturae, eo quod per hoc, quantum ad aliquid, totaliter tollitur, et, quantum ad aliquid, impeditur bonum prolis quod est principalis matrimonii finis. In bono enim prolis intelligitur non solum procreatio, sed etiam educatio. Ipsa enim procreatio prolis etsi non totaliter tollatur, quia contingit post impraegnationem primam iterum mulierem impraegnari, ... tamen multum impeditur... Sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cuius cura necessaria est in educando. Et ideo nulla lege vel consuetudine est permissum unam mulierem nubere plures viros, sicut e converso » (ad 8).

Repugnat quoque polyandria praeceptis secundariis, ut ex altera parte patebit.

B. 2ª *pars : Polygynia repugnat non quidem primis sed secundariis legis naturae praeceptis.*

1° *Non repugnat primis praeceptis,* quia *non impedit finem primarium* matrimonii, cum unus vir sufficiat pluribus feminis fecundandis, et educandis filiis exinde natis.

2° *Repugnat praeceptis secundariis :*

a) Quia *multum impedit finem secundarium : mutuum solamen et adiumentum ac amorem,* cum non possit unus vir generatim satisfacere pluribus mulieribus ad votum, unde facile pax turbatur et oriuntur lites : tum si aequaliter omnes diligat, propter zelotypiam qua singulae affectum viri ad se trahere conantur ; tum si inaequaliter diligat, propter invidiam et inimicitiam in iis suscitatam ; tum quia communicatio plurium in eadem re amata causare zelum et lites solet.

Sane : 1. Amor coniugalis perfectus tendit ad donationem totalem ; donatio totalis autem non est nisi inter duos, secus non vera erit aequalitas dati et accepti : cum enim

uxor totaliter tradat corpus suum atque totam vitam suam individuam, aequitas naturalis exigit ut vir totaliter et suum tradat.

2. Amor coniugalis est maximae amicitiae. Sed amicitia intima et perfecta intendit amorem exclusivum.

3. Amicitia sicut etiam dignitas uxoris postulat ut sit aequalis conditionis cum viro ; pluralitas uxorum autem eas reducit ad conditionem inferiorem.

b) Quia *impedit* etiam *alterum finem secundarium : sedationem concupiscentiae*, nam pluralitas uxorum viro potius est concupiscentiae incitamentum, mulieribus insufficiens remedium cum non possit unus pluribus satisfacere uxoribus.

c) Quia *consecutionem finis principalis difficilem reddit* et *nocet educationi prolis*, cum pacem turbet et cohabitationem arduam reddat atque impediat unionem completam animorum quae perfectae educationi filiorum congruat ; nec raro timendum erit ne maritus, in praedilectae uxoris filios praecipue intentus, ceteros negligat.

Confirmatur ex eo quod numerus virorum et mulierum approximative sit aequalis; unde ipsa natura indicat monogamiam.

Audiatur S. Thomas, in c. :

« Matrimonium habet pro fine principali prolis procreationem et educationem... et sic bonum matrimonii assignatur *proles*. Sed pro fine secundario... habet in hominibus solis communicationem operum, quae sunt necessaria in vita... et secundum hoc *fidem* sibi invicem debent, quae est unum de bonis matrimonii. Habet ulterius alium finem (ex ordinatione positiva)... scil. significationem Christi et Ecclesiae, et sic bonum matrimonii dicitur *sacramentum*... Pluralitas ergo uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis, et educandis filiis ex eis natis. Sed secundarium finem, etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores iunguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem : sicut figuli corrixantur ad invicem, et similiter plures uxores unius viri. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quod sicut Christus est unus, ita et Ecclesia una. Et ideo patet ex dictis quod pluritas uxorum quodammodo est contra legem naturae, et quodammodo non ».

« Non enim requirit matrimonium ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat, quantum ad id ad quod matrimonium principaliter est institutum, scil. ad bonum prolis, sed quantum sufficit ad impraegnationem. Requirit autem hoc matrimonium, in quantum est ad remedium institutum (quod est secundarius ipsius finis), ut quolibet tempore debitum petenti reddatur. Et sic patet quod accipiens plures uxores non se obligat ad impossibile, considerato principali fine matrimonii, et ideo pluralitas uxorum non est contra prima praecepta legis naturae » (ad 7).

Quomodo autem opponatur pluralitas uxorum praeceptis secundariis, magis declaratur in S. c. Gent. IV, 124 :

« Amicitia in quadam aequalitate consistit. Igitur mulieri non licet habere plures viros, quia hoc contra certitudinem prolis, liceret autem viro habere plures uxores si non esset liberalis amicitia uxoris ad virum, sed quasi servilis ; et hoc etiam experimento comprobatur : quia apud viros habentes plures uxores, uxores quasi ancillae habentur.

Praeterea, amicitia intensa non habetur ad multos... Si igitur uxor habet unum virum tantum, vir autem habet plures uxores, non erit aequalis amicitia ex utraque parte. Non igitur erit amicitia liberalis, sed quodammodo servilis.

Amplius, sicut dictum est, matrimonium in hominibus oportet ordinari secundum quod competit ad bonos mores. Est autem contra bonos mores quod unus habeat plures uxores, quia ex hoc sequitur discordia in domestica familia, ut experimento patet. Non est igitur conveniens quod unus homo habeat plures uxores ».

812. *Thesis II.* **Iure divino statuitur unitas matrimonii, et quamvis in V. Testamento polygynia quodam tempore concessa fuerit, in lege evangelica tamen unitas omnimoda urgetur sicut in statu innocentiae.** — *De fide* est ex Conc. Trid., sess. 24, can. 2, in matrimonio christiano exigi unitatem ex lege divina ; cetera sunt *certa*.

Probatur : 1° *Ex Scripturis*, Mt. XIX, 3 sq. : *Non legistis quia qui fecit hominem, masculum et feminam fecit eos? et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.*

Ubi tria notanda veniunt : a) unitatem matrimonii pertinere ad primitivam institutionem, quae est a Deo creante hominem ; b) ex natura rei illam requiri, ut nempe duo tantum sint in carne una ; unde Innocentius III : « Non dixit tres vel plures, sed duo ; nec dixit : adhaerebit uxoribus, sed uxori » ; c) Christum ex citatis verbis concludere ad legem unitatis in matrimonio servandam : *Itaque iam non sunt duo, sed una caro*, et ad eius

firmitatem ita ut non possit deinceps ab homine solvi unitas quae est a Deo statuta : *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Ita, notat Conc. Trid., sess. 24, apertius docuit unitatem et matrimonium ad primitivam institutionem revocavit.

Ex quibus dein concludit XIX, 9 (Mc. X, 11 ; Lc. XVI, 18) : *Dico vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur;* ergo a fortiori, qui priore retenta, alteram ducit, moechatur. Nam ideo moechatur qui alteram ducit, quia prior non desinit esse uxor ; quando autem non est dimissa, a fortiori remanet uxor ; ergo unio cum altera verum est adulterium.

2° *Ex perpetua doctrina et praxi Ecclesiae,* ita constanti ut nullum ex adverso produci possit testimonium, nulla gens christiana sit quae polygamiam non reprobaverit, nec tentamen a potentibus factum fuerit alteram ducendi uxorem quin Pontifices reclamaverint.

Doctrina constat ex Athenagora, leg. pro chr. 33 ; Theoph. Ant., ad Antol. III, 5 ; Min. Fel., oct. 31 ; Clem. Al., strom. III, 12 ; Ambr., de Abraham I, 7 ; Nicolao M., resp. ad Bulg. 51 ; Innoc. III, ad ep. Tiber. ; Conc. Lugd. II in prof. fid. ; Conc. Trid., sess. 24 ; Instr. S. O., 28 mart. 1860 et 20 iun. 1866.

3° *Ex ratione theologica:* Matrimonium christianum, secundum Ap. ad Eph. V, 32, est signum repraesentativum unionis Christi et Ecclesiae. Atqui non repraesentaret hanc unionem, nisi esset unio unius viri ad unam mulierem, sicut unio Christi est ad unam Ecclesiam. Ergo.

In V. L. tamen pluralitas uxorum concessa fuit, uti constat exemplis sanctorum qui plures uxores non duxissent nisi id licitum iudicassent, nec in hoc a Scripturis reprehenduntur, imo istae liceitatem supponunt, v. g. Deut. XXI, 15 ; XXV, 5 ; Gen. XXI, 12, atque ita intellexit communis sententia Patrum. Nec obstat secundarias uxores plerumque vocari concubinas : non vocantur ita quia sunt illegitimae, sed quia admittebantur tantum ad concubitum, non vero ad communitatem bonorum, nec earum filii ad haereditatem patris.

Quandonam concessio facta sit, nequit accurate determinari ; plures existimant paulo post diluvium, quando ob paucitatem hominum multiplicandus erat populus Dei. Concessio directe facta est Hebraeis per inspirationem internam ; indirecte solum aliis. Non erat sola tolerantia, sed positiva permissio, uti etiam in documentis asseritur, imo a Pio XI dicitur : primaevam *legem* Deus ad tempus *relaxavit,* at omnem *dispensationem abrogavit* evangelica lex.

Cui non obstat illam legem esse naturalem. Ut enim exposuimus (I, n. 258-259), lex naturalis quantum ad universalissima

principia aut ad illa quae bona vel mala sunt essentialiter, omnino mutari et abrogari non potest; quoad illa quae tantum regulariter sunt bona vel mala, in praeceptis primariis non potest a Deo abrogari nisi ad summum exceptionaliter in casu particulari, in praeceptis vero secundariis *ad tempus* etiam communiter et pro omnibus ob maius bonum. Unde S. Thomas, q. 65, a. 2 : « Lex de unitate uxoris non est humanitus, sed divinitus instituta ; nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut et alia quae ad legem naturae qualitercumque pertinent. Et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quae quidem principaliter patribus sanctis facta est ; et per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore quo oportebat praedictum naturae praeceptum praetermitti, ut maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae. Semper enim principalior finis magis observandus est quam secundarius. Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire ; ad quod removendum praeceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur ».

813. *Thesis III.* **Polygamia successiva, licet Ecclesiae minus probata, iure divino tamen, etiam sub lege evangelica, licita est supposita praecedentis coniugii solutione, nec unquam fuit universim prohibita; atque inter christianos verum est sacramentum.** — *Certum* est ex Conc. Flor. in quo Eugenius IV declaravit « non solum secundas nuptias, sed etiam tertias et quartas et ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse ».

Probatur: 1° *Ex Scripturis,* ubi Apostolus secundas nuptias explicite dicit licitas, imo ad eas quandoque hortatur : I Cor. VII, 8, 39 ; Rom. VII, 3 ; I Tim. V, 14.

2° *Ex doctrina Ecclesiae,* quae constat ex Patribus et Conciliis.

Ita v. g. Hermas, mand. IV, 4 ; Clem. Al., strom. III, 12 ; Ambr., de vid. 11 ; Eph., haer. 59 ; Hieron., ep. 48 ad Pam. 9 ; Aug., de bono vid., 12 et 15 ; Conc. Nic. I, can 8 ; Conc. Lugd. in prof. fid. ; Instr. S. C. P. F. 8 sept. 1869.

Quod si quidam Patres de secundis nuptiis durius locuti sint, intelligendi sunt de affectu quo bigami contrahere praesumantur non ex intentione prolis sed ob voluptatem, aut ob suspicionem incontinentiae. At nunquam decreverunt coniuges istos esse separandos.

Nec dicatur in secundis nuptiis non servari significationem sacramenti, nempe coniunctionis unius Christi cum Ecclesia

una. Nam etiam secundum vel ulterius matrimonium, si secundum se consideratur, retinet significationem essentialem sacramenti : est enim coniunctio unius ad unam ; defectus tantummodo est accidentalis, ex eo quod prius fuerit ad alteram, sed est pure extrinsecus, cum tantummodo sit in respectu extrinseco ad prius matrimonium quod de facto iam esse desiit. Attamen propter defectum illum accidentalem, matrimonium subsequens non habet in Ecclesia eumdem honorem ac primum ; atque subtrahitur benedictio quando nuptiae sunt secundae saltem ex parte mulieris.

Hinc can. 1142 : « Licet casta viduitas honorabilior sit, secundae tamen et ulteriores nuptiae validae et licitae sunt, firmo praescripto can. 1069, § 2 », quo statuitur licitum non esse aliud matrimonium contrahere « antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit ».

Et can. 1143 : « Mulier cui semel benedictio solemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere ».

814. Corollaria. — 1. Infidelibus, post Christum, aeque ac fidelibus imponitur lex monogamiae et prohibita est polygamia. Nam a) Christus illimitate dixit : *quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, moechatur* ; b) legi naturae eadem ratione subduntur non baptizati ac baptizati, et ideo sublata dispensatione per quam indulta fuit polygamia, eo ipso quoad omnes legi naturae plenum robur restituitur ; c) ceterum solis fidelibus in V. L. directe concessa erat dispensatio, aliis solum per concomitantiam. Unde Ecclesia infideles ad Baptismum non admittit, nisi unam retinere velint uxorem, quam prius duxerant, cunctis aliis dimissis. Cfr. S. Off. 28 mart. 1860.

2. Lex naturalis et divina non tantum prohibet plures coniunctiones matrimoniales simultaneas, sed eas etiam irritat : inefficax enim esset prohibitio nisi foret irritativa. Irritatio scil. est necessaria ad finem. Ita explicite S. Off. 20 iun. 1866.

Articulus II.

De Indissolubilitate Matrimonii.

S. Th., Suppl., q. 67 ; q. 59, a. 3-6, et q. 61 ; c. Gent. IV, 123.

815. Status quaestionis. — Matrimonium secundum essentiam suam est unio diuturna et stabilis ; ipsa autem naturaliter et de se vult esse perpetua, per totam vitam continuata usque ad mortem alterutrius coniugis. Haec proprietas, quatenus ex intima natura exigitur ut vinculum coniugale sit indivisibile, vocatur *firmitas ;* quatenus vero nulla causa humana dividi possit aut rumpi, dicitur *indissolubilitas :* divina enim potestate dissolvi posse nemo dubitare potest. Hinc indissolubilitas definitur : proprietas qua ob intrinsecam firmitatem inviolabilem vinculum coniugale dissolvi nequit. Cui opponitur *divortium* proprie dictum seu solutio matrimonii cum facultate ad novas nuptias transeundi [1].

Duplex autem est indissolubilitas : intrinseca et extrinseca. *Intrinseca* est, quatenus matrimonium solvi nequeat naturali sua causa intrinseca qua exortum est, scil. mutuo consensu contrahentium ; *extrinseca*, quatenus causa extrinseca seu superioris auctoritate dissolvi non possit. Quibus ex adverso stant dissolubilitas intrinseca et extrinseca.

Indissolubilitas appellari solet *bonum sacramenti*, quatenus repraesentat indissolubilem coniunctionem Christi et Ecclesiae (n. 793). Et quamvis certa firmitas iam matrimonio infidelium competat, validior tamen est firmitas christiani matrimonii rati, propter veram rationem sacramenti proprii dicti, et maxima seu perfecta indissolubilitas competit matrimonio christiano consummato propter perfectam rationem sacramenti.

A. Ante Christum, tempore legis mosaicae, concedebatur matrimonium certis sub conditionibus dissolvi posse ; atque apud gentes plurimas divortium extitit, quamvis apud nonnullas etiam primitivas matrimonium fuerit indissolubile. Christus autem concessionem factam revocavit et restituit matrimonium ad perfectionem status innocentiae, in quo erat unio perpetua unius viri ad unam mulierem.

1° Schismatici Graeci, inde a saec. IX, et Orientales, docent matrimoniale vinculum dissolvi posse ob adulterium, atque insuper admiserunt causas divortii statutas in iure a Iustiniano, postea vero adhuc alias.

2° Inter Protestantes, Calvinus dixit dissolvi posse ob adulterium ; Luther vero etiam ob haeresim, molestam cohabitationem, malignam desertionem, quibus postea aliae additae fuerunt causae, uti saevitiae, lepra, amentia, etc.

3° Launoy, doctor Parisiensis, docuit iuxta Scripturam et antiquam Traditionem matrimonium dissolvi posse ob adulterium ; adeoque id sola lege ecclesiastica esse prohibitum, et canonem tridentinum esse mere disciplinarem.

4° Rationalistae nonnulli, atque plures politici et iuristae civiles, admiserunt divortium ob determinatas quasdam causas non solum licitum sed etiam utile aut laudabile esse, illudque in legislationem introduxerunt.

B. Naturalistae vero ulterius progressi libertatem amoris praedicant, ob quam absoluta dissolubilitas licita est ipsis coniugibus, qui sicut contractum libere inierunt, ita quoque illum pro libitu solvere possunt. Unde loco ipsius coniugii stabilis

1. Quandoque divortium sumitur sensu latiore, pro sola separatione a toro vel et quoad habitationem.

et perpetui, iam « novas matrimonii species esse volunt, ait Pius XI : aliud *ad tempus* (v. g. quo durat mansio in tali regione), aliud *ad experimentum*, aliud *amicale* quod plenam matrimonii licentiam omniaque iura sibi vindicat, dempto tamen indissolubili vinculo et prole exclusa, nisi partes suam vitae communionem et consuetudinem in pleni iuris matrimonium deinde converterint ».

816. *Thesis I.* **Iure naturali matrimonium est indissolubile intrinsece et extrinsece, ita ut nulla potestate humana dissolvi possit, et dissolubilitas intrinseca praeceptis primariis adversetur legis naturalis, dissolubilitas extrinseca vero et restricta praeceptis secundariis.**

Dissolubilitas intrinseca est illa qua contractus matrimonii voluntate ipsorum contrahentium pro libitu auctoritate sua privata solvi posset, et quae proinde de se est absoluta : repugnat primariis praeceptis iuris naturae ; dissolubilitas extrinseca est illa qua vinculum matrimoniale solvi posset per causam extrinsecam seu per auctoritatem superioris, et quae restricta est ad certas conditiones : repugnat saltem praeceptis secundariis iuris naturae. Hac de causa damnata fuit prop. 67 Syllabi : « Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest ».

Probatur : A. 1ª pars : *Intrinseca dissolubilitas qua contractus pro libitu contrahentium dissolvi posset repugnat primis praeceptis legis naturae.* Destruit enim ipsam societatem coniugalem, et reddit impossibilem finem eius principalem : propagationem et debitam educationem prolis usque ad perfectam aetatem ; ad illum finem requiritur diuturnum tempus et concors cura utriusque coniugis, et ideo ipse redderetur impossibilis, si pro libitu et omni momento separatio coniugum fieri posset.

B. 2ª pars : *Extrinseca dissolubilitas, qua auctoritate humana determinatis in casibus solveretur matrimonium, non necessario repugnat primariis sed secundariis legis naturae praeceptis.*

1° *Non repugnat primis praeceptis et matrimonii primario fini :* Hic enim exigit ut non impediatur procreatio et educatio prolis. Atqui restricta dissolutio hunc finem non semper impedit, v. g. si filii iam sint debite educati, vel mulier sit sterilis, vel alia habeantur favorabilia adiuncta. Ergo restricta dissolutio non necessario et semper impedit finem primarium. Et ideo non videtur absolute repugnare primariae intentioni naturae, quod vir uxorem dimittat, vel uxor virum relinquat, dummodo dimissio vel discessio regatur publica auctoritate et legibus, quibus praecipua incommoda caveantur quibusque divortium fiat rarum et difficile.

2° *Repugnat tamen secundariis praeceptis iuris naturae.* Nam :

a) *Multum impedit finem secundarium :* mutuum enim adiutorium in domesticae vitae consortio est de se perpetuum et debet durare usque ad mortem ; atque amor tendit ad perpetuitatem, cum donatio totalis sit irrevocabilis, et si secus, esset inaequalis, cum integritatem mulieris auferat. Dissolubilitas autem minus stabilem reddit unionem coniugalem et ita multum nocet fidelitati coniugum et felicitati ac paci ; mutuum amorem minuit qui intendit coniunctionem perpetuam; atque nocet dignitati uxoris, quia tollit aequalitatem perfectam ob irreparabilem notam quae mulieri resultat ex coniunctione matrimoniali. Hinc S. Thomas, c. Gent. III, 123 :

« Videtur aequitati repugnare si praedicta societas dissolvatur : femina enim indiget mare non solum propter generationem, sicut in aliis animalibus, sed etiam propter gubernationem, quia mas est et ratione perfectior, et virtute fortior ; mulier vero ad viri societatem assumitur propter necessitatem generationis. Cessante igitur fecunditate mulieris et decore, impeditur ne ab alio assumatur. Si quis igitur mulierem assumens tempore iuventutis, quo et decor et fecunditas ei adsunt, eam dimittere posset postquam aetate provecta fuerit, damnum inferret mulieri contra naturalem aequitatem.

Item, manifeste apparet inconveniens esse si mulier virum dimittere possit, cum mulier naturaliter viro subiecta sit tamquam gubernatori ; non est autem in potestate eius qui alteri subiicitur, ut ab eius regimine discedat ; contra naturalem igitur ordinem esset, si mulier virum deserere posset. Si autem vir deserere posset mulierem, non esset aequa societas viri ad mulierem, sed servitus quaedam ex parte mulieris...

Amplius, amicitia quanto maior est, tanto debet esse firmior et diuturnior. Inter virum autem et mulierem maxima amicitia esse videtur : adunantur enim non solum in actu carnalis copulae, quae etiam inter bestias quamdam suavem societatem facit, sed etiam ad totius domesticae conversationis consortium ;

unde in signum huius, homo propter uxorem etiam patrem et matrem dimittit, ut dicitur Gen. II, 24. Conveniens igitur est quod matrimonium sit omnino indissolubile ».

b) *Nocet etiam fini principali, cuius obtentionem multum reddit difficiliorem et minus perfectam.* Ipsa possibilitas separationis, et perspectio novi coniugii, atque fragilior unio pacis, minus providam reddit educationem filiorum. Insuper matrimonium intentione naturae ordinatur ad prolis educationem et sollicitudinem per totam eius vitam. Cum enim proles sit commune bonum viri et mulieris, eius cura requirit tamdiu societatem utriusque quamdiu remanet bonum utriusque, et ideo perpetuo permanere debent coniuncti « in quantum per parentes filiis provideri debet in totam vitam per debitam praeparationem eorum quae sunt necessaria vitae », ut ait S. Thomas, q. 67, a. 2. Unde, a. 1 :

« Matrimonium ex intentione naturae ordinatur ad educationem prolis non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturae est quod parentes filiis thesaurizent, et filii parentum haeredes sint... Et ideo, cum proles sit commune bonum viri et uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam, secundum legis naturae dictamen. Et sic inseparabilitas est de lege naturae ».

c) *Adversatur bono societatis domesticae et civilis,* quia pacem turbat familiarum, lites multiplicat, morum corruptionem adducit ; e contra indissolubilitas bonos mores promovet. Quod ostendit S. Thomas, c. Gent. III, 123 :

« Sic enim erit fidelior amor unius ad alterum, dum cognoscunt se indivisibiliter coniunctos ; erit etiam utriusque sollicitior cura in rebus domesticis, dum se perpetuo commansuros in earumdem rerum possessione existimant ; subtrahuntur etiam ex hoc discordiarum origines, quas oporteret accidere, si vir uxorem dimitteret, inter eum et propinquos uxoris ; et fit firmior inter affines dilectio ; tolluntur etiam adulteriorum occasiones, quae darentur, si vir uxorem dimittere posset aut e converso ».

817. *Thesis II.* **Iure divino matrimonium statuitur indissolubile, et quamvis in V. Testamento sub lege mosaica per libellum repudii quandoque dissolvi poterat, in lege tamen evangelica indissolubilitas urgetur sicut in statu innocentiae, ita ut nulla potestate humana nullaque de causa matrimonium dissolvi possit, sed solum quibusdam in casibus potestate divina.** — Est *certum* ex definitione Conc. Trid., sess. 24, et can. 5 et 7.

Probatur : 1° *Ex Scripturis,* ubi interrogantibus Pharisaeis utrum liceat homini dimittere uxorem quacumque de causa, Christus respondit, Mt. XIX, 3 sq. : *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit* (gr. agglutinabitur) *uxori suae et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus coniunxit homo non separet.* Instantibus autem Pharisaeis et arguentibus ex libello repudii, addidit Dominus : *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.*

In illis verbis notetur : a) Christus pronuntiat : *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Atqui quod Deus coniunxit, homo, absque potestate divinitus facta, illicite et invalide separat. Ergo dissolutio matrimonii non tantum illicita, sed etiam invalida est. His autem verbis Christus non novam legem condidit, sed renovavit primam institutionem ; dicit enim Pharisaeis : *non legistis...* et deinde affert verba Adami : *Hoc nunc os...* ; atque ita declarat Conc. Trid., sess. 24.

b) Obiiciunt Pharisaei : sub lege mosaica licuit uxoris dimissio. Respondet Christus ab initio non fuisse sicut permisit lex mosaica. Ergo ab initio non licuit dimissio uxoris.

c) Confirmatur verbis sequentibus: *Quicumque dimiserit uxorem... et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur* (cfr. Mt. V, 32 ; Mc. X, 11-12 ; Lc. XVI, 18) ; scil. quaevis unio huiusmodi non est unio coniugalis, propter vinculum permanens cum prima uxore.

d) Quapropter Apostolus legem indissolubilitatis omnimodae urget in matrimonio christianorum : I Cor. VII, 10-11 ; 39 ; Rom. VII, 2-3.

2° *Ex Traditione* perpetua Patrum, Conciliorum et Pontificum, quorum testimoniis principium indissolubilitatis magna cum uniformitate ac constantia fuit vindicatum.

Patres a) tribus prioribus saeculis absolutam affirmant indissolubilitatem, etiam in casu adulterii, nec ullum afferri potuit testimonium oppositum : ita Hermas, mand. IV, 1 ; Iust., ap. I, 15 ; Athen., leg. pro chr., 32 ; Tertul., adv. Marc. IV, 34 ;

Cl. Al., strom. II, 23; atque postea: Lact., inst. div. VI, 23; Hil., in Mt. IV, 22; Ambr., in Luc. V, 8; VIII, 16; Hier., ep. 77; Can. ap. 48.

b) a saec. IV eadem doctrina affirmari non cessat, non solum omnino firmiter in Occidente, sed etiam in Oriente, ubi tamen quamdam obscurationem passa est propter assensum facilius datum practicae tolerantiae divortii ob causam praesertim adulterii vel paucas alias. Unde Patres dolent de praxi contraria: ita iam Orig., in Mt. XIV, 23; postea Asterius Am., hom. in Mt. XIX, 3; Aug., de coni. ad. II, 17.

c) a saec. IX circiter quasi unanimis est assertio omnimodae indissolubilitatis, apud catholicos[1].

Concilia nominari possunt: Illib. (305), can. 8 et 9; Arel. (314), can. 10; Afr. IV, can. 6; Carth. XI (al. Milev.), can. 8; syn. S. Patr. (450-456), can. 19; Andeg. (453), can. 3; Nann. (658), can. 12; Heref. (673), can. 10; Suess. (744), can. 9; Foroiul. (796), can. 10; Paris. (829); Flor. (1439), decr. pro Arm.; Trid.[2], sess. 24, can. 7.

Pontifices vindicarunt matrimonii indissolubilitatem: Innocentius I et Leo I saec. V; Gregorius I saec. VI; Zacharias et Stephanus II saec. VIII; Alexander III saec. XII; Innocentius III

1. Notetur quoad prima Ecclesiae saecula, doctrinam de matrimonii indissolubilitate absoluta nondum fuisse authentico magisterio definitam, unde nil mirum si quidam minus docti propter leges et praxim civilem erraverint et errantes non fuerint habiti tamquam haeretici. In specie, quod praxim Graecorum attinet: 1° Patres graeci nunquam doctrinam oppositam admiserunt; e contra Basilius, Gregorius Naz., Chrysostomus negant leges imperiales aliquid valere hac in re pro christianis, opponuntque legem Evangelii. 2° Leges civiles, etiam sub imperatoribus christianis, retinebant non pauca elementa veteris legislationis paganae, quae nonnisi sensim sine sensu potuit transformari; alioquin sub primis imperatoribus christianis, romanum imperium plurimos adhuc numerabat paganos pro quibus imperatores ferre poterant leges matrimoniales, neque etiam negandum est imperatores christianos, nominatim graecos, saepius modum excessisse, sibi asserentes iura vere ecclesiastica in subditos christianos. 3° In Ecclesia graeca, dissolubilitas illa in certis casibus nunquam tamquam caput doctrinale asserta fuit, sed quasi abusus tolerata ad maiora mala vitanda. Unde Eugenius IV, fortasse supponens eiusmodi praxim potius ex ignorantia procedere, catholicam doctrinam diserte affirmat in Conc. Florentino. Ex altera parte ipse Patriarcha Graecorum, in exponenda doctrina catholica contra Lutherum, recensendo septem Ecclesiae sacramenta, vindicat indissolubilitatem matrimonii. Ex praxi ergo Graecorum minime sequitur, hanc indissolubilitatem pertinere potius ad disciplinam Ecclesiae latinae, quam ad doctrinam Ecclesiae catholicae.

2. Concilium Tridentinum noluit tamen directe damnare praxim et opinionem Graecorum schismaticorum, ne obstaculum esset unioni; sed agit directe in Protestantes et anathematizat illos qui dicebant Ecclesiam errare dum docet matrimonium ob adulterium non posse dissolvi; ex quo tamen aeque certo Graecorum doctrina attingitur indirecte.

saec. XIII; recenter Leo XIII et Pius XI; atque eam contra principes fortissime defenderunt[1].

3° *Ex ratione theologica:* Matrimonium repraesentat unionem Christi et Ecclesiae indissolubilem; ergo et ipsum debet esse indissolubile.

In lege mosaica tamen concessum fuit ut matrimonium quandoque solveretur libello repudii (Deut. XXIV, 1 sq.; Lev. XX, 10; XXI, 7); at tantum sub certis conditionibus: a) facultas non uxori, sed tantum viro competebat, nec viro permittebatur qui ante matrimonium cum uxore commercium carnale habuerat, vel eam non esse virginem iniuste accusaverat; b) non qualibet de causa uxorem dimittere poterat sed solum propter aliquam foeditatem, quae vox quamdam maculam indicat moralem vel et physicam; c) dimittere non poterat nisi libello repudii scripto, quo non solum providebatur statui uxoris, sed difficilius reddebatur divortium; d) quodsi mulier repudiata novum inierit matrimonium, a priore viro non poterit denuo in uxorem recipi; quo fiebat ut vir magis caute procederet.

Non videtur fuisse mera tolerantia, nam id affirmatur *permitti*, ita ut in conscientia licitum fuerit quemadmodum et Iudaei intellexerunt: sic autem factum est ad duritiam cordis Iudaeorum, ut ait Christus, seu ut explicat S. Thomas, q. 67, a. 3, « propter maius malum cohibendum, scil. uxoricidium, ad quod Iudaei proni erant propter corruptionem irascibilis ».

Nec obstat a lege naturali nullum liberari posse: sunt enim quaedam praecepta quae ex concessione Dei exceptionaliter possunt non obligare in casu particulari, imo praecepta secundaria in quibusdam circumstantiis etiam communiter, sed ad tempus tantum et ad maius malum vitandum aut maius bonum obtinendum. Iamvero licet indissolubilitas intrinseca adversetur primis praeceptis legis naturalis, non tamen necessario extrinseca et restricta; et ideo, ait S. Thomas, a. 2: « videtur *magis* inter secunda praecepta legis naturae contineri. Inseparabilitas enim matrimonii non ordinatur ad prolis bonum, quod est principalis matrimonii finis, nisi in quantum ad hoc quod per parentes provideri debet in totam vitam per debitam praeparationem eorum quae sunt necessaria vitae. Huiusmodi autem praeparatio non est de prima intentione naturae, secundum quam omnia bona sunt communia (II, n. 396). Et ideo non videtur esse contra primam intentionem naturae dimissio uxoris, et per consequens nec contra prima praecepta, sed contra secunda legis naturae... »

1. Non negamus tamen, paucas resolutiones casuum particularium a quibusdam episcopis aut conciliis particularibus propositas, fuisse falsas aut doctrinae minus conformes, aut Caelestinum III indebite extendisse privilegium Paulinum ad casum apostatae relinquentis partem christianam, quod iudicium reformavit Innocentius III. Sed facta particularia omnino exceptionalia non impediunt doctrinam constantem moraliter unanimem.

Nam « in bono prolis, secundum quod est de prima intentione naturae, intelligitur procreatio et nutritio et instructio, quousque proles ad perfectam aetatem ducatur. Sed quod ei provideatur in posterum per haereditatis et aliorum bonorum dimissionem, videtur pertinere ad secundam legis naturae intentionem » (ad 1).

818. *Thesis III.* **Iure divino matrimonium validum, ratum et consummatum, omni de causa** (praeterquam morte) **est absolute indissolubile** (can. 1118) ; **matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam dissolvitur potestate divina Ecclesiae concessa et nomine Dei ministerialiter exercenda :** tum a) ipso iure per solemnem professionem religiosam, tum b) per dispensationem a Sede apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita (can. 1119).

Declaratur : Matrimonium quod nulla potestate terrestri dissolvi valet, solvi tamen potest potestate divina, quia unusquisque legislator de se solvere potest legem quam propria tulit auctoritate ; hanc potestatem suam divinam solvendi matrimoniale vinculum posset Deus communicare Ecclesiae, ministerialiter tamen nomine suo exercendam. Iamvero Deus nulli communicavit, nec ipsi Ecclesiae dedit potestatem solvendi matrimonii sacramentum, si simul est ratum et consummatum, ita ut absolute nunquam possit dissolvi ; matrimonium autem non consummatum, posse in quibusdam casibus solvi concessit.

Ad quod intelligendum valet principium : *Matrimonio christiano repugnat quidquid contrariatur ipsi sacramentali eius significationi.* Atqui dissolubilitas absolute contrariatur sacramentali significationi matrimonii christiani consummati, non ita omnino si non sit consummatum. Ergo matrimonium christianum consummatum est omnino indissolubile, e contra non consummatum [1].

Principium constat, nam sacramentum ab Apostolo, ad Eph. V, 32, dicitur matrimonium christianum, quatenus divina institutione est signum sacrum coniu ctionis Christi et Ecclesiae; ergo suas leges iam derivare debet ex exigentiis significationis huius mysterii, eodem modo quo matrimonium sub lege naturae derivat suas leges ex exigentia finium suorum naturalium. Atqui

1. Cfr. Billot, *De Ecclesiae Sacramentis*, II, th. 46.

quando sacramentum matrimonii suam habet consummationem, iam significat mysterium indivisibilis connubii Christi cum Ecclesia praecise in quantum est indivisibile. Ergo et ipsum est omnino indivisibile.

Revera consummatio matrimonii, sicut non facit vinculum matrimoniale in esse naturali, ita nec facit ipsum in esse signi sacri seu sacramenti ; at, consummatione accedente praeexistens vinculum in esse naturali *perficitur*, non quoad sui essentiam, sed quoad proprietatem perpetuitatis seu indissolubilitatis, quia vinculi coniugalis firmitas est maxime propter bonum prolis suscipiendae et educandae. Pariter accedente consummatione, significatio matrimonii christiani vel signi sacri et sacramenti praeexistentis incipit se extendere ad aliquid, ad quod non sese extendebat prius nisi tantum potentialiter et in actu primo. Duplex enim est Filii Dei cum natura humana unio, physica et spiritualis : prior attenditur secundum tractionem assumptae humanitatis ad esse Verbi personale, altera attenditur secundum communionem gratiae a Christo capite in Ecclesiae corpus redundantis ; — prior est omnino indissolubilis, quia quod Verbum assumpsit nunquam dimisit aut dimittet, altera si cum singulis seorsim Ecclesiae membris consideratur, non est omni ex parte indissolubilis donec in gloria consummetur. Porro vinculum coniugale nondum repraesentat in actu physicam hanc unionem Verbi cum carne, antequam coniuges reapse effecti sint una caro per matrimonii consummationem, et ideo matrimonium ratum nondum est signum coniunctionis absolute indissolubilis ; e contra si sit ratum et consummatum. Quod ita proponit S. Thomas, q. 61, a. 2, ad 1 : « Dicendum quod matrimonium ante carnalem copulam significat illam coniunctionem quae est Christi ad animam per gratiam, quae quidem solvitur per dispositionem spiritualem contrariam, scil. per peccatum mortale ; sed post carnalem copulam significat coniunctionem Christi et Ecclesiae quantum ad assumptionem humanae naturae in unitatem personae, quae omnino est indivisibilis ».

Ergo matrimonium ratum et consummatum nullatenus potest solvi, nisi fortasse per illum dispensationis modum qui operationi miraculorum assimilatur et pertinet ad solum Deum.

« Inseparabilitas, quamvis sit de secunda intentione matrimonii prout est in naturae officium, est tamen de prima intentione ipsius prout est sacramentum Ecclesiae. Et ideo ex quo institutum est ut sit Ecclesiae sacramentum, manente tali institutione, non potest sub dispensatione cadere, nisi forte secundo modo dispensationis » i. e. miraculoso (q. 67, a. 2, ad 3).

Probatur : A. 1ª pars : *Matrimonium ratum et consummatum est absolute indissolubile*, est *certa* ex Conc. Trid., sess. 24, can. 7, nam si indissolubile sit propter adulterium, a fortiori ob alias causas. Constat

1° *ex argumentis supra allatis* (n. 816), quae perfecte verificantur saltem de matrimonio rato et consummato;

2° *ex facto* quod Ecclesia dissolubilitatem non agnoscit. Si enim tale matrimonium solvi posset, Ecclesia profecto sciret vel Deum in certis casibus id solvere, vel se a Deo habere potestatem illud solvendi, vel saltem non negaret se hanc potestatem habere. Atqui Ecclesia haec nescit ac negat.

« Cogita, ait Billot, l. c., quoties R. Pontifices in causis quae pertinebant ad christianorum regum matrimonia intervenerint, opponentes murum pro domo Israel ; quoties rogati ut prioribus coniugiis dissolutis, nova connubia fieri permitterent, semper restiterint ; quoties demum hac in re, omni se potestate destitui solemniter attestati sint, etiamsi gravissimae causae in medium afferrentur, veluti uxoris sterilitas, velut necessitas providendi stabilitati reipublicae et regulari in throno successioni, velut periculum schismatis et subtractionis populorum ab obedientia Sedis apostolicae, etc. Nulla sane evidentior atque illustrior confessio esse potuit » absolutae indissolubilitatis. Unde licet haec veritas non reperiatur in terminis definita in aliquo Concilio, eam tamen pertinere ad catholicam doctrinam est omnino certum, atque explicite proponitur a Pio XI in enc. *Casti connubii*.

Obiiciuntur verba Domini, Mt. XIX, 9 : Quicumque dimiserit uxorem, *nisi ob fornicationem*, et aliam duxerit moechatur ; et qui dimissam duxerit, moechatur.—At immerito illa verba absolutae matrimonii indissolubilitati opponuntur. Quod patet non solum ex locis omnino parallelis (Mc. X, 11-12 et Lc. XVI, 18) qui nullam restrictionem continent, sed etiam ex ipso textu Matthaei, si accurate perpenditur. Revera : 1° immediate antea Christus absolute pronuntiaverat : *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, et reiecerat exceptionem legis mosaicae ; — 2° immediate postea Christus pronuntiat iterum sine exceptione ulla : *Qui dimissam duxerit, moechatur ;* — 3° si inspiciantur ipsa verba, patet secundum ea, ad adulterium requiri duo : non tantum dimissionem propriae uxoris, sed etiam assumptionem alterius mulieris ; a. v. dimissio uxoris in hoc casu, iam est initium adulterii, quod perficitur assumptione alterius mulieris. Sed tunc fieri debebat evidens exceptio pro prima parte, nempe dimissio illa non est adulterium initiatum, si fiat propter legitimam rationem scil. fornicationem mulieris. Haec exceptio refertur apud Matthaeum, omittitur ut evidens apud Marcum et Lucam ; at etiam in casu legitimae dimissionis, non rumpitur vinculum coniugale, nam addit statim Christus : et qui dimissam duxerit, moechatur. Haec est interpretatio stricta iuxta textum, in quo exceptio ponitur post verba : qui dimiserit, non vero post verba : et aliam duxerit. Unde restrictio : nisi ob fornicationem, refertur ad praecedentia : qui dimiserit uxorem, nullatenus ad sequentia : et aliam duxerit. Et ideo sensus est : Qui dimiserit uxorem, — quod non licitum est nisi ob fornicationem, — et aliam duxerit moechatur ; et qui dimissam duxerit moechatur ; non vero iste : Qui dimiserit uxorem et aliam duxerit, nisi ob fornicationem, moechatur.

Aliae datae fuerunt interpretationes, sed ista praeplacet, quia innititur analysi ipsius textus, atque conformis est dictis Patrum.

B. 2ª pars : *Matrimonium non consummatum dissolvi potest :*

1° *Ipso iure per professionem religiosam solemnem alterius coniugis.* — Est *certum* ex definitione Conc. Trid., sess. 24, can. 6.

Constat *ex traditione Ecclesiae* quae colligitur :

a) *ex disertis declarationibus Pontificum* Alexandri III et Innocentii III ;

b) *ex praxi Ecclesiae*, quae saltem a saec. XII constanter viguit, et iam antiquitus existebat [1].

Ratio convenientiae est quod status religiosus est excellentior statu matrimoniali ; conveniebat autem ut in Ecclesia Christi excellentia illius status non solum doceretur sed etiam facto quodam demonstraretur. Notetur autem matrimonium

a) solvi ipsa valida professione solemni includente votum castitatis perfectae et perpetuae, non solo ingressu in religionem ;

b) non solvi professione simplici sive temporali sive perpetua, nec illa quae emittitur in Societate Iesu et quae ex privilegio matrimonium contrahendum dirimit ;

c) nec solvi Ordine sacro aut voto solemni quod emittitur in ordinatione subdiaconatus.

2° *Etiam dispensatione a Sede apostolica concessa.* — Videtur sufficienter *certum* ex praxi Ecclesiae late diffusa, quae iam authentice agnoscitur in Codice Iuris.

A tempore scil. Martini V, multi Pontifices practice in se agnoscunt potestatem dissolvendi ob graves rationes matrimonia rata eamque exercent usque ad nostros dies ; ex qua generali praxi probatur ius S. Pontificis : etsi enim

1. Antiquissimam hanc esse Ecclesiae praxim, iam testatur Ven. Beda saec. VIII, qui refert exemplum Edildridae, reginae Angliae, quae reliquit coniugem regem Elfridum et ingressa est monasterium ; cum vero rex frustra tentasset uxorem revocare, conduxit aliam, Amelbergam, nemine reclamante, nec S. Pontifice nec Beda. — Refertur etiam exemplum s. Alexii saec. IV ; s. Caeciliae saec. III ; s. Theclae. saec. I, cuius nuptias, teste Epiphanio, haer. 78, solvit s. Paulus. Haec facta non cogunt, ait Hugon, Tr. dogm. III, de Matr., a. 3, quia non semper constat an fuerit prius verum matrimonium, an tantum sponsalia, et postea vera professio religiosa ; attamen fundamentum praebent interpretationi doctorum.

Deus permittere possit, ut hic vel ille Pontifex secundum suam privatam opinionem *in suo regimine* aliquid minus honestum admittat aut in casu particulari erret (qui casus non cadunt sub infallibilitate), tamen permittere nequit ut Pontifices ita sint generatim turpitudinis auctores, et causa cur passim illegitime solverentur matrimonia et crearentur concubinatus, seu ut constanter errent; imo Pontifices sunt iudices infallibiles propriae auctoritatis.

Praeterea habent ius dispensandi in voto etiam solemni religionis; atqui hoc vinculum est potius vinculo matrimonii rati cum illud solvat; ergo a fortiori valent dispensare in matrimonio tantum rato.

Ad exercitium huius potestatis requiruntur duo: a) iuridica probatio de non consummatione matrimonii; b) causa legitima, qualis est probabilis nullitas matrimonii, moralis impossibilitas pro coniugibus simul cohabitandi, timor futuri scandali et adulterii, matrimonium civile iam ab una parte cum tertia persona initum, periculum perversionis, morbus contagiosus, animorum dissociatio sine spe reconciliationis, etc.; etiam si altera pars sit dispensationi invita[1]. Quod si matrimonium fuerit consummatum, aut causa desit legitima, dispensatio est nullius valoris.

Solutio matrimonii non fit iure pure ecclesiastico, cum derogatio fiat iuri divino et naturali; sed iure divino, mediante tamen Ecclesia, potestate divina instrumentali huic concessa et nomine Dei exercenda. Eodem modo explicari potest quod matrimonium solvitur solemni professione religiosa, licet quidam dixerint immediate solvi a Deo vel etiam ex ipsa rei natura[2]. Forsan tamen dici posset cum Haine, Th. M., de Matr., q. 71, privilegium dissolutionis matrimonii a Deo *generatim* fuisse collatum votorum professioni; Ecclesiam autem posse conditionem necessariam praescribere ut hoc privilegium in casibus particularibus applicetur atque hac professione matrimonium dirimatur. Quae conditio hodiedum est votorum solemnitas.

Disputatur autem utrum Matrimonium ante Baptismum valide initum et consummatum, sed post Baptismum unius vel utriusque coniugis non amplius consummatum dissolvatur per professionem religiosam. De eo non sufficienter constat, at S. Pontifex forsan potest in eo dispensare; unde securitatis causa, in singulis casibus recurrendum est ad S. Sedem.

1. De modo procedendi in praxi, cfr. decr. S. Congr. Sacr., 7 maii 1923 et 27 mart. 1929.

2. Quandoque adducitur S. Thomas, q. 61, a. 2: « Ante carnalem copulam est inter coniuges tantum vinculum spirituale; sed postea etiam inter eos vinculum carnale. Et ideo sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis, vinculum quod est ante copulam carnalem solvitur, quia religio est quaedam mors spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo ». At patet id non esse nisi argumentum convenientiae.

Obiiciunt: 1° Quod Deus coniunxit homo non separet. — Resp.: Ecclesia in casu agit nomine Dei, utitur potestate divina, non potestate sociali propria. Si ius divinum est in se absolute determinatum, Ecclesia quidem illi derogare non potest; at si intervenit factum humanum quod est conditio ut lex divina obliget, tunc Ecclesia censet se posse derogare. Sed in matrimonio intervenit factum humanum, scil. consensus matrimonialis, et Ecclesia in hunc actum humanum exercet potestatem nomine Dei, et sic illum nullum reddit. Sic quoque in voto intervenit libertas humana; et pariter Ecclesia illud nomine Dei remittit. Atque ita non proprie dispensat in lege Dei, sed facit quod actus humanus sub lege Dei amplius non cadat, et subtrahit materiam legis divinae.

2° Ex dissolutione Matrimonii nata sunt sequi magna incommoda, nominatim magnum infertur damnum tertio, nempe mulieri; non potest autem Ecclesia facere ut innocens damnum subeat.—Resp.: Cum agatur tantum de matrimonio rato, graviora mala, v. g. ex parte prolis, consequenda non verificantur, et cum dissolutio non fiat ex privata auctoritate sed a S. Pontifice et non nisi gravibus de causis, vel per professionem religiosam quae procurat excellentius bonum, alia mala exinde compensantur. In specie, quantum ad mulierem: a) damnum non est notabile, quia matrimonium est tantum ratum; b) ipsa donatur libertati et potest inire aliud matrimonium; c) si aliquod damnum particulare maneat, praevalet saepius bonum commune, quod inter alia postulat ut ostendatur statum religiosum esse matrimoniali perfectiorem; d) aliunde coniuges sciunt matrimonium ratum posse dissolvi, et ita a priori id acceptant.

819. *Thesis IV*. **Iure divino matrimonium legitimum infidelium, etiam consummatum, dissolvi potest, si uno ad fidem converso, alter nolit cohabitare pacifice, vel sine Creatoris iniuria aut spirituali damno fidelis** (can. 1120). — *Certum* est ex declaratione Innocentii III qui ita interpretatur sententiam Apostoli Pauli; unde id vocatum fuit *privilegium Paulinum*. Est autem hoc privilegium dissolutionis matrimonii in favorem fidei concessum et ab Apostolo in I Cor. VII denuntiatum: revera in favorem fidei conceditur, quatenus aliter homo deterreretur a vera fide amplectenda vel retinenda propter necessitatem servandi continentiam perfectam, si pars infidelis denegaret pacificam cohabitationem.

Probatur : 1° *Ex Scripturis,* saltem ex interpretatione traditionis intellectis, I Cor. VII, 12-15: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem ; alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi : in pace autem vocavit vos Deus.* Quibus ultimis verbis fideli converso conceditur facultas solvendi matrimonium quoad vinculum, casu quo pars infidelis pacifice cohabitare nolit.

Etenim : a) fideli converso concedit Apostolus privilegium speciale ; atqui si legitima declararetur sola separatio quoad torum et mensam, non vero dissolutio quoad vinculum, nullum in eo esset privilegium speciale sed commune remedium, imo nihil fuisset concessum cum cohabitatio in casu sit fideli omnino impossibilis. b) Constat ex contextu : in praecedentibus iubet Apostolus coniuges fideles, quacumque de causa separatos, manere innuptos ; e contra, loquendo de infidelibus, simpliciter dicit : *si infidelis discedit, discedat,* quin parti fideli iniungatur manere innuptam. Haec vero differentia non explicatur, nisi quia in primo casu manent obstricti ligamine vinculi, in altero solvi vinculum potest, ut naturaliter debebant intelligere pagani neo-conversi, nec secus esset differentia cum priore casu. c) Etiam constat ex ratione addita : *non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi,* i. e. in hac re christianus non est subiectus infideli in servitute, quae servitus esse non potest nisi vinculum coniugale : maxime enim obnoxius esset servituti erga infidelem, si pars fidelis deberet manere innupta et non posset coniugio gaudere ex malitia infidelis. Quod est omnino certum ex interpretatione traditionali Ecclesiae.

2° *Ex traditione et praxi Ecclesiae,* quae prius indicatur apud Patres, uti Chrys., in I Cor. hom. XIX, 31 ; Ambr., in Lc. VIII, 2 ; Aug., de fide et op., 28 ; Theophyl. et Ambrosiaster in h. l. ; postea explicite et authentice proposita fuit a Pontificibus, atque per acta saeculorum consecrata.

Privilegium est iuris divini, cum in iure divino et naturali dispenset ; concedi potuit ob finem boni longe superioris, nempe fidei divinae, in casu quo, propter factum coniugis in infidelitate remanentis, fines matrimonii aegre attingi queant : non finis

secundarius, pacificum domesticae vitae consortium, cum in casu excludatur ; nec finis primarius, bona prolis educatio, cum parentes circa prolem ita suum dividant affectum, ut in diversa ac contraria illam trahere intendant.

Dubitant utrum privilegium *immediate* sit a Deo concessum et ab apostolo promulgatum, an *mediante Ecclesia,* quatenus potestate ministeriali ab apostolo fuerit concessum Corinthiis, auctoritate S. Pontificum ad universalem Ecclesiam extensum, ut iam docent plures recentiores. Id tamen aegre admitti posse videtur, quia tunc privilegium a S. Pontifice abrogari posset. Unde praeferenda est prima sententia, quae ceteroquin est S. Officii, ut constat ex stylo curiae et nominatim ex decreto 11 iul. 1866.

Conditiones ad privilegium Paulinum pro validitate requisitae sunt :

a) *Ut alterutra pars infidelis baptizetur,* saltem si in Ecclesia catholica. Dubitatur enim utrum privilegium valeat pro conversis ex infidelitate ad sectam haereticam et in ea baptizatis, aliis affirmantibus si Baptismus sit validus, quia adest quoad substantiam conversio ad fidem ; aliis negantibus quia privilegium datur in favorem fidei, sola autem vera fides est catholica, unde ait Innocentius III : « si alter infidelium ad fidem catholicam convertatur ».

Hinc applicari nequit : 1° si ambo coniuges Baptismum recipiunt : tunc matrimonium eorum iam est ratum ; et a fortiori si Baptismo ad fidem conversi dein matrimonio usi sunt : tunc est ratum est consummatum ;

2° si ambo manent infideles, sicut nec pro catechumenis nondum baptizatis : Ecclesia non habet potestatem in infideles ;

3° matrimonio duorum haereticorum, quorum unus convertitur ad fidem catholicam ;

4° matrimonio inter duos baptizatos inito, quorum unus apostasia ad infidelitatem transit ;

5° matrimonio quod fidelis, praevia dispensatione, contraxit cum infideli, etiam si deinceps infidelis nolit pacifice cohabitare, ut monet can. 1120, § 2. Privilegium enim concessum est solis neo-conversis, ne retardarentur a conversione.

b) *Ut pars in infidelitate persistens discedat,* sive physice, sive etiam moraliter tantum, uti scimus ex interpretatione Ecclesiae. *Physice* quidem, si non vult cohabitare, i. e. si relinquit domum coniugalem et non redit, etiam si fiat casu aut inculpabiliter, dummodo id non fuerit malitiose a parte fidelis causatum post Baptismum. *Moraliter* vero,

si non vult cohabitare pacifice, i. e. non sine contumelia Creatoris seu blasphemia Christi vel fidei despectu, aut spirituali damno sive fidelis, sive etiam educandae prolis (S. Off., 14 dec. 1848).

Ita si infidelis causat rixas et iurgia aliave damna, vel si directe aut indirecte fidelem trahere conatur ad aliquid graviter illicitum, ut ad apostasiam, adulterium, educationem prolis in infidelitate, ita quod vita coniugalis reddatur moraliter impossibilis et separatio moraliter necessaria ob malitiam infidelis. Hinc :

1° Si pars infidelis consentit pacifice cohabitare, etsi nolit converti, non est locus privilegio Paulino, imo ne quidem quoad torum et cohabitationem separatio per se fieri potest, iuxta illud Apostoli : *Si... consentit habitare cum illo, non dimittat illam...* Ratio est, quia tunc conversio unius est potius ratio permanendi in eodem coniugio propter spem adducendi ad fidem partem infidelem, quae in praeparatione animi iam sanctificata apparet, cum sine blasphemia Christi consentiat cohabitare. Addit enim Apostolus : *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.*

2° Nihilominus « coniux fidelis, licet post susceptum Baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat *sine iusta causa*, vel etiam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris » can. 1124).

3° Si, antequam fidelis novas nuptias contraxerit, infidelis sui discessus sincere et efficaciter pœnituerit, vel si ipse baptizatus fuerit, privilegii usus foret invalidus.

c) *Ut constet de discessu partis infidelis;* ad quod regulariter necessaria est *interpellatio* tamquam medium ordinarium, quaeque ex iure canonico semper fieri debet in omni casu, nisi Sedes apostolica aliud declaraverit (can. 1121, § 2). Unde etiam si interpellatio sit physice vel moraliter impossibilis, fidelis aliud matrimonium inire nequit nisi prius obtenta dispensatione Pontificis super interpellationem.

Notetur : 1° *Obiectum* interpellationis partis non baptizatae est duplex; coniux scil. baptizatus debet eam interpellare : « a) an velit et ipsa converti ac Baptismum suscipere; b) an saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris » (can. 1121, § 1).

2° *Tempus* interpellationis est « antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat » (can. 1121, § 1) ; ergo facienda est non ante sed post Baptismum receptum (S. Off. 3 iun. 1874).

3° *Forma* interpellationis statuitur can. 1122 :

« § 1. Interpellationes fiant regulariter, forma saltem summaria et extraiudiciali, de auctoritate Ordinarii coniugis conversi, a quo Ordinario concedendae sunt quoque coniugi infideli, si quidem eas petierit, induciae ad deliberandum, eo tamen monito, fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa.

§ 2. Interpellationes etiam privatim factae ab ipsa parte conversa, valent, imo sunt etiam licitae, si forma superius praescripta servari nequeat ; hoc tamen in casu de ipsis, pro foro externo, constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo ».

4° *Effectus* interpellationis declaratur can. 1123 : « Si interpellationes ex declaratione Sedis Apostolicae omissae fuerint, aut si infidelis eisdem negative responderit expresse vel tacite, pars baptizata ius habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi ipsa *post Baptismum* dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam », qualis esset venditio uxoris aut adulterium ex una parte baptizata commissum.

Quibus positis conditionibus matrimonium solvi potest ; at :

a) Non solvitur nisi in ipso instanti quo novum matrimonium a parte fideli contrahitur, unde can. 1126 : « Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias inierit ».

b) Unde, si coniux infidelis ante novas fidelis nuptias matrimonium contraxerit, hoc nullum est ; statim vero ac pars fidelis matrimonium inivit, altera pars, sive infidelis maneat sive convertatur, libera est et aliud coniugium inire potest.

c) Pars fidelis non potest, sine dispensatione, novas inire nuptias, nisi cum alia parte catholica ; atque nonnisi raro concedetur dispensatio rursus cum infideli contrahendi.

d) Casu quo pars conversa fuerit polygama, matrimonium quod solvi potest est primum quod contraxerit : cetera enim sunt invalida ; unde prima coniux erit interpellanda.

820. Applicationes. — Plures casus proponit Prümmer, Th. M. III, n. 679.

1° Si pars baptizata eligit vitam coelibem, pars autem infidelis novum contrahit matrimonium, id invalidum est quia nondum solutum est primum, et privilegium concessum est pro parte baptizata, non pro infideli.

2º Si uxor baptizata post conversionem vivit maritaliter cum viro infideli, postea vir infidelis assumit alias mulieres in uxores nec vult illas dimittere, uxor baptizata potest discedere et novas nuptias inire, quia privilegium paulinum non est extinctum.

3º Si maritus infidelis eiicit e domo uxorem baptizatam novumque matrimonium init et prolem generat, sed postea ad fidem convertitur et baptizatur, tenetur secundam uxorem dimittere, nisi prior eiecta interim aliud matrimonium valide contraxit. Ratio est, quia non pars infidelis, sed fidelis libera evasit, et ideo secundum matrimonium viri infidelis est invalidum, saltem si primum eius matrimonium validum fuerit.

4º Si duo infideles, matrimonio legitimo contracto et dein dissoluto, ad alias nuptias convolant, ac postea ad fidem convertuntur, neuter potest remanere in secundo matrimonio, saltem dum eodem fere tempore baptismum suscipiunt : primum enim matrimonium legitimum non poterit solvi propria auctoritate, nec de facto solutum fuit per secundas nuptias quae fuerunt illegitimae.

5º Si coniux infidelis committit adulterium, ideoque eiicitur a comparte, post aliquos annos autem baptizatur et interpellat compartem, sed ista cohabitare recusat, potest inire novas nuptias. Adulterium enim commissum abluitur baptismo, et pars infidelis irrationabiliter repudiat partem baptizatam.

6º Si coniux infidelis baptizatur, per aliquod tempus pacifice cohabitat cum parte infideli, sed postea committit adulterium et ideo a comparte eiicitur, non potest, vi privilegii paulini, novas inire nuptias ; quia pars infidelis iuste eiicit partem baptizatam.

7º Si mulier infidelis quae plures successive habet maritos baptizatur, et primus eius legitimus maritus non vult cum ea amplius habitare, ultimus autem consentit quidem pacifice cohabitare sed non vult converti, mulier debet se separare ab ultimo viro qui non est legitimus. Quod si hoc valde durum ei sit, petat dispensationem super impedimento disparitatis cultus ad matrimonium legitimandum et convalidandum.

821. Nonne potestas Ecclesiae concessa solvendi matrimoniale vinculum se extendat ad quosdam alios casus ? — Ad privilegium Paulinum facilius deducendum in praxim, quaedam declarationes et concessiones pro peculiaribus locis a Pontificibus factae fuerunt, quae nunc vi can. 1125 iam extensae fuerunt ad universalem Ecclesiam. Sunt tres constitutiones, datae scil. a Paulo III, 1 iun. 1537, a Pio V, 2 aug. 1571 et a Gregorio XIII, 25 ian. 1585.

a) Paulus III polygamis concedit, ut possint unam quamlibet ex pluribus uxoribus eligere, cui nubant, si non recordantur quam primum acceperint.

b) Pius V declarat polygamos quamlibet ex uxoribus, quae una cum ipsis baptizetur, posse retinere, tametsi recordarentur quaenam prima fuerit.

c) Gregorius XIII concedebat facultatem dispensandi cum infidelibus conversis, ut infideli coniuge relicto, novum cum quovis fideli possent inire coniugium, modo saltem summarie et extraiudicialiter constaret coniugem infidelem absentem moneri non posse aut monitum tempore praefixo suam voluntatem non manifestasse.

Horum occasione quaesitum fuit utrum, extra privilegium Paulinum, Ecclesia non possit solvere matrimonium in infidelitate contractum :

1º postquam una pars baptizetur, licet ante, non tamen post Baptismum fuerit matrimonium consummatum ;

2º imo, si post Baptismum, ab una parte receptum, rursus consummatum fuerit ;

3º consequenter etiam, si utraque parte baptizata, matrimonium, licet ante, non tamen denuo fuerit consummatum.

Ad quod multi recentiores affirmative respondent : a) quia, in concessionibus supra relatis, S. Pontifices de facto ultra privilegium Paulinum progressi sunt, et de facto pluries solverunt vinculum matrimoniale in primo et secundo casu ; b) quia solum matrimonium christianum ratum et consummatum est omnino indissolubile ; imo, cum vinculum matrimonii rati inter fideles sit fortius matrimonio legitimo, etiam consummato, inter infideles, si Pontifex prius dirimere possit, a fortiori alterum. In primo scil. et secundo casu, matrimonium consummatum non est ratum, quia non est sacramentum (n. 786, 5º) ; in tertio casu matrimonium est consummatum et ratum, non tamen ratum et consummatum.

Alii tamen negant, et respondent in dictis concessionibus non adesse nisi dispensationem, gravi ratione urgente, ab interpellatione facienda in casu privilegii Paulini. Matrimonium autem ratum, iuxta ipsos, non habet maiorem illam firmitatem, quia indissolubilitas est a iure naturali, non a sacramento, sed ad summum dici potest illam fuisse ex elevatione ad sacramentum validius roboratam. Ceterum in concessionibus voluntate positiva factis non semper valet argumentatio a fortiori. Unde existimant potestatem ministerialem S. Pontificis se non extendere ad ullum matrimonium consummatum, quod semper, etiam inter infideles, repraesentat unionem indissolubilem Christi et Ecclesiae.

Ut notat Noldin, Th. M. III, n. 525 : « ipsa Sancta Sedes a dirimenda quaestione consulto abstinet et in suis decisionibus nunc eos loquendi modos adhibet, qui expresse non significant dissolutionem matrimonii in infidelitate contracti, sed solum dispensationem ab interpellatione ».

822. Corollaria. — 1. Licet matrimonium mutuo consensu constituatur, non potest tamen dissolvi mutuo consensu, quia

natura contractus coniugalis non pendet a stipulatione contrahentium, sed ab ipsa natura et a Deo est determinata et ratione finis exigit perpetuitatem.

2. Et quamvis indissolubilitas exceptionaliter fini matrimonii nocere possit, quia tamen « matrimonium principaliter ordinatur ad bonum commune..., ideo in legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat, quam quid uni competere possit. Quamvis ergo matrimonii inseparabilitas impediat bonum prolis in aliquo homine, tamen est conveniens ad bonum prolis simpliciter » (q. 67, a. 1, ad 4). Lex scil. respicit id quod communiter et per se contingit. Incommoda vero quae aliquando per accidens ex indissolubilitate sequuntur, caveri possunt separatione a toro et cohabitatione.

3. Lex indissolubilitatis coniugibus imponit obligationem sollicite servandi animorum concordiam et christianam charitatem, atque cavendi quidquid discordiis ac ipsi praesertim separationi viam sternere possit. Unde contra bonum sacramenti peccant iis omnibus quae individuam vitae societatem perturbant, uti sunt rixae, iurgia, dissidia, murmurationes.

4. Lex indissolubilitatis non solum est divortium prohibens sed etiam irritans, quod necessarium est ut finem efficaciter attingat.

5. Quanta ex matrimonii indissolubilitate fluant bona, tum coniugibus tum proli tum societati, describit Pius XI :

« A. Et primum quidem *coniuges* a) hac in firmitate certum habent perennitatis signaculum, quod generosa propriae personae traditio et intima suorum animorum consociatio suapte natura tantoque exigit, cum vera charitas finem nesciat. b) Firmum praeterea adstruitur fidae castitati propugnaculum contra infidelitatis incitamenta, si qua interius exteriusve obiiciantur ; anxio timori num adversitatis aut senectutis tempore alter coniux sit recessurus, quivis praecluditur aditus eiusque loco quieta statuitur certitudo. c) Servandae item utriusque coniugis dignitati ac mutuo auxilio praestando quam aptissime providetur, cum per indissolubile vinculum perpetuo perseverans coniuges continenter admoneantur se non caducarum rerum causa, nec cupiditati ut inservirent, sed ut altiora et perpetua bona sibi mutuo procurarent, nuptiale iniisse consortium, quod nisi morte solvi non queat.

B. *Liberorum* quoque tuitioni et educationi, quae ad multos annos produci debet, optime consulitur, cum gravia et diuturna huius officii onera unitis viribus facilius a parentibus ferantur.

C. Neque minora *toti humanae consortioni* oriuntur bona. Usu enim cognitum habemus matrimoniorum inconcussam firmitatem uberrimum esse honestae vitae morumque integritatis fontem ; hoc autem ordine servato, felicitas salusque rei publicae in tuto positae sunt : nam talis est civitas, quales sunt familiae et homines, ex quibus ea constat, ut corpus ex membris.

Quapropter, cum de privato coniugum et prolis, tum de publico societatis humanae bono optime merentur, qui inviolabilem matrimonii firmitatem strenue defendunt ».

6. Quanta autem bona ex indissolubilitate, tanta ex adverso nata sequi sunt ex divortio mala, quod post Leonem XIII ostendit Pontifex : « Hinc videlicet, incolumi vinculo, tuta ac secura matrimonia conspicimus ; illinc, coniugum secessionibus propositis vel ipsis divortiorum periculis obiectis, ipsa foedera nuptialia mutabilia aut certe anxiis obnoxia fieri suspicionibus. Hinc mutua benevolentia consociatioque bonorum confirmata mirifice ; illinc, ex ipsa secessionis potestate, extenuata miserrime. Hinc coniugum castae fidei addita peropportuna praesidia ; illinc infidelitati perniciosa incitamenta suppeditata. Hinc liberorum susceptio, tuitio, educatio provecta efficaciter ; illinc gravioribus usque detrimentis affecta. Hinc inter familias cognatosque discordiis multiplex praeclusus aditus ; illinc discordiarum occasio oblata frequentius... Hinc potissimum dignitas officiumque mulierum, in societate sive domestica sive civili, redintegrata feliciter ac restituta ; illinc indigne depressa, siquidem in periculum coniiciuntur uxores ne cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur ».

QUAESTIO SEXTA.

DE MATRIMONII REGIMINE.

823. **Status quaestionis.** — Matrimonii *regimen* importat ius et potestatem praecipiendi, iudicandi et puniendi in rebus et causis matrimonialibus. Afficit non solum ipsum matrimonium in fieri et in facto esse, verum etiam omnia quae antecedenter, concomitanter, aut subsequenter cum eo connexa sunt, quae ad illud requiruntur aut illud impediunt, eiusque obligationes atque effectus, sive inseparabiles sive separabiles, sive spirituales et morales, sive temporales seu civiles. Cum autem matrimonium ad multiplex bonum ordinetur : ad bonum privatum coniugum, ad bonum familiae, ad bonum quoque publicum societatis civilis et Ecclesiae, sequitur illud diverso posse subiici regimini. Notissima sunt verba S. Thomae, c. Gent. IV, 78 : « Oportet quod... a diversis dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturae, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem, et sic dicitur esse naturae officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subiacet regimini civilis legis. In quantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini ecclesiastico ». Hinc quaeritur quonam sub aspectu diverso spectet ad regimen ecclesiasticum et civile ; non enim sufficit dicere

illud regi lege naturali et divina : cum haec plerumque sit vaga, indeterminata et incompleta, oportet auctoritate humana sociali determinetur et compleatur.

Iamvero : A. *quantum ad matrimonium christianorum :*

1° Luther et alii Protestantes docuerunt non esse sacramentum sed contractum civilem et politicum, ac proinde causas matrimoniales ad iudices saeculares pertinere ; quapropter non Ecclesia, sed sola potestas civilis impedimenta matrimonium dirimentia statuere potest. Quod damnavit Conc. Trid., sess. 24, can. 3 et 4.

2° Saec. XVII, Marcus Ant. de Dominis apostata, in libro *De Republica christiana* (a. 1617), et Launoy doctor Parisiensis, in opere *De regia in matrimonium potestate*, dixerunt sacramentum a contractu matrimoniali esse prorsus distinctum ; Ecclesiam statuere posse circa sacramentum, non vero circa contractum, nisi ex principum consensu ; contractum scil. utpote mere civilem esse potestati politicae subiectum, atque ipso irrito, non subsistere sacramentum deficiente materia. Additque Launoy canones tridentinos esse disciplinares, non dogmaticos. Quod systema damnavit S. Sedes, 10 sept. 1668.

3° Medio saec. XVIII, eamdem doctrinam propugnarunt multi iurisperiti civiles atque etiam Iansenistae et eorum syn. Pistoriensis, a. 1786 celebrata, quam damnavit Pius VI, a. 1794 ; atque currente perturbatione gallica, legislatio prodiit quae matrimonium ut actum mere civilem considerat. Quem errorem a Fr. de Paula Vigil, sacerdote Limano in republica Peruviana, et a prof. Taurinensi Nuytz renovatum, respective damnavit Pius IX, 10 iun. et 22 aug. 1851, atque Syllabo, prop. 68-70.

4° Catholici plures, ut P. Soto, Catharinus, Sanchez, Pichler, Zech, olim tenuerunt matrimonium duplici subiici regimini : Ecclesiae scil. in quantum est sacramentum, legi civili in quantum est contractus, nec solum quoad effectus mere civiles, sed etiam quoad liceitatem et validitatem, ita ut, sicut Ecclesia, posset etiam ipsa statuere impedimenta prohibentia aut dirimentia.

B. *quantum ad matrimonium infidelium*, quod auctoritati Ecclesiae subiici nequit, plures catholici etiam auctoritati civili denegarunt omnem in illud potestatem, sub praetextu quod ex natura non sit profanum sed religiosum et sacrum.

C. *quantum ad matrimonium mixtum, fidelem inter et infidelem*, quaeri potest quare subiiciatur potestati Ecclesiae, atque, hoc etiam admisso, nonne simul subiiciatur auctoritati civili cui infidelis sit subiectus.

824. *Principium I.* **Baptizatorum matrimonium regitur iure non solum naturali et divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.** Ita can. 1016.

1° *Ecclesiam regere posse matrimonium baptizatorum*, est *de fide* ex Conc. Trid., sess. 24, can. 3, 4, 9 et 12, qui canones non sunt mere disciplinares sed dogmatici, cum non tractent de iis quae agenda sunt, sed de ipsa Ecclesiae potestate, et intendant « schismaticorum haereses et errores exterminare » ; — id facere *iure proprio et nativo*, non autem iure a potestate civili derivato, constat ex Const. Pii VI *Auctorem fidei*, in propositiones Syn. Pist. 59 et 60, ubi opposita doctrina damnatur ut *haeretica* et canonum Conc. Trid. eversiva, et ex prop. Syll. 68-70.

Probatur ex modo agendi Christi et Apostolorum (Mt. V et XIX ; Lc. XII, 14 ; I Cor. VII) ; — ex praxi Ecclesiae saltem a saec. VI, ut plurimum exercita sine conniventia potestatis civilis, ut ostendit Leo XIII in enc. *Arcanum ;* — et ex rei natura, quia matrimonium est res sacra, utpote sacramentum, et hac ratione potestati Ecclesiae subiectum.

2° *Ecclesiam regere baptizatorum matrimonium iure pleno et exclusivo*, est *certum* ex Pio VI ita interpretante Conc. Trid., can. 12, et declarante *omnes* causas matrimoniales ad *solam* Ecclesiam spectare (16 sept. 1788) ; item ex prop. 74 Syll., ex enc. Leonis XIII *Arcanum*, et ex can. 1960.

Probatur tum ex continua praxi Ecclesiae, quae nunquam hanc potestatem in principibus agnovit ; — tum ex eo quod ipse contractus matrimonialis fuit elevatus ad dignitatem sacramenti, unde potestas civilis non posset regere contractum quin eo ipso attingeret sacramentum, sacramenta autem non subiiciuntur potestati temporali ; — tum quia implicat eamdem materiam subiici duabus potestatibus supremis et independentibus, cum possent opposita statuere.

Nec obstat matrimonium non solum ad spirituale sed etiam ad corporale bonum ordinari ; quia Ecclesia, regendo matrimonium, non solo spirituali sed etiam simul corporali bono attendi potest atque debet.

3° *Potestatem civilem iure proprio esse competentem quoad effectus mere civiles*, est *certum* uti constat ex ipsa natura rei et ex formali Ecclesiae agnitione.

Probatur eo quod effectus civiles in praesenti non intelliguntur effectus ordinis temporalis matrimonio essentiales et ab eo inseparabiles, sed effectus mere civiles et separabiles. Hi autem ab ipso iure civili essentialiter pendent, uti sunt dos uxoris, donatio nuptialis, temporalium bonorum regimen, successio haereditaria pro maiori saltem parte, privilegia civilia, etc. Unde ex natura rei iure proprio potestate civili reguntur ; et tantum

si incidenter et accessorie agantur, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri (can. 1961).

Ex dictis solent concludere regimen matrimonii baptizatorum, effectibus civilibus exceptis, ad Ecclesiam exclusive pertinere *iure divino;* et, eo ipso quod contractus coniugalis evectus fuit ad dignitatem sacramenti, subtractum fuisse ius potestatis civilis in illum, propter concursum scil. iuris altioris cui cedere debet. Hinc iam derelicta videtur sententia plurium Scholasticorum (uti Sanchez, Salmanticensium, Billuart), qui dicebant matrimonium ut sacramentum regi ab Ecclesia, ut contractum per se regi potestate civili ; at Ecclesiam posse, si opportunum iudicaverit, ad se avocare causas matrimoniales easque sibi reservare, atque id fecisse, ideoque nunc illas exclusive ad eam pertinere *ex iure ecclesiastico*. Haec enim sententia difficulter conciliaretur cum verbis Leonis XIII : « consideranda sacramenti dignitas est, cuius accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere, ita *ex voluntate Christi*, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis esse translatam ». Fatemur tamen, ut *pluribus* ex argumentis allatis fiat satis, *stricte* sufficere ut Ecclesiae competat ius sibi omnes res matrimoniales reservandi.

825. *Principium II.* **Matrimonium infidelium non solum iure naturali et divino regitur, sed etiam civili.** — Regimen horum matrimoniorum exclusive pertinere ad potestatem civilem, salvo iure naturali et divino, constat ex variis Ecclesiae documentis, v.g. S. Off., 29 oct. 1739 et 20 sept. 1854 ; S. C. P. F., 8 oct. 1631 et 26 iun. 1820 ; — ad eam pertinere per se et iure proprio videtur verius.

Probatur : a) quia ad potestatem civilem pertinet ius regendi contractus naturales in quantum importat ad bonum commune, matrimonium autem infidelium est contractus naturalis qui maxime importat ad bonum commune ; — b) quia necessarium est ad bonum commune matrimonium regi positivo iure humano, cum ius naturale et divinum sit nimis indeterminatum, unde magna sequerentur inconvenientia si infidelium matrimonia solis legibus et impedimentis iuris naturalis et divini subiicerentur : non potest autem regi nisi potestate civili, cum Ecclesia in infideles eorumque matrimonia nullam iurisdictionem habere possit. Unde apud omnes gentes, saltem excultas, fuit de matrimoniis legislatio civilis.

Cui non obstat matrimonium de se naturaliter esse quid sacrum et religiosum. Nam a) non est intrinsece sacrum sed mere extrinsece (n. 775, 4°) ; b) in ordine naturali non foret duplex societas perfecta : altera civilis, altera religiosa, sicut nunc in ordine supernaturali extat Ecclesia ; sed foret una quae de omnibus rebus humanis curaret ad ducendum homines in felicitatem.

tatem. Cum autem infideles ad ordinem supernaturalem et ad Ecclesiam actu non pertineant, non cessavit pro iis in potestate civili ius curandi de omnibus, sicut ipsi subtracta fuit christianorum cura de re religiosa.

826. *Principium III.* **Matrimonium mixtum, fidelem inter et infidelem, ex parte fidelis regitur iure canonico ; an insuper ex parte infidelis etiam regatur iure civili dubitari potest.**

1° *Ecclesiam regere posse matrimonium fidelem inter et infidelem*, et quidem *iure proprio*, est *certum* ex ipsa constanti Ecclesiae praxi, et ex variis can. v. g. 1119 sq., 1036, § 3, 1070, 1962.

Probatur quia matrimonium fidelis connaturaliter et de se est sacramentum, in bonum Ecclesiae ordinatum ; unde Ecclesiae lege est regendum qua directe ligatur fidelis, indirecte autem infidelis attingitur, quatenus matrimonium non claudicat.

Non obstat matrimonium in casu non esse sacramentum ; id enim est mere per accidens, propter infidelem in quo est obstaculum, nempe absentia Baptismi. Imo est inchoatio sacramenti qua ex parte fidelis omnia ponuntur ad illud necessaria et id in statu omnino proximo sit ad completionem, ita ut accedente Baptismo alterius, eo ipso existat sacramentum perfectum.

2° *Ecclesiam exclusive posse regere matrimonium inter partem fidelem et infidelem* est sententia multorum, quia impossibile est ut unum individuum matrimonium a duplici distincta potestate regatur ; in iurium autem collisione ius altius Ecclesiae praevalet, cui cedat necesse est ius inferius societatis civilis.

Plures tamen docent eiusmodi matrimonium regi tum ab Ecclesia tum a potestate civili, unde tenent illud impediri tum impedimentis ecclesiasticis quae directe fidelem, indirecte infidelem attingunt, tum impedimentis, si quae sint, a lege civili statutis, quae directe infidelem ligant, indirecte fidelem, quatenus matrimonium non claudicat.

827. **Corollaria.** — Ex praedictis sequitur :

1° Potestatem civilem non posse statuere de valore, liceitate, vel effectibus essentialibus matrimonii christianorum, nec conditiones praescribere, formam aut solemnitatem pro matrimonii aut sponsalium celebratione, quia illa reservantur Ecclesiae, sed solos posse attingere effectus temporales separabiles seu mere civiles ; — e contra pro matrimonio infidelium.

2° Nec posse impedimenta statuere dirimentia aut etiam mere prohibentia pro matrimoniis christianorum ; — e contra pro infidelium.

3° Nec posse impedimenta ab Ecclesia statuta abrogare vel in iis dispensare.

4° Consequenter non posse baptizatis matrimonium directe et absolute prohibere, etiam ob rationes eugenicas, ne scil. proles haereditaria infirmitate contaminetur in detrimentum gentis; — imo nec infidelibus, sicut nec Ecclesia id potest baptizatis, quia est contra ius naturale primarium quod unusquisque ex natura habet ad matrimonium, antecedenter ad omnem societatem humanam ; — posse tamen in materia sibi subiecta aliquid statuere (v. g. rei incarcerationem) quo indirecte et per accidens quis ab ineundo matrimonio impediatur.

5° Nec posse baptizatis imponere (quamvis possit suadere) examen seu inspectionem medicam, tamquam conditionem sine qua matrimonium interdicitur aut non agnoscitur, vel effectibus privatur, quia est aequivalenter statuere impedimentum et matrimonium prohibere ; et ideo nec infidelibus, si implicaret interdictionem matrimonii iis quibus testimonium medici non faveret ; — e contra si unice fieret ad urgendam obligationem naturalem ante matrimonium revelandi nocivos defectus comparti, absque matrimonii inhibitione, licet etiam id non videatur opportunum.

6° E contra posse promovere et urgere ipsas Ecclesiae de matrimonio leges, atque punire crimina quae opponuntur legi morali circa matrimonium, ut adulterium, polygamiam, divortium, in quantum opponuntur bono communi, cum debita tamen subordinatione ad potestatem Ecclesiae ; — non tamen directe in ordine ad ipsum matrimonium.

7° Leges a civili potestate praeter suam competentiam latas, invalidas esse nec de se obligare in conscientia.

8° Generatim tamen christianos teneri ad eas, in quantum non obstent iuri naturali et divino, ne scil. ipsi priventur effectibus civilibus et gravioribus damnis obnoxii fiant.

828. Animadversio. — Ex verbis S. Thomae, q. 50, a. un., ad 4 : « Matrimonium, in quantum est in officium naturae, statuitur lege naturae ; in quantum est sacramentum, statuitur iure divino ; in quantum est in officium communitatis statuitur lege civili », non potest deduci potestas societatis civilis ad regendum matrimonium christianum in quantum est constitutum in bonum commune. Nam ipse S. Thomas non admittit potestatem civilem posse statuere impedimenta matrimonii sine Ecclesiae approbatione, cum q. 57, a. 2, ait : « Talis prohibitio est per Ecclesiam approbata ; et inde est quod legalis cognatio matrimonium impediat » ; et ad 4 : « Prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit ». Unde textus intelligendus quoad matrimonium christianorum de effectibus civilibus ; videtur tamen innuere quaedam matrimonia regi civili auctoritate, quam S. Thomas agnoscit in statuendis impedimentis inter infideles : « Inter infideles est matrimonium... prout est in officium naturae. Ea autem quae pertinent ad legem naturae, sunt determinabilia per ius positivum, et ideo si prohibetur ab aliquo iure positivo apud infideles contrahere matrimonium cum infidelibus alterius ritus, disparitas cultus impediet matrimonium inter eos » q. 59, a. 2, ad 3.

SECUNDA PARS.

DE MATRIMONII CELEBRATIONE.

829. Materia tractanda. — Nomine celebrationis hic veniunt omnia quae ad eam pertinent :

1° praeparatio matrimonii quae fieri solet per sponsalia ;

2° ea quae matrimonio praemitti debent, scil. sponsorum examen et proclamationes bannorum ;

3° ipsa forma seu ritus sub quo celebratur matrimonium.

De quibus est successive dicendum [1].

QUAESTIO PRIMA.

DE SPONSALIBUS.

S. Th., Suppl., q. 43.

830. Sponsalia secundum nomen ita vocantur a *spondere* i. e. sponte promittere, quia antiquitus puella in uxorem spondebatur seu promittebatur viro ab illis sub quorum erat potestate. Unde quae spondebatur, *sponsa*, cui spondebatur, *sponsus*, qui promittebat *sponsor* dicebatur, et contractus huius promissionis *sponsalia*. Est ergo contractus de matrimonio postea ineundo bilateralis seu futuri matrimonii promissio mutua [2].

Est itaque promissio

1) *matrimonii futuri*, et ideo distinguitur *a matrimonio valido non consummato*, quod nonnunquam *improprie* vocabatur sponsalia, quo sensu B. Ioseph nominari solet sponsus B. Virginis : matrimonium in casu dicebatur sponsalia de praesenti *(accipio te)*, et differt a veris sponsalibus de futuro *(accipiam te)*;

---

1. Haec altera sectio tractatus, sicut et tertia, pro magna parte est canonica. Monere volumus mentem nullatenus esse quaestiones iuridicas plenius et perfectius tractare, aut tractatum de matrimonio canonicum conficere, sed solum breviter, ordinatim et succinte tradere quae sacerdoti in animarum ministerio sint necessaria.

2. Conferri possunt : Wouters, *De Forma promissionis et celebrationis matrimonii;* et Darmanin, *De Promissione matrimoniali,* in *Angelicum* 1931.

2) *mutua,* non vero mere unilateralis, ab uno facta et ab altero acceptata sed sine repromissione. Et quamvis nova legislatio canonica de utraque sit eadem (can. 1017), in ordine tamen ad matrimonium potius consideranda venit promissio bilateralis seu sponsalitia, quia haec, non illa unilateralis, solet praecedere matrimonium et est congrua eius praeparatio, licet tamen nullatenus sit de praecepto.

Porro sponsalia praemitti solent : a) ut matrimonium maturiori consilio et meliore cum dispositione ineatur ; b) ut hoc tempore intermedio alter alterius indolem et mores melius experiatur, et possit deprehendi an matrimonio nihil obstet ; c) ut crescat sponsorum amicitia et desiderium coniugii, sicut ait Augustinus, Conf. VIII, 3 : *ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit amatam.*

831. Sponsalium definitio. — Solent definiri sponsalia : *Futurarum nuptiarum inter duas personas determinatas iure habiles mutua promissio.* Dicitur :

1º *Futurarum nuptiarum,* quae sunt ipsum sponsalium proprium obiectum ;

2º *Promissio,* et non mera intentio, desiderium, vel simplex propositum etiam verbis expressum, quia id non includit intentionem se obligandi quae est elementum essentiale promissionis ;

3º *Mutua* i.e. reciproca, seu utrimque data et acceptata : sic distinguitur a promissione unilaterali ab altero quoque acceptata, quae etiam emitti potest, licet nemo praesumatur velle se obligare ad matrimonium nisi sub conditione quod alter etiam se obliget. Sponsalia itaque sunt quasi matrimonium inchoatum, et sicut non est matrimonium sine mutua corporum traditione, ita nec sponsalia sine mutua futurae huius traditionis sponsione ; unde sponsalia, sicut matrimonium, non possunt claudicare.

4º *Inter duas personas determinatas iure habiles,* nam sicut matrimonium non potest iniri nisi inter duas determinatas personas iure habiles, ita nec sponsalia quae sunt matrimonii praeambulum, possunt esse nisi inter duas personas determinatas, quae iure habiles nunc sunt ad promittendum et saltem aliquando erunt ad matrimonium valide et licite contrahendum : promissio enim de re impossibili vel illicita est nulla.

Hinc a) invalida sunt sponsalia inita cum impedimento matrimonii, quod non potest aut in casu non solet dispensatione auferri;

b) item inita cum impedimento ignorato ;

c) e contra valida sunt cum impedimento scienter inita, sed pro tempore quo matrimonium cum impedimenti cessatione vel dispensatione erit licitum ;

d) valida sunt inter duas personas mixtae religionis inita post dispensationem iam obtentam ;

e) e contra si inita fuerint dispensatione nondum obtenta, ordinario erunt invalida, quia matrimonium mixtum saepius est illicitum, nisi intendatur ut medium reparandi iniuriam.

Conditiones ad sponsalia requisitae sunt generales conditiones omnis contractus : debet scil. esse promissio personalis, vera et non ficta, plene deliberata, libera et signis sensibilibus expressa. Unde regulae generales de vitiis consensus quae contractum invalidant, aut rescindere permittunt, hic simpliciter veniunt applicandae.

832. Forma legalis iure canonico ad validitatem requisita sponsalium, imo cuiuscumque promissionis matrimonii, indicatur can. 1017 :

« § 1. Matrimonii promissio, sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est *pro utroque foro,* nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus.

§ 2. Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui, cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1, scripturam subsignet ».

Cum multis periculis et malis occasionem darent promissiones privatae, quarum multae erant dubiae vel temere aut leviter initae, ex quibus multae lites et inimicitiae ortum habebant, sapientissime ista lex condita est invalidans omnem promissionem quae publice in scriptura non est contracta. Tres autem requiruntur ad validitatem conditiones :

1º Ut promissio fiat per scripturam seu in scriptis.

2º Ut ineatur coram parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus.

3º Ut scriptura subsignetur a contrahentibus et a parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus.

Itaque : 1º *Scriptura* conficienda est promissio ; non tamen debet esse ipsa manu contrahentium scripta, sed sufficit si ab alio vel ope machinae sit exarata aut typis impressa. At appo-

nenda est data seu adscriptio diei, mensis et anni (S. C. C., 27 iul. 1908, simul cum can. 6), non loci ; data potest indicari expresse vel aequivalenter, v. g. nominando diem festi ; sed error in data etiam involuntarius irritat actum.

2° *Coram parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus:* Testis qualificatus, nempe Ordinarius et parochus, sub cuius nomine etiam veniunt qui in iure loco parochi sunt, intelligendus est ille intra limites cuius territorii actus conficitur (S. C. C., 30 mart. 1908), qui tamen alium sibi substituere nequit, nec delegatum ad universalitatem causarum matrimonii, atque suspensus ab officio vel excommunicatus vitandus invalide munus exerceret post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam (can. 2279, § 1, 2284, 2266). Unde si coram vicario cooperatore, vel coram ipso Ordinario aut parocho sed extra suum territorium promissio ineatur, insuper alter testis requiritur. Testes autem non debent habere speciales qualitates; sufficit ut capaces sint testandi.

3° *Subsignanda* est scriptura ab omnibus, et quidem simul et unico contextu, contrahentibus et parocho aut Ordinario vel testibus simul congregatis (S. C. C., 27 iul. 1908). Subscriptio debet fieri personaliter et propria manu, non autem esse instrumento impressa, ope machinae vel typis ; unde invalida est promissio facta per procuratorem. Quodsi quis subscriberet manu ductus ab alio, valide contraheret dummodo maneret causa principalis et etiam solus subsignare valeret licet difficilius ; at in praxi res facile erit dubia.

Quando utraque vel alterutra pars ob ignorantiam nesciat, vel ob infirmitatem aut morbum nequeat scribere, id adnotandum est, et illius loco alius testis adhiberi debet qui cum aliis testibus aut cum parocho seu Ordinario subsignet.

Conditionibus praedictis omissis, promissio erit invalida etiam in conscientia, non tamen illicita. Ita est pro omnibus catholicis ritus latini, et etiam pro acatholicis baptizatis, non tamen pro Orientalibus aut infidelibus dum inter se contrahant.

833. **Effectus sponsalium** ex natura rei consequens est obligatio gravis in conscientia ineundi matrimonium tempore debito, et quidem ex iustitia, quia sponsalia sunt promissio bilateralis et onerosa, quae *connaturaliter* est verus contractus bilateralis, et quidem obligans sub gravi, cum agatur de re magni momenti. Licet non omnino impossibile videatur quod duo exceptionaliter intendant se non obligare nisi ex fidelitate, ita tamen intelligi et fieri non solet ; unde id non est praesumendum, sed probari deberet (II, 478).

Unde : 1° Sponsi sub gravi tenentur vitare omnia quae possunt matrimonium impedire.

2° Sponsus qui sine sufficienti causa resilit a contractu valido sponsalitio, vel indebite differt matrimonium, invita

sponsa, peccat graviter contra iustitiam, et ad restitutionem tenetur si exinde damnum reale sponsae ortum sit.

3° Nec sufficit sponsam dotare, si in hoc non consentiat, quia obligatio sponsalium non est alternativa, scil. ducendi in matrimonium vel dotandi, sed una principalis i. e. matrimonium ineundi, et altera subsidiaria, si prior non impleatur, nempe damnum reparandi.

4° Nihilominus « ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem » (can. 1017, § 3), in foro externo scil., sive iudicialis sive administrativa ; quia, ut notat S. Thomas : « matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere » (a. 1, ad 2).

5° Actio « datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur » (can. 1017. § 3) ; quae quidem actio est fori mixti et institui potest coram foro civili vel ecclesiastico, non autem suspendit matrimonii celebrationem (com. interpr., 2 iun. 1918).

Notetur : a) Ex invalidis sponsalibus nullam obligationem oriri ratione promissionis, cum sit invalida ; oriri tamen per accidens posse occasione promissionis factae, v. g. ad damnum illatum reparandum, et nominatim si quis invalide promittendo alteram partem dolose deceperit (II, n. 384).

b) Ex validis sponsaliis de iure naturali graviter illicitum esse matrimonium inire cum tertia persona ; quod tamen non est impedimentum matrimonii proprie dictum seu canonicum, quia proprie non est inhabilitas personae, nec canonica lege est agnitum.

c) Ex validis sponsalibus etiam illicitum esse, quod matrimonium tertiae personae promittatur, imo haec altera promissio esset invalida utpote de re illicita.

d) Qui duabus personis matrimonium promisit, tenetur ducere primam, nisi haec libere iuri suo renuntiet, ut non raro expedit ; hoc in casu nec tenetur ducere alteram ratione promissionis quae est invalida, sed si reparandum sit damnum ex eo quod ob spem futuri matrimonii in copulam virgo consenserit, vel et exinde gravida evaserit, non tamen si ipsa, copulam habendo, sponsalia priora cognoverit (II, n. 384).

e) Ex promissione unilaterali valida etiam oritur in promittente obligatio matrimonii contrahendi, sed per se ex fidelitate tantum et sub levi ; nisi tamen ex iustitia et ideo sub gravi se obligare quis intenderit.

834. **Sponsalium dissolutio.** — Sponsalia ex iusta causa dissolvi seu dirimi possunt, quia non inducunt vinculum indissolubile. Causae variae numerantur, quarum

aliquae absolute, pleno iure et ipso facto sponsalia solvunt, aliae solum dant facultatem ea resiliendi sive uni sive utrique parti. Praeter dolum et metum qui rescissionem permittere possunt parti laesae, omnes causae ad sex reduci possunt.

1° *Mutuus consensus* libere datus, nec dolo, vi aut metu extortus. Cum enim contractus sit natura sua solubilis, sicut mutuo consensu initur, ita et dissolvitur.

Ad quod reducitur impletio conditionis resolutoriae, si sub ea sponsalia inita fuerint.

2° *Fractio fidei sponsalitiae* per subsequentem fornicationem cum tertia persona, aut attentationem sponsalium, aut procationem, matrimonium initum, vel indebitam matrimonii dilationem. Nam *frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

Parti laesae inde ius est solvendi sponsalia, non parti frangenti fidem. Unde durante matrimonio suspenditur obligatio ex sponsalibus orta, eoque soluto reviviscit ; licet in praxi non sit nimis urgenda. Fornicationi aequivalent actus graviter impudici voluntarie admissi aut cum tertia persona exerciti, si frequenter acciderit, ita ut exinde quis fiat graviter suspectus de non servanda fide coniugali. Fornicatione ab utroque habita, utrique nascitur ius dissolvendi sponsalia, quia uterque fit suspectus.

3° *Electio status perfectioris*, quia in omni promissione matrimonii implicite includitur conditio : *nisi perfectiorem statum elegerim*, sicut unicuique ius est.

Status perfectus est status religiosus et clericalis, vel etiam, *probabiliter*, votum privatum castitatis perfectae aut virginitatis, dummodo serio emittatur et sine dolo aut fraude erga alteram partem vel eius irreparabili damno. Solvuntur sponsalia ipsa professione religiosa aut susceptione Ordinis sacri, quae de se important perpetuum impedimentum ; ingressu vero religionis vel seminarii solum suspenduntur, ita ut eorum obligatio reviviscat si ingrediens non perseveraverit et altera pars expectaverit iurique suo non renuntiaverit : haec tamen solvere sponsalia iure potest.

4° *Impedimentum superveniens matrimonii, dirimens vel impediens*, quia illud reddit invalidum aut saltem illicitum.

Si tamen ex culpa unius fuerit appositum, et dispensatione tolli possit, tollendum est, exigente comparte, dum fieri possit sine graviori incommodo proportionato ad damnum compartis.

5° *Mutatio rerum notabilis* quae, sponsalibus contractis, superveniat aut innotescat, et prius cognita, ab iis prudenter retraheret et contractum impediret. Nemo enim censetur promittere ultra suam intentionem ; unde in omni promissione implicite includitur conditio : *rebus in eodem statu manentibus* seu *nisi superveniat notabilis mutatio.*

Mutatio notabilis esse potest sive in bonis corporis, uti gravis infirmitas, morbus insanabilis, magna deformitas, oppressio sponsae virginis ; sive in bonis fortunae, ut notabilis amissio bonorum, defectus dotis, notabilis elatio ad altiorem statum ; sive in bonis animi, ut haeresis, vitium ebrietatis, apostasia, crimen, infamia ; sive in circumstantiis externis, uti graves exortae inter familias inimicitiae, animorum discordia et quidquid infelix reddit coniugium, discessus in regionem longinquam sine sufficiente ratione et sine spe brevioris reditus.

Hinc adest obligatio manifestandi comparti defectus occultos, tum illos qui sunt substantiales aut quorum absentia intenditur a comparte ut conditio sine qua non, tum accidentales qui alteri damnum inferunt et matrimonium reddunt probrosum, non vero illos qui solum reddunt minus appetibile.

6° *Dispensatio pontificia* ex iusta et urgenti causa. Dissolvere enim potest matrimonium non consummatum ; a fortiori sponsalia. Ius scil. ex sponsalibus ortum bono publico Ecclesiae est subordinatum, et ideo solvi potest ad maiora vitanda Ecclesiae mala ex coniugiis coactis oriunda.

S. Pontifex solus dispensare potest, non episcopus ; hic tamen iudicare potest an sit causa sufficiens sponsalia dissolvendi.

Videntur autem posse dissolvi propria auctoritate privata, si causa sit evidens. Excipiunt tamen tres casus : a) si ex iure particulari alicuius dioecesis aliter statuatur, b) si ex privata dissolutione scandalum oriatur, c) si de sufficientia causae dubitetur aut dispensatio requiratur. Tunc invocetur publica auctoritas ecclesiastica.

835. Animadversiones. — 1. Dispositiones novae iuris canonici *non habent effectum retroactivum*, et ideo sponsalia antea valide inita manent valida ; at *non amplius datur actio* pro iis ad petendam matrimonii celebrationem (com. int., 2 iun. 1918). Nec datur actio de iusta causa dissolvendi sponsalia (ibid.).

2. Sponsalia iniri possunt *sub conditione* in contractu exprimenda, item *cum appositione poenae conventionalis* solvendae a parte quae iniuste recederet, atque etiam *sub arrhis*. Arrhae mutuo traduntur in signum sponsalium et in pignus matrimonii contrahendi, ea lege ut repeti possint matrimonio contracto,

nisi alia sit consuetudo, et restitui debeant si iuste resiliantur sponsalia; e contra iniuste resiliens amittat quod dedit et reddere teneatur quod accepit.

Ab arrhis differunt *dona et munera* quae sponsi sibi invicem tradunt. Quae si valoris sint relative minoris, absolute censentur donata : secus si magni sint valoris, regulariter reddenda sunt quando matrimonium non sequitur, utpote sub conditione data et matrimonii intuitu; at si unus iniuste resiliat, *probabiliter* servari possunt ab altera parte fideli tamquam compensatio pro fide non servata, quamvis sit dissuadendum.

3. *Sponsalia, insciis aut obstantibus parentibus inita*, regulariter sunt illicita, quia ex pietate et reverentia tenentur filii consilium petere a parentibus in re tam magni momenti ; non tamen sunt per se invalida, quia non de re illicita ; — nisi tamen parentes sint matrimonio rationabiliter inviti, et matrimonium, omnibus consideratis, sit illicitum : tunc sponsalia sunt invalida, utpote de re illicita, ut si matrimonium sit in dedecus familiae, vel scandalum aut dissidiae ex eo sint oriturae, aut praevideatur fore infelix, non tamen ob *solam* disparitatem conditionis sponsis notam.

4. *Qui sine iusta causa a sponsalibus recedit* vel causam ea resiliendi celavit aut culpa sua adduxit, tenetur damnum reparare quod alteri parti resilienti infertur : tum positivum ex expensis factis et debitis intuitu futuri matrimonii contractis, tum privativum ex eo quod difficilius inire matrimonium possit, quod facile accidit sponsae et quandoque non plene compensatur nisi ipsa convenienter dotetur.

5. Practica de sponsorum visitationibus et adamantium procationibus, magis pertinent ad theologiam pastoralem. De quo in opusculo nostro *De Variis Poenitentium Categoriis*, p. 2, c. 3.

QUAESTIO SECUNDA.

DE PRAEVIIS AD MATRIMONIUM ET DE BANNORUM PROCLAMATIONIBUS.

836. Materia tractanda. — Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere (can. 1019, § 1). Modus autem quo de hac re constare positivis quidem argumentis debet, diversus est in periculo mortis et extra huius periculum.

a) *In periculo mortis*, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, *affirmatio iurata contrahentium*, se baptizatos esse et nullo detineri impedimento (can. 1019, § 2).

b) *Extra mortis periculum*, parochus ex officio tenetur 1) *examen sponsorum* instituere (can. 1020, § 1); atque 2) publice denuntiare matrimonium per *bannorum publicationes* (can. 1022) : ne scil. unquam matrimonium contrahatur, cuius validae vel licitae celebrationi aliquid obstet.

837. Examen sponsorum instituendum est, ut constet matrimonio a sponsis celebrando nihil obstare quominus illud valide et licite celebrari possit. De quo attendendae sunt sequentes iuris ordinationes.

I. « Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet » (can. 1020, § 1).

Parochus vi officii sui *sub gravi* tenetur illam facere investigationem, quia tenetur procurare ea quae ad validam et licitam sacramentorum administrationem requiruntur; unde tenetur ille cui ius est assistendi matrimonio, et quidem *opportuno antea tempore* i. e. antequam proclamationes publice denuntientur, atque *diligenter*, quia agitur de re magni momenti. Ipse *personaliter* examen peragat, nisi iusta causa excusetur.

Quodsi pluribus ius assistendi matrimonio competat, praeferendus est parochus sponsae; at de eius consensu potest etiam parochus sponsi examen instituere aliaque necessaria procurare. Et si sponsus impediatur ne in locum sponsae ad peragendum examen se conferat, illius parochus, ad petitionem parochi sponsae, examen instituit huiusque testimonium parocho sponsae transmittit. Quae etiam usu vel et forsan statuto particulari dioeceseos possent introduci.

Antequam ad examen progrediatur, parochus praevie inquirat: a) num reapse ius habeat assistendi matrimonio, vel saltem sponsos examinandi; b) in quibus paroeciis publicationes sint faciendae; c) an nupturientes sint sui iuris aut minorennes, in ordine scil. ad consensum parentum.

II. « Tum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interroget

1° num aliquo detineantur impedimento,

2° an consensum libere, praesertim mulier, praestent,

3° et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat » (can. 1020, § 2).

Itaque examen instituendum est:

1° *De impedimentis* dirimentibus et impedientibus, et quidem *semper*, etiam pro posse in periculo mortis: imprimis coram sponsis insimul pro impedimentis publicis, dein cum sponso

et sponsa seorsum et prudenter pro impedimentis occultis, praesertim si peccatum implicent, de quibus prudenter monere posset parochus non esse obligationem sibi revelandi impedimentum infamans, sed illud quoque confessario declarari posse qui dispensationem procuret.

Diligenter parochus investiget de gradu consanguinitatis aut affinitatis quo nupturientes forsitan iunguntur, seduloque exploret annon impedimento ligaminis sint obstricti. Quocirca, si casus ferat, inquiratur de obitu praecedentis coniugis, de matrimonii nullitatis sententia, de dispensatione super rato et non consummato, comparatis ad rem omnibus legitimis documentis (S. C. Sacr., 29 iun. 1941).

Nec solum quaeratur de impedimentis proprie dictis, sed de omnibus quae matrimonio licite ineundo obstare possunt, uti sunt apostasia ab Ecclesia, adscriptio societati damnatae, status peccatoris publici aut notoria censura, rationabilis oppositio parentum (can. 1065, 1066, 1034), sponsio aliis facta, formalitas civilis nondum impleta aut licentia legalis obtinenda, etc

2° *Semper* quoque *de libertate matrimonii*, praesertim apud sponsam, scil. de libera electione matrimonii et cum tali persona, ita ut non simplicitate aut dolo decepta, nec importunis precibus vel occasionibus seducta, nec vi et metu coacta alterutra pars coniugium ineat.

Nec redditis ab iisdem forte negativis responsionibus acquiescat, manet S. Cong. Sacr., 29 iun. 1941, sed et alias peragat investigationes ad libertatem consensus securius evincendam. Probe perpendant parochi unum e praecipuis capitibus nullitatis matrimoniorum, quae ad ecclesiastica tribunalia deferuntur, in vi metuve incusso consistere.

Si alicubi reperiantur qui nuptias inire praesumant, *adiectu* aliqua *conditione* aut intentione, consensus sive suspensiva sive irritativa, parochus omni studio conetur nupturientes avertere ab huiusmodi conditionibus matrimonio adiiciendis, eosque inducere ad retractandas forte iam adiectas. Quoad vero *legitimam* cuiusdam conditionis de futuro, de praesenti, aut de praeterito appositionem, parochus Ordinarium consulat eiusque pareat mandatis.

3° *De doctrina christiana*, quod nunquam omittendum est, nisi parochus aliunde *certo* sciat sponsos sufficienter instructos. Inquirat :

a) *Circa cognitionem necessariam*, tum generatim 1. veritatum de necessitate cognoscendarum medii atque praecepti, quas sponsi scire debent non solum ad propriam salutem, sed etiam ad salutem futurae prolis ab ipsis educandae ; — tum speciatim 2. obligationum et finium status coniugalis. Quare « ne omittat parochus secundum diversam personarum conditionem, sponsos docere sanctitatem (et indissolubilitatem) sacramenti matrimonii, mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem » (can. 1033), quae tamen instructio non semper simul cum ipso examine sponsorum est facienda, sed quandoque opportunius differri potest ut brevi ante matrimonium fiat.

Quodsi aliquis inveniatur doctrinae christianae ignarus, parochus eum edoceat vel edocere curet prima saltem doctrinae christianae elementa ; at si renuat, non ideo tamen est a matrimonio respuendus (com. int., 2 iun. 1918) : non enim est peccator publicus.

b) Insuper *circa Baptismum*. « Nisi Baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio, parochus exigat Baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus » (can. 1021, § 1) ; unde si agatur de matrimonio mixtae religionis, etiam a parte acatholica testimonium Baptismi exigendum est.

Addit quoque codex : « Catholici qui sacramentum *Confirmationis* nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possunt sine gravi incommodo » (can. 1021, § 2), quia postea minus facile recipitur et frequentius negligitur. De sacramentis inquirendum est legitimis documentis comparatis. Testimonium Baptismi recens esse debet, *nec ante semestre scriptum, quam matrimonium ineatur* [1] (S. C. Sacr., 29 iun. 1941).

Quodsi de suscepto Baptismo testimonium haberi nequeat, sufficit unius testis omni exceptione maioris affirmatio, vel iusiurandum ipsius subiecti, si in adulta aetate sacramentum suscepit (can. 779). Affirmationi tamen, etiam iuratae, nupturientium se baptizatos esse, facile ne credat parochus, nisi aliunde id ipsi certo constet, fidemque parochi loci originis nupturientium petat (S. C. Sacr., 29 iun. 1941). Si vero omnis probatio deficeret vel investigatione facta, dubium maneret probabile de Baptismi validitate, catholicus esset rebaptizandus sub conditione ; et si certo non esset baptizatus aut certo non valide, absolute foret baptizandus.

c) Denique *circa praeparationem matrimonii per sacramentorum receptionem*. Parochus sponsos « vehementer *adhortetur* ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimam Eucharistiam pie recipiant » (can. 1033).

III. « Ordinarii loci est peculiares normas pro huiusmodi parochi investigatione dare » (can. 1020, § 3).

Potest ergo modum praescribere sequendum in perquirendo de impedimentis aut in sponsis examinandis, atque statuta dioecesana de hac re edita vim suam retinent.

838. Lex de publicationibus bannorum. — *Banna*, quae vox germanice significabat edictum iurisdictionis et consequenter proclamationem publicam, hic intelliguntur

1. Testimonium Baptismi exigatur recens, quod multum etiam inservit ad impedimenta detegenda, cum recentiore tempore in libro baptizatorum quoque matrimonium, si quod inierint, vel subdiaconatus susceptus, vel professio solemnis adnotentur (can. 470, § 2).

publicae futuri inter personas matrimonii denuntiationes, quae eius celebrationi praemitti debent ut securius et facilius detegantur impedimenta forsan obsistentia.

Lex consuetudine est introducta, quam Conc. Lat. IV, c. 51, ad universam extendit Ecclesiam, praescribens unam proclamationem; Conc. vero Trid., sess. 24, c. 1 de ref., n. 7, statuit ut tres proclamationes fiant, quod confirmavit codex iuris, can. 1024. Obligat *sub gravi*, quia multum conducit ad finem magni momenti : vitandi scil. matrimonia clandestina, detegendi impedimenta occulta, impediendi ne filii matrimonia contrahant invitis parentibus. Unde tres proclamationes sine urgente necessitate omittere est peccatum grave, imo etiam omittere duas, nisi forsan absit periculum latentis impedimenti; omittere unam est leve ob parvitatem materiae.

Lex obligat omnes catholicos, etiam si matrimonium contrahendum publice notum sit et constet nullum adesse impedimentum, quia lex lata est ad praecavendum periculum commune (can. 21). Excipiuntur matrimonia principum quae publicari non solent, et casus urgentis necessitatis, ut si in periculo mortis matrimonium esset contrahendum ad legitimandam prolem. Matrimonia tamen mixta, cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus celebranda aut mixtae religionis, de iure non sunt publicanda, nisi Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, id permittere opportunum duxerit, aut iure particulari id alicubi toleretur; quo casu mentio omittatur religionis partis non catholicae (can. 1026).

839. Circumstantiae bannorum. — A. *Tempus.* « Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque de praecepto in ecclesia inter missarum solemnia, aut inter alia divina officia, ad quae populus frequens accedat » (can. 1024).

Debent ergo fieri publicationes :

1° *tribus* diebus *dominicis* aut *festis de praecepto*, in quibus obligatio missae assistendi fidelibus imponitur;

2° *continuis*, nullo scil. die festo intermisso : veniale tantum, vel, rationabili causa existente, nullum esset peccatum omittere unum diem festum intermedium;

3° in ecclesia, quae per se intelligenda est paroecialis, *inter missarum solemnia* vel inter *alia officia*, modo frequens populus adesse soleat.

Hinc : a) Denuntiationes per se fieri non possunt diebus festis in loco ubi fiunt suppressis, etiam si cum magna populi frequentia celebrentur; nisi forsan alicubi esset consuetudo centenaria ab Ordinario tolerata aut nisi in casu particulari iste dispenset.

b) Nec a fortiori die non festivo aut extra ecclesiam, occasione cuiusdam solemnitatis religiosae, nisi in casu urgenti, aut ex dispensatione Ordinarii pro casu particulari concessa, dummodo magnus sit populi concursus, ita ut finis legis attingatur.

c) Parochus qui in missa denuntiationis faciendae oblitus fuit, aut nomina sponsorum ita proclamavit ut ab auditoribus non fuerint intellecta, potest debitam proclamationem facere in vesperis aut eam in sequentem diem festum differre.

B. *Forma.* Publicationes *per se* fieri debent *viva voce* atque *vulgari sermone*; *per accidens* « potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis, aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur » (can. 1025).

Forma varia est in variis dioecesibus pro diversis consuetudinibus aut statutis locorum. Pro affixione eligendus est locus bene conspicuus[1].

C. *Locus.* Proclamationes faciendae sunt :

1° *Per se, in paroecia proprii parochi* (can. 1023, § 1), et quidem tum sponsi tum sponsae. Est autem proprius parochus ille, in cuius paroecia domicilium habent vel quasi-domicilium; vel, si agatur de vagis aut de iis qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium, actualem commorationem.

Hinc : a) Si nupturientes ad eamdem paroeciam pertinent et in ea tantum habent domicilium aut quasi-domicilium, in ea solum proclamationes faciendae sunt; — nisi aliquando per accidens, si antea in alio loco per sex menses alteruter commoratus sit, ut dicetur sub 2°.

---

1. Conc. prov. Mechliniense pro toto Belgio statuit, decr. 208 : « Publicationibus partim substitui potest publica ad valvas ecclesiae paroecialis affixio nominum contrahentium, ad hanc scil. normam :

1° Nomina singulorum contrahentium, semel saltem, die dominica vel festi de praecepto e suggestu proclamanda sunt.

2° Loco duarum publicationum fieri potest affixio ad valvas ecclesiae paroecialis per spatium octo saltem dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies dominici vel festi de praecepto comprehendantur, etsi publicatio praescripta uno ex his diebus dominicis vel festis fiat.

Affixio autem fiat in loco prorsus conspicuo ».

b) Si sint diversarum paroeciarum, tunc proclamationes faciendae sunt in ecclesia utriusque.

c) Si unus vel uterque plura habeat domicilia, vel domicilium cum quasi-domicilio, vel plura quasi-domicilia, in omnibus iis locis etiam proclamationes sunt faciendae; uti facile accidere potest pro minorennibus extra domum paternam degentibus, pro militibus, studentibus, famulis, etc.

d) Non sunt amplius faciendae proclamationes in loco originis aut actualis commorationis, si non sint locus domicilii aut quasi-domicilii; — nisi per accidens si a statutis particularibus aut ab Ordinario praescribatur.

2° *Per accidens*, etiam *extra paroeciam, si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem:* tunc parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat (can. 1023, § 2).

Animadverte : a) Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2, removeatur (can. 1023, § 3).

b) In his casibus, numerus proclamationum determinandus est ab Ordinario.

c) Si pars commorata fuerit in longissimis et dissitis regionibus, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii, Ordinarius pro suo prudenti iudicio praescribere potest iuramentum suppletorium (sive parte sive testibus), uti scimus ex resp. comm. int., 2 iun. 1918, et ex instr. Congr. de Sacr., 4 iun. 1921.

Ceterum hac in re etiam spectandae sunt ordinationes Statutorum particularium [1].

Notetur parochum per se ipsum vel per alium facere posse proclamationes.

840. Obligatio revelandi impedimenta. — Regu-

1. Ita in Conc. Mechliniensi, n. 206, pro Belgio statuitur de casu quo aliquis extra paroeciam per sex menses commoratus sit : « Parochi est, in singulis casibus, diligenter investigare an aliquid matrimonii celebrationi obsistat. Quodsi, facta inquisitione, ipsi constat, per documenta publica sive ecclesiastica sive civilia, per privata testimonia vel documenta fide digna, una cum affirmatione iurata ipsorum contrahentium, nihil matrimonio obstare ac praesertim nupturientes liberos esse, parochus non tenetur rem Ordinario exponere, nec publicationes in aliena paroecia faciendae sunt.

Si vero, post diligentem investigationem, dubium vel suspicio sit de existenti impedimento, Ordinarium consulat eiusque praecepta sequatur ».

lariter « omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare » (can. 1027); impedimenta autem intelligenda sunt sensu lato, seu cuncta quae obstant celebrando matrimonio.

Obligatio est gravis, quia finis legis est magni momenti, scil. impedire matrimonia illicita et invalida, quibus irreverentia fieret sacramento, et damna orirentur nubentibus et filiis, necnon ipsi bono publico. Unde obligatio non solum a positivo sed a naturali quoque iure procedit.

Obligantur omnes, cuiuscumque sint sexus, aetatis aut loci, etiam si solus aliquius impedimentum cognoscat neque iuridice probare possit, aut impedimentum sit occultum, dummodo cum vera probabilitate innotescat. Sunt tamen causae excusantes :

1° *Inutilitas revelationis*, ut si parochus impedimentum iam noverit, vel ab eo in foro conscientiae sit dispensatum, vel revelatio praevideatur *certo* non profutura.

2° *Aiud medium efficax*, qualis est admonitio sponsorum ut vel a matrimonio desistant vel pro dispensatione sollicitent. Quae monitio semper praemittenda est ubi impedimentum oritur ex peccato occulto et est infamans, dummodo speretur profutura et tempus non urgeat; secus impedimentum parocho reveletur immediate.

3° *Grave damnum proportionatum sive proprium sive aliorum*, puta scandalum. At qui novit impedimentum, tunc tenetur impedire matrimonium quantum potest.

4° *Secretum sacramentale, et* etiam ratione boni communis *officiosum*, nisi ad tuendum innocentem adversus iniustam aggressionem illius qui secretum commiserit, revelatio sit necessaria; — non vero secretum naturale, nec promissum etsi sub iuramento, nec etiam simpliciter commissum, quia secretum non obligat in detrimentum boni communis vel in damnum tertii.

Secreto excusatus tenetur, si potest, monere nupturientes.

841. Bannorum dispensatio. — Non solus S. Pontifex, sed etiam « loci Ordinarius *proprius* pro suo prudenti iudicio potest *ex legitima causa* a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare. Si plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quodsi matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest » (can. 1028).

Dispensare ergo potest :

1° Solus Ordinarius *proprius;* ergo invalida est dispen-

satio concessa ab Ordinario non proprio, etsi in eius dioecesi celebretur matrimonium.

2º Ex *legitima causa*, secus dispensatio est invalida, quia Ordinarius dispensat in lege superioris.

Causa requiritur *proportionata*, et ideo :

1º Eo minor, quo maior probabilitas aut moralis certitudo adsit de absentia cuiuscumque impedimenti.

a) Si moraliter constet nullum esse impedimentum, quaelibet rationabilis causa, imo ipsa petitio sponsorum, potest esse causa sufficiens dispensandi etiam ab omnibus publicationibus.

b) Si vero dubium positivum adsit de aliquo impedimento, per se et generatim nullatenus valet Ordinarius dispensare ab omnibus publicationibus.

c) Si demum nec moralis certitudo de absentia nec positivum dubium de existentia impedimenti habeantur, ob varias causas potest Ordinarius dispensare.

2º Eo maior, quo plura vel omnia remittantur banna. Causae autem aliae sunt *necessariae* ob quas tenetur Ordinarius dispensare, aliae *gratiosae* ob quas dispensare potest.

Causae necessariae ob quas dispensare *tenetur* sunt grave damnum vitandum aut notabile bonum obtinendum ; scil.

a) periculum ne matrimonium malitiose i. e. sine iusta causa impediatur ;

b) periculum infamiae vel scandali ut si concubinarii, qui pro legitimis coniugibus habentur, matrimonium inire velint ;

c) periculum ne sponsus puellam a se defloratam relinquat ;

d) periculum mortis, dum proles sit legitimanda aut salus moribundi securius procuranda ;

e) urgens necessitas discedendi cum continuo periculo incontinentiae ;

f) partus instans ante factas denuntiationes ;

g) periculum ne sponsi contenti sint solius matrimonii civilis.

Causae *gratiosae* ob quas dispensare *potest* potius quam teneatur, sunt :

a) disproportio magna in respectiva sponsorum aetate vel conditione, quae ludibrio exponit ;

b) nobilitas nupturientium quorum cognationes sunt magis notae, atque nuptiae non fiunt sine magna deliberatione et publicitate ;

c) omnis legitima ratio anticipandi matrimonium, praesertim si moraliter constet non esse impedimentum.

Hae ultimae causae plerumque legitimant dispensationem *partialem* tantum ; illae autem priores necessitate urgente etiam *totalem*.

Dispensatio bannorum a denuntiatione impedimentorum non dispensat, nec ab obligatione de iis inquirendi ; imo haec magis videtur urgenda, nisi constet nulla adesse impedimenta.

Parochus dispensare non potest, nisi ad hoc ab Ordinario

delegationem accipiat ; in quibusdam regionibus, ut in Belgio, delegari solent vicarii foranei seu decani ad dispensandum super una vel duabus proclamationibus. Necessitate urgente, potest parochus declarare legem bannorum cum tanto incommodo non obligare.

Ita : 1º si periculum sit in mora et Ordinarius adiri nequeat ;

2º si matrimonium solemniter celebratum, postea ob repertum impedimentum, renovato consensu sit convalidandum ;

3º si ob perturbationem publicam denuntiationes fieri nequeant ;

4º si celebratur matrimonium conscientiae (can. 1104).

842. **Officium parochi.** — Inceptis vel peractis publicationibus, potest vel dubium esse ortum de aliquo impedimento, — vel impedimentum certum detectum, — vel nullum detectum nec certum nec dubium.

A « *Exorto dubio de existentia alicuius impedimenti :*

1º Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub iuramento duos saltem testes fide dignos, dummodo ne agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes.

2º Publicationes peragat vel perficiat, si dubium ortum sit ante inceptas vel expletas publicationes.

3º Matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit » (can. 1031, § 1).

B. « *Detecto impedimento certo :*

1º Si impedimentum sit *occultum*, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad S. Poenitentiariam.

2º Si sit *publicum* et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit ; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat, et rem ad Ordinarium deferat » (can. 1031, § 2).

C. « Demum *si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum :*

Parochus, expletis publicationibus, ad matrimonii celebrationem partes admittat » (can. 1031, § 3).

843. Animadversiones. — 1. « Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta necessaria receperit, et praeterea, nisi rationabilis causa aliud postulet, tres dies decurrerint ab ultima publicatione » (can. 1030, § 1). Unde si ultima publicatio locum habuerit die dominica, matrimonium per se nonnisi feria 5ª contrahi potest, conformiter ad can. 34, § 3, 3°.

Documenta requisita sunt : a) testimonium Baptismatis sponsi ex aliena paroecia ; b) attestatio authentica de bannis in aliena paroecia proclamatis et de statu libero ; c) in casu speciali, testimonium de dispensatione obtenta super impedimento, de obitu prioris coniugis, de nullitate matrimonii, de non consummatione matrimonii rati eiusque dissolutione, de iis quae spectant privilegium Paulinum.

Per accidens requiri possunt : ex iure civili, testimonium de formalitatibus civilibus impletis ; ex iure particulari, testimonium confessionis.

2. Quando nupturientes diversae sunt dioecesis, transmissio documentorum peractae inquisitionis ad parochum sponsae fiat semper per tramitem cancellariae Curiae episcopalis dioecesis sponsi ; vice versa per cancellariam episcopalem sponsae, si quandoque accidat ut matrimonio parochus sponsi (S. C. Sacr., 29 iun. 1941).

Quando nupturientium parochi sunt diversae dioecesis, insuper *praecipit* eadem S. Congregatio, ut parochus ad assistentiam matrimonii non procedat, nisi prius suae Curiae episcopalis *licentiam (nihil obstat)* consequatur.

Quo accuratius in re procedatur, parochus ad Curiam mittat, et quidem opportuno antea tempore, documenta omnia praematrimonialia una cum exemplari praedito omnibus notitiis de quibus ex documentis constat. Hoc exemplari, *nihil obstat* munito, utatur parochus, si aliquando sacerdoti, legitima ceterum facultate praedito, concedat licentiam assistendi matrimonio extra paroeciam forte contrahendo, illudque dein caute asservetur in archivo paroeciae ubi nuptiae initae sunt.

3. « Si intra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur (can. 1030).

Iudicium Ordinarii proferri potest, sive declaratione generali pro verificatis quibusdam conditionibus, sive responso particulari.

4. « Matrimonio vagorum de quibus in can. 91, parochus, excepto casu necessitatis, nunquam assistat, nisi, re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit » (can. 1032).

Vagi sunt illi qui nullibi domicilium aut quasi-domicilium habent, etsi iam a mense in paroecia commorentur : ita conformiter ad can. 91 ; iis tamen *probabiliter* exceptis qui mere momentanee inveniantur vagi, utpote qui nuper relinquentes domicilium, in via sint ut aliud occupent : finis legis, sicut textus Conc. Trid., sess. 24, c. 1, e quo sumpta est, respicit habitualiter vagos. Quia vero finis legis est maior certitudo status liberi, est obtinenda licentia, etsi unus tantum sponsorum sit vagus ; quae generatim opportunius impetrabitur post examen sponsorum sed ante publicationes.

5. « Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus ; quodsi abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario » (can. 1034).

QUAESTIO TERTIA.

DE FORMA SEU RITU CELEBRATIONIS MATRIMONII.

844. Principium generale. — Ad validitatem contractus coniugalis ex natura rei sufficit consensus deliberatus mutuus aliquo quocumque modo manifestatus ; at ex iure positivo conditiones et formalitates possunt requiri ad liceitatem vel ad validitatem : boni publici scil. interest quod contractus tanti momenti non ineatur nisi probari possit. Unde factum est ut apud omnes fere populos consensus nuptialis solemnitatibus ornaretur, atque varia forma liturgica aut iuridica vestiretur. Conditiones et formalitates potestate civili praescribi possunt in matrimoniis infidelium ; in matrimoniis autem christianorum potestati Ecclesiae reservantur (n. 827, 1°). Sicut ergo lex civilis potest formam solemnem exigere pro validitate contractus, vel praescribere conditiones ad valorem testamenti, ita Ecclesia statuere potest formam quasi conditionem necessariam ut matrimonium sit validum.

Ex dictis sequitur matrimonium *clandestinum*, quod scil. iuridice nequit probari testibus, non esse de se et naturali iure invalidum, imo nec illicitum. Ante Conc. Trid. nulla forma fuit praescripta ad matrimonii validitatem, et matrimonia clandestina absque testibus inita non erant invalida ; semper tamen Ecclesia illa habuit tamquam regulariter, et exceptionalibus circumstantiis exceptis, omnino illicita, ut patet ex Innocentio III et ex ipso decreto Conc. Trid. id fatentis, sess. 24 de ref., c. 1 : « Sancta Mater Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit[1] », propter magna pericula et incommoda quae solent esse coniuncta coniugiis privatis.

1. Hinc ab exordiis Ecclesiae Patres exigunt ut matrimonium ineatur coram Ecclesia. Ita v. g. Ign., ad Polyc. 5 ; Tert., de Pud. 4.

Ut efficacius matrimonia clandestina eorumque incommoda removeret, Conc. Trid., a. 1564 hanc legem statuit : « Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ». Ita decrevit ne coniuges postea impune ad alias nuptias divertere possent, neque compellerentur ad commanendum cum coniuge illegitimo ob ignotas anteriores nuptias.

At decretum Tridentinum non erat obligatorium nisi in singulis paroeciis ubi erat promulgatum, quod in multis factum non fuit. Hinc pluribus in regionibus non obligabat, et in aliis quibusdam dispensatum in eo fuit pro matrimoniis sive haereticorum sive mixtis, ita ut clandestine inita essent valida. Quocirca magna existebat pro variis partibus Ecclesiae diversitas in legislatione matrimoniali.

Ad quam difformitatem tollendam, nova disciplina introducta fuit et a 19 apr. 1908 obligatoria, qua matrimonium non initum coram parocho vel Ordinario vel sacerdote ad hoc delegato et duobus testibus esset ubique nullum, salvis quibusdam exceptionibus ; eaque fere immutata in novo Codice iuris fuit admissa. Et ita uniformitas obtenta est in tota Ecclesia latina. Adest tamen quaedam differentia inter ius novum et legem tridentinam, quia in ista clandestinitas erat inhabilitas personae ad contrahendum matrimonium, nunc vero potius est defectus *formae iuridicae* ad contractus validitatem requisitae, et ideo non amplius constituit impedimentum strictiore sensu sumptum.

Obiiciunt Ecclesiam non posse mutare materiam et formam sacramentorum a Christo institutam, ac proinde non posse facere ut matrimonium clandestinum validum sit invalidum. — At Ecclesia non mutat materiam et formam matrimonii, quod est contractus legitimus et validus inter baptizatos ; sed ponit conditiones ad hoc requisitas quod contractus sit legitimus et validus : quibus scil. positis adest materia et forma, et quibus non positis iam non habetur materia et forma sacramenti. Eodem modo, Ecclesia non potest facere quod absolutio sacerdotis iurisdictione gaudentis non sit sacramentum Poenitentiae, sed potest statuere conditiones requisitas ut iurisdictionem habeat et sic valide, aut e contra iis deficientibus invalide, absolvat.

845. *Principium I.* **Forma iuridica ordinaria, ad validitatem matrimonii requisita, est praesentia, simul cum duobus testibus, Ordinarii vel parochi illius loci in quo matrimonium celebratur.** — Constat ex can. 1094 : « Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098-1099 ».

1° *Requiritur Ordinarius loci aut parochus.* Nomine *parochi* veniunt, tum *parochus proprie dictus*, seu sacerdos cui paroecia collata est in titulum vel stabiliter, cum cura animarum sub auctoritate Ordinarii loci exercenda (can. 451, § 1), tum omnes qui in iure aequiparantur parocho.

Aequiparantur parocho :

1° *Quasi-parochi*, qui quasi-paroecias administrant seu partes vicariatus apostolici aut praefecturae apostolicae, quibus peculiaris rector est assignatus (can. 451, § 2).

2° *Vicarii paroeciales*, si *plena* potestate paroeciali sint praediti (ibid.). Hi sunt :

a) *Vicarius curatus*, qui paroeciam regit cuius cura habitualis ad personam moralem pertinet (can. 471).

b) *Vicarius substitutus*, qui parochi, sive beneficio privandi et s. Sedem adeuntis, sive *ultra hebdomadam* absentis, in omnibus tenet locum et ad hoc ab Ordinario est designatus et probatus, vel iam ante approbationem Ordinarii si parochus repentina et gravi de causa discedat ultra hebdomadam (can. 465, § 4 et 5, et 1923, § 2 simul cum 474 ; com. int., 14 iul. 1922).

c) *Vicarius oeconomus* seu deservitor, qui vacante paroecia ad eius regimen est constitutus ; et etiam vicarius cooperator primus vel munere antiquior, vel parochus vicinior, vel superior domus religiosae, iuxta casus, qui ante oeconomi constitutionem, paroeciae vacantis regimen, nisi aliter fuerit provisum, interim assumit (can. 472).

d) *Vicarius adiutor* ab Ordinario loci constitutus, qui in omnibus parochi, muniis rite obeundis imparis, supplet vicem (can. 475).

Non vero simplices vicarii cooperatores, qui tamen possunt ab Ordinario generaliter delegari ad assistendum ; sed ita nec ordinario nec ubique fieri solet.

3° *Parochi personales* qui iurisdictionem non exercent in determinatum territorium, sed in determinatas personas. Tales etiam censentur illi, qui simul cum alio parocho in eodem loco curam animarum exercent quoad determinatas personas cuiusdam nationalitatis, sermonis aut ritus ; item cappellani vel rectores piorum locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum, si plena donentur potestate parochiali, sed tantum quoad sibi concreditas personas et in loco ubi iurisdictionem exercent (S. C. C., 1 feb. 1908) ; — an etiam cappellani militum, a praescriptis peculiaribus pendet et diversum est in diversis regionibus.

2° *Requiruntur duo saltem testes.* In ipsis nulla qualitas specialis a iure requiritur ; unde omnes valide assumuntur, dummodo hic et nunc rationis usu gaudeant et testandi sint capaces. Licite non assumuntur acatholici, excommunicati, interdicti, infames, ut de haereticis declaravit

S. Off., 19 aug. 1891 ; nisi adsit gravis causa et remoto scandalo.

Non requiritur 1) ut testes designati de matrimonio contrahendo praemoniti vel rogati sint ; nec 2) ut expressam intentionem habeant munere testis fungendi ; nec 3) ut libere assistant i. e. non coacti aut fraudulenter inducti ; nec 4) ut contrahentes eos formaliter assumant qua testes, aut etiam conscii sint de eorum praesentia. Sufficit quod testes possint de matrimonio contracto testari ; unde testibus idiomatis ignaris, si interpres verba explicet consensum exprimentia, valet matrimonium.

3° *Requiritur parochi et testium praesentia :* a) *simultanea*, ut omnes eumdem actum nubendi testari possint ; b) *physica seu corporalis*, ita ut testes adsint de visu et auditu, et in immediato ambitu vel parva distantia se tenentes connaturaliter visu vel auditu percipere valeant quid agatur, unde non sufficit communicatio per telephonium vel telescopium ; c) *moralis*, ut saltem ex circumstantiis percipiant matrimonium inter tales personas determinatas contrahi.

Hinc excluduntur amentes, perfecte ebrii, usu rationis carentes, atque caeci simul et surdi ; non autem qui tantum caeci sunt aut tantum surdi.

846. Conditiones ex parte parochi ad validam assistentiam requisitae enumerantur in can. 1095, § 1 : « Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt :

1° A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam canonum..., vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati ;

2° Intra fines dumtaxat sui territorii ; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum, valide assistunt ;

3° Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum ».

Tria itaque sunt attendenda :

A. *Quantum ad tempus*, valida est assistentia a die canonicae possessionis beneficii vel initi officii.

Iamvero : 1° *Canonica beneficii possessio*, pro episcopis habetur

simul ac in ipsa dioecesi per se vel per procuratorem apostolicas litteras ostenderint capitulo Ecclesiae cathedralis (can. 334, § 3), pro aliis fit secundum modum iure peculiari praescriptum vel legitima consuetudine introductum (can. 1444, § 1).

2° *Initum officium* requiritur pro illis qui beneficium non habent, sed solum officium, uti sunt vicarius generalis episcopi, et vicarius substitutus aut adiutor parochi : sufficit scil. quod rite nominatus officium exercere incipiat tempore ad hoc praefinito.

3° *Cessat valida assistentia* ipsa amotione ab officio vel beneficio, et etiam per excommunicationem, interdictum vel suspensionem ab officio, post sententiam, non autem per suspensionem a sacris vel a iurisdictione.

Notetur : a) Etiam *putativus* parochus vel Ordinarius valide assistit, qui scil. talis non est ob defectum occultum sed errore communi talis esse reputatur : Ecclesia enim supplet eius potestatem *in errore communi* (can. 209) ; item parochus cuius censura per sententiam lata a parochianis ignoratur.

b) Pariter *in dubio positivo et probabili* iuris vel facti de sua competentia ad assistendum in matrimonio (ibid.), quia in hoc etiam casu Ecclesia supplet.

c) Non tamen, ut videtur, parochus vel Ordinarius *intrusus*, qui nec talis est nec a legitima auctoritate, etsi invalide, talis nominatus, sed ab illegitima potestate e. g. civili institutus est.

B. *Quantum ad locum*, valida est assistentia parochi aut Ordinarii infra fines sui territorii.

Igitur : 1° Intra fines proprii territorii *omnium* etiam non subditorum, extra illos fines nullius etiam subditi matrimonio valide assistit.

2° In domibus et ecclesiis exemptis quae in suo territorio sitae sunt, valide quoque assistit, quia tantum ratione personarum exemptae sunt (S. C. Sacr., 12 mart. 1910) ; e contra si quaedam instituta habeant privilegium extraterritorialitatis.

3° Ubi plures parochi cumulative idem territorium obtinent, ratione scil. diversi sermonis, ritus, nationis, singuli in toto territorio valide assistunt (S. C. C., 1 feb. 1908), nisi aliter iure particulari sit statutum.

4° Parochi personales in determinatas tantum personas vel familias iurisdictionem habentes : si pro determinato territorio constituantur, in hoc tantum territorio et pro solis suis subditis valide assistunt ; e contra si eorum competentia nullo restringatur territorio, ubique valide assistunt subditorum matrimoniis.

5° Rectores piorum locorum, qui plena potestate paroeciali gaudent, non possunt assistere nisi suorum subditorum matrimoniis et in loco tantum ubi iurisdictionem exercent (S. C. C., 1 feb. 1908).

Notetur differentia cum lege tridentina : iuxta eam parochus subditorum *proprius* matrimonio assistere debebat *ubique* terrarum, ita ut esset lex *personalis ;* nunc autem parochus *in solo suo*

territorio valide assistit matrimonio etiam non subditorum, ita ut lex iam sit *territorialis*.

C. *Quantum ad modum*, oportet ut parochus vel Ordinarius nulla vi nec metu gravi constrictus consensum contrahentium requirat.

Hinc: 1° Vis et metus gravis sive a contrahentibus sive ab alio incussus etsi non iniuste ad extorquendam assistentiam, hanc invalidat; non autem metus ab intrinseco vel ab alio eventu proveniens, aut ad ipsam observantiam legis ordinatus, nec dolus aut fraus, etsi assistentiae causa fuerint.

2° Non sufficit assistentia parochi mere passiva sed requiritur activa: non sufficit ut contrahentes consensum coram parocho advertente emittant, sed ipse debet actu positivo consensum ipsorum exquirere et recipere.

Notetur: a) Nihil refert ad validitatem an per se vel per interpretem, per verba vel scripturam vel signum parochus consensum exquirat.

b) Lege tridentina sola assistentia passiva parochi requirebatur, et ita sponsi ex inopinato coram ipso et cum testibus apparentes et contra suum b neplacitum consensum elicientes valide contrahebant; hoc incommodum nunc vitatur, cum ius actuale requirat activas parochi partes, ita ut ipso reluctante consensus emissus non valeat.

847. Conditiones ex parte parochi ad licitam assistentiam requisitae indicantur can. 1097:

« § 1. Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt:

1° Constito sibi de libero statu contrahentium ad normam iuris (n. 836-842);

2° Constito insuper de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

3° Habita, si conditiones deficiant de quibus n. 2, licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset ».

Ubi animadvertendum: 1° Non requiritur domicilium aut quasi-domicilium, sufficit menstrua commoratio in paroecia ut parochus licite assistat.

2° Ad illam non requiritur nec sufficit intentio commorandi; sed sufficit et requiritur realiter factum commorationis per

mensem continuum; nec requiritur habitatio, sed etiam sufficit commoratio per modum hospitis aut operarii.

3° Commoratio sufficit moraliter continua, cui absentia unius alteriusve diei et noctis non videtur obstare imo nec sola absentia diurna; debet tamen esse usque ad diem matrimonii continuata.

4° Mensis computandus videtur ut in calendario, ita ut prima dies non computetur et tempus finiatur die eiusdem numeri mensis sequentis expleto (v. g. a 15 ad 15^{m} expletum); et si talis numerus non habetur, tempus finiatur expleto ultimo die mensis sequentis (v. g. 30 ian. ad 28 febr., 31 aug. ad 30 sept.). Quidam tamen mensem sumunt spatium 30 dierum continuum.

5° Actualis commoratio quae datis quibusdam conditionibus sufficit, intelligenda est commoratio per tempus alicuius momenti, ita ut dici quis possit ibi sedem commorationis habere.

6° Licentia requisita in casu quo neuter contrahens in loco ubi vult nubere habeat domicilium, quasi-domicilium aut menstruam commorationem, concedi potest ore vel scripto, expresse vel tacite, imo generaliter, vel etiam rationabiliter praesumi; quo casu decet parochum proprium monere.

7° A licentia petenda excusat gravis necessitas, nempe notabile incommodum ex parte parochi vel nupturientium, uti necessitas proficiscendi ob imminens periculum, periculum mortis, error domicilii ultima hora detectus, concubinatus finiendus aut praecavendus dum tempus desit recurrendi.

8° Pro vagis qui non habent actualem commorationem, nulla requiritur licentia ad licitam assistentiam; requiritur tamen licentia Ordinarii vi can. 1032 in ordine ad statum liberum sufficienter probatum (n. 843, 3°).

« § 2. In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda ».

Duplex regula statuitur obligatoria:

1ª Ut matrimonium coram parocho sponsae celebretur. Haec obligat sub levi tantum et ab ea excusat rationabilis causa, ut si sponsa acatholica sit, vel parochus sponsi sit alterutrius contrahentium cognatus, vel domus sponsi facilius nuptias peragendas permittat, vel eadem die plura matrimonia celebrentur in eadem familia, aut ecclesia paroecialis sponsi sit domui proxima et ecclesia sponsae valde remota, etc. Qua iusta stante causa, nulla a parocho sponsae requiritur licentia, quamvis deceat illum monere.

2ª Ut matrimonium catholicorum mixti ritus celebretur in ritu et coram parocho viri. Nisi tamen aliter statuatur iure particulari, aut non liceat ratione canonis 1099, § 1, 3°, ut si vir alicujus ritus orientalis, in quo non servatur forma latina

celebrationis matrimonii contrahat cum femina ritus latini quae secundum canonem 1099 etc. ad formam tenetur. (Cfr Responsio Comm. Interpr. Cod. diei 8 julii anni 1948; Acta Apostolicae Sedis, XL, 1948, p. 386.)

« § 3. Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat ».

Emolumenta reddenda sunt :

1) Illa solum quae parocho qua tali ex ipsa celebratione matrimonii debentur, non autem stipendium missae celebratae aut dona ex amicitia facta vel ministris et ecclesiae soluta.

2) Ex iustitia reddenda sunt, et quidem ante sententiam iudicis, quia lex impedit ne parochus emolumenta faciat sua i. e. dominium in ea acquirat.

3) Reddenda sunt parocho sponsae ; si plures sint parochi inter eos dividantur, aut forsan dari possunt illi qui secus astitisset.

4) Non debent a parocho restitui, si egit ex licentia rationabiliter praesumpta, aut licentiam petere non debuit excusante gravi necessitate.

5) Nec forsan sunt restituenda, si parochus sine iusta causa ea remiserit, quia lex videtur intelligenda de fructibus perceptis ; nisi tamen fraudulenter ea sub alio titulo sibi tradenda curaverit.

848. *Principium II.* **Parochus competens vel loci Ordinarius alium sacerdotem delegare potest, qui loco sui matrimonio valide assistat.** — Ita can. 1095, § 2 : « Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut infra fines sui territorii matrimonio valide assistat ».

Licentia data ad *valide* assistendum matrimonio, in iure vocatur etiam delegatio (can. 1094, 1096 et 1098), quia, licet non sit vera transmissio iurisdictionis, est tamen communicatio facultatis ponendi actum qualificatum.

Delegare possunt Ordinarius loci et parochus, cuius nomine veniunt omnes supra indicati (n. 845), qui proinde omnes delegare valent (com. int., 20 maii 1923) ; — non vero vicarii cooperatores nisi *generaliter* delegati fuerint ad assistendum matrimoniis (ibid.).

Attamen : 1) Ordinarius et parochus non valent delegare nisi ipsi valide possint assistere ; unde

a) non valet delegatio extra fines territorii sui ;

b) nec valet si sint excommunicati, interdicti vel suspensi ab officio et sententia intercesserit ;

c) illi parochi personales qui nulli territorio sunt adstricti, sicut assistere matrimoniis,ita et delegare valent ubique terrarum.

2) Delegatus non valet subdelegare, nisi delegans ei hanc facultatem expresse concesserit, aut nisi delegatus fuerit generaliter ad assistendum matrimoniis (com. int., 28 dec. 1927).

A. *Conditiones ad validitatem delegationis* enumerantur can. 1096, § 1 : « Licentia assistendi matrimonio... dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt ; secus irrita est ».

Oportet igitur : 1° Delegatus sit *sacerdos* quicumque, etiam si non sit praeditus qualitatibus specialibus, v. g. non sit approbatus ad curam animarum.

2° Sit sacerdos *determinatus*, licet deleganti non notus ; unde invalida esset licentia data sponsis eligendi sacerdotem quem maluerint, vel cuicumque religioso a superiore designando (S. C. Sacr., 12 mart. 1910), vel quemdam indeterminatum subdelegandi ; valida tamen delegatio *plurium* v. g. omnium in paroecia commemorantium. Parum refert quo modo determinatio fiat : nomine, titulo aut officio contrahentium, hora vel loco celebrationis, immediate vel mediante altero, v. g. sponso, qui delegationem notificet.

3° Sit determinatus *ad determinatum matrimonium*, vel plura determinata ; non vero ad assistendum omnibus vel certae categoriae matrimoniis vel iis quae hoc mense contrahenda sint, nisi agatur de vicariis cooperatoribus. Hi enim, sed pro paroecia tantum cui inserviunt, valent generaliter delegari ad omnia vel certae categoriae matrimonia ; quin tamen ex iure communi eo ipso quod cooperatores sint constituti, generaliter delegati sint.

4° *Expresse* dari debet delegatio, sive in scriptis, sive verbis, sive nutibus aut alio signo explicito vel implicito, sive etiam ope telegraphi aut telephonii ; non valet delegatio tacita, praesumpta, interpretativa, a fortiori non mera tolerantia aut ratihabitio post assistentiam. Hinc error substantialis delegationem impedit, nimirum error circa ipsam personam delegandi aut nupturientium.

5° *Nota* delegatio esse debet delegato et ab eo acceptata saltem implicite ; nisi tamen delegatio lege aut statuto concedatur.

Notetur : a) Ut delegatus matrimonio valide assistat, debet eodem modo se gerere ac delegans procedere debet, et inter fines territorii delegantis exquirere et recipere consensum.

b) Disputant canonistae utrum sacerdos delegatus post excommunicationem, interdictum aut suspensionem ab officio, cum sententia, valide assistat. Plures affirmant, quia deest textus formalis validitatem excludens ; alii negant, quia id dicunt sequi ex toto contextu can. 1094-1096.

c) Cessat delegatio expleto mandato ; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit ; cessante causa

finali delegationis ; revocatione a delegante facta et delegato directe intimata ; non vero morte vel resoluto morte delegantis, nisi id expresse statutum fuerit (cfr. can. 207).

d) In errore communi supplet Ecclesia, si communiter putetur aliquem habere facultatem assistendi.

B. *Conditiones ad licite delegandum* indicantur can. 1096, § 2 : « Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda ».

Ergo nonnisi examine sponsorum, investigationibus et denuntiationibus peractis. Ceterum, ut licite assistat sacerdos delegatus, observare debet omnia quae a parocho observanda sunt, ut dictum est n. 847.

849. *Principium III.* **Forma iuridica extraordinaria, defectu Ordinarii vel parochi vel sacerdotis delegati, ad validitatem quandoque sufficiens, est sola praesentia duorum testium.** — Constat ex can. 1098 : « Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant...

1° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam ;

2° In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus ».

Igitur : A. *Ad validitatem* forma extraordinaria seu praesentia duorum testium sufficere tantum potest, si grave incommodum obstet ne habeatur vel adeatur parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus.

Sufficit 1) *quodcumque incommodum grave*, spirituale vel temporale, sive partes directe afficiat, sive sacerdotem (Comm. Int. Cod., 3 maii 1945), dummodo illud incommodum sit impedimentum praesentiae physicae Ordinarii vel parochi (Comm. I. C., 10 martii 1928) etiamsi non sint absentes a loco sed materialiter ibi praesentes (Comm. I. C., 25 julii 1931). Tale censetur : incarceratio nupturientis iuncta impossibilitati habendi sacerdotem competentem, occlusio omnium adituum tempore belli, commoratio in regione longinqua ubi nullus adsit sacerdos

competens, iter diuturnum praedictae impossibilitati iunctum, etc. ; — e contra non sufficit mera recusatio parochi, nec quodcumque damnum materiale ; an sufficiat grave vetitum civile, fieri potest (rescr. S. C. Sacr. 24 aprilis 1935 ad ep. Met.), sed pendere videtur a natura et gravitate incommodi ; at in praxi, ob multa inconvenientia facile oritura, est in singulis casibus recurrendum ad competentem auctoritatem ecclesiasticam, ut pluries declaratum fuit[1].

2) Sufficit et requiritur *impossibilitas personalis;* non requiritur communis seu localis, nec sufficit communis si desit personalis. Ergo illa enasci potest non solum ex defectu vel penuria sacerdotum, sed etiam ex persecutione, ex epidimia, ex fama poenitentis servanda, ex incommodo gravi ministro in itinere timendo, etc.

3) Non requiritur specialis causa ; *quodcumque motivum* ineundi matrimonium sufficit.

B. Stante praedicta impossibilitate, *in duobus tantum casibus*, valet matrimonium sic initum, praeter casum legitimae dispensationis obtentae super assistentia parochi. Casus sunt : periculum mortis, et impossibilitas quae moraliter certo praevidetur per mensem duratura.

1° *Periculum mortis*, grave seu proximum, ex quacumque causa, alterutri contrahentium imminens, certum aut valde probabile, ita ut error in aestimando periculo non noceat validitati matrimonii, dummodo aestimatio sit prudens.

2° *Extra mortis periculum, si prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam.* In casu :

a) Non requiritur ut ista conditio rerum iam a mense duraverit aut parochus a multo tempore absit, sufficit ut prudenter praesumendum sit eum infra mensem non fore praesentem, etiam si de facto erronea sit aestimatio.

b) Praesumptio tamen non sufficit probabilis ; requiritur moralis certitudo, ex notorio vel ex inquisitione, de perduratione eiusdem rerum conditionis, nec sufficit factum absentiae parochi (com. int. 10 nov. 1925).

c) Mensis oportet sit continuus et completus : sumendus videtur ut in calendario (n. 847, § 1) ; quidam tamen sumunt pro spatio 30 dierum.

d) Validae sunt nuptiae, licet nupturientes in fraudem egerint legis, consulto matrimonium differentes ad tempus quo sacerdos competens abesset, vel se transferentes in locum ubi sacerdos competens haberi vel adiri nequeat.

1. Cfr. I. De Becker, *De recto sensu can. 1098*, in *Eph. Theol. Lov.*, 1932 ; Conc. Mechl. IV, decr. 214. — Quidam censent illam impossibilitatem subsistere, etiam si attingi posset parochus aut Ordinarius mediante telegrapho aut telephonio, aut curru automobili, quia ista sunt media extraordinaria. At media adhuc esse extraordinaria merito dubitari potest. Extraordinarium medium esset aëroplanum.

C. *Ad licite ineundum* his in casibus matrimonium, requiritur ut alius sacerdos, si praesto sit, advocetur et cum testibus assistat.

Sacerdos praescribitur vocandus, non tamen sub poena invaliditatis ; sufficit ut assistat mere passive, et non debet exquirere consensum, sicut nec testes id facere debent. Est autem vocandus omnis sacerdos, etiam censuratus, non tamen vitandus. *In periculo mortis*, sacerdos amplam habet facultatem dispensandi super impedimentis, ut dicetur n. 922.

850. Quinam ad formam iuridicam servandam tenentur. — Ait can. 1099 :

« § 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur :

1° Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt ;

2° Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant ;

3° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis [1] ».

Itaque legi formam iuridicam praescribenti :

1° Tenentur omnes, ritus latini, in Ecclesia catholica baptizati, qui scil. spectato fine operantis i. e. baptizantis vel Baptismum mandantis, baptizantur in ordine ad Ecclesiam catholicam, seu formaliter eo fine ut aggregentur Ecclesiae catholicae communioni externae ; quales sunt

a) infantes quos parentes vel locum tenentes baptizari curant ut Ecclesiae catholicae membra fiant,

b) infantes ex parentibus catholicis nati et privatim baptizati in casu necessitatis,

c) adulti qui propria voluntate Baptismum recipiunt ex intentione ut Ecclesiae catholicae aggregentur.

2° Tenentur etiam conversi ad Ecclesiam catholicam ex haeresi vel schismate, qui scil. propria sponte fidem catholicam professi sunt, atque acatholice baptizati qui ab infantili aetate, i.e. saltem a primo usu rationis, de facto in fide catholica educati sunt : dummodo sint ritus latini.

1. Hinc mulier quae vi can. 98, § 4, declarat se velle transire in matrimonio ineundo ad ritum orientalem viri, tenetur ad formam celebrationis matrimonii (com. int. 29 apr. 1940).

3° Tenentur hi omnes, etsi postea ab Ecclesia catholica defecerint.

4° Tenentur quoties contrahunt sive inter se, sive cum omnibus aliis, qui a lege sunt immunes, sive Orientalibus sive acatholicis, etsi cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus. Pars scil. a lege immunis, non communicat alteri parti suam immunitatem, sed pars ligata ligamen communicat alteri, quae tunc per accidens tenetur.

5° Tenentur omnes in toto orbe terrarum.

« § 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam. »

Secunda pars hujus paragraphi « item ab acatholicis nati, etsi in ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione, adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint » abrogante est motu proprio « Decretum Ne temere » diei 1 aug. anni 1948. A die 1 ianuarii anni 1949 omnes ergo in Ecclesia catholica baptizati tenentur ad canonicam matrimonii formam servandam. Cum tamen valorem retroactivam lex illa non habeat secunda pars can. 1099, § 2 valorem suum retinet pro illis qui matrimonium contraxerunt ante diem 1 ianuarii anni 1949.

A forma iuridica itaque servanda :

1° Immunes sunt : a) non baptizati ; b) baptizati in secta haeretica vel schismatica et numquam conversi ; c) catholici ritus orientalis, nisi tamen speciali iure ad hoc obligentur.

2° Immunes tantum sunt, dum inter se contrahant, aut cum parte acatholica quae pariter a lege est immunis, et quidem ubicumque sint degentes.

3° Non sunt immunes baptizati in Ecclesia catholica sive a catholicis sive a non-catholicis nati sint, licet ab infantili aetate extra Ecclesiam educati sint.

851. Monitum de matrimoniis olim celebratis. — Legislatio Codicis non habet effectum retroactivum ; unde de valore matrimoniorum ante Codicem celebratorum, iudicandum est secundum ius tridentinum, aut a 19 apr. 1908, secundum legislationem provisoriam decreti *Ne temere*, 2 aug. 1907.

Praesertim attendendum est tribus :

1° Iuxta legem tridentinam parochus assistens erat parochus proprius, domicilii scil. aut quasi-domicilii alterutrius nupturientium ; nunc est parochus loci.

2° Ius tridentinum, ubi erat promulgatum, de se obligatorium erat pro matrimoniis haereticorum inter se ; novum ius ea excipit.

3° In quibusdam regionibus dispensatum erat a lege tridentina tum pro matrimoniis haereticorum tum pro matrimoniis mixtis ; nunc universim in matrimoniis mixtis exigitur praesentia parochi.

852. **Forma liturgica servanda.** — Nomine formae liturgicae venit complexus rituum et caeremoniarum, quae celebrationem matrimonii christiani comitantur quaeque praescribuntur in libris ritualibus ab Ecclesia probatis aut laudabilibus consuetudinibus sunt recepti. De hac praecipit can. 1100 :

« Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti ».

A. Forma liturgica invenitur in Rituali romano, tit. 7, c. 2 ; complectitur tria : 1m est interrogatio de mutuo consensu et pronuntiatio formulae copulativae, iunctis sponsorum manibus, sub verbis : *Ego vos coniungo in matrimonium in nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus Sancti*, vel al is similibus iuxta receptum uniuscuiusque locum ; 2m est benedictio et traditio anuli ; 3m benedictio solemnis cum missa pro sponso et sponsa.

Non tamen praecepta est specialis forma Ritualis romani, quia, ut ipsum Concilium dicit Trid., sess. 24, c. 1 de ref., observari possunt alii probati ritus et laudabiles consuetudines ; quod omnino convenit, quia sunt saepius praestantiores.

Gravis est obligatio servandi formam liturgicam ex Conc. Trid. sess. 7, can. 13 et ex variis S. C. C. decretis, etiam in secundis nuptiis. Unde qui sine legitima causa totam caeremoniam omitteret, graviter peccaret ; et catholici qui in casu necessitatis matrimonium contraxerunt sine caeremoniis, illas quamprimum, supplendas curare debent, quo casu omittitur formula : *Ego vos coniungo....*

B. Cum caeremoniis connectitur *solemnis benedictio*, quae sponsis celebrato matrimonio impertitur inter missarum solemnia, iuxta ritum missalis romani in missa pro sponso et sponsa. Haec tamen benedictio non est stricte praecepta, unde sunt etiam quidam loci ubi rarius conceditur. De ipsa ait can. 1101 :

« § 1. Parochus curet ut sponsi benedictionem solemnem accipiant, quae dari eis potest etiam postquam diu vixerint

in matrimonio, sed solum in missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato.

§ 2. Solemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere ». Est enim functio parocho reservata.

Notetur : a) Benedictio tantum in missa dari potest et quidem a celebrante (S. Off., 31 aug. 1881).

b) Omitti benedictio debet :

1° tempore feriato, scil. a 1a Dominica Adventus ad Domini Nativitatem inclusive, et a feria 4a cinerum ad Pascha Resurrectionis inclusive ; quod dicunt sub gravi praeceptum, nisi Ordinarius licentiam concedat ;

2° in matrimoniis mixtis (can. 1102) ;

3° quando mulier iam benedictionem suscepit in nuptiis praecedentibus (can. 1143) ; imo sunt loca in quibus nec viris viduis benedictio concedi possit, quod iuxta rituale videtur adhuc servandum (tit. 7, c. 1, n. 18) ;

4° quando una tantum missa ritu defunctorum celebratur, et in die commemorationis omnium fidelium ; quia in missa de requie non potest talis benedictio accipi (S. Off., 3 sept. 1817) ; quo casu remitti potest ad aliam diem ;

5° ob interdictum generale afficiens locum, vel particulare afficiens ecclesiam in qua nuptiae celebrantur (can. 2271, 2° et 2272, § 3, 2°) ;

6° quando matrimonium initur cum notorie excommunicato (S. Poen., 10 dec. 1860).

c) Missa pro sponso et sponsa prohibetur diebus dominicis, festis 1ae et 2ae classis, octavis privilegiatis 1[1] et 2[1] ordinis, feriis privilegiatis et vigiliis Nativitatis, Epiphaniae et Pentecostes ; quodsi benedictio nuptialis dari possit ex licentia Ordinarii, dicenda est missa diei addita oratione pro sponsis.

d) Nihil prohibet unum sacerdotem matrimonii consensum exquirere et recipere, alterum missam celebrare et solemnem impertiri benedictionem, dummodo habeant debitam competentiam.

C. De matrimoniis mixtis valet can. 1102 :

« In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam, interrogationes de consensu fieri debent secundum praescriptum can. 1095, § 1, n. 3. Sed omnes sacri ritus prohibentur ; quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper missae celebratione, permittere ».

Ergo in matrimoniis mixtis :

1° Sacerdos debet semper exquirere et recipere consensum etiam a parte acatholica ; nec sufficit ad validitatem assistentia mere passiva (com. int., 10 mart. 1928).

2° Omnes ritus sacri per se prohibentur, uti usus vestis sacrae, concio proprie dicta, benedictio anuli, benedictio nuptiarum, celebratio in ecclesia, etc.

3° Ob graviora mala vitanda, uti sunt odium in religionem catholicam, periculum unionis mere civilis aut perversionis partis catholicae, celebratio nuptiarum coram ministro acatholico, etc., Ordinarius quasdam caeremonias concedere potest, non tamen celebrationem missae nec consequenter benedictionem solemnem cum ea connexam.

Animadverte : a) Sacerdos qui missam celebrat pro sponso et sponsa, non tenetur eam ipsis applicare, nisi ita sit specialiter contractum.

b) In fine ritualis romani invenitur formula benedictionis nuptialis adhibenda quando missa non dicitur, et formula precum quae recitari possunt si benedictio non permittitur. Hae tamen non possunt impertiri, nisi ex speciali indulto.

853. Tempus et locus celebrationis determinantur in codice iuris :

A. « Matrimonium *quolibet anni tempore* contrahi potest. *Solemnis* tantum *nuptiarum benedictio* vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria 4ª Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant » (can. 1108).

Igitur : 1) Non amplius existit impedimentum prohibens, scil. tempus vetitum, quod in quibusdam locis tempore clauso matrimonia prohibebat ; possunt tamen iure particulari prohiberi certis horis, v. g. vespertinis aut nocturnis.

2) Solemnis benedictio concedi potest ab Ordinario, salvis legibus liturgicis de missa pro sponsis quandoque non dicenda.

3) A pompa tunc est abstinendum tempore vetito, ut est sonitus campanarum, festivitas publica, splendidus ecclesiae ornatus, solemnis traductio sponsae cum choreis et musica. Non vetantur moderata laetitiae signa.

B. « Matrimonium *inter catholicos* celebretur in *ecclesia paroeciali ;* in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit » (can. 1109, § 1).

Attamen : 1° « Matrimonium *in aedibus privatis* celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa permittere possunt ; sed in ecclesiis vel oratoriis sive Seminarii sive religiosarum,

Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis » (can. 1109, § 2). Casus extraordinarius esse potest impotentia vel difficultas adeundi ecclesiam, vel necessitas clam convalidandi matrimonium ; urgens necessitas destructio ecclesiae paroecialis.

2° « Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrentur ; quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare, firmo tamen praescripto can. 1102, § 2 », scil. de missa non permittenda (can. 1109, § 3).

854. Animadversiones de matrimonii celebrati inscriptione. — Notentur ordinationes sequentes :

1° « Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum ; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit » (can. 1103, § 1).

2° « Praeterea... parochus in libro quoque baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum Baptismi sive per se sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur » (can. 1103, § 2).

Hic ultimus receptas notitias transcribat in suo libro baptizatorum, et nuncium scriptum de peracta transcriptione mittat ad parochum qui matrimonio adstitit. Is vero non acquiescat donec hunc nuncium receperit ; receptum autem alliget fasciculo documentorum celebrati matrimonii.

3° « Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur (i. e. sub forma extraordinaria), sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium, in praescriptis libris quamprimum adnotetur » (can. 1103, § 3).

4° « Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto matrimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto curiae archivo » (can. 1107).

TERTIA PARS.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

855. Materia tractanda. — Postquam diximus de conditionibus ad matrimonium *ex parte consensus* requisitis et de vitiis oppositis (n. 797-807), item de iis quae ad validitatem et liceitatem exiguntur *ex parte celebrationis* (n. 845-850), remanet dicendum de conpitionibus *ex parte subiecti*

requisitis et de iis quae in ipso possunt matrimonium impedire. Igitur, ubi subiectum matrimonii considerandum venit, oportet etiam dicere *de impedimentis matrimonialibus*. Nam « omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur » (can. 1035) : omnes scil. usu rationis gaudentes ad matrimonium, et, si sint baptizati, etiam ad sacramentum matrimonii, sunt apti dummodo iure ab eo non prohibeantur seu impediantur. Hinc dicemus :

1° De impedimentis matrimonii in generali.
2° De impedimentis impedientibus.
3° De impedimentis dirimentibus.
4° De dispensatione ab impedimentis.
5° De matrimonii convalidatione.

QUAESTIO PRIMA.

DE IMPEDIMENTIS IN GENERALI.

S. Th. Suppl., q. 50, a. un.

856. Impedimentum matrimonii (*empêchement de mariage ; huwelijksbeletsel*) in sensu *stricto* est circumstantia externa personam afficiens, quae iure naturali vel positivo directe arcet a matrimonio qua tali valide vel licite ineundo, seu quae personam ineptam reddit ad matrimonium valide vel licite contrahendum. Dicitur :

1° *circumstantia externa personam afficiens*, ad excludendas illas circumstantias quae consensum aut formam contractus afficiunt et ita matrimonium impedire possunt, sed non directe personas impediunt quominus matrimonium contrahant ;

2° *quae iure naturali vel positivo arcet*, ad excludendum omne quod iniuste aut vi a matrimonio retrahit ;

3° *directe*, ut distinguatur ab impedimento sensu latiore sumpto, pro omni quod etiam indirecte a matrimonio contrahendo retrahit, ut si pater vel auctoritas socialis iuste praecipiat aliquid quod cum matrimonio contrahendo sit incompossibile ; quodque morale impedimentum quodammodo dici possit, sed non est impedimentum iuridicum lege et quidem ex directa intentione constitutum ;

4° *a matrimonio qua tali*, in quantum contractus est

specialis indolis : sic distinguitur ab impedimento late sumpto, quod matrimonium non impedit ut est talis contractus specialis, sed quatenus impedit omnem contractum, ut v. g. defectus consensus, aut susceptionem cuiuscumque sacramenti, ut v. g. status peccati vel defectus intentionis aut Baptismi ;

5° *valide vel licite ineundo*, unde duplicis generis distinguitur impedimentum : *dirimens* et *mere impediens* seu *prohibens*. Hoc scil. matrimonium contrahendum *solum prohibet* seu illicitum reddit ; illud vero *prohibet et dirimit* i. e. illicitum simul et invalidum reddit.

Mere impediens scil. matrimonium prohibet et efficit ut licite iniri non possit ; dirimens illud prohibet et efficit ut nec licite nec valide iniri possit. Unde impedimentum impediens est lex prohibens, dirimens est lex prohibens simul et irritans.

Ita conformiter ad doctrinam S. Thomae. Quaedam enim sunt de essentia Matrimonii, quaedam de liceitate eius ; et utrisque possunt opponi impedimenta. Unde impedimenta quae contrariantur his quae sunt de liceitate matrimonii, « non efficiunt quin sit verum matrimonium, et talia dicuntur *impedire matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum*... Impedimenta autem quae contrariantur his quae sunt de essentia matrimonii, faciunt ut non sit verum matrimonium, et ideo dicuntur *non solum impedire contrahendum, sed dirimere iam contractum* » (q. 50, in c.) ; non « quasi solventia verum matrimonium, quod rite contractum est, sed quia solvunt matrimonium quod contractum est de facto et non de iure ». Nam « si impedimentum aliquod matrimonio rite facto superveniat, matrimonium solvere non valet » (ad 7).

In vetere iure, et etiam apud S. Thomam, vox impedimentum sumitur lato sensu, pro omni quod matrimonium impedit non solum ex parte personae sed etiam ex parte actus. Ita vis et metus, error, sponsalia quatenus impediunt consensum, et post Conc. Trid. defectus parochi et testium, quia impedit formam externam requisitam tamquam conditionem validitatis ; imo nonnulli omissionem bannorum inter impedimenta impedientia numerarunt, quatenus banna regulariter necessaria sunt ad licitam matrimonii celebrationem. In novo iure autem, sicut antea a quibusdam suggerebatur, sumitur impedimentum pro sola inhabilitate personae[1]; unde vis, metus, error, sponsalia, clandestinitas, et a fortiori defectus bannorum, inter impedimenta non amplius recensentur.

---

1. Quandoque tamen sumitur sensu lato : ita can. 1990 (com. int. 10 oct. 1929, n. 17) et can. 1971 (com. int. 12 mart. 1929).

857. Divisio impedimentorum. — Varia ratione dividuntur impedimenta :

A. *Ratione causae seu originis*, alia sunt *iuris naturalis*, alia *iuris positivi*, sive *divini*, sive *humani* i.e. tum *ecclesiastici* pro baptizatis, tum etiam *civilis* pro non baptizatis.

Ecclesiae est agnoscere impedimenta iuris naturalis et divini, eaque ut impedimenta assumere et sancire in foro externo : hac autem ratione formaliter fiunt canonica impedimenta.

B. *Ratione effectus*, alia sunt impedimenta *impedientia* (*prohibitifs* ou *prohibants; verhinderende* of *verbiedende*), alia, ut iam diximus, *dirimentia (dirimants; ontbindende* of *ongeldig makende)*.

Hinc can. 1036 :

« § 1. Impedimentum *impediens* continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium ; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur.

§ 2. Impedimentum *dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur ».

C. *Ratione extensionis*, impedimenta sunt *absoluta* quae omne matrimonium impediunt cum omnibus personis, uti aetas, ligamen, votum, ordo ; vel *relativa* quae illud tantum impediunt cum certis personis, uti crimen, cognatio, disparitas cultus.

Sunt autem quaedam *correlativa* quae existunt *ex utraque parte*, ut crimen vel consanguinitas, quaedam vero *ex una parte tantum*, ut ordo vel disparitas cultus. Nihilominus, ait can. 1036, § 3 : « Quamquam impedimentum ex una tantum parte se habeat, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum », quia scil. matrimonium non claudicat.

D. *Ratione durationis*, sunt *perpetua* quae de se nunquam cessant sed semper manent, ut consanguinitas ; vel *temporanea* quae decursu temporis cessant vel cessare possunt, ut aetas aut mixta religio.

Perpetua tolli possunt sola dispensatione, dummodo sint dispensabilia. Dispensabilia sunt illa in quibus Ecclesia dispensare potest et solet ; indispensabilia vero in quibus dispensare non potest aut non solet. Ab impedimentis iuris naturalis et divini dispensare non potest ; ab impedimentis iuris ecclesiastici dispensare potest, at a quibusdam paucis non dispensat.

Indispensabilia sunt : impotentia, ligamen, consanguinitas lineae rectae ; probabiliter consanguinitas in primo gradu lineae collateralis, atque ordo episcopalis ; rarissime dispensatur ordo

presbyteratus, affinitas in linea recta praesertim consummato matrimonio, crimen ex coniugicidio praesertim publico ; raro raptus, affinitas in linea recta non consummato matrimonio, aetas, nisi forsan in quibusdam regionibus missionum in casu aetatis dubiae ; minus raro votum solemne et ordo sacer infra presbyteratum.

Nulla potestas humana, nec civilis nec ecclesiastica, potest statuere impedimentum absolutum et perpetuum, quia est contra ius naturale quod unusquisque nativum habet ad nubendum ; — nisi tamen supposito facto libero quo aliquis statum perfectiorem elegerit, per votum aut ordinem, et ita implicite renuntiaverit matrimonio, aut quo crimen quoddam commiserit quod prohibitione matrimonii congruenter puniretur.

E. *Ratione divulgationis et demonstrabilitatis*, sunt *publica* vel *occulta*. Publica sunt si de facto probari in foro externo possunt, licet ex natura sua sint occulta ; occulta vero si de facto probari non possunt, etsi e natura sint publica.

Ita conformiter ad can. 1037 : « Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest ; secus est occultum », et ad resp. com. int., 25 iun. 1932.

F. *Ratione gravitatis*, « alia sunt *gradus minoris*, alia *maioris* », ut ait can. 1042, § 1.

« Gradus minoris sunt : 1° consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis (forsan etiam mixto cum secundo aut primo) ; 2° affinitas in secundo gradu lineae collateralis ; 3° publica honestas in secundo gradu ; 4° cognatio spiritualis ; 5° crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum » (ib., § 2).

Nulla ratio in iure adest ut divisio ista impedimentis impedientibus applicetur ; unde § 3 : « impedimenta maioris gradus alia sunt omnia ».

858. Animadversio. — Matrimonio prae aliis sacramentis assignantur impedimenta, in quantum est contractus et inter duos initur. Hinc S. Thomas, ad 1 : « Magis matrimonio quam aliis sacramentis impedimenta assignantur propter tres rationes : 1° quia matrimonium consistit in duobus, et ideo pluribus modis potest impediri quam alia sacramenta, quae uni personae competunt singulariter ; 2° quia matrimonium habet in nobis causam, et in Deo, sed alia quaedam sacramenta solum in Deo ; 3° quia de aliis sacramentis est praeceptum, vel consilium, sicut de bonis perfectioribus ; sed de matrimonio est indulgentia sicut de bono minus perfecto. Et ideo ut detur occasio proficiendi in melius, plura impedimenta assignantur matrimonio quam aliis sacramentis ».

859. *Principium.* **Salvis impedimentis iuris naturalis et divini, habet Ecclesia ipsaque sola potestatem statuendi impedimenta, non solum impedientia sed etiam dirimentia, pro christianorum matrimoniis ;** sicut e contra auctoritas civilis pro matrimoniis infidelium.

Ecclesiam statuere posse impedimenta dirimentia est *de fide* definitum in Conc. Trid., sess. 24, can. 4; id posse iure proprio constat ex damnatione prop. 59 syn. Pist. ; id posse solam, ad exclusionem auctoritatis civilis, videtur sufficienter *certum,* sed in sensu quo supra expositum est n. 824, ubi etiam de competentia dictum est potestatis civilis quantum ad coniugia infidelium.

Neque dicas Ecclesiam, in decreto Conc. Trid., intelligi posse coetum fidelium vel ipsos principes christianos. Nam ubi agitur de potestate et de doctrina, Ecclesia non designat nisi praelatos qui ex institutione Christi receperunt potestatem regendi et docendi ; uti constat ceteroquin ex contextu et ex erronea Protestantium quae reprobatur doctrina.

Consequenter, quantum ad ea quae statuit impedimenta, gaudet Ecclesia potestate abrogandi, derogandi, mutandi, dispensandi (can. 1040).

860. Subiectum activum ecclesiasticae potestatis authentice declarandi, statuendi aut relaxandi matrimonialia impedimenta, illi per se sunt quibus iure divino competit potestas regendi et docendi Ecclesiam, scil. S. Pontifex et episcopi ; tractu tamen temporis factum est ut constitutio impedimenti inter causas maiores recenseretur, quae reservatae fuerunt supremae auctoritati ecclesiasticae et subtractae potestati singulorum episcoporum aut conciliorum particularium : episcopis non remanet nisi potestas praecipiendi in casu particulari. Ita et in codice iuris :

1° Can 1038 : « § 1. Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat.

§ 2. Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis ».

Suprema auctoritas in Ecclesia est Concilium oecumenicum, atque S. Pontifex sive immediate per se sive mediante organo S.S. Congregationum romanarum.

2° Can. 1039 : « § 1. Ordinarii locorum omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt matrimonia in casu peculiari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante.

§ 2. Vetito clausulam irritantem una Sedes apostolica addere potest ».

Episcopi ergo non per modum legis sed solum per modum paecepti possunt matrimonium prohibere in casu peculiari et tantum ad tempus, et quidem sub gravi, sed iusta de causa ; non autem illud irritare. Iusta causa esse potest : scandalum vitandum, rixae vel discordiae praeveniendae, gravia incommoda vitanda, suspicio impedimenti, tertiae personae contra matrimonium oppositio. Imo etiam parochus, non quidem directe et iudicialiter, sed tamen ex officio suo potest indirecte matrimonii celebrationem ad tempus prohibere, quatenus ex officio illud provisorie interdicit usquedum Ordinarius pronuntiet.

3° Can. 1040 : « Praeter R. Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, aut illis derogare ; item nec in eisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede apostolica haec potestas concessa fuerit ».

4° Can. 1041 : « Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur » ; unde iam non est rationabilis (can. 27, § 2).

861. Subiectum passivum impedimentorum sunt illi qui subditi sunt legi statuenti impedimenta et hisce ligantur. Iamvero :

1° Impedimentis iuris naturalis aut divini ligantur, omnes homines tam infideles quam fideles.

2° Impedimentis canonicis seu iuris ecclesiastici ligantur :

a) Omnes baptizati, non solum catholici, sed etiam haeretici, schismatici, apostatae, excommunicati.

Nam per se legibus Ecclesiae subiiciuntur, praesertim quae directe spectant bonum commune Ecclesiae, uti sunt matrimonialia impedimenta ; nisi contrarium expresse declaretur, ut factum est pro impedimento disparitatis cultus, et pro forma iuridica matrimonii, in favorem illorum qui extra Ecclesiam catholicam baptizati sunt.

b) Infideles post Baptismum receptum, non solum iis afficiuntur impedimentis quae post Baptismum orta sunt, sed etiam iis quorum causa antea fuit posita atque fundamentum est vinculum naturale.

Vinculum enim naturale perdurat et ideo post Baptismum suos effectus producit : ita v. g. vinculum consanguinitatis.

E contra si tota ratio impedimenti est in voluntate Ecclesiae, impedimentum non oritur, uti cognatio spiritualis.

3° Infideles qui contrahunt matrimonium cum fideli, indirecte et per accidens attinguntur impedimentis canonicis (can. 1036, § 3), quia matrimonium non claudicat.

Eodem modo baptizati qui cum infideli contrahunt, forsan indirecte ligantur impedimentis civilibus quibus tenentur infideles (n. 826).

862. Impedimentum ignoratum, servatu impossibile, dubium.

A. *Ignorantia* invincibilis, licet a peccato aut poena excusare possit, non tamen ab impedimento dirimente excusat, quia nequit restituere habilitatem quam lex abstulit.

Nam can. 16, § 1, ait : « Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab iisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur ».

B. *Impossibilitas servandi impedimentum* ab eo non excusat in casu particulari, quia bonum commune ob quod lata sunt impedimenta praestat bono privato ; si vero sit communis, ex epichia videtur impedimentum non obligare, casu quo communitati fieret nocivum, quod sane raro accidere potest.

Quidam nihilominus admittunt epichiam in uno vel altero casu exceptionali necessitatis particularis.

C. *Dubium* intelligitur quod post diligentem veritatis inquisitionem remanet grave et fundatum de existentia impedimenti ; potest autem dubium esse iuris vel facti, iuris quidem naturalis et divini, vel solius iuris ecclesiastici. Iamvero :

1° In dubio de impedimento *iuris naturalis aut divini*, illicitum est contrahere matrimonium, quia est illud exponere periculo nullitatis, cum Ecclesia in iure naturali et divino dispensare non possit. Systemata scil. probabilitatis in casu non veniunt applicanda, quia non agitur de sola honestate sed de valore actus (II, n. 90-91).

Excipitur si dubium sit de impedimento impotentiae, quia unusquisque praesumitur natura esse aptus ad matrimonium, donec contrarium constet. Unde aiunt semper praevalere ius nativum hominis ad nubendum[1]. Hinc can. 1068, § 2 : « Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum ».

2° In dubio de impedimento *iuris ecclesiastici :*

a) *In dubio iuris*, potest matrimonium contrahi, quia impedimentum non urget, nam « leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent » can. 15.

In praxi tamen parochus ad Ordinarium debet recurrere, quia posset falso existimare esse dubium iuris ; unde can. 1031, § 1, 3° « matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit ».

b) *In dubio facti*, non potest licite contrahi matrimonium, quia est exponere illud periculo nullitatis, sed petenda est dispensatio, casu quo Ecclesia dispenset.

Notetur iuxta can. 15 : « In dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet ».

863. Corollaria. — Cum leges de impedimentis matrimonialibus non habeant vim retroactivam, hinc :

1° Matrimonia infidelium valide inita, susceptione Baptismatis, non solvuntur eo quod infideles iam ligentur legibus ecclesiasticis quae statuunt impedimenta canonica.

2° Matrimonia ante novam legislationem codicis inita, scil. ante 19 maii 1918, reguntur iure vigente eo tempore quo inita sunt (com. int., 2 iun. 1918).

3° Unde invalide inita non fiunt valida ex ipsa suppressione impedimentorum, sicut valide inita non fiunt invalida ob novum impedimentum statutum.

QUAESTIO SECUNDA.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

S. Th., Suppl., q. 53, a. 1 ; q. 57 ; q. 59, a. 1, ad 5.

864. Tria sunt impedimenta impedientia : votum simplex, cognatio legalis, et mixta religio.

Olim plura alia recensebantur, ut Ecclesiae vetitum, tempus

1. Salvo tamen iure tertii ; unde in dubio de impedimento ligaminis seu vinculi adhuc permanentis ex anteriore matrimonio, non potest novum contrahi matrimonium.

clausum, sponsalia. At vetitum Ecclesiae non est impedimentum iuridicum lege statutum, sed solum per modum praecepti particularis matrimonium impedire potest (n. 860) ; tempus non impedit matrimonium sed eius solemnitatem ; sponsalia non sunt impedimentum canonicum, quia nulla actione urgeri possunt sed iudicio conscientiae relinquuntur nec impediunt matrimonium in omni casu.

Pariter apostasia a fide catholica, adscriptio societati ab Ecclesia damnatae, et indignitas ex publico peccato vel censura notoria non sunt vera impedimenta, quia matrimonium cum ipsis non prohibetur simpliciter.

865. *Principium I.* **Votum simplex impedit matrimonium, nempe votum virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum.** — Ita can. 1058, § 1.

Votum simplex (vœu simple; gewone gelofte) est omne votum quod non ut solemne ab Ecclesia fuit agnitum (can. 1308, § 2) ; quod in quinque casibus prohibet matrimonium : a) votum *virginitatis* seu servandi integritatem carnis et abstinendi a primo opere carnali consummato ; b) votum *castitatis perfectae* seu abstinendi ab omni venerea delectatione ; c) votum *non nubendi* seu non ineundi matrimonium ; d) votum *suscipiendi ordines sacros*, scil. subdiaconatum vel ordines superiores ; e) votum *amplectendi statum religiosum*, qui in omni et sola societate habetur, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt (can. 487-488).

1) Tale votum matrimonio est *impedimentum* non solum iuris ecclesiastici, sed etiam iuris naturalis et divini, quatenus nempe matrimonium obstare potest impletioni illorum votorum.

2) Est impedimentum *mere impediens*, nam, iuxta can. 1058, § 2, « nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis apostolicae praescripto pro aliquibus statuta fuerit », uti factum est pro simpliciter professis in Societate Iesu.

3) Unde si quis nihilominus matrimonium vult inire, *valide contrahit*, ut explicat S. Thomas :

« Promissio alicuius rei non transfert eam in dominium eius cui promittitur. Et ideo non ex hoc ipso quod aliquis rem promittit aliquam, desinit res illa esse in potestate sua. Cum ergo in voto simplici non sit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam Deo servandam facta, post votum simplex adhuc remanet homo dominus sui corporis ; et ideo potest ipsum alteri dare, scil. uxori, in qua datione sacramentum matrimonii consistit, quod indissolubile est. Et propter hoc votum simplex, quamvis impediat matrimonium contrahendum, quia peccat contrahens matrimonium post votum simplex continentiae ; tamen quia verus contractus est, non potest matrimonium per hoc dirimi... Ergo... quantum ad modum ligandi, matrimonium est fortius vinculum quam votum simplex, quia per matrimonium traditur actualiter vir in potestatem uxoris, non autem per votum simplex... ; potior autem est semper conditio possidentis » (q. 53, a. 1 et ad 1).

4) Regulariter tamen *peccatum* est matrimonium inire cum tali voto, quia est illud violare vel eius violationi se exponere :

a) Qui emisit votum *virginitatis* vel *castitatis perfectae*, graviter peccat matrimonium contrahendo, nisi certus sit, ex promissione vel voto alterius partis, se posse virginitatem aut castitatem perfectam in matrimonio servare ; secus enim graviter se exponit periculo voti violandi. Qui vovit castitatem perfectam, non potest petere debitum coniugale, nisi dispensationem obtinuerit [1], sed per se tenetur reddere petenti qui cum iure exigendi petat ; at mortua comparte votum plene reviviscit ; — qui vovit virginitatem, non potest petere prima vice, copula vero habita ad nihil amplius tenetur, quia votum impletu est impossibile nec reviviscit.

b) Qui tantum emisit votum *non nubendi*, graviter peccat matrimonium ineundo, quia violat votum in materia gravi ; matrimonio autem inito, potest debitum petere et reddere sicut ceteri coniuges, quia obligatio voti cessat cum impleri amplius nequeat.

1. Censet Em. Card. Gasparri, o. c. n. 429-431, hanc dispensationem ipso iure concedi in celebratione matrimonii, non quidem in ordine ad illud contrahendum, sed tantum in ordine ad matrimonii usum, atque invocat can. 1111 : « Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae ». Sed iste canon, ut communiter fuit intellectus, solum intendit bimestre supprimere quo durante licentia erat denegandi coniugale debitum ; nec videtur legislator cogitasse de dispensatione voti, quod ceteroquin non aufert *ius et officium*, sed solum spectat iuris *usum* quantum est ex parte voventis. Et ita visum est omnibus, quotquot de ea re poterimus consulere, iurisperitis ; nobisque affirmatum fuit hanc novam interpretationem non esse conformem praxi curiae romanae.

c) Ligatus voto *ingrediendi religionem* vel *sacros ordines suscipiendi* graviter peccat matrimonium contrahendo, quia reddit sibi impossibilem voti impletionem. Stricte loquendo petere debet a comparte licentiam ingrediendi religionem vel ordines sacros suscipiendi ; at illa nullatenus in hoc consentire tenetur. Potest reddere et petere debitum, quia castitatem non vovit ; at dissoluto matrimonio vel perpetuo divortio pronuntiato, votum reviviscit.

Non semper facile constat quodnam votum fideles emiserint. Si dubia sit eorum intentio, exploretur motivum vovendi. Qui ex voluntate declinandi onera matrimonii, coelibatum ; qui ex desiderio specialem comparandi aureolam, virginitatem ; qui ex amore puritatis motus fuit, castitatem vovisse praesumitur.

Cessat impedimentum, cessante obligatione voti, sive ab intrinseco, sive irritatione, dispensatione aut commutatione (II, n. 732 sq.). Excepto voto castitatis perpetuae et perfectae, ingrediendi religionem stricte dictam cum votis solemnibus, aut in ipsa professione religiosa emisso, quae sunt reservata, potest Ordinarius a voto dispensare, atque etiam confessarii regulares.

In praxi, saepius praestat petere voti dispensationem.

866. *Principium II.* **Cognatio legalis, ex adoptione orta, in iis regionibus ubi lege civili nuptias reddit illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum reddit.** — Ita ex can. 1059.

Cognatio legalis (*parenté légale ; wettelijke verwantschap*) est propinquitas personarum ex legitima adoptione proveniens ; vocatur legalis quia originem habet ex dispositione legis civilis propinquitatem statuenti ob adoptionem ; adoptio est personae extraneae in filium vel nepotem legitima assumptio.

Ecclesia hac in re legem civilem diversarum regionum fecit suam atque canonizavit, ita ut in quavis regione impedimentum matrimonii ex adoptione oriatur vel non oriatur, sit impediens aut dirimens, atque ad plures vel pauciores personas se extendat, secundum quod ibi statuit lex civilis. Cum autem Ecclesia non solum receperit legem sed eam canonizaverit, non cessat impedimentum si dispensatio obtineatur ab auctoritate civili, sed requiritur dispensatio auctoritatis ecclesiasticae.

Convenientiam impedimenti ostendit S. Thomas, q. 57, a. 2 : « Lex divina illas praecipue personas a matrimonio excludit quas necesse erat cohabitare ; ne..., si ad eas liceret uti carnali copula, facilis pateret concupiscentiae locus, ad quam reprimendam matrimonium est ordinatum. Et quia filius adoptatus conservatur in domo patris adoptantis, sicut filius naturalis, ideo legibus humanis prohibitum est inter tales matrimonium contrahi ; et talis prohibitio est per Ecclesiam approbata. Et inde est quod legalis cognatio matrimonium impediat ».

Potest existere in vario gradu :

1. inter adoptantem et adoptatum eiusque descendentes : *paternitas legalis;*

2. inter diversos filios adoptivos vel et naturales adoptantis : *fraternitas legalis;*

3. inter adoptatum et uxorem adoptantis, inter adoptantem et uxorem adoptati : *affinitas legalis.*

At non ubique ad omnes istos se extendit, sed pro varia lege.

In pluribus regionibus nullum hodie est impedimentum cognationis legalis : ita in Anglia eiusque ditionibus, Neerlandia, Lusitania, Austria, Dania, Suecia, Norvegia, atque pluribus Statibus Americae ; existit impedimentum sed mere impediens in Belgio, ut declaravit Conc. prov. Mechl. n. 210, in Galia, Luxemburgo, Germania, Helvetia, Hungaria, Romania, Venezuela ; in nonnullis est impedimentum dirimens, ut dicetur n. 910.

867. *Principium III.* **Mixta religio prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta.** — Ita ex can. 1060.

Mixta religio *(religion mixte ; gemengde godsdienst)* est :

1° *inter duas personas baptizatas :* si enim una est baptizata in Ecclesia catholica, altera non baptizata, impedimentum adest disparitatis cultus ; e contra si una baptizata est extra Ecclesiam catholicam, altera non baptizata, nullum habetur impedimentum;

2° *quarum altera sit catholica*, scil. in ordine ad Ecclesiam catholicam baptizata vel ad eam conversa ;

3° *altera vero sectae haereticae vel schismaticae adscripta :* non enim sufficit ut pertineat ad sectam areligiosam ; inter acatholicas tamen sectas hic computantur etiam atheisticae (com. int. 30 iul. 1934). Unde catholicus censetur qui licet fidem catholicam externe abiecit, nondum sectae acatholicae sit adscriptus ; qui proinde impedimento canonico non tenetur, dum vult inire matrimonium cum catholica, tenetur vero si cum adscripta sectae haereticae vel schismaticae vel atheisticae.

Matrimonium mixtum [1], uti vocari solet, non solum est semper impedimentum iuris ecclesiastici, quod « severis-

1. Optime scripsit Ter Haar : *De matrimoniis mixtis eorumque remediis.*

sime Ecclesia ubique prohibet » et iam ab antiquis temporibus ; sed etiam plerumque iuris naturalis et divini, ob communicationem in rebus sacris quam importat aut scandalum quod facile praebet, praesertim ob periculum perversionis in fide et moribus pro parte catholica et pro prole nascitura. Unde can. 1060, additur : « quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur ».

Licitum tamen esse potest ex dispensatione S. Pontificis, si urgeant graves et iustae causae et dummodo removeatur periculum perversionis tam partis catholicae quam prolis : lex enim Ecclesiae illud prohibens tollitur dispensatione, lex vero naturalis et divina urgere cessat, si proximum removeatur periculum et simul adsit gravis ratio sufficiens ad cohonestandam communionem in sacris. Requiritur itaque :

1° *Dispensatio* et quidem Pontificis, cui scil. est reservata, licet quandoque episcopo delegetur.

2° *Iustae et graves causae*, proportionatae scil. malo et periculo cui tale matrimonium exponit. Tales sunt : bonum reipublicae christianae, timor matrimonii civilis vel coram ministro acatholico, spes fundata conversionis partis acatholicae, proles legitimanda vel bene educanda, vitandum scandalum vel infamia.

3° *Remotio sufficiens periculi*, ut exigit lex naturalis, in qua nemo dispensare valet. Ad quod Ecclesia exigit *cautiones*, quia non dispensat, nisi

a) cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo,

b) uterque coniux cautionem praestiterit de universa prole nascitura — non vero de prole iam nata ut eruitur ex Decr. S. Off., 16 jan. 1942 — catholice tantum baptizanda et educanda. Cautiones illae quidem ad liceitatem explicite sunt praestandae, ad validitatem vero saltem implicite, i. e. actibus e quibus concludendum sit et in foro externo constare possit coniuges cognoscere obligationem adimplendi conditiones et manifestasse firmum propositum illi obligationi satisfaciendi (Resp. S. Off., 10 maii 1941).

c) moralis habeatur certitudo de cautionum implemento ; ad quod nuda promissio de se non sufficit.

Ita iuxta can. 1061, qui addit : « cautiones regulariter in scriptis exigantur » et quidem antequam dispensatio petatur. Imo in regionibus in quibus cautiones etiam in foro civili valent modo in forma civili praestentur, dispensatio ne concedatur, nisi cautiones in dicta forma praestitae fuerint ; secus enim dispensatio concessa ab iis, qui ex indulto dispensant, invalida est (S. Off., 20 ian. 1932).

Cautiones semper exigendae sunt, etiam in periculo mortis (can. 1043 ; instr. 15 nov. 1858 ; S. Off., 18 mart. 1891) ; secus dispensantes ex delegatione invalide dispensant (can. 1043 et 1061 ; S. Off., 21 iun. 1912 et 14 ian. 1932). Excipitur casus quo ad matrimonium convalidandum opus sit sanatione in radice, quae quandoque conceditur certis sub conditionibus, etiam si pars acatholica non velit praestare cautiones.

868. Obligationes connexae cum matrimonio mixto in memoriam revocantur a codice iuris, et de iis coniux catholicus est monendus :

1° « Coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi » can. 1062.

2° « Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum » can. 1063, § 1.

« Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia » can. 1063, § 3.

869. Officia pastoris. — Iuxta can. 1064 : « Ordinarii aliique animarum pastores :

1° Fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant.

2° Si eas impedire non valeant, omni studio curent ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur.

3° Mixtis nuptiis celebratis sive in proprio sive in alieno territorio, sedulo invigilent ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

4° Assistentes matrimonio servent praescriptum can. 1102 », i. e. faciant interrogationes quibus requirant et excipiant contrahentium consensum, sed ab omni ritu sacro abstineant, nisi quem, ad graviora mala vitanda, Ordinarius permiserit, exclusa semper missae celebratione (n. 852, C).

Nihilominus, « si parochus *certe* noverit sponsos hanc legem (de non adeundo ministro acatholico ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum) violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio ne assistat, nisi ex *gravissimis* causis, *remoto scandalo* et *consulto prius Ordinario* » can. 1063, § 2. Gravissima causa esse potest periculum matrimonii invalidi vel apostasiae partis catholicae aut educationis prolis in haeresi.

Fas sit addere quaedam practica :

a) Quantum ad dispensationem concedendam, non tantum est bonum privatum contrahentium attendendum, sed maxime bonum commune. Et ideo in quibusdam regionibus, praxis legitime existere potest raro concedendi dispensationem, si istud sit medium efficax mixta coniugia generatim impediendi ; sicut etiam praxis non concedendi dispensationem nisi postquam pars acatholica integrum curriculum instructionum in doctrina catholica perfecerit ; — contra mentem Ecclesiae tamen esset nunquam dispensare.

b) Si quis sine iusta causa matrimonium mixtum inire velit, graviter peccat, et similiter si dispensationem quasi extorqueat timorem incutiendo ne matrimonium ineat sine dispensatione ; unde per se est absolutione indignus.

c) Ex concessa dispensatione non semper sequitur plena liceitas matrimonii. Ecclesia enim prudenti consilio quandoque permittit minora mala et pericula perversionis, ad vitanda maiora, ut v. g. apostasiam a fide vel diuturnam permanentiam in matrimonio civili.

d) Catholicus qui illicite inivit matrimonium mixtum, non potest absolvi nisi vere poeniteat et sincere promittat omnes cautiones ex sua parte requisitas. Si vero invalide contraxerit matrimonium mixtum, v. g. ob defectum formae, et nunc vere poeniteat, videndum est an matrimonium sit convalidandum vel e contra a convalidatione abstinendum, ut si praeferenda sit omnimoda dissolutio vel praevideatur civile divortium ; — secus curandum ut convalidetur : renovato consensu post debitas praestitas cautiones si possibile sit, vel, si pars acatholica id renuat, sanatione in radice dummodo pars catholica promittat se pro viribus provisuram educationi catholicae omnis prolis. Pars autem catholica ad sacramenta admitti nequit, nisi convalidato matrimonio, aut omnimoda separatione peracta.

e) In dubio de valore Baptismi partis acatholicae, ad cautelam petatur dispensatio non solum ab impedimento mixtae religionis, sed etiam a disparitate cultus.

870. Poenae in transgressores statutae sunt sequentes :

A. « *Catholici* qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire *ausi fuerint*, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et sacramentalibus exclusi maneant, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint » can. 2375.

B. « Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae *catholici* :

1° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico.

2° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam.

3° Qui *scienter* liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre *praesumunt*.

4° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos *scienter* tradunt » can. 2319, § 1.

C. « Ii de quibus in n. 2-4 praeterea suspecti sunt de haeresi » can. 2319, § 2. Unde si moniti causam suspicionis non removeant, actibus legitimis prohibeantur ; quodsi intra sex menses a contracta poena completos sese non emendaverint, habeantur tamquam haeretici, haereticorum poenis obnoxii (can. 2315) ; inter quas est excommunicatio S. Sedi specialiter reservata.

A poena sub A et sub B, 3° et 4° excusat omnis ignorantia praeter affectatam.

871. Animadversiones. — 1. Licet Ecclesia non statuerit impedimentum proprie dictum, reprobat tamen matrimonium fidelium cum apostatis, societatum damnatarum asseclis, aut publicis peccatoribus ; quapropter monet :

a) « Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt » can. 1065, § 1.

b) « Parochus praedictis nuptiis ne assistat, nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adiunctis, ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius iudicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis » can. 1065, § 2.

c) « Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri potest, consulat Ordinarium » can. 1066.

Gravis causa esse potest periculum matrimonii civilis, concubinatus, periculum gravioris damni.

QUAESTIO TERTIA.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

S. Th., Suppl., q. 50.

872. **Tredecim in iure hodierno dirimentia numerantur impedimenta,** cuius rei convenientia ita ostendi potest, conformiter ad doctrinam S. Thomae, q. 50 :

« Potest enim aliquis impediri a matrimonio contrahendo vel simpliciter vel respectu alicuius personae. Si simpliciter, ut cum nulla possit matrimonium contrahere, hoc non potest esse, nisi quia impeditur a matrimoniali actu. Quod quidem contingit dupliciter : primo quia non potest de facto, sive quia omnino non possit, et sic ponitur impedimentum *impotentia coeundi...* »; sive quia nondum possit convenienter, et sic ponitur impedimentum *aetas;* « secundo quia non licite potest, et hoc secundum quod ad continentiam obligatur, quod contingit dupliciter : vel quia obligatur ex officio suscepto, et sic est impedimentum *ordinis;* vel ex voto emisso, et sic impedit *votum.* Si autem impeditur aliquis a matrimonio non simpliciter, sed respectu alicuius personae, vel hoc est propter obligationem ad alteram personam, sicut qui uni matrimonio iunctus est, non potest alteri coniungi, et sic est *ligamen* matrimonii ; vel quia deficit proportio ad alteram personam, et hoc propter tria : primo quidem propter nimiam distantiam ad ipsam, et sic est *disparitas cultus;* secundo propter nimiam propinquitatem, et sic ponitur triplex impedimentum, scil. *cognatio* (sive carnalis, sive spiritualis, sive legalis), deinde *affinitas* quae importat propinquitatem duarum personarum ratione tertiae matrimonio iunctae, et *publicae honestatis iustitia,* in qua est propinquitas duarum personarum ratione tertiae... iunctae » illegitime ; « tertio propter indebitam coniunctionem ad ipsam primo factam, et sic impedit *crimen* adulterii prius cum ipsa commissi », vel etiam *raptus.*

Articulus I.

De Impedimento Aetatis.

S. Th., Suppl., q. 58, a. 5 ; q. 43, a. 2.

873. **Status quaestionis.** — Nulla aetas determinata (*âge ; leeftijd*) per se requiritur ad matrimonium ineundum, supposito usu rationis et sufficienti discretione ad consensum praestandum ; nec actualis capacitas ad copulam de se aptam generationi exigitur, sed sufficit si suo tempore habeatur. Convenit tamen quod determinetur aetas, ut scil. ineatur matrimonium cum facultate generandi plene

evoluta, ne sit in detrimentum sanitatis contrahentium et prolis, et cum iudicio maturo et sufficienti praeparatione ad regendam familiam.

Hinc omnes fere legislationes ordinationem de aetate continent. Sub antiquo iure canonico, determinata erat aetas pubertatis legalis ; at absolutum non erat aetatis impedimentum, sed mere conditionatum, ita ut malitia suppleret aetatem si antea sufficiens aderat notitia matrimonii *simul* cum potentia ad copulam perficiendam : de quo duplici facto requisita erat S. Pontificis vel episcopi sententia declaratoria.

Nunc, in novo iure, iam independenter a conditione pubertatis, determinata aetas praescribitur ; quae tamen non est valde provecta, quia legislatio Ecclesiae est universalis et convenire debet omnibus regionibus, atque providere integritati morum quae in periculum versatur ex nimia matrimonii dilatione.

874. *Principium.* **Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium inire non possunt.** — Ita can. 1067, § 1.

Dicitur : a) *vir ante decimum sextum, mulier ante decimum quartum;* unde applicando regulam can. 34, § 3, 3°, dies nativitatis non computatur, sic ut vir natus die 5ª maii 1930, nonnisi die 6ª maii 1946 annos complevisse censeatur, et mulier eadem die nata, solum 6ª maii 1944.

b) *ante annum... completum;* oportet scil. annos omnino completos esse, ita ut, una etiam die deficiente, matrimonium sit invalidum.

Impedimentum est iuris ecclesiastici. Nam :

1° Aetas inferior, etiam infra pubertatem, non dirimit matrimonium iure naturae, cum iuxta istud sufficiat sufficiens usus rationis et sufficiens matrimonii notitia, ac potestas coëundi saltem futura.

2° Quia vero status coniugalis est perpetuus et summi momenti, ad illum Ecclesia sapienter requirit maiorem corporis et animi maturitatem, quae ante certam aetatem advenire non solet.

3° Diversa statuitur aetas pro viro et muliere, quia facultas generativa citius in feminis quam in maribus evolvi et cessare solet ; unde pubertas legalis etiam diversa constituitur, ita ut masculus a decimo quarto, femina a duodecimo anno censeatur pubes iuxta can. 88, § 2.

Hinc a) validum est matrimonium, etiam si naturalis pubertas nondum advenerit, dummodo adsit aetas legitima, quia Ecclesia potentiam praesentem non exigit, sed aetatem ;

b) e contra invalidum est, si cum pubertate naturali sed ante aetatem requisitam initur.

875. Animadversiones. — 1. Cessat impedimentum lapsu temporis, quoad matrimonium *contrahendum*, adepta scil. aetate canonica.

2. Si vero ante legitimam aetatem fuerit absque dispensatione *contractum*, manet adepta aetate invalidum, estque tunc consensus renovandus, idque in facie Ecclesiae, si nullitas est publica.

3. Etiam tolli potest impedimentum dispensatione Pontificis, quae rarissime conceditur, nisi forsan in quibusdam regionibus missionum, in casu aetatis dubiae ; et ideo in dubio facti non potest dispensare Ordinarius, quia est de illis de quibus Pontifex dispensare non solet extra illas regiones missionum.

4. Dispensatione concessa et celebrato matrimonio, interdicitur cohabitatio coniugum usque ad pubertatem, ob periculum laedendi castitatem.

5. Impedimento, utpote ecclesiastico, non subiiciuntur infideles si inter se contrahant. Si matrimonium initur inter infidelem et fidelem, debet saltem fidelis habere aetatem canonicam, ut validum sit matrimonium.

6. Monet can. 1067, § 2 : « Licet matrimonium post aetatem canonicam contractum validum sit, curare tamen debent animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet ». Ita praesertim in regionibus nostris, in quibus merito provectior aetas exigitur.

Articulus II.

De Impotentia.

S. Th., Suppl., q. 58, a. 1 et 2.

876. Impotentia (*impuissance ; lichamelijk onvermogen*) definitur a S. Raymundo de Pennafort, in Summa, l. 4 : *impossibilitas coëundi, seu vitium animi vel corporis vel utriusque, quo quis impeditur alii carnaliter commisceri.*

Dicitur : 1) *impossibilitas coëundi* i. e. exercendi copulam perfectam seu actum de se aptum generationi ; unde non est mera impotentia generandi seu prolem ex copula procreandi, quae simul stare potest cum potentia coëundi et oriri ex naturali defectu : haec proprie vocatur *sterilitas.*

2) *vitium animi vel corporis vel utriusque*, quo indicantur variae causae spirituales vel corporales ex quibus oriri potest impotentia : alia enim est *organica* ex vitio physico

seu laesione in organis corporalibus ad copulam requisitis, alia *functionalis* ex causa afficiente vitam physiologicam vel psychicam, puta ex vario affectu ut ex odio vel aversione, ex morbis in systema nerveum influentibus, imo ex maleficio, quod tamen nonnisi raro accidit.

3) *quo quis impeditur alii carnaliter commisceri* modo scil. naturali, etsi generatio possibilis esset modo v. g. artificiali. Ad copulam naturali modo perficiendam seu ad actum de se generationi aptum, requiritur ut vir penetret cum peni vaginam mulieris et semen seu sperma in vagina effundat et deponat, mulier autem in vagina semen recipiat.

Impotentia varia distinguitur :

1) Est *naturalis* vel *artificialis*, prout ex causa naturali et intrinseca ut ex vitiosa conformatione aut naturali frigiditate, vel ex causa accidentali extrinseca oritur v. g. ex morbo, laesione aut chirurgica operatione.

2) Est *perpetua*, si vel nullatenus vel saltem non moraliter tolli possit, mediis scil. ordinariis licitis nec graviter periculosis ; e contra *temporanea*, si hisce mediis tolli possit aut etiam sponte cesset.

3) Est *absoluta*, vel *relativa*, prout est ad omnem vel ad determinatam personam.

4) Est *antecedens* aut *consequens*, prout matrimonium praecedit, aut contracto demum matrimonio supervenit.

877. Variae causae impotentiae. — Ut tota res bene intelligatur, animadvertit Em. Card. Gasparri, o. c., n. 509, in humana generatione esse actionem humanam et actionem naturae. *Actio humana* concluditur penetratione membri virilis in vaginam et effusione veri seminis in eadem ; deinde incipit actio naturae [1]. Actionis humanae principium activum est vir, quatenus vas femineum penetrat et verum semen in eodem effundat ; principium passivum est femina, quatenus verum semen recipit in vagina. Actio humana dicitur copula vel coitus. Organa huius humanae actionis sunt ex parte mulieris vagina recipiens, ex parte viri testiculi efformantes et penis

1. Plures hanc distinctionem ignorant vel nec intelligunt, quae tamen hac in re est maximi momenti, atque necessaria ad nonnullas quaestiones practicas solvendas. Quandoque ipsa copula, etiam in documentis ecclesiasticis, vocatur opus naturae, quia natura eam docet et quia tendit ad ipsam naturam transmittendam, non autem quatenus a sola natura fieret absque actione hominis ; unde, ne confusio oriatur, ab hoc modo loquendi potius videtur abstinendum.

emittens verum semen ; elementum activum prolificum est sperma. *Actio naturae* est praecipue mulieris ; eiusque functiones sunt transitus spermatis ad interiora, descensus ovuli in uterum per tubas, fecundatio ovuli maturi, evolutio foetus in utero, partus ; organa huius actionis sunt ovaria in quibus ovula conficiuntur, tubae per quas ovulum ex ovario ad uterum descendit, et uterus.

Itaque : A. *Impotentia* datur *si actio humana ad generationem necessaria non est possibilis*, seu quotiescumque non adsunt organa expedita ad copulam carnalem, vel stante organo copula tamen est impossibilis. Unde :

a) *Apud virum* impotentia est: 1) absentia penis seu membri virilis ; 2) defectus utriusque testiculi vel eorum perfecta contusio aut atrophia ita ut semem testiculare producere non valeant ; 3) vasectomia duplex seu resecatio utriusque canalis semen deferentis ; 4) disproportio penis ; 5) hypospadia et epispadia, qua meatus non in extremo sed in medio penis aperitur, sive ex parte inferiori sive ex parte superiori ita ut semen non possit effundi in vagina[1] ; 6) aphrodisia seu nimia caliditas, ex qua exaggerata excitatione semen ante copulam perditur, et anaphrodisia seu nimia frigiditas, qua erectio penis et expulsio seminis impeditur.

Tria priora faciunt impotentiam absolutam ; quintum et sextum relativam ; quartum facit alterutram. Sextum ordinario non reddit perpetuo impotentem ; pro tertio disputatur an potentia in quibusdam adiunctis restitui possit.

b) *In muliere* impotentia est : 1) defectus vaginae aut ostii in illa, ita ut nullatenus perforari valeat ; 2) nimia arctitudo ; 3) vaginismus, quo ex excessiva excitatione vulva se occludit, penetrationem sufferre nequit, et copulam impedit ; 4) hypertrophia vel volumen magnorum labiorum valde auctum, quod copulae est obstaculum.

In primo casu impotentia adest absoluta, in secundo relativa, in tertio alterutra nec semper perpetua, item in quarto, cum operatione chirurgica defectui mederi possit.

B. Ab impotentia omnino differt *mera sterilitas (onvruchtbaarheid)*, qua, posita actione humana seu copula carnali perfecta, nihilominus ob impedimentum quoddam vel defectum, *impossibilis est actio naturae et generatio.*

In viro est absentia seminis *prolifici*, quia, ob accidentalem et transeuntem causam aut obstructionem, semen hic et nunc zoospermatibus caret, aut ob morbum testiculorum, vesiculae seminalis, uretrae etc., zoospermata vel non satis vivacia sunt, vel nimis celeriter pereunt, vel elemento necessario carent, aut ovulum penetrare non apta sunt.

Qui nunquam posset emittere nisi liquorem aspermaticum,

1. Hypospadiae quandoque mederi quis potest sola mutatione situs in copulando.

aut tantum zoospermata mortua, potius videretur impotens, licet de eo casu disputetur ; at in praxi unusquisque praesumitur verum semen habere, donec contrarium probetur.

In *muliere* est : a) excisio perfecta utriusque ovarii aut perfecta eorum atrophia, ita ut nullum adsit ovulum ; b) vitium aut turbatio organi quo ovulum maturescere nequit; c) impedimentum quo fit, sive naturaliter, sive artificialiter (v.g. ex ligatione aut sectione oviductus aut excisione uteri), ut nulla ovuli et seminis sit possibilis coniunctio.

Ex quibus iam intelligitur cur absentia testiculorum aut emissionis seminis in viro sit impotentia, dum absentia ovariorum vel ovuli in femina non sit. Quia nempe emissio seminis est de essentia copulae de se aptae ad generationem, ovulum autem non est elementum essentiale copulae sed solius generationis. Mulieri ovariis vel ovulis carenti nihil deest ad ipsam copulam perficiendam.

C. Nuperrime quidam dixerunt ad copulam carnalem non requiri ut semen emittatur et in vagina deponatur, sed sufficere ut testiculi illud conficiant, etsi non possit emitti exterius ; unde vasectomicos habent copulae capaces. Sed licet id sufficere possit ad copulationem etiam cum quadam delectatione satiativa, non tamen sufficit ad copulam coniugalem, seu de se aptam generationi. Haec enim natura sua, ex ipsa conditione actus, ac attentis elementis quibus constat, talis est ut generatio sequi possit ; in casu autem actus fit tali modo et conditione, ut ex ipsa constitutione organi omnino impossibilis sit emissio veri seminis ac consequenter generatio, quia elementum essentiale est destructum, nimirum communicatio canalium semen deferentium. Et quamvis possit eiaculari quidam liquor similis semini, non tamen verum semen zoospermatibus refertum (quae sunt elementum essentiale seminis), cum nihil a testiculis elaboratum possit emitti ; unde si talem actum diceremus de se aptum generationi, sane nos deriderent.

Vasectomici, *hoc sub respectu*, similes sunt eunuchis.

Conservant tamen secretionem testiculorum internam, et ideo appetitum sexualem, ac totum energiam et capacitatem ad copulam etiam quadantenus satiativam, et ita obtineri posset finis quidam matrimonii secundarius, sedatio concupiscentiae ; sed cum iste finis sit subordinatus primario fini, non potest licite procurari nisi actu de se apto generationi. « Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ait enc. *Casti connubii*, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio ». Apud vasectomicos autem natura actus pervertitur, eiusque ordo ad generationem radicaliter tollitur.

Ita tenet sententia hucusque per plura saecula communis ; nec nova videtur solide probabilis[1].

1. Sanchez, l. VII, disp. 92, n. 7 sq., rememorans opinionem illorum qui putant ad copulam matrimonialem sufficere solam penetrationem absque seminatione, « quam sententiam, ait, manifeste absurdam praetermittimus ». Apud Gasparri, o. c. n. 515, not. 1, p. 308.

878. *Principium.* **Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit.** — Ita can. 1068, § 1.

Est impedimentum iuris naturalis et divini, quia de essentia matrimonii est mutua corporum traditio in ordine ad copulam suapte natura aptam ad generationem. Nemo autem corpus suum tradere potest ad actum impossibilem, sicut nec valide contractum inire de re impossibili. Sed impotens non valet copulam perficere. Ergo nec potest valide corpus suum ad copulam tradere seu matrimonium inire. Licet enim copula non sit essentialis in matrimonio, de huius essentia tamen est potentia ad illam perficiendam.

Quod ita ostendit S. Thomas, q. 58, a. 1 :

a) « Nullus potest se obligare ad impossibile. Sed in matrimonio homo se obligat ad carnalem copulam, quia ad hoc dat alteri sui corporis potestatem. Ergo frigidus qui non potest carnaliter copulari, non potest matrimonium contrahere...

b) In matrimonio est contractus quidam quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum. Unde, sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere, ita non est conveniens matrimonii contractus si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit. Et hoc impedimentum vocatur impotentia coëundi, nomine generali ».

Hinc : 1º Impotentia antecedens *absoluta* dirimit omne matrimonium, *relativa* solum coniugium inter illas personas, inter quas existit ; et hoc *etiam si alteri parti cognita fuerit,* ut explicite habet can. 1068, licet de hac re olim fuerit disputatum, quod indicat S. Thomas, l. c.

2º Impotentia *temporanea* non dirimit matrimonium, quia non reddit simpliciter ineptum seu incapacem ad copulam, unde non impedit susceptam obligationem ad copulam futuram.

3º Nec impotentia *subsequens,* licet perpetua, dirimit matrimonium, quia supervenit matrimonio valido quod est naturaliter indissolubile : si tamen non esset consummatum, solvi posset potestate ministeriali S. Pontificis.

4º Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit (can. 1068, § 3), quia non est impossibilitas coëundi sed tantum generandi ; hinc valide contrahunt senes, et mulieres excisae.

5º Si, celebrato matrimonio, *certo* detegitur impotentia antecedens et perpetua, nullum est matrimonium et ideo separandi sunt coniuges huius nullitatis conscii : statim quoad torum, etiam quoad habitationem si adsit periculum peccandi, quod tamen requirit interventionem auctoritatis Ordinarii (can. 1131, § 1), quia pertinet ad forum externum et natum est generare scandalum. Si vero velint cohabitare ut frater et soror, id ipsis permitti potest, modo absit periculum incontinentiae et scandali.

6º Ad iudicem ecclesiasticum pertinet sententiam ferre *nullitatis,* probata prius impotentia antecedenti et perpetua, qua posita, potest pars immunis ab impotentia novum coniugium inire.

879. **Impotentia perpetua dubia** esse potest, sive ante matrimonium contrahendum, sive post matrimonium contractum.

A. *Ante matrimonium :* 1. Non potest aliquis matrimonium contrahere antequam dubium diligenti investigatione pro posse solverit ; secus enim periculo se exponit invalidum contrahendi matrimonium et graviter decipiendi compartem.

2. Perdurante dubio post diligentem investigationem potest matrimonium inire, dummodo de dubio moneat compartem, quia praevalet ius homini naturaliter competens ineundi matrimonium, ad quod unusquisque censetur naturaliter aptus donec contrarium probetur (n. 862, C). Unde can. 1068, § 2 : « si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris, sive dubio facti, matrimonium non est impediendum ».

Hinc illi qui a vasectomicis impotentiam putant quadam operatione forsan posse auferri, consequenter asserunt matrimonium ipsis non esse impediendum ; quia dubia est eorum impotentia perpetua. At dubium videtur negativum, utpote in mera hypothesi fundatum, cum hucusque nec ullum referatur factum, de viro vasectomiam passo cui potentia restituta fuerit [1] ; dubia autem negativa non esse, etiam hac in re, attendenda communiter docent. Cum itaque illa operatio sit valde problematica, vasectomicus potius censendus est perpetuo impotens, usquedum constet de potentia sibi restituta. Ceterum, si prudentia monere possit, non de facili esse asserendam impossibilitatem cuiusdam operationis chirurgicae, in quibusdam tamen adiunctis videtur ista impossibilis ; unde non intelligeretur quod generali quadam regula et sine delectu statueretur matrimonium vasectomicis esse permittendum.

B. *Post matrimonium :* 1. Qui serio dubitat, debet diligens examen instituere, et interea a debito petendo abstinere, licet comparti non dubitanti illud reddere teneatur.

2. Si instituto examine dubium remaneat, potest tentare copulam quamdiu spes remaneat illam perficiendi et donec

1. Antonelli, *Medicina Pastoralis,* III, pp. 429-431.

de eius impossibilitate constet, quia standum est pro valore matrimonii (can. 1014).

3. Potest quoque ad cautelam petere, altero etiam dissentiente, dispensationem super matrimonio rato et non consummato, modo inconsummatio probari possit ; at si simul cohabitaverint, praesumitur consummatum, donec contrarium probetur (can. 1015, § 2).

880. Animadversiones practicae.— 1. Parochus vel confessarius, qui a persona matrimonium contractura consulitur quae forsan laborat impotentia, debet illam monere ut rem diligenter investigare et examini peritorum medicorum se subiicere non omittat.

2. Si autem post matrimonium contractum, coniux ipsi exponat se nunquam perficere posse actum coniugalem, prudenter et modeste investigare conetur rei causam ; et si deprehendat esse defectum physicum, suadeat ut res perito proboque medico aperiatur.

3. Si vero advertat coniuges in bona fide versari quantum ad matrimonii valorem, saepius praestat eos in bona fide relinquere ne peiora fiant, saltem si impotentia sit occulta et ideo non sit scandalum timendum, maxime si separatio sit moraliter impossibilis. E contra si in bona fide non sint vel sciant matrimonium esse nullum ; tunc autem casus Ordinario deferatur.

4. Coniux qui dubie est potens, media adhibere tenetur *ordinaria* ad impotentiam curandam, *etiam cum gravi incommodo*, v. g. vir medicinas corroborantes eius debilitatem, mulier linimenta aliaque media, etiam chirurgicalia, ad medendum arctitudini. Unde, ait S. Thomas, q. 58, a. 1, ad 5 : Vir, « si non possit implere carnalem actum cum virgine et possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere et ei coniungi. Nec esset hoc contra naturam, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum ». Potest autem id regulariter fieri absque ullo periculo, ita ut ob hoc mulier vix ab eo tolerando excusari posset, ut notat Theol*i* Mechliniensis, n. 58, IV, ad 2. Non tamen tenetur *cum grav. periculo*, quia id esset medium *extraordinarium*.

Articulus III.

De Vinculo seu Ligamine.

S. Th., Suppl., q. 65, a. 1.

881. Impedimentum vinculi seu ligaminis (*lien conjugal ; bestaande huwelijksband*) consistit in eo quod coniux inhabilis est ad novum matrimonium ineundum durante vinculo prioris ; ergo est ipsum vinculum prioris matrimonii, sive consummati sive non consummati, quo

unus coniux alteri sic ligatur, ut eo vinculo durante, cum nullo alio matrimonium inire valeat.

Ad quod impedimentum duae requiruntur conditiones :

1° Ut prius matrimonium sit validum, sive sit consummatum sive non consummatum.

2° Ut vinculum prioris matrimonii non fuerit legitime solutum, quod fit per mortem, et fieri potest per professionem religiosam solemnem et dispensationem pontificiam pro matrimonio non consummato, pro consummato ex privilegio Paulino discedendi scil. a parte infideli, si necesse sit in favorem fidei.

882. *Principium.* **Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei.**—Ita can. 1069, § 1.

Impedimentum est iuris naturalis et divini, quod dirimit matrimonium contrahendum. Qui enim ius in corpus suum uni tradidit, non potest idem ius alteri tradere, nisi prior contractus legitime solutus sit. Fundatur in proprietatibus matrimonii essentialibus, scil. unitate et indissolubilitate ; et etiam ligat infideles.

Hinc : 1° Qui bona fide existimans compartem, dum adhuc vivat, esse mortuam ad alias nuptias transit, invalide contrahit, licet non peccet ; proles tamen ex secunda unione suscepta reputatur legitima (can. 1114).

2° E contra, existimans compartem mortuam adhuc vivere, graviter peccat dum novam init unionem, licet haec possit esse valida, iuxta dicta n. 808, 2.

3° Qui post contractas alteras nuptias deprehendit priorem coniugem adhuc vivere, debet se separare a secundo coniuge, etsi cum eo prolem genuerit et ex separatione gravia timenda sint mala, quia alterae nuptiae certo sunt nullae. Et ad priorem coniugem per se tenetur redire, nisi detur iusta separationis causa.

883. Corollarium practicum. — « Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit » can. 1069, § 2 ; secus enim matrimonium exponitur periculo nullitatis, et contrahentes periculo adulterii.

a) Debet *certo* constare ; ergo non sufficit probabilitas aut verisimilitudo, nec a fortiori dubium vel ignorantia orta ex eo quod coniux post discessum non miserit nuntium ; sed requiritur vera certitudo moralis.

b) Debet *legitime* constare ; ergo in dubio etiam levi oportet obtineatur authentica declaratio Ordinarii vel S. Sedis de coniugis morte, vel de matrimonii prioris invaliditate aut legitima dissolutione vel dissolubilitate[1].

884. **Poenae in violatores impedimenti** ex mala fide agentes notantur in can. 2356 : « Bigami i. e. qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt ipso facto infames ; et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur », scil. sententia ferenda.

Articulus IV.

De Disparitate Cultus.

S. Th., Suppl., q. 59, a. 1-5.

885. **Disparitas cultus** (*disparité de culte; verschil van eeredienst*) est diversitas religiosi cultus quae existit inter duas personas, quarum altera valide baptizata est, altera non est. Unde de se existit non solum inter catholicos, sed etiam inter acatholicos in haeresi et schismate baptizatos, ac infideles qui non habent cultum christianum ; — non vero inter catholicos et haereticos vel schismaticos, qui eumdem substantialiter cultum habent veri Dei per verum mediatorem Christum.

Spectato iure naturali et divino est generatim impedimentum impediens ob perversionis periculum ; ex iure autem ecclesiastico universaliter est impedimentum, et quidem dirimens, quod paulatim consuetudine est introductum inde a saec. V, quae vim legis obtinuit, ita ut ligaret omnes baptizatos etiam acatholicos a saec. XII ineunte. Nunc autem in novo codice iuris expresse statuitur et lex scripta facta est, quae tamen simul limitata fuit ad catholicos, ita ut impedimento dirimente iam non ligarentur qui, extra Ecclesiam catholicam baptizati, nunquam fuerunt catholici.

886. *Principium.* **Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eamdem ex haeresi aut schismate conversa.** — Ita can. 1070, § 1.

1. De modo quo de morte coniugis aut de matrimonii nullitate constare debet, cfr. decr. S. Off., 27 apr. 1887 cum instr. 13 maii 1868 ; resp. 20 iul. 1898 ; et resp. com. int., 16 oct. 1919. Notetur licentiam ad alias nuptias transeundi dispensationem includere ab impedimento criminis ob solum adulterium, etiam si hujusmodi licentia ab Ordinario loci concessa sit (Can. 1053 et hujus interpretatio a Com. I. C., die 26 martii 1952).

Impedimento canonico subiiciuntur :

1º Omnes *baptizati in Ecclesia catholica ;* scil.

a) Adulti seu rationis compotes qui Baptismum voluntarie susceperunt in ordine ad Ecclesiam catholicam.

b) Infantes qui ex intentione etiam mere interpretativa utriusque vel alterutrius parentis aut locum tenentis, baptizati fuerunt in ordine ad catholicam Ecclesiam ; etsi minister aliter intenderit.

c) Infantes qui ex intentione solius baptizantis in ordine ad Ecclesiam catholicam baptizati sunt, etiam filii acatholicorum, si in casu necessitatis ita baptizentur, ut colligi potest ex S. Off., 1 apr. 1922, vel si illegitime contra praescriptum can. 750-751 ; hoc ultimum tamen a quibusdam revocatur in dubium.

2º Etiam *ad Ecclesiam catholicam ex haeresi aut schismate conversi ;* scil.

a) Qui propria sponte ad Ecclesiam catholicam redierunt et professionem fidei in ea emiserunt.

b) Pueri qui extra Ecclesiam baptizati, ab infantili aetate i. e. saltem ab usu rationis, de facto catholice educati sunt.

3º Et quidem praedicti *omnes, licet ab Ecclesia catholica postea defecerint ;* imo etiam ab acatholicis nati etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt (com. int. 29 apr. 1940), licet id ab aliquibus negatum fuerit propter paritatem cum can. 1099, § 2. At, cum ista exceptio ibi explicite statuatur pro forma celebrationis matrimonii, et e contra in can. 1070 haec exceptio nullatenus indicetur, videtur deesse paritas.

At acatholici extra Ecclesiam catholicam baptizati et ad eam nunquam conversi, novo iure, i. e. a 19 maii 1918, iam valide contrahunt matrimonium cum infideli.

Impedimentum quatenus dirimens est iuris ecclesiastici ; quatenus prohibens etiam oritur ex iure naturali et divino, tum propter perversionis periculum partis fidelis et prolis ; tum quia matrimonium in christianis natum est esse sacramentum quod requirit paritatem Baptismi in utroque suscipiente ; tum quia matrimonium involvit intimam animorum coniunctionem, cui

nihil magis adversatur quam disparitas in cultu seu in supremis vitae religiosae et moralis principiis.

Unde II Cor. VI, 14 : *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras?* quod principium iuris divini etiam matrimonio cum infideli non contrahendo invenitur in traditione Ecclesiae applicatum (cfr. I Cor. VII, 39).

Hinc S. Thomas, q. 59, a. 1 : « 1° Dicitur II Cor. VI, 14 : *Quae conventio lucis ad tenebras?* Sed maxima conventio est inter virum et uxorem. Ergo ille qui est in luce fidei, non potest contrahere matrimonium cum illa quae est in tenebris infidelitatis.

2° Principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda. Cum autem educatio fiat communiter inter patrem et matrem, uterque secundum fidem intendit ad cultum Dei prolem educare. Et ideo, si sint diversae fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit. Et ita non potest inter eos esse conveniens matrimonium. Et propter hoc disparitas cultus praecedens impedit ipsum, ne contrahi possit ». Unde « disparitas cultus contraria est matrimonio ratione principalioris boni ipsius, quod est bonum prolis » (ad 4).

Cum proximum autem perversionis periculum quandoque possit abesse atque graves rationes commendare matrimonium, hinc ius naturale et divinum quandoque non urget, et tunc Ecclesia dispensare potest ab impedimento canonico.

887. Quid in casu Baptismi dubii? — Dubium praecedere potest matrimonium contrahendum aut sequi contractum.

A. *Quoad matrimonium contrahendum.* Si post diligentem inquisitionem dubium de receptione aut validitate Baptismi maneat fundatum, pars catholica dubie baptizata est rebaptizanda sub conditione ; item pars acatholica quae velit converti ; quodsi converti nolit, rebaptizari sub conditione non potest (can. 731, § 2) sed, una cum dispensatione mixtae religionis, ad cautelam petatur dispensatio super cultus disparitate quae in casu, cum agatur de dubio facti, concedi potest ab Ordinario iuxta can. 15.

B. *Quoad matrimonium iam contractum.* In dubio validum semper praesumitur matrimonium, iuxta can. 1070, § 2 : « Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius Baptismus erat dubius, standum est, ad normam 1014, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam ». Haec tamen est mera praesumptio, quae proinde cedit veritati ; unde si persona catholice baptizata inscienter contraxerit cum persona non baptizata, matrimonium de facto est nullum, et ideo convalidandum aut nullum declarandum iuxta can. 1990.

Ad diiudicandum valorem Baptismi, *practicae normae* statutae fuerunt a S. Officio.

a) *Quantum ad inquisitionem instituendam,* ex resolutione 17 nov. 1830 :

1° Quoad haereticos, quorum ritualia praescribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.

2° Quoad alios, qui iuxta eorum ritualia valide baptizant, validum censendum est Baptisma, nec requiritur ulterius examen in casibus particularibus.

3° Si dubium persistat, etiam in primo casu, censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem Matrimonii.

b) *Quantum ad dubium facti, peractis inutiliter investigationibus,* ex resp. 1 aug. 1883 :

1° *Praesumendus est Baptismus,* si quis parentes habuerit pertinentes ad sectam quae eumdem ut necessarium habet, — vel in qua saltem ordinarie administratur et iidem parentes in secta sua zelosi fuerint ; — aut, si iuxta unius tantum parentis sectam et animi zelosam dispositionem praesumptio faveat Baptismo, modo in educatione prolis de facto et indubie primas habuerit partes, nec alter coniux cognoscatur positive contrarius collationi Baptismi.

2° E contra *Baptismus non est praesumendus,* si acatholica pars parentes habuerit pertinentes ad sectam quae Baptismum respuit, vel infantium Baptismum non admittit ; — aut parentes habuerit qui profitebantur se nolle ad ullam sectam pertinere seque Ens supremum honestis potius moribus quam speciali aliquo cultu honorare.

3° *Nihil praesumi potest* et ideo in singulis casibus recurrendum ad S. Sedem, si parentes in sua secta, quae ordinarie Baptismum administrat, socordes fuerint ; — aut ad sectam pertinuerint quae Baptismum non respuit sed eum non habet necessarium et in qua ordinarie non administratur ; — aut si, facta inquisitione, ignoretur an coniux qui Baptismo favet, primas in educatione habuerit partes.

888. Animadversiones. — 1° Cessat impedimentum tum conversione et Baptismo infidelis, tum legitima dispensatione, quae in locis infidelium facilius, in catholicis regionibus raro conceditur, praesertim si agatur de matrimonio cum Iudaeo.

2° Ecclesia tamen nunquam dispensat, nisi ex gravi causa et tantum sub cautionibus quae pro mixtis nuptiis exiguntur. Ceterum omnia quae de mixtis nuptiis praescripta sunt (n. 867), applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat disparitas cultus (can. 1071).

3° Imo invalida est dispensatio, potestate delegata concessa, non requisitis vel denegatis praescriptis cautionibus ; atque matrimonii nullitatem, si de ea ob hanc causam evidenter constat,

ipse Ordinarius declarare potest absque recursu ad S. Sedem (can. 1990; S. Off., 21 iun. 1912).

4° Dispensatio super cultus disparitate olim, ex instr. S. Off., 16 sept. 1824, implicabat dispensationem ab omnibus impedimentis a quibus exempta est pars infidelis, ut consanguinitas in secundo gradu lineae collateralis, etc. At S. Off. declaravit id non amplius valere, 15 apr.- 20 maii 1931 : ob can. scil. 1036, § 3.

Articulus V.

De Ordine sacro et Voto solemni.

S. Th. Suppl., q. 53, a. 2-4.

889. Notiones. — Hoc duplex impedimentum quamdam similitudinem habet, quia utrumque cum obligatione castitatis est connexum : est inhabilitas ad matrimonium contrahendum orta ex susceptione ordinis sacri vel ex emissione voti solemnis in professione religiosa.

1° *Ex ordine sacro (ordre sacré; heilige wijding)*. A primordiis Ecclesiae, tam in Oriente quam in Occidente, vetitum fuit, post susceptum ordinem sacrum, inire matrimonium, conformiter ad dictum apostoli, I Tim. III, 2 ; quod impedimentum ab initio saltem impediens, paulatim factum est dirimens. In Ecclesia latina semper servatum fuit, licet non semper ab omnibus, ut qui matrimonio iuncti ordines sacros reciperent ab uxoribus deinceps separarentur ; atque subdiaconatui adnexa est ab antiquis temporibus (a saec. VI) obligatio coelibatus, cui dein additum est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, saltem a saec. XII. Apud Orientales vero obligatio coelibatus non fuit generatim imposita, nec subdiaconatus est ordo sacer ; ipsi consuetudinem servarunt ut, episcopis exceptis, presbyteri et diaconi retinerent uxores ante ordinationem ductas ; mortua tamen uxore, novum matrimonium inire non valeant. Quod sanxerunt a. 692 in Conc. Trullano.

2° *Ex voto solemni (vœu solennel; plechtige gelofte)*. Votum castitatis perfectae et perpetuae, quod emittitur in professione religiosa solemni qualis in solis Ordinibus religiosis usuvenit, non solum est, sicut votum simplex, impedimentum impediens matrimonii, sed etiam dirimens, quod matrimonium reddit invalidum, ut saltem a saec. XII authentice fuit declaratum.

890. *Principium I.* **Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti.** — Ita can. 1072 conformiter ad Conc. Trid., sess. 24, can. 9.

Tres conditiones requiruntur ut impedimentum incurratur :

1° Ut ordinatio valida sit ;

2° Ut libere sit suscepta absque coactione aut metu gravi ;

3° Ut suscepta sit cum cognitione saltem confusa obligationis cum ordine connexae : non enim vult Ecclesia hanc obligationem imponere clerico nisi ipse velit.

Hinc : a) « Clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea, remoto metu, eamdem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subiicere, ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia iudicis redigatur, sine ullis coelibatus ac horarum canonicarum obligationibus » can. 214, § 2.

b) Similiter in casu ignorantiae obligationis, licet haec ignorantia vix adesse possit, nisi in infantibus qui ordinarentur aut impuberibus.

c) In utroque casu, ad sententiam iudicis probatio institui debet ad normam can. 1993-1998.

Impedimentum, in quantum est dirimens matrimonium contrahendum, est iuris ecclesiastici ; pro ordine tamen episcopatus, ab illo nunquam fuit dispensatum, ita ut quis suspicari posset ibi adesse dispositionem iuris divini. In quantum autem ordo impedimentum est matrimonii contrahendi prohibitivum, inniti videtur convenientiis iuris divini ; at obligatio coelibatus quae in Ecclesia latina adnexa est subdiaconatui certissime est iuris ecclesiastici. Disputari autem potest an impedimentum *immediate* nitatur voto quod adnectitur ordini subdiaconatus, an vero legi ecclesiasticae, quamvis ad praxim nihil referat ; iamvero obligatio continentiae immediate innititur voto, ita tamen ut qui votum elicere non vellet, lege teneretur ecclesiastica, sed ipsa inhabilitas ad matrimonium nihilominus videtur immediate oriri ex lege ecclesiastica.

Hinc S. Thomas : « Ordo sacer de sui ratione habet, ex quadam congruentia, quod matrimonium impedire debeat ; quia in sacris ordinibus constituti vasa sacra et sacramenta tractant, et ideo decens est ut munditiam corporalem per continentiam servent. Sed quod impediat matrimonium, ex constitutione Ecclesiae habet. Tamen aliter apud Latinos quam apud Graecos. Quia apud Graecos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis. Sed apud Latinos impedit ex vi ordinis, et ulterius ex voto continentiae, quod est ordinibus adnexum : quod etiam si quis verbotenus non emittat, ex hoc ipso quod ordinem suscipit secundum ritum Occidentalis Ecclesiae, intelligitur

emisisse. Et ideo apud Graecos et alios Orientales sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonii prius contracti usum : possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint de novo contrahere. Sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium et matrimonii usum : nisi forte, ignorante aut contradicente uxore, vir ordinem sacrum susceperit ; quia ex hoc non potest ei aliquod praeiudicium generari... Ordo enim ubique impedit matrimonium contrahendum, quamvis non ubique habeat votum adnexum » q. 53, a. 3 et ad 2.

891. Animadversiones. — 1. Dispensatio ab hoc impedimento nunquam conceditur episcopis, rarissime presbyteris et potius ob causam publicam, minus raro diaconis et subdiaconis, etiam ob causam privatam.

2. Licet ordo irritet matrimonium contrahendum, matrimonium tamen contractum de se non impedit ordinem. Attamen, iuxta hodiernam disciplinam Ecclesiae latinae, viri uxorem habentes sunt simpliciter ad ordines impediti (can. 987). Unde coniugatus qui sine dispensatione apostolica ordines maiores, licet bona fide, suscepit, ab eorumdem ordinum exercitio prohibetur (can. 132, § 3) ; si vero legitime ad eos promoveatur, vivente et consentiente uxore, ad eamdem continentiam tenetur ac si ordinatus fuisset ante matrimonium et ab usu matrimonii abstinere tenetur (can. 132, § 1), ita quod proles esset sacrilega et illegitima (can. 1114).

3. Depositus, degradatus vel redactus ad statum laicalem non ideo liberatur ab obligatione coelibatus (can. 213, § 2) ; nisi simul ab ea dispensationem obtinuerit.

892. *Principium II.* **Invalide matrimonium attentant religiosi qui vota solemnia professi sint,** aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi. — Ita can. 1073, conformiter ad Conc. Trid., sess. 24, can. 9.

Tres requiruntur conditiones ad impedimentum :

1° ut quis sit religiosus professus, quod intelligendum est de religiosis utriusque sexus (can. 490) ;

2° ut valide sit professus, ex spontanea et plena libertate et secundum alias conditiones can. 572 indicatas ;

3° ut professus sit castitatem perfectam per vota solemnia, quae ab Ecclesia ut talia sint agnita (can. 1308, § 2) et quae in solis Ordinibus religiosis fiunt, licet in iis nonnunquam emittantur simplicia.

Quandoque voto simplici additur vis irritandi matrimonium, uti professioni simplici in Societate Iesu emissae ; sed ita ex

speciali praecepto fit S. Pontificis potius quam ex impedimento canonico proprie dicto.

Ex quonam iure oriatur impedimentum voti solemnis diu fuit disputatum. Recentiores generatim ut certum habent illud oriri ex solo iure ecclesiastico, tum quia votum solemne non differt ex natura sua a voto simplici, sed solemnitas tota est ex voluntate Ecclesiae et ex effectibus iuridicis ab ea adnexis, tum quia Ecclesia nonnunquam ab hoc impedimento dispensavit, etiam ob bonum privatum. Alii praesertim antiquitus essentialem ponunt differentiam inter votum solemne et simplex : hoc consistit in simplici promissione rei Deo tradendae, illud insuper in actuali traditione de se irrevocabili in dominium Dei atque spirituali consecratione voventis quam Ecclesia nomine Dei acceptat; quae quamdiu durat, matrimonium irritat, adeoque ex iure naturali et divino. Unde Ecclesia non potest impedimentum auferre, nisi prius nomine Dei remittat obligationem specialem solemnis voti.

Id conformius videtur S. Thomae qui ita scribit :

« 1° Ille qui facit votum solemne, contrahit matrimonium spirituale cum Deo, quod est multo dignius quam materiale matrimonium. Sed materiale matrimonium prius contractum dirimit matrimonium post contractum. Ergo votum solemne.

2° Omnes dicunt quod, sicut votum solemne impedit contrahendum, ita dirimit iam contractum. Quidam autem... dicunt quod hoc est propter statutum Ecclesiae. Sed hoc non sufficit ; quia secundum hoc Ecclesia posset etiam contrarium statuere. Quod non videtur verum.

Et ideo dicendum est, cum aliis, quod votum solemne ex sui natura habet quod dirimat matrimonium contractum : in quantum scil. per ipsum homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens. Et ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris matrimonium contrahendo. Et quia matrimonium quod sequitur tale votum, nullum est, ideo votum praedictum dirimere dicitur matrimonium contractum... Ergo votum solemne habet actualem exhibitionem proprii corporis, quam non habet votum simplex » q. 53, a. 2 et ad 3.

893. Poenae in transgressores. — 1. « *Clerici in sacris constituti* vel *regulares* aut *moniales post votum solemne castitatis*, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in *excommunicationem latae sententiae Sedi apostolicae simpliciter reservatam* » can. 2388, § 1.

2. *Clerici* praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro

adiunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, *degradentur* (can. 2388, § 1).

3. *Iidem* ipso facto et sine ulla declaratione *amittunt omnia officia ecclesiastica* (can. 188, 5°).

4. *Clerici* in ordinibus sacris et *regulares* sunt *irregulares* ex delicto (can. 985, 3°).

5. *Religiosi* incurrunt ipso facto poenam *dimissionis ex religione* (can. 646, 3°).

Articulus VI.

De Raptu et Crimine.

S. Th., Suppl., q. 60, a. 2.

894. Materia tractanda. — Hoc duplex impedimentum commune habet quod oritur utrumque ex speciali delicto. Primum, scil. raptus, a Conc. Trid. fuit inductum, sess. 24 de ref., c. 6, ad plenam libertatem matrimonii tuendam ; — alterum, iam a multis saeculis existens, sed per decretales ampliatum et magis definitum, atque denuo confirmatum, oritur ex crimine qualificato, scil. ex adulterio aut coniugicidio, sub quibusdam conditionibus patrato ; id autem introductum ab Ecclesia fuit ut fidei coniugali et coniugum incolumitati consulatur, ita quod omni spe coniugii detracta, ab istis criminibus arceat eaque commissa iuste etiam puniat.

895. Raptus (*enlèvement ; gewelddadige ontvoering, schaking*), ut est matrimonii impedimentum, definitur : Violenta mulieris invitae abductio sub alterius potestate, matrimonii ineundi causa. Dicitur :

1° *Abductio* sub alterius potestate, quo nomine venit non solum translatio de loco in locum moraliter alium, sed etiam detentio sub potestate alterius, quae abductioni est moraliter aequivalens.

Quod olim disputari poterat, nunc autem est certum ex can. 1074, § 3 : « Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet ».

2° *Mulieris invitae*, non viri, quia lex respicit id quod communiter, non quod raro et exceptionaliter contingit,

et quia libertas mulieris, utpote infirmioris, magis est protegenda.

Mulier autem intelligitur quaecumque, sive virgo sive corrupta, sive aetate minor sive maior, sive sponsa sive vidua, sive honesta sive inhonesta aut infamis.

3° *Violenta*, per vim scil. physicam, vel moralem ut per minas et metum gravem, muliere scil. invita et repugnante.

Oportet ut violentia inferatur ipsi mulieri in ordine ad matrimonium ; unde a) vis illata parentibus non sufficit ; b) nec sufficit ut mulier blanditiis, importunis precibus, muneribus aut falsis promissionibus inducta voluntarie sequatur, quod dicitur raptus seductionis, quia est magis fuga quam raptus ; c) non refert tamen, sive raptor per se sive per alium mulierem violenter abducat, sive penes se sive penes alium eam in sua retineat potestate : quo casu mandans impedimentum contrahit, non vero mandatarius ; e contra si quis sine mandato pro alio agat, non habetur impedimentum ; d) non requiritur quod mulier invita sit quoad ipsam abductionem vel detentionem ; sufficit quod sit quoad solum matrimonium ineundum.

4° *Matrimonii ineundi causa*, non autem alius finis, licet pessimi, ut vindictae, vel etiam explendae libidinis : sic differt raptus, ut est impedimentum matrimonii, a raptu qui est species luxuriae.

Adest tamen impedimentum, si mulier quae prius ob causam libidinis rapta est, deinde invita per vim intuitu matrimonii detineatur.

996. *Principium I.* **Inter virum raptorem et mulierem, intuitu matrimonii raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium.** — Ita can. 1074, § 1, confirmans Conc. Trid., l. c.

Triplex ad contrahendum impedimentum requiritur conditio : violentia, abductio vel detentio in locum sub raptoris potestate, et matrimonii ineundi intentio. Quibus impletis, impedimentum existit tantum inter raptorem et raptam, et quidem quamdiu ipsa sit in raptoris potestate ; nam eo ipso quod mulier libertate donatur cessat impedimentum, unde can. 1074, § 2 : « Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat ».

Impedimentum est iuris ecclesiastici : etsi enim cum raptu plerumque coniunctus sit metus gravis, impedimentum tamen raptus non ratione metus matrimonium dirimit, sed est impedimentum distinctum, quod existit quamdiu sub potestate raptoris constituta sit mulier, licet in coniugium sponte et libere consentiat.

897. **Crimen** (*crime; misdaad* of *misdrijf*), quod est matrimonii impedimentum, consistit in iniuria quam ambo, qui matrimonium inire intendunt, matrimonio unius illorum iam existenti inferunt, seu in complicitate qualificata contra coniugii honestatem.

Ex triplici crimine oritur ac proinde revera triplex est impedimentum :

1m *ob solum adulterium* cum promissione vel attentatione matrimonii,

2m *ob adulterium cum coniugicidio* ab uno commisso,

3m *ob solum coniugicidium* communi opera commissum.

Denominari solet impedimentum a morte seu caede coniugis, et ideo respective dicitur contrahi vel *neutro machinante* seu *patrante;* — vel *uno machinante et patrante;* — vel *utroque machinante ac patrante.*

Nam, ut ait S. Thomas, q. 60, a. 2 :

« 1° In eo quo quis peccat, debet etiam puniri. Sed peccat contra matrimonium qui uxorem occidit (vel adulterat). Ergo debet puniri ut matrimonio privetur.

2° Uxoricidium ex statuto Ecclesiae matrimonium impedit... et... quandoque dirimit contractum : ut quando aliquis interficit uxorem suam ut ducat eam cum qua moechatur. Tunc enim efficitur illegitima persona simpliciter ad contrahendum cum illa, ita quod, si de facto cum ea contraxerit, matrimonium dirimitur. Sed per hoc non efficitur simpliciter persona illegitima respectu aliarum mulierum ».

898. *Principium II.* **Valide contrahere nequeunt matrimonium, qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo, vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt.** — Ita can. 1075, 1°.

Conditiones ad impedimentum requisitae, sunt :

A. *Ex parte adulterii*, ut sit *verum, formale et consummatum.*

1° Sit *verum* ita ut alter saltem complex sit valido matrimonio ligatus.

2° *Formale* ex utraque parte, i. e. ut uterque sciat unius saltem eiusdemque complicis statum coniugalem atque ita uni eidemque matrimonio inferatur iniuria.

3° *Consummatum* per copulam perfectam qua alias matrimonium consummatur ; copula autem habita perfecta praesumitur.

B. *Ex parte fidei datae seu promissionis*, ut sit *vera, libera, absoluta*, et *mutuo data et acceptata ;* vel *matrimonii attentatio.*

1° Sit *vera* et seria, non ficta seu iocosa. Lex enim irritans est strictae interpretationis (can. 19), unde quaelibet fictio etiam mere interna videtur obstare quominus adsit impedimentum.

2° *Libera*, non metu gravi vel dolo extorta aut errore substantiali vitiata.

3° *Absoluta*, non mere conditionata, nisi conditio suspensiva ante mortem coniugis impleta sit, quia tunc promissio iam transiit in absolutam.

4° *Mutuo data*, ut nunc certum est ex tenore canonis, et *acceptata* verbo vel signo ; unde non sufficit quod una pars promittat, si altera negative se habeat, a fortiori si reiiciat.

5° *Vel attentatio matrimonii*, qua conscii impedimenti ligaminis, vere et serio sibi mutuo praestant, licet invalide, consensum coniugalem : parum refert quo pacto attentatio et in qua forma fiat, sive publica a codice praescripta, sive prorsus clandestina, sive mere civili.

C. *Ex parte adiunctorum*, ut promissio vel attentatio et adulterium scienter fiant *stante eodem coniugio*, ita ut simul violent fidem eidem coniugi debitam [1], sive promissio aut attentatio matrimonii praecedat adulterium, sive subsequatur.

Hinc non oritur impedimentum si promissio adulterio accedat post mortem coniugis aut si facta fuerit vivente primo coniuge, adulterium vivente secundo, vel vice versa ; aut si prius facta, ante adulterium fuit retractata et id complici notificatum, nec post illud iterata ; — e contra si retractata fuerit post adulterium, non cessat impedimentum quod iam est contractum.

---

1. Sunt qui requirunt promissionem matrimonio iniuriosam tum *materialiter* tum *formaliter*. Unde si adulter cum uxoris sorore, huic postea tantum promittat matrimonium coram ipsa uxore moribunda et quidem consentiente et impetrante in gratiam prolis natae, non adesset impedimentum. Ita De Smet, o. c., n. 659, et Marc, Th. M. II, n. 2033. Sed id non admittit Prümmer, Th. M. III, n. 824, quia consensus coniugum non aufert iniuriam matrimonio illatam.

899. *Principium III.* **Valide contrahere nequeunt matrimonium, qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit.** — Ita can. 1075, 2°.

Conditiones requisitae ad contrahendum impedimentum sunt :

A. *Ex parte adulterii*, ut sit *verum, formale, consummatum*, ut dictum est n. praec.

Nulla requiritur promissio aut attentatio matrimonii.

B. *Ex parte coniugicidii*, ut *ex machinatione alterutrius adulterorum mors secuta* sit, sive occidatur coniux proprius, sive coniux complicis.

Oportet igitur : 1° Ut *mors coniugis* ab alterutro adulterorum *machinetur*, actione physica vel morali, et quidem ex intentione matrimonium contrahendi cum complice adulterii, *probabiliter* quoque secundum plures, huic manifestata, quae tamen intentio praesumitur in foro externo ; non vero ut ambo in occisionem conspirent.

2° Ut *mors realiter* ex actione *sequatur;* non ex alia causa, etiam si approbetur vel rata habeatur.

3° Ut *adulterium praecedat* actum qui est causa mortis.

C. *Ex parte adiunctorum*, ut *perdurante eodem legitimo matrimonio* fiant.

Coniux scil. cui mors infertur idem sit oportet, qui tempore commissi adulterii coniux erat.

900. *Principium IV.* **Valide contrahere nequeunt matrimonium, qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt.** — Ita can. 1075, 3°.

Conditiones ad incurrendum impedimentum requisitae sunt :

A. *Ex parte machinationis*, mutua *conspiratio*, ut scil. uterque alterutrius coniugis caedem machinatus sit.

Unde non sufficit occisionis ab altero patratae ratihabitio vel approbatio.

B. *Ex parte coniugicidii*, veri coniugis *mors vere secuta* ex utriusque complicis cooperatione sive physica sive morali.

Non tamen requiritur ut eadem actione positiva cooperati sint, sed sufficit quod unus consulat vel consentiat alteri physice agenti ; imo etiamsi neuter physice cooperetur, sed uterque moraliter tantum et per alium, v. g. mandato vel efficaci consilio, mortem causet.

C. *Ex parte finis*, ut fiat *ex intentione matrimonii ineundi cum complice.*

Finis enim legis est, ne quis spe matrimonii propriam vel alterius coniugem occidat. Requiritur ergo ut saltem in uno complice adsit intentio matrimonii atque alteri sit manifestata ; quod in fero externo praesumitur.

901. Animadversiones. — 1. *Impedimenta sunt iuris ecclesiastici;* unde Ecclesia in iis *dispensare potest.* Rarissime tamen dispensat in impedimento raptus et nisi constet de libero consensu mulieris, de quo, ut revera libere emittatur, curare erit parochi ; item in coniugicidio ab uno vel utroque machinante, praesertim publico. In *solo* adulterio facilius dispensatur, ad vitandum scandalum ; imo in dispensatione super matrimonio rato non consummato, et in permissione a S. Pontifice, — non item ab Ordinario, — data transeundi ad alias nuptias ob mortem praesumptam coniugis, continetur implicite dispensatio super hoc impedimento, non vero ab aliis (can. 1053).

Urgente mortis periculo, ob gravem causam, dispensatio super omnibus conceditur.

2. *Infideles non subiiciuntur istis impedimentis*, dum contrahunt inter se, etsi postea convertantur ; nisi lex civilis eadem statuerit. At si una pars est fidelis et impedimentum contrahat, indirecte infidelis attingitur impedimentis : ita non solum pro raptu, quia lex inhabilitat raptorem et raptam ; sed etiam pro crimine, dummodo pars fidelis omnes conditiones impleat ad impedimentum requisitas, non vero si solus infidelis fecerit. Sic v. g. si fidelis, promisso matrimonio, cum infideli adulteret, aut si caedem patraverit, vel particeps fuerit machinationis.

3. *Ignorantia impedimentorum*, utpote legum irritantium aut inhabilitantium, *ab iis non excusat*, quod nunc ob can. 16, § 1 omnino certum est, etiam de crimine de quo ante codicem disputabatur.

4. *Multiplicari impedimenta possunt*, multiplicata alius impedimenti causa. Ita :

a) *ratione criminis diversi* erga idem matrimonium, ut si adulterio cum promissione matrimonii addatur huius attentatio aut coniugicidium ;

b) etiam *ratione multiplicis matrimonii*, ut si ambo sint coniugati et adulterium committant aut uterque coniugem caedat ; vel si unus successive duo coniugia ineat et durante utroque adulterium cum tertia persona committat ipsi matrimonium promittens.

Non autem multiplicantur ex eodem delicto in idem matrimonium numerice multiplicato.

5. *In praxi :* Si impedimentum raptus cesset, parochus tamen matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, cuius erit iudicare num revera cessaverit, et mulier in loco tuto et libero sit. De impedimento criminis autem parochus vel confessarius ne inquirat nisi prudens suspicio subsit ; suspecti sunt qui tempore anterioris matrimonii in adulterium inciderunt, et qui post mortem coniugis sine mora ad novas nuptias transeunt cum persona ad domum vel familiam pertinente, praesertim si prior coniux ante mortem diu aegrotaverit. Ad quod investigandum prudenter rogari potest : num, vivente priore coniuge, iam consuetudinem cum illa persona habuerit, aut nimis familiariter egerit, an nuptias multum desideraverit, an prioris coniugis pertaesus fuerit, eius mortem optaverit, causam aliquam eius morti dederit, etc.

Articulus VII.

De Cognatione, carnali, spirituali et legali.

S. Th., Suppl., q. 54, 56 et 57.

902. Cognatio (*parenté ; verwantschap*) hic intelligitur propinquitas seu coniunctio personarum, quatenus matrimonii est impeditiva ; quae *ratione causae seu originis*, distinguitur *triplex : naturalis seu carnalis, — spiritualis, —* et *legalis*, prout oritur ex naturali generatione seu filiatione, ex spirituali generatione et filiatione, vel ex legali filiatione seu adoptione.

903. Cognatio carnalis seu consanguinitas (*parenté naturelle, consanguinité ; natuurlijke- of bloedverwantschap*) est propinquitas seu coniunctio personarum, quarum una ab altera, vel omnes ab eodem stipite propinquo per carnalem generationem descendunt. Fundatur in communione sanguinis, quae per naturalem generationem ex copula carnali, licita vel illicita, ex patre simul et matre, aut ex alterutro derivatur. Unde matrimonium aeque prohibetur inter cognatos et agnatos, uterinos, consanguineos et germanos.

Ut consanguinitas bene intelligatur, distinguere oportet stipitem, lineam et gradum. *Stipes* est persona ex qua aliae descendunt. *Linea* est series ordinata personarum ab eodem stipite

descendentium. *Gradus* est mensura distantiae unius personae ab altera in eadem consanguinitatis linea.

Linea alia est *recta*, quae constituitur ex personis quarum una ab altera descendit, et subdividitur in lineam *descendentium* qui ab aliis originem trahunt, et *ascendentium* a quibus aliae oriuntur ; alia *transversa, obliqua* seu *collateralis*, quae constituitur ex personis quae a communi stipite descendunt, quin tamen una ab alia procedat. Haec autem est *aequalis* vel *inaequalis*, prout personae collaterales *pari* gradu vel *diverso* a communi stipite distent.

Ad gradum consanguinitatis computandum, sequentes in iure canonico valent regulae ex can. 96 :

1° In linea *recta* tot sunt gradus quot generationes ; seu quot personae lineam componentes, stipite dempto. Sic pater et filius in primo, avus et nepos in secundo gradu consanguinei sunt.

2° In linea *collaterali aequali* tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae, seu quot personae in una serie, stipite dempto. Sic frater et soror in primo gradu sunt, consobrini in secundo.

3° In linea *collaterali inaequali* tot sunt gradus quot generationes, in tractu lineae longiore, seu quot personae in serie remotiore, stipite dempto. Sic avunculus cum sua nepte consanguineus est in secundo gradu ; ab aliis dicitur : in secundo gradu tangente primum, vel secundus mixtus cum primo. Gradus inaequalis seu mixtus ex stylo curiae est in petitione dispensationis exprimendus.

Notetur in iure civili universaliter valere regulam : tot sunt gradus quot generationes. Hinc in linea recta eadem est computatio ac in iure canonico ; in linea collaterali diversa est, ita ut gradus ex utroque latere computentur et ideo duplicentur in linea aequali, in linea inaequali addantur ad invicem.

904. *Principium I.* **In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales, i. e. indefinite.** — Ita can. 1076, § 1.

Ratio est reverentia et subiectio ascendentibus debita quacum non congruunt officia coniugum ; unde impedimentum est iuris naturae. Quod ita ostendit S. Thomas, q. 54, a. 3 :

« 1° Illud quod habet natura humana in prima sui conditione, est de lege naturae. Sed a prima sui conditione hoc habuit humana natura, quod pater et mater a matrimonio excluderentur, quod patet per hoc quod dicitur, Gen. II, 24 : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem ;* quod non potest intelligi quantum ad cohabitationem, et sic oportet quod intelligatur quantum ad matrimonii coniunctionem. Ergo consanguinitas impedit matrimonium secundum legem naturae...

2° In matrimonio illud contra legem naturae esse dicitur per quod matrimonium redditur incompetens respectu finis ad quem est ordinatum. Finis autem matrimonii per se et primo est bonum prolis. Quod quidem per aliquam consanguinitatem, scil. inter patrem et filiam vel filium et matrem, impeditur, non quidem ut totaliter tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem suscipere et simul cum patre nutrire et instruere, in quibus bonum prolis consistit; sed ut non convenienti modo fiat. Inordinatum enim est quod filia patri per matrimonium iungatur in sociam, causa generandae prolis et educandae, quam oportet per omnia patri esse subiectam velut ex eo procedentem. Et ideo de lege naturae est ut pater et mater a matrimonio repellantur. Et magis etiam mater quam pater; quia magis reverentiae quae debetur parentibus derogatur si filius matrem, quam si pater filiam ducit in uxorem, cum uxor viro sua aliqualiter debeat esse subiecta ».

905. *Principium II.* **In linea collaterali matrimonium irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur.** — Ita can. 1076, § 2.

Triplex ratio impedimenti indicatur a S. Thoma, II-II, q. 154, a. 9 : 1. reverentia parentibus et per consequens aliis consanguineis debita qui ex iisdem parentibus originem trahunt, cui contraria est turpitudo inhaerens venereae commixtioni; — 2. refrenatio concupiscentiae inter consanguineos qui familiari consuetudine utuntur; — 3. extensio amicitiae cum extraneis. Cfr. q. 54, a. 3. Quibus addi potest ratio ordinis physici, quia damnum ex his coniugiis, vi haereditatis, facilius oritur proli.

Impedimentum est iuris ecclesiastici, excepto primo gradu : matrimonium scil. inter fratrem et sororem, videtur potius potius esse contra ius naturale, non quidem primarium sed secundarium, et contra ius divinum.

Iuxta hodiernam disciplinam :

1° *Impedimentum reddit matrimonium irritum usque ad 3^m^ gradum inclusive*, sed non ultra, etsi remotior gradus sit mixtus cum propinquiore, v. g. quartus cum secundo. Unde dici potest matrimonium iniri non posse inter eos quorum avi sunt fratres vel sorores, posse vero si remotiori gradu distent; — seu a. v. impedimentum non se extendere ultra consobrinorum filios, et pronepotes.

Olim usque ad 7^m gradum urgebat, postea a Conc. Lat. IV et a Trid., sess. 24, c. 4, reductum fuit usque ad 4^m, a novo codice iuris usque ad 3^m gradum. Ratio est quia, ut explicat S. Thomas, q. 54, a. 4, olim consanguinei magis in una familia cohabitare solebant; nunc autem ad remotiores consanguineos quasi nullum faedus maioris amicitiae quam ad extraneos habetur. Unde ultra inutile est gradus consanguinitatis prohibere, ac etiam periculosum, quia concupiscentia praevalente, numerosam consanguineorum multitudinem homines non satis observant.

2° *Impedimentum toties tantum multiplicatur, quoties communis stipes multiplicatur.* Ex multiplicata scil. consanguinitate multiplicatur impedimentum, quoties scil. personae communicant in eodem sanguine ob multiplicationem stipitis communis, seu quoties a pluribus stirpibus descendunt.

Ante novum codicem iuris, etiam multiplicabatur consanguinitas ex eo quod alteruter vel uterque sponsorum *multiplici via* a communi stipite descendebat; nunc autem ex eo solum quod multiplicatur stipes communis. Id autem fieri potest triplici modo : a) Si plures viri inter se consanguinei prolem genuerunt ex mulieribus inter se consanguineis. b) Si quis successive prolem genuit ex pluribus personis inter se consanguineis successive ductis. c) Si quis prolem genuit ex persona sibi consanguinea, et ascendentes communes iam sunt inter se consanguinei. Plures autem causae multiplicis consanguinitatis etiam in uno casu possunt simul occurrere.

906. Animadversiones. — 1. Impedimentum consanguinitatis, etiam quatenus est ex iure naturae statutum, non solum est impediens, sed dirimens, quod necessarium est ut lex efficaciter ab his matrimoniis removeat et attingat finem suum.

2. Hinc in impedimento quod certo aut probabiliter est iuris naturalis aut divini, Ecclesia dispensare non potest; unde can. 1076, § 3 : « Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis ».

3. In aliis gradibus valet Ecclesia dispensare; et quidem in tertio gradu facile, minus facile in secundo gradu aequali, in secundo tangente primum difficulter dispensat. Atque iuxta can. 1052, valet dispensatio, licet in petitione vel concessione error circa gradum irrepserit, modo gradus revera existens sit inferior, aut licet reticita fuerit multiplicitas impedimenti in aequali vel inferiore gradu.

4. Infideles, dum inter se contrahunt, subiiciuntur impedimentis iuris naturalis et divini, non vero impedimentis iuris ecclesiastici. Unde matrimonia inita inter infideles consanguineos in linea recta vel in primo gradu lineae collateralis, habenda sunt ut invalida; practice tamen recurrendum est ad

s. Sedem. Cum aliis consanguineis inita valida sunt, nisi princeps civilis impedimentum statuerit ; si impedimentum sit dubium, concludendum est pro nullitate matrimonii, in favorem fidei.

5. Ut facilius detegatur consanguinitas ubi ignotus est stipes, supra nomina sponsorum scribantur nomina eorum ascendentium usque ad tertium gradum. Quodsi nomina inveniantur utrique sponso communia, adest impedimentum, et tunc computetur gradus quo uterque a tali nomine communi distet; secus non adest impedimentum. — Si adsit, speciatim attendendum ad tres modos quibus multiplicatur[1].

907. Cognatio spiritualis (*parenté spirituelle ; geestelijke verwantschap*) est propinquitas seu coniunctio personarum exsurgens ex collatione et susceptione sacramenti Baptismatis quo homo spiritualiter generatur. Hinc statuit Ecclesia impedimentum dirimens inter parentes spirituales et filios spirituales, scil. inter ministrum atque patrinum sacramenti ex una parte, et subiectum recipiens ex alia parte.

---

1. Liceat tres modos schematice proponere :

a. Viri consanguinei prolem generantes ex mulieribus consanguineis :



Inter Ludovicum et Eugeniam existit duplex impedimentum in 2° gradu consanguinitatis, quia duplicem stirpem communem habent, parentes scil. tum patris tum matris suae.

b. Vir ex pluribus consanguineis successive generans prolem :



Inter Iosephum et Mariam duplex adest impedimentum consanguinitatis, alterum in 2°, alterum in 3° gradu, quia habent duplicem stirpem communem, Leonem scil. eorum avum, et Ioannem eorum praeavum.

c. Vir prolem generans ex consanguinea, seu ascendentes communes iam consanguinei :



Inter Iosephum et Mariam duplex adest impedimentum consanguinitatis, alterum in 2° gradu, ex stirpe communi Luca, alterum in 3° ex stirpe communi Ioanne.

Ex Confirmatione etiam oritur cognatio spiritualis, quia est sacramentum perfectae nativitatis spiritualis ; at in novo iure ex hoc sacramento non amplius nascitur impedimentum matrimonii.

908. *Principium III.* **Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, quam contrahunt cum baptizato baptizans et patrinus.** — Ita can. 1079 et 768.

Impedimentum est iuris ecclesiastici, quod proinde a solis baptizatis contrahitur. Infideles ipsi nullo modo subiiciuntur, nec indirecte, quia cognatio, cum sit relatio mutua, ex una parte baptizata oriri nequit ; nec si postea baptizentur, quia cognatio spiritualis non fuit, ac proinde reviviscere non potest.

Conditiones requisitae ad contrahendum impedimentum sunt :

A. *Ex parte sacramenti*, ut Baptismus sit *valide* collatus.

Hinc a) etiam oritur ex Baptismo privato sine solemnitatibus (can. 762, § 2) ;

b) non oritur ex meris solemnitatibus suppletis (ib.) ;

c) si Baptismus sub conditione renovatur, oritur tantum si idem in utroque Baptismo fungatur[1] (can. 763, § 2).

B. *Ex parte ministri*, ut non solum valide baptizet, sed et sit ipse *baptizatus*.

Parentes qui prolem baptizant etiam extra casum necessitatis, non amplius incurrunt cognationis impedimentum impediens usum coniugii.

---

1. Id certum est pro patrino, ob can. 763, § 2. De ministro nihil explicite in iure statuitur, et ideo de iure disputari potest. Aliqui dicunt subsistere ius anterius, et ideo subsistere impedimentum dubium : quod, cum dubium sit *dubio facti*, de eo est dispensatio petenda ad cautelam, iuxta normam can. 15. Alii ex analogia concludunt, sicut pro patrino, cognationem non esse ortam. Hinc stante *dubio iuris*, impedimentum non urget, ut ait idem can. 15.

C. *Ex parte patrini*, ut *omnes conditiones* adsint requisitae ad hoc quod *valide* patrinum egerit sicut diximus, n. 171 (can. 765).

Hinc a) si per procuratorem munus patrini exerceatur, solus mandans impedimento afficitur, non mandatarius ;

b) si quis ex errore susceperit unum infantem pro alio, non censetur contrahere cognationem, nisi habuerit intentionem quemcumque suscipiendi ;

c) omnes et soli levantes qui designantur contrahunt cognationem ; ultra designatos nullus, etsi in actu Baptismi infantem tenuerit.

Post novum codicem iuris non amplius oritur impedimentum inter baptizantem aut patrinum et baptizati parentes.

Convenientiam impedimenti ostendit S. Thomas :

« 1° Quanto aliquod vinculum sanctius est, tanto magis est custodiendum. Sed vinculum spirituale est sanctius quam corporale. Cum ergo vinculum propinquitatis corporalis matrimonium impediat, videtur etiam quod cognatio spiritualis idem faciat.

2° Sicut per carnalem propagationem homo accipit esse naturae, ita per sacramenta accipit esse spiritualis gratiae. Unde, sicut vinculum quod ex carnis propagatione contrahitur, est homini naturale in quantum est res quaedam naturae ; ita vinculum quod contrahitur ex sacramentorum susceptione, est aliquo modo naturale alicui in quantum est membrum Ecclesiae. Et ideo, sicut carnalis cognatio impedit matrimonium, ita spiritualis, ex Ecclesiae statuto » q. 56, a. 1.

« Sicut in generatione carnali aliquis nascitur ex patre et matre, ita in generatione spirituali aliquis nascitur filius Dei sicut patris et Ecclesiae sicut matris. Sicut autem ille qui sacramentum confert, gerit personam Dei, cuius instrumentum et minister est : ita ille qui baptizatum suscipit de sacro fonte... gerit personam Ecclesiae. Unde ad utrumque spiritualis cognatio contrahitur » a. 3.

Multiplicari impedimentum potest, multiplicato eius fundamento : casu quo idem sit baptizans et patrinus, qui munus nempe patrini per procuratorem exerceret, duplex adesset cognatio spiritualis inter baptizantem et baptizatum. Non tamen multiplicatur ex eo quod aliquis eorumdem parentum plures filios in Baptismo teneat (S. Off., 29 apr. 1894) ; eo vel magis quod nunc iam nullum oriatur impedimentum cum parentibus.

909. Cognatio legalis (*parenté légale ; wettelijke verwantschap*) est propinquitas seu coniunctio personarum orta ex adoptione seu filiatione legali ; sicut dictum est n. 866.

Ecclesia hac in re canonizavit legem civilem respectivam uniuscuiusque nationis ; unde in multis regionibus non adest impedimentum ex cognatione legali vel est mere impediens. In quibusdam tamen est dirimens, de quibus valet principium sequens.

910. *Principium IV.* **Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere.** — Ita can. 1080.

Ita in Italia, Hispania, Croatia, Slavonia et in quibusdam regionibus Americae latinae : Boliviana, Columbiana, Guatimalensi, Brasiliana, Peruviana.

Impedimentum non solum oritur ex iure civili, sed etiam ex iure canonico, et ideo non cessat sine dispensatione auctoritatis ecclesiasticae etiam si obtenta fuisset dispensatio civilis.

Articulus VIII.

De Affinitate et Publica Honestate.

S. Th,. Suppl., q. 55.

911. Materia tractanda. — Praeter propinquitatem seu coniunctionem personarum inter se, potest esse propinquitas et impedimentum matrimonii ratione tertiae personae coniunctae ; quae si sit legitime coniuncta per matrimonium validum, oritur *affinitas*, si alio modo coniuncta sit ac per validum matrimonium, oriri potest *publica honestas* a matrimonio repellens.

912. Affinitas (*affinité, alliance ; aanverwantschap*) est propinquitas seu coniunctio personarum orta ex matrimonio valido, — sive rato, sive rato et consummato, — inter virum et consanguineos mulieris, et vicissim inter mulierem et consanguineos viri. Fundamentum est verum et validum matrimonium, non tantum consummatum sed, iuxta ius novum, etiam ratum (can. 97).

Quod ad mentem S. Thomae, a. 1, ita ostendi potest :

« 1° Vir et uxor efficiuntur una caro. Si ergo vir secundum carnem omnibus suis consanguineis attinet, et mulier eadem ratione attinebit eisdem...

2° Amicitia quaedam naturalis in communicatione naturali fundatur. Naturalis autem communicatio est duobus modis, secundum philosophum, VIII Eth., 12 : uno modo, per carnis

propagationem ; alio modo, per coniunctionem ad carnis propagationem ordinatam. Unde ipse dicit quod amicitia viri ad uxorem est naturalis ». Unde sicut persona coniuncta alteri per carnis propagationem quoddam vinculum naturalis amicitiae facit, ita si coniungatur per matrimonium. Sed « in hoc differt, quod persona coniuncta alicui per carnis propagationem, sicut filius patri, fit particeps eiusdem radicis et sanguinis ; unde eodem genere vinculi colligitur filius consanguineis patris, quo pater coniungebatur scil. consanguinitate » ; persona vero coniuncta per matrimonium « non fit particeps eiusdem radicis, sed quasi extrinsecus adiuncta, et ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas dicitur ».

Ipsi tamen coniuges non sunt affines inter se, sed sunt principium affinitatis, et quasi stipes ex quo gradus affinitatis numerantur et computantur, nam « coniunctio viri et uxoris est potior quam coniunctio uxoris ad consanguineos viri ; nec debet dici affinitas, sed matrimonium quod est unitas quaedam (una caro), sicut homo est sibi ipsi idem, non consanguineus » (ad 1). At affinitas viget inter virum *dumtaxat* et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos, et quidem in eadem linea et eodem gradu quo sunt consanguinei (can. 97, § 2 et 3) ; unde utriusque coniugis consanguinei non sunt affines inter se.

Hinc ad dignoscendam et computandam affinitatem tres statuuntur regulae :

1. *Affinitas non egreditur copulatos*, quia non promanat ad utriusque coniugis consanguineos inter se.

2. *Affinitas non parit affinitatem*, quia non se extendit ad coniugis affines, sed tantum ad eius consanguineos.

3. *Qui sunt consanguinei unius coniugis, iidem in eadem linea et gradu sunt affines alterius*, quia sunt affines unius ratione consanguinitatis ad alterum. Ita vir cum matre uxoris suae in primo et cum avia eiusdem in secundo gradu lineae rectae, cum sorore uxoris in primo, et cum nepte in secundo gradu lineae collateralis affinis est.

913. *Principium I.* **Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu seu indefinite ; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.** — Ita can. 1077, § 1.

Ratio impedimenti est similis illi ob quam matrimonium impeditur inter consanguineos lineae collateralis, scil. reverentia et refrenatio concupiscentiae inter familares et cohabitantes, et amicitia extendenda ad extraneos. Ait S. Thomas, a. 6 :

« Affinitas praecedens matrimonium impedit contrahendum et dirimit contractum : eadem ratione qua et consanguinitas. Sicut enim inest necessitas quaedam cohabitandi consanguineis ad invicem, ita et affinibus. Et sicut est quoddam amicitiae vinculum inter consanguineos, ita inter affines ». « Unde affinitas... contrariatur matrimonio quod cum affine contrahendum esset, in quantum impediret multiplicationem amicitiae et concupiscentiae repressionem, quae per matrimonium quaeruntur » (ad 1).

Impedimentum non est iuris naturalis, sed positivi, non divini sed ecclesiastici, etiam in primo gradu lineae rectae, cum in hoc quoque casu Ecclesia quandoque, licet rarissime, dispenset. Hinc, licet affinitas oriatur ex valido matrimonio inter infideles, non tamen exinde oritur impedimentum affinitatis, nisi lex civilis idem statuerit ; quodsi uterque baptizetur, matrimonium eo ipso est ratum et oritur impedimentum juris ecclesiastici ; quodsi unus baptizetur pro illo oritur impedimentum per respectum ad consanguineos alterius partis (Cfr. Resp. Congr. S. Officii, die 16-31 jan. 1957).

Iuxta hodiernam disciplinam can. 1077 :

1° Impedimentum se extendit tantum in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.

2° Multiplicatur solum a) quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit, i. e. quoties inter consortem et eius consanguineos est multiplex communis stipes ; b) iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti.

Notetur inter duas personas affinitatem haberi posse simul cum consanguinitate : si cum consanguinea quis matrimonium init, simul affinis fit cum suis consanguineis.

914. Corollaria. — Ex praedictis deduci possunt sequentia :

1° Consanguinei viri valide et licite matrimonium contrahunt cum consanguineis uxoris, et hi vicissim cum illis.

2° Duo fratres ducere possunt duas sorores, imo pater et filius possunt ducere matrem et filiam.

3° Privignus ducere potest matrem, filiam, aut sororem novercae suae ; et vicissim privigna nubere potest patri, filio, aut fratri vitrici sui.

4° Coniuges superstites fratris et sororis defunctorum possunt matrimonium inter se contrahere.

5° Filius mariti et filia uxoris, ex praecedenti matrimonio generati, possunt inter se coniugium inire.

6° Successive licet ducere duas viduas, quarum defuncti mariti erant fratres germani.

915. Honestas publica (*honnêteté publique ; openbare eerbaarheid*) seu *quasi-affinitas* est quaedam propinquitas

seu coniunctio personarum, exsurgens ex unione quae similitudinem habet cum matrimonio perfecto ex quo oritur vera affinitas. Vocatur *publica honestas*, quia publicae honestati congruit quod matrimonium non ineatur cum consanguineis personae quacum tam intima fuit publica coniunctio (a. 4).

In iure vetere hoc impedimentum oriebatur ex sponsalibus validis et matrimonio rato etiam invalido ; in iure novo ex sponsalibus iam nullum oritur canonicum impedimentum, ex matrimonio vero rato sed valido, licet non consummato, oritur affinitas. At impedimentum publicae honestatis nunc exsurgit ex matrimonio invalido et ex publico et notorio concubinatu, quia utraque unio similitudinem habet cum matrimonio valido quod fundat affinitatem.

916. *Principium II.* **Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu ; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.** — Ita can. 1078.

Oritur itaque impedimentum :

1° *Ex matrimonio invalido etiam non consummato.*

Ergo ex matrimonio invalido ob quemcumque defectum, etiam consensus ; non autem ex matrimonio mere civili, pro iis qui subiecti sunt formae iuridicae ab Ecclesia requisitae, nisi tamen adsit cohabitatio (com. int., 12 mart. 1929).

2° *Ex publico vel notorio concubinatu.*

Concubinatus est commercium carnale et habituale, ex conventione expressa vel tacita, inter hunc virum et illam mulierem nulla specie vinculi matrimonialis tectum. Est *publicus* si iam divulgatus est, aut talibus versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri. Est *notorius* sive *notorietate iuris*, quae locum habet post sententiam iudicis quae in rem iudicatam transierit, aut post confessionem delinquentis in iudicio factam ; sive *notorietate facti*, si delictum publice est notum nec ulla tergiversatione celari potest (can. 2197).

3° *In primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.*

Ergo non iam dirimit matrimonium cum consanguineis consortis in linea collaterali. Hinc invalide iunctus, aut publicus vel notorius concubinarius, inire matrimonium potest cum putativae uxoris vel concubinae sorore et consobrina, non autem cum matre vel avia, nec cum filia vel nepte consortis.

Impedimentum : 1) est *iuris ecclesiastici*, unde non afficit infideles contrahentes inter se ;

2) est *perpetuum :* non tollitur si matrimonium aut concubinatus morte aut separatione cessat, neque probabiliter si in validas nuptias convertatur ; quo casu in primo et secundo gradu lineae rectae duplex haberetur impedimentum, affinitatis nempe et publicae honestatis ;

3) *multiplicatur*, si alterutra pars invalidum matrimonium vel publicum concubinatum inierit successive cum duobus vel pluribus consanguineis, in primo vel secundo gradu lineae rectae, compartis. Id tamen non explicite affirmatur in Codice.

917. **Animadversiones.**— 1. Impedimenta descripta, cum sint iuris ecclesiastici, non directe attingunt *infideles*, sed solum indirecte ratione partis fidelis. Quodsi uterque baptizetur perdurante unione, impedimentum oritur. Si coniunctio initur inter baptizatum et non baptizatum, aut durante coniunctione unus baptizetur, oritur impedimentum publicae honestatis inter baptizatum et consanguineos etiam non baptizatos compartis, imo inter non baptizatum et consanguineum baptizatum compartis baptizatae ; — an etiam oriatur impedimentum affinitatis disputatur : plures negant, quia affinitas oritur ex matrimonio rato, in casu autem nondum adest sacramentum ; alii affirmant, quia matrimonium ratum in ista parte Codicis intelligendum est sensu latiore de omni matrimonio valido, secus ex matrimonio invalido inter tales oriretur impedimentum scil. publicae honestatis, ex matrimonio valido nullum! Res cum certitudine dirimi nequit, propter modum loquendi imperfectum Codicis. Item si unione iam soluta, unus baptizetur, disputari potest an incurratur impedimentum ; sed id potius negandum videtur, quia fundamentum impedimenti non persistit.

2. Ita in iure novo. *In iure antiquo* valde diversa erant ista impedimenta. Affinitas oriebatur non ex matrimonio sed ex copula perfecta, sive licita sive illicita ; et matrimonium dirimebat in linea recta indefinite, in linea collaterali usque ad 4^{m} gradum si ex copula licita, usque ad 2^{m} si ex illicita copula oriebatur. Honestas vero publica ex sponsalibus oriebatur validis et absolutis, et ex matrimonio rato, valido aut invalido nisi ex defectu consensus : ex sponsalibus dirimebat matrimonium cum consanguineis compartis in 1° gradu in utraque linea, ex matrimonio rato etiam invalido usque ad 4^{m} gradum. Secundum antiquum ius diiudicanda est validitas matrimoniorum initorum ante 19 maii 1918.

3. *Dispensatione* tolli possunt impedimenta. Rarissime tamen Ecclesia dispensat cum affinitate in 1º gradu lineae rectae praesertim ex copula licita ; in linea collaterali, praesertim in 2º gradu, sat facile, atque dispensatio valet licet in petitione vel concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera existens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu (can. 1052). Etiam facile conceditur dispensatio a publica honestate in 2º gradu ; imo ob gravem causam in 1º gradu, dummodo, iuxta can. 1076, § 3, nullum sit dubium quod una pars sit alterius proles.

QUAESTIO QUARTA.

DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS.

918. **Dispensatio** est legis in casu speciali relaxatio ; unde in materia impedimentorum matrimonii, est relaxatio impedimenti canonici irritantis vel prohibentis matrimonium in casu particulari a legislatore aut ab eius delegato facta.

Alia conceditur in ordine ad *contrahendum* matrimonium, alia ad contractum *convalidandum.* Alia datur *in foro externo* quae conceditur pro impedimento publico ; alia *in foro interno* quae conceditur pro impedimento occulto, et quidem in foro *sacramentali* vel *extrasacramentali* prout intra vel extra administrationem datur sacramenti Poenitentiae.

Data in foro externo valet quoque in foro interno, in foro interno data valet solum in conscientia ; quodsi postea publicum evadat impedimentum, nisi dispensatio data sit tantum in foro sacramentali vel nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum, nova dispensatio in foro externo non requiritur (can. 1047).

Conceditur in forma *gratiosa,* si immediate ipsi oratori conceditur et ad ipsum dirigitur ; vel in forma *commissoria,* si tertiae personae committitur exequenda.

919. **Potestas dispensandi.** — Cum ad S. Pontificem exclusive pertineat impedimenta matrimonio constituere sive impedientia sive dirimentia, cumque impedimenta sint leges prohibentes vel et irritantes universalis Ecclesiae, ipse solus Pontifex potest iure proprio et nativo in iis dispensare ; alii solum si ab ipso potestatem acceperint, sive iuris communis dispositione, sive speciali indulto.

Potestas autem non solum Ordinariis conceditur, sed in specialibus adiunctis etiam parochis et confessariis.

920. **Potestas S. Pontificis.** — S. Pontifex :

1º *In impedimentis iuris naturalis et divini* non potest potestate propria dispensare, quia est lex superioris ; neque potestate ministeriali a Deo concessa et nomine Dei exercenda in impedimentis iuris absoluti, sed solum in iis quae sunt iuris conditionati et quorum existentia dependet ex actu voluntatis humanae et obligatione libere suscepta : neque semper, sed quantum est a Deo concessum, nimirum in voto et in vinculo matrimonii rati, atque in vinculo matrimonii consummati casu quo concessum est vi privilegii paulini, sicut supra declaratum est.

Non est tamen dispensatio proprie dicta ; sed S. Pontifex nomine Dei remittit seu solvit obligationem voti, atque dissolvit vel solubile declarat vinculum matrimonii, et ita mutat materiam legis ; quo posito, lex naturalis non est amplius applicabilis in casu, et eo ipso cessat impedimentum matrimoniale.

2º *In impedimentis iuris exclusive ecclesiastici* quibuscumque potest dispensare potestate propria, utpote in propria lege.

Sunt tamen impedimenta in quibus nunquam aut fere nunquam, aut tantum raro dispensat, ut dictum est n. 857, D.

3º *In impedimentis iuris naturalis aut divini dubiis,* nunquam dispensat, quia non potest exponere dispensationem et matrimonium periculo nullitatis.

Notetur S. Pontificem non per seipsum regulariter exercere suam potestatem, sed mediante organo SS. Congregationum et tribunalium romanorum.

a. *S. Officium* dispensat in impedimentis quae cum fide specialem connexionem habent, nempe in impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis, et iudicat de omnibus, quae directe vel indirecte circa haec et privilegium paulinum versantur.

b. *S. C. de Religiosis* dispensat religiosos a voto castitatis.

c. *S. C. de Sacramentis* omnes ceteras dispensationes concedit pro foro externo, modo non agatur de Orientalibus.

d. *S. C. pro Ecclesia Orientali* competens est ad omnia impedimenta, quoties una saltem pars sit ritus orientalis ; iis exceptis quae ad S. Officium pertinent.

e. *S. Poenitentiaria* dispensat in omnibus impedimentis occultis

pro foro interno tantum, tum sacramentali tum extrasacramentali, estque etiam competens pro Orientalibus (26 iul. 1930).

Impedimenta occulta hic latiore sensu sumuntur, ac in definitione data can. 1037 (n. 857, E), ita ut hoc nomine etiam veniant illa quae tantum nota sunt paucis, pro qualitate loci, et discretis personis, sine periculo divulgationis.

921. Potestas Ordinarii loci. — Ordinarius loci non potest dispensare in impedimentis matrimonialibus, nisi in quantum id ei *a iure communi* vel *speciali indulto* est concessum.

A. *Iure communi :* 1° *In ordinariis adiunctis*, Ordinarius loci dispensare potest a) in *dubiis facti* de impedimenti existentia, pro iis impedimentis in quibus S. Pontifex dispensare solet (can. 15) ; b) in *voto non reservato*, dummodo non laedatur ius tertii quaesitum (can. 1313).

2° *Urgente mortis periculo*, « locorum Ordinarii ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus ». Ita can. 1043.

Dicitur : a) *urgente mortis periculo* i. e. non tantum in mortis articulo, sed in omni proximo seu gravi periculo ex quacumque causa proveniat ; et quidem etiam si impedimentum non afficiat moribundum sed partem bene valentem ;

b) *ad consulendum conscientiae* i. e. ad tollendum peccatum aut occasionem peccati, v. g. ad concubinatum auferendum vel damnum reparandum aut odium exstinguendum ; *et si casus ferat, legitimationi prolis*, etiamsi conscientiae consuli nequeat ob impoenitentiam moribundi : proles legitimanda est naturalis vel incestuosa, iam suscepta vel adhuc suscipienda, non autem, ut videtur, adulterina vel sacrilega ob can. 1051 ;

c) *tum super forma... tum super omnibus impedimentis iuris ecclesiastici*, etiam impedientibus, duobus tantum exceptis ; non vero super impedimentis iruis naturalis et divini, etiam dubii : comprehenditur tamen votum, quod subest potestati ecclesiasticae ministeriali, atque ut impedimentum ab Ecclesia tolli potest eo modo quo declaratum est n. 892 ;

d) *remoto scandalo*, in casu impedimenti publici ; removetur autem dispensatione concessa coram testibus ;

e) *et praestitis consuetis cautionibus*, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione ; quae cautiones requiruntur ad validitatem, ut dictum est n. 867.

Dispensare possunt proprios subditos ubique, et omnes alios dum in proprio suo territorio actu sint degentes, suamque potestatem delegandi valent subdelegare, eaque uti in ordine ad matrimonium contrahendum vel ad contractum revalidandum ; non tamen in potestate includitur facultas sanandi in radice.

3° *In urgenti necessitate : a)* possunt Ordinarii locorum dispensationem concedere super omnibus iisdem impedimentis ac in periculo mortis et sub iisdem clausulis, quoties scil. impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur. Ita ex can. 1045, § 1.

Dicitur : a) *super omnibus iisdem impedimentis*, non autem super forma in matrimonii celebratione servanda, cum in praesenti canone non indicetur nec aeque gravis urgeat ratio ac pro impedimentis ; quidam tamen censent impedimentum intelligi posse sensu latiore et ideo comprehendere defectum formae;

b) *et sub iisdem clausulis*, scil. remoto scandalo et cautionibus praestitis ;

c) *quoties impedimentum detegatur*, ad quod non requiritur ut antea omnino ignotum fuerit, sed sufficit quod, antea cognitum, tunc solum ad notitiam parochi aut Ordinarii deferatur (com. int., 1 mart. 1921);

d) *cum omnia* (ex praescripto Ecclesiae requisita) *parata sunt ad nuptias nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri possit*, ita scil. ut nuptiae moraliter non possint differri, et si differrentur, verisimile adesset periculum gravis mali, proprii vel alieni, spiritualis vel temporalis[1].

Dispensare possunt per se vel per alium proprios subditos, atque etiam probabiliter peregrinos, sed tantum si non adsit tempus recurrendi ad S. Sedem, in ordine ad matrimonium contrahendum ; imo etiam ad revalidandum contractum, nam addit can. 1045, § 2 : « haec facultas valeat quoque pro convali-

1. Censet cl. Cappello, o. c. n. 232-233, verba : *cum iam omnia sunt parata ad nuptias*, non indicare conditionem sine qua non, ita ut etiam aliis in adiunctis, ob gravem et urgentem causam, possit dispensari ad contrahendum matrimonium. — Sed a) id non sufficienter probat ; imo b) videtur dici contra naturalem sensum verborum ; ceterum c) ex Resp. Comm., I. C., 27 iulii 1942 admittitur, quoad dispensationes matrimoniales, usus tum canonis 1045, tum canonis 81, in genere determinantis potestatem dispensandi Ordinariorum et *explicite* asseritur applicationi canonis 81 locum dari si nondum omnia parata sunt ad nuptias. Ex quo concludendum videtur sententiam a Cappello propugnatam saltem implicite reprobari.

datione matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem ».

b) possunt Ordinarii locorum, si casus non est urgens ex eo quod omnia parata sunt ad nuptias, dispensare vi et intra limites canonis 81 statuentis potestatem generalem dispensandi Ordinariorum (cf. Resp. Comm. I. C., 27 iulii 1942): « A generalibus ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet ».

B. *Speciali indulto*, sive generali quo ad tempus facultas dispensandi habitualis conceditur, sive particulari quo conceditur in casu particulari, possunt Ordinarii dispensare *iuxta tenorem indulti;* quod in variis regionibus aut in variis casibus potest esse diversum.

Indulta generalia revocata fuerunt post codicem, decreto S. C. Consist., 25 apr. 1918, exceptis facultatibus S. Poenitentiariae ; dein vero, postulantibus episcopis, de novo fuerunt concessa sub novis formulis, quae ab una S. C. Consistoriali imploranda sunt (20 apr. 1923) omnibus qui S. C. de Propaganda Fide vel pro Ecclesia Orientali non sunt subiecti.

922. Potestas parochi et confessarii. — Parochi, confessarii aliive sacerdotes de se nullam habent circa impedimenta matrimonialia potestatem; ipsis tamen *ex iure communi*, ob specialem necessitatem, atque *ex speciali indulto* nonnunquam conceditur.

A. *Ex iure communi :* 1° *Urgente mortis periculo*, et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem ac ipse dispensandi facultate pollet tum parochus, tum sacerdos qui matrimonio assistit in forma extraordinaria, tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum. Ita can. 1044.

Dicitur : a) *eadem facultate* ac Ordinarius, i. e. dispensandi tum a forma celebrationis tum ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, publicis et occultis, etiam multiplicibus, — duobus

tantum exceptis scil. ex ordine presbyteratus et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, — sed nonnisi remoto scandalo, et praestitis consuetis cautionibus ;

b) *pollet parochus, — sacerdos matrimonio assistens in forma extraordinaria, dum haberi et adiri nequeat parochus, — et confessarius* sed tantum in actu sacramentalis confessionis : parochus quidem erga proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes ; sacerdos assistens matrimonio erga illos quorum matrimonio assistit ; confessarius erga poenitentes. An eadem potestate gaudet sacerdos legitime ab Ordinario vel parocho delegatus ut matrimonio assistat, theoretice dubitari potest, quia Codex silet ; practice tamen affirmari potest, quia iuxta can. 200, § 1, cum delegata potestate simul intelliguntur concessa ea sine quibus eadem exerceri non posset, unde concedendo delegationem parochus vel Ordinarius implicite delegare censetur suam dispensandi facultatem ;

c) *at solum pro casibus in quibus ne loci Ordinarius adiri possit*, mediis scil. ordinariis.

2° *In urgenti necessitate*, quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium (item eius convalidatio), sine probabili gravis mali periculo, differri possit usquedum a s. Sede dispensatio obtineatur, eadem facultate gaudent iidem ac Ordinarius, sed solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti. Ita can. 1045, § 3.

Dicitur : a) *eadem facultate* ac Ordinarius, i. e. dispensandi super omnibus impedimentis iuris ecclesiastici supra recensitis et sub iisdem cautelis, non tamen super forma celebrationis matrimonii ;

b) *gaudent iidem*, scil. parochus, sacerdos matrimonio assistens in forma extraordinaria, et confessarius, item sacerdos a parocho vel Ordinario ad assistendum delegatus : confessarius autem, ut videtur, solum pro foro interno et in actu sacramentalis confessionis tantum, uti constat ex can. 1044 ad quem refert can. 1045, § 3 ; licet quidam extendant potestatem confessarii ad forum extrasacramentale, quia in isto canone restrictio explicite non ponitur ;

c) *solum pro casibus occultis*, i. e. non solum pro impedimentis natura sua occultis, sed etiam pro impedimentis natura sua publicis sed de facto occultis (com. int., 28 dec. 1927) ;

d) *in quibus ne loci Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti*, quando scil. Ordinarius non possit adiri mediis ordinariis, aut non sine periculo violandi secreti etiam non sacramentalis.

B. *Speciali indulto* quandoque sacerdotibus delegatur facultas dispensandi super quibusdam impedimentis, sive

indulto particulari quo ipsis committitur executio dispensationis, sive etiam indulto generali ad tempus definitum : ita praesertim confessariis pro foro interno tantum.

923. **Animadversiones.** — 1. Parochus, aut sacerdos matrimonio assistens, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat ; eaque adnotetur in libro matrimoniorum (can. 1046).

2. Nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto Curiae archivo asservando ; quo in casu non necessaria est alia dispensatio pro foro externo, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit (can. 1047).

3. Dispensatio a confessario in foro interno sacramentali concessa nullatenus adnotari potest ; quodsi occultum impedimentum sic dispensatum publicum evaserit, alia dispensatio pro foro externo necessaria est (ibid.).

Ad quod incommodum praecavendum, confessarius *in praxi* potestate sua pro posse ne utatur nisi circa impedimenta natura et facto occulta. Pro aliis quae possent fieri publica, poenitentem ad parochum vel eius delegatum remittat ; aut a poenitente licentiam petat adeundi parochum et petendi dispensationem ; aut, si ipse sit parochus vel sacerdos assistens, de licentia poenitentis, extra confessionem dispenset non qua confessarius sed qua parochus aut assistens ; solum si ista impossibilia sint, et casus urgeat, in confessione dispenset, cum promissione petendi dispensationem pro foro externo vel rem committendi S. Poenitentiariae.

4. Si petitio dispensationis ad s. Sedem missa est, Ordinarius suis facultatibus ne utatur nisi ex gravi urgentique causa ; et hoc in casu statim s. Sedem de re moneat (can. 1048, coll. 204).

5. De facultate cumulandi dispensationes seu dispensandi in pluribus simul impedimentis in eodem casu occurrentibus, valent normae sequentes :

a. In matrimoniis sive contractis sive contrahendis, qui gaudet indulto generali dispensandi super certo impedimento, potest, nisi in ipso indulto aliud expresse praescribatur, super eo dispensare etiamsi idem impedimentum multiplex sit (can. 1049, § 1).

b. Qui habet indultum generale dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis, sive dirimentibus sive impedientibus, potest dispensare super iisdem impedimentis, etiam publicis, in uno eodemque casu occurrentibus (can. 1049, § 2).

c. Si quando cum impedimento seu impedimentis publicis super quibus ex indulto dispensare quis potest, concurrat aliud impedimentum super quo dispensare nequeat, pro omnibus Sedes apostolica adiri debet ; — si tamen impedimentum seu impedimenta super quibus dispensare potest, comperiantur post *impetratam* seu obtentam a s. Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit (can. 1050), i. e. misso vel tantum signato rescripto, quamvis nondum recepto vel executioni mandato.

924. **Causae dispensationis.** — A lege ecclesiastica ne dispensetur sine iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur ; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est. Ita can. 84, § 1. Unde dispensationes matrimoniales sine gravi causa impedimento proportionata concedi non possunt ; ita vero a s. Sede concessae illicitae, ab aliis omnibus illicitae et invalidae sunt. In dubio tamen de sufficientia causae dispensatio licite petitur et potest licite et valide concedi (can. 84, § 2).

Causae aliae sunt *motivae* seu *finales*, quae singillatim vel collectim sumptae per se sufficiunt ad dispensationem obtinendam, et sine quibus dispensatio non conceditur aut non tali modo aut in tali forma ; aliae *impulsivae*, quae etsi per se insufficientes, superiorem tamen disponunt ut citius vel facilius dispensationem concedat, sed sine quibus etiam et in eadem forma dispensationem concederet. Motivae si ut tales a iure expresse agnoscantur, vocantur *canonicae* ; secus *rationabiles* dicuntur et *non canonicae*.

A. Causae *canonicae* in instr. S. C. P. F. 9 maii 1877 recensentur sexdecim :

1° *Angustia loci*, sive *absoluta* ut si in loco non sunt plus quam 300 foci vel 1500 incolae et distat locus ultra milliare seu 1500 metra a loco proximo (S. C. C., 8 iul. 1876) ; sive *relativa*, si cognatio feminae in hoc loco tam late propagata est, ut virum alium paris conditionis praeter impeditum invenire nequeat seu huiusmodi coniugii non habeat occasionem.

2° *Aetas feminae superadulta*, si virgo aetatem 24 annorum expleverit et non inveniat alium sponsum sibi convenientem ; haec vero causa non suffragatur viduae quae alias nuptias inire cupiat, nec virgini quae 40^m^ annum attigerit.

3° *Deficientia aut incompetentia dotis actualis*, quae nempe obstat quominus femina alium inveniat virum paris conditionis praeter impeditum.

4° *Lites super successione bonorum* exortae vel earumdem grave aut imminens periculum, si non est alius qui vult mulierem in hac re adiuvare praeter virum qui cupit eam ducere.

5° *Paupertas viduae*, numerosa prole oneratae, vel quae simul sit iunior et in periculo incontinentiae versetur.

6° *Bonum pacis* seu graves inimicitiae componendae.

7° *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas* necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non posset.

8° *Copula* et *praegnantia ideoque legitimatio prolis*, quae causa est ex urgentioribus.
9° *Infamia mulieris*, ex suspicione etiam falsa de mala familiaritate cum affine aut consanguineo.
10° *Revalidatio matrimonii* bona fide et in forma Ecclesiae contracti.
11° *Periculum matrimonii mixti* vel *coram acatholico ministro celebrandi*, cum gravissimo fidelium scandalo et gravi damno spirituali.
12° *Periculum incestuosi concubinatus*.
13° *Periculum matrimonii civilis*.
14° *Remotio gravium scandalorum*.
15° *Cessatio publici concubinatus*.
16° *Excellentia meritorum* in Ecclesiae benefactore aut de religione optime merito.

B. Causae *non canonicae* recenseri possunt sequentes, quae plerumque sunt rationabiles et sufficientes :

1° *Ex parte oratricis :* a) si alterutro vel utroque parente orbata est, vel b) ex natalibus illegitimis orta, vel c) infirmitate, deformitate aliove defectu detenta, vel d) iam ab alio deflorata.
2° *Ex parte oratoris :* a) si infirmitate est detentus, vel b) viduus prole oneratus, cui quaerit bonam matrem, vel c) adiutorio huius mulieris indigens, v. g. ad gerendam rem domesticam.
3° *Ex parte matrimonii :* a) omnia ad nuptias parata ; b) propositum contrahendi divulgatum vel pertinax ; c) convenientia matrimonii ; d) boni mores oratorum ; e) bonum parentum, si pater vel mater indiget adiutorio.

C. Ad valorem dispensationis generatim requiritur ut *verae* sint causae motivae quae allegantur; insuper debent existere non quidem quando dispensatio petitur, sed ante concessionem dispensationis si datur in forma gratiosa, ante executionem seu fulminationem dispensationis si datur in forma commissoria, ac dispensatio manet valida licet postea, etsi ante matrimonii celebrationem, causa cesset.

Attamen : a) Reticentia veri seu *subreptio* valori non obstat, dummodo omnia expressa fuerint quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda (can. 42, § 1).
b) Nec obstat *obreptio* seu expositio falsi, dummodo una saltem causa motiva vera sit (can. 42, § 2).
c) Imo valida est dispensatio, non obstante falsitate unicae causae adductae, quando concessio datur hac vel aequivalenti formula : *ex certis rationabilibus causis*, i. e. diversis ac eae quae expresse allegantur. Ita quotiescumque agitur de impedimentis *minoris gradus* (can. 1054), quia de his dispensationes conceduntur ex rationabilibus causis a s. Sede probatis.
d) Dispensatio ab impedimentis *consanguinitatis*, vel *affinitatis*, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione

vel in concessione *error circa gradum* irrepserit, dummodo gradus revera existens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum *eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu* (can. 1052). Hinc, si reticita fuit affinitas concurrens cum consanguinitate allegata, non valet dispensatio pro affinitate, nam impedimenta sunt diversae speciei.
e) Data a s. Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato, vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente *ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii*, si qua opus sit (can. 1053) ; quorum igitur impedimentorum reticentia non obstat validitati concessionis.

925. Petitio dispensationis. — Ad petendam dispensationem, exceptis casibus supra expositis in quibus ipse parochus vel confessarius dispensare potest, recurrendum est ad s. Sedem, vel et ad Ordinarium pro impedimentis a quibus ipse dispensare potest. In praxi semper praestat ad Ordinarium recurrere, qui, si careat requisita potestate, ipse petitionem ad Congregationem romanam competentem transmittet ; — nisi tamen agatur de impedimento occulto quod petentem apud Ordinarium diffamaret vel periculum violandi sigillum adduceret : tunc enim directe ad S. Poenitentiariam est recurrendum. Ergo pro impedimentis publicis in foro externo dispensandis parochus dispensationem petit ab Ordinario ; pro impedimentis occultis in foro interno confessarius eam petit ab Ordinario, vel si adsit periculum diffamationis aut violationis sigilli, directe a S. Poenitentiaria.

Notetur : 1° Petitio fit nomine oratorum, non parochi vel confessarii, et quidem, si dispensatio pro foro externo petitur vel pro foro interno extrasacramentali, expressis, si pro foro interno sacramentali, tectis oratorum nominibus.
2° Ordinarius ad quem dirigenda est petitio, est Ordinarius domicilii, quasi-domicilii vel actualis commorationis sponsorum, et quidem adeundus est Ordinarius illius qui impedimento afficitur ; quodsi impedimentum sit utrique parti commune, ab alterutrius Ordinario potest dispensatio peti.
3° Si cui Ordinarius denegaverit dispensationem, eamdem a s. Sede petere potest, etiam nulla denegationis factae mentione ; quodsi a s. Sede primum negata fuerit, non potest eadem ab Ordinario peti. Imo dispensatio ab una Congregatione negata non potest valide ab alia Congregatione aut ab Ordinario concedi sine prioris assensu, salvo iure S. Poenitentiariae pro foro interno (can. 43).
Pariter nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio

Ordinario petat, nulla facta denegationis mentione ; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus. Gratia vero a vicario generali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo impetrata, invalida est ; gratia autem ab episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, a vicario generali, non consentiente episcopo, impetrari (can. 44).

4° Ex iusta causa potest parochus vel confessarius petere dispensationem, insciis illis pro quibus petitur ; et licet ipsi possint gratia per rescriptum concessa non uti, rescriptum tamen valet ante eius acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat (can. 37).

In libello supplici petitionis exprimenda sunt iuxta instr. S. C. P. F. 9 maii 1877 :

1° *Nomen et cognomen oratorum*, distincte et nitide, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum.

Error in istis non invalidat dispensationem, si sit accidentalis et parvi momenti, modo de identitate personae constet (cfr. can. 47) ; e contra si talis sit ut ambiguitatem inducat circa personam, invalidat. Pro dispensatione in foro interno sacramentali, ne oratores cognoscantur nomina fictitia sunt adhibenda ; e contra in foro extrasacramentali, si dispensatio adnotanda sit in libro secreto S. Poenitentiariae vel Curiae episcopalis.

2° *Dioecesis* domicilii vel quasi-domicilii oratorum, vel, si agatur de vagis, actualis commorationis.

Ratio est quia executio dispensationis pro foro externo committi solet Ordinario. Quodsi petatur dispensatio pro foro interno, sed non mediante Ordinario, sufficit indicare lingua vernacula locum ad quem mittenda est dispensatio.

3° Impedimentorum *species* infima, *gradus* et *numerus* non solum in diversa sed et in eadem specie.

Species, scil. utrum consanguinitas, affinitas, vel publica honestas ex matrimonio invalido vel ex concubinatu, crimen adulterii, vel coniugicidii, vel utriusque simul ; *gradus* utrum simplex an mixtus, remotior an propinquior in eadem specie, uti et linea, an sit recta vel transversa ; *numerus* impedimentorum etiam eiusdem speciei v. g. utrum duplex vel multiplex consanguinitas vel affinitas. Error tamen materialis non invalidat, dummodo causa exprimatur sicuti est. Nec solum indicanda sunt dirimentia impedimenta, sed etiam mere impedientia licet episcopus in iis dispensare possit aut iam dispensaverit ; imo et raptus, etsi iam cessaverit : quia propterea multo difficilius in dirimente conceditur dispensatio.

In casu quo unum sit publicum, alterum occultum quod sine infamia manifestari nequeat, duplex supplicatio conficitur : una super solo impedimento publico peti potest dispensatio ab Ordinario vel a Congregatione competenti ; altera super impedimento occulto a Poenitentiaria pro foro interno, sed in hac simul exprimendum est publicum impedimentum, addendo huius relaxationem alia supplicatione peti in foro externo [1].

Hinc, si post fulminatam dispensationem detegitur *aliud impedimentum quod ante fulminationem iam existebat*, petenda est dispensatio *omnium* impedimentorum, quia prior dispensatio fuit invalida ; excepto casu quo reticitum fuerit impedimentum consanguinitatis vel affinitatis in aequali vel inferiore gradu, quia tunc prior fuit valida, ut iam notavimus n. 906, 3 et 917, 3.

4° *Variae circumstantiae*, quae efficiunt ut facilius vel difficilius dispensetur.

Ita utrum agatur de contrahendo vel de contracto matrimonio. Si contrahendum, religio exprimi debet si alteruter sponsus sit acatholicus ; et aetas si dispensatio petitur in gradibus propinquis cognationis aut affinitatis. Si iam contractum, utrum bona fide, saltem ex una parte, an cum scientia impedimenti ; an praemissis denuntiationibus et iuxta formam praescriptam ; an sit consummatum et utrum bona vel mala fide. Copula incestuosa inter sponsos habita ante dispensationis executionem non est amplius exprimenda.

5° *Causae dispensationis.*

Non est necesse omnes causas afferre existentes, sed sufficit unam vel alteram allegare motivam et canonicam, modo verae sint. Praestat tamen, si adsint, plures afferre, ut certior sit supplicationis effectus, imo praeter canonicas, etiam alias afferre quibus canonicae confirmantur.

Casu quo sit *proles legitimanda*, ista causa semper utiliter exprimitur ; sed omnino exprimi debet quando pro eius legitimatione speciale requiritur indultum, nempe si iam nata sit vel nascitura ante dispensationis fulminationem atque dispensatio concedatur ex potestate delegata pro casu particulari ; imo semper si sit adulterina vel sacrilega (can. 1051).

6° *Status fortunae* oratorum, ut taxa solvenda determinari possit, vel ut dispensatio, si sint pauperes, gratis concedatur.

Non est exponendus, si impetratur dispensatio a S. Poenitentiaria a qua semper gratis conceditur. Obtenta in forma pauperum,

1. Plura alia media adsunt obviandi difficultati. Potest confessarius ab oratoribus licentiam postulare dispensationem simul pro foro externo petendi ab utroque impedimento publico et occulto, facta mentione huius licentiae concessae. Vel etiam licentiam incurrendi parvum periculum suspicionis aut revelationis, ex eo quod ab eodem Ordinario simul utraque dispensatio separatim petatur aut ipsi transmittatur utraque supplicatio. Etiam potest dispensatio unius impedimenti peti mediante alio parocho vel sacerdote alterius loci, altera immediate ab episcopo, ita ut secreto servando melius consulatur.

si oratores non sunt pauperes, non est invalida ; sed tenentur oratores supplere consuetum tributum.

926. Dispensationis executio. — Dispensatio executione indiget si in forma *commissoria* data sit, quia tunc tantum exerit effectum quando executioni mandatur seu fulminatur ab eo qui ad hoc munus fuit designatus ; e contra, si data sit in forma *gratiosa*, non requirit executionem sed a momento suae concessionis valet. Curia romana dispensationes concedere solet in forma commissoria ; episcopi in forma gratiosa si de publico, in forma commissoria si de occulto impedimento agatur.

Executor : 1° pro *impedimentis publicis* a S. Congregatione solet designari Ordinarius qui supplicem libellum confecit aut commendavit, etiamsi nupturientes in aliam dioecesim migraverint ; quo casu monendus erit Ordinarius dioecesis in qua matrimonium celebrandum est (can. 1055) ; potest autem Ordinarius alterum delegare ad dispensationem exequendam (can. 57) ;

2° pro *impedimentis occultis* solet a S. Poenitentiaria dispensatio committi confessario ex approbatis ab Ordinario ; ab Ordinario concessa pro foro *sacramentali* confessario, pro foro interno *extrasacramentali* parocho vel alii sacerdoti qui petitionem transmisit.

Notetur : A. *Quoad conditiones executionis :*

1° *Nulla* est executio facta antequam executor iam habeat dispensationis rescriptum, aut eius notitia ad eum fuerit ex officio *auctoritate rescribentis* transmissa (can. 53).

2° Executor tenetur omnibus rescripti *clausulis* attendere et fideliter inhaerere : omissio conditionis essentialis executionem invalidat (can. 55). Ad validitatem requiruntur clausulae quae introducuntur verbis : *si, dummodo*, vel aliis aequivalentibus, aut si dicatur dispensationem alias esse nullam (can. 39) ; quae *ablativo* exprimuntur ad solam liceitatem pertinent, nisi ex natura rei vel ex stylo curiae necessariae sint, uti promissio de removendo periculo fidei in dispensatione pro matrimoniis mixtis, vel remotio scandali, ad quod tollendum praeferenda est separatio coniugum, licet etiam quandoque fieri possit alio modo apto. E contra impositio poenitentiae specialis aut eius impletio, quamvis rigorose praeceptae, non exiguntur ad validitatem[1].

1. Ubi dicitur : *iniuncta salutari, gravi, longa, diuturna, perpetua poenitentia*, debet iniungi poenitentia specialis *iuridica* distincta a sacra-

3° Tenetur quoque, nisi de impedimento minoris gradus agatur, examinare an adhuc in momento executionis veritate nitantur preces, an novum impedimentum non sit exortum ; quin tamen inquisitione neglecta, executio invalida sit, modo veritas precum adhuc subsistat. In foro interno sufficit interrogare poenitentem cui per se fidendum.

B. *Quoad modum executionis :*

1° Executio *pro foro externo* praescribitur *scripto* facienda (can. 56) ; valida tamen est, et, ex gravi causa, etiam licita oretenus facta. *Pro foro sacramentali* facienda est *viva voce* in actu confessionis. *Pro foro interno non sacramentali* generatim *viva voce* facienda est ; nonnunquam tamen *scripto*, quando impedimentum a quo dispensatur est de facto occultum sed natura publicum : tunc enim dispensatio data et fulminata registrari debet in libro secreto Curiae episcopalis.

2° Dispensatio debet fieri *expresse*, designando impedimentum a quo dispensatur ; an sit invalida dispensatio implicite seu tacite concessa non constat. Etiam expressa mentio est facienda facultatis apostolicae vi cuius dispensatio conceditur (can. 1057) : quod tamen non est ad validitatem praescriptum. Nulla autem praescribitur determinata forma.

3° Si impedimentum unam partem tantum afficiat, vel ex una tantum parte sit culpabile, sufficit dispensatio facta cum illa parte ; secus utraque pars accedere debet sive ad eumdem sive ad diversos, et bis dispensatio fulminanda est, quod tamen non requiritur ad validitatem. Hinc si duo sunt confessarii, prior suo poenitenti rescriptum tradit, postquam dispensationem pro sua parte fulminavit, ut transmittatur alteri confessario per alterum poenitentem (S.Poen., 13 nov. 1748), ad hoc ut congrua poenitentia ipsi imponatur.

4° Si executor in executione quocumque modo erraverit, dispensationem iterum executioni mandare potest (can. 59).

C. *Quoad asservationem rescripti dispensationis :*

Rescriptum dispensationis *pro foro externo* asservari debet in archivo curiae episcopalis, decretum vero quo fulminatur in archivo paroecialio. Lacerari praescribitur aut comburi post executionem rescriptum *pro foro interno*[1]; nisi sit casus impedimenti natura publici sed de facto occulti : tunc enim, nisi de foro sacramentali agatur, asservandum est rescriptum in curiae episcopalis archivo, ut fidem facere possit pro foro externo, si postea impedimentum reveletur (can. 1047).

mentali ; quae determinanda est, spectatis tum gravitate criminis, tum viribus poenitentis. *Salutaris et gravis* v. g. est per 4 hebdomadas quotidie recitare ter Pater et Ave et semel actus fidei, spei et charitatis ; *gravis et longa* est *per aliquot menses* id facere vel recitare rosarium semel in hebdomada aut confessionem instituere menstruam ; *gravis et diuturna* id facere saltem per annum ; *perpetua* est totius vitae.

1. Nihil tamen obstat ne confessarius pro sua eruditione transcribat rescriptum et transcriptum sibi conservet, omissis tamen omnibus quae in notitiam ducerent poenitentis, uti sunt nomina, dies et annus.

QUAESTIO QUINTA.

DE MATRIMONII CONVALIDATIONE.

927. **Convalidatio** matrimonii est ille actus quo matrimonium invalide initum redditur validum ; sicut contractus invalidus qui valorem accipit, convalidari dicitur.

Matrimonium sive bona sive mala fide initum potest esse invalidum ob vitium, defectum vel impedimentum. Huic occurri potest : a) procurando declarationem nullitatis ab auctoritate ecclesiastica et coniugum separationem, quod tamen ad casus stricte necessarios est restringendum, puta quando uterque aut alteruter coniux nullo modo vult cum comparte cohabitare aut aliud matrimonium vult inire, quando matrimonium praevidetur fore infelix aut secum ferre periculum perversionis, vel quando nullitas matrimonii nequit sanari, nec maiora timentur incommoda ; b) permittendo ut putativi coniuges cohabitare pergant ut frater et soror, quod raro expedit ob periculum incontinentiae ; c) dissimulando nullitatem et coniuges in bona fide relinquendo,quod non est licitum nisi ob gravem et urgentem causam ; d) ordinarie vero matrimonium convalidando.

In praxi, animadvertit Noldin, Th. M. III, n. 657, confessarius cavere debet ne incaute matrimonii nullitatem declaret.

1. Si impedimentum est *indispensabile* et *neutri notum*, prudenter consideret, an eos de nullitate et separatione monere possit ; si nec sine scandalo separari nec sine periculo peccandi cohabitare possunt, eos in bona fide relinquat.

2. Si impedimentum *indispensabile* est *uni vel utrique notum*, coniuges omnino separandi sunt. Quaenam autem separatio urgenda sit, ex adiunctis dependet ; scilicet :

a. Si nullitas matrimonii iuridice probari potest, per sententiam iudicis ecclesiastici perfecte separandi sunt ; nisi tamen ob scandalum aut infamiam vitandam velint cohabitare ut frater et soror et id possint sine periculo incontinentiae.

b. Si nullitas matrimonii iuridice probari non potest et ex cohabitatione oritur incontinentiae periculum, sub specie divortii a toro et cohabitatione separandi sunt.

c. Si ex cohabitatione non oritur incontinentiae periculum, sufficit, ut a communi toro separentur et tamquam frater et soror cohabitent.

3. Si impedimentum est *dispensabile*, revalidatio regulariter procurari debet ; interim vero, donec matrimonium obtenta dispensatione revalidari possit, haec servanda sunt :

a. Si matrimonii nullitas *publice nota* est, coniuges a toro et cohabitatione separandi sunt, donec obtineatur impedimenti dispensatio.

b. Si matrimonii nullitas *utrique parti tantum* nota est, primo postulandum est ut interim abstineant ; hoc non erit valde difficile si post unum vel aliquot dies haberi potest dispensatio, ut v. g. in loco curiae episcopalis vel prope eumdem. Petenda est licentia extra confessionem rem peragendi et adeundi Ordinarium. Si diu expectandum esset cum periculo incontinentiae, quod practico remedio vel subterfugio caveri non posset, vel si licentia extra confessionem agendi non daretur, confessarius dispenset iuxta can. 1045, § 3 (n. 922, 2°).

c. Si matrimonii nullitas *uni tantum parti* nota est, haec moneat, dum facile fieri potest, compartem ut interim abstineat; si hoc fieri non potest, eodem modo proceditur ut supra, sub b; sufficit post dispensationem renovatio consensus partis consciae.

d. Si matrimonii nullitas *neutri parti* nota est, confessarius deliberet prudenter, an monere possit coniuges quin maiora mala sequantur ; si monere potest, procedat ut prius ; si monere non potest, relinquendi sunt in bona fide, donec obtineatur dispensatio et matrimonium convalidari possit.

928. **Duplex est convalidationis modus :** *convalidatio simplex* et *sanatio in radice*, inter quas duplex intercedit differentia :

a) convalidatio simplex semper requirit ut renovetur consensus, sanatio in radice fit sine consensus renovatione ;

b) convalidatio simplex respicit futurum ; sanatio in radice vim etiam exserit in praeteritum, quatenus per fictionem iuris retrotrahitur quantum ad effectus canonicos.

De utroque modo dicendum est. Cum autem per matrimonii inter christianos revalidationem, quocumque modo fiat, sacramentum ministretur et recipiatur, curandum est, pro posse, ut coniuges sint in statu gratiae quando matrimonium revalidatur, i. e. quando renovatur consensus aut applicatur sanatio in radice.

Articulus I.

De Convalidatione simplici.

929. **Convalidatio simplex** est illa qua suppletur id, quod ab initio defuit et matrimonium invalidum reddidit. Ex triplici causa potest esse invalidum : a) ex inhabilitate personae ob impedimentum dirimens ; b) ex defectu vel

vitio consensus ; et c) ex defectu formae. Unde triplex est modus diversus matrimonium revalidandi.

930. *Principium I.* **Convalidatio matrimonii irriti ob impedimentum.** — « Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia ». Ita can. 1133, § 1.

Duplex in casu requiritur conditio ad convalidationem : cessatio impedimenti et renovatio consensus.

A. *Cessatio impedimenti ;* unde restringitur convalidatio ad impedimenta quae in casu tolli possunt, secus est impossibilis. Impedimentum cessare potest :

1° *ab intrinseco*, quia ipsum factum quod impedimentum constituit existere cessat : ita impedimentum aetatis cessat fluxu temporis, ligamen tollitur morte coniugis, disparitas cultus conversione partis infidelis, raptus reddita mulieri libertate ;

2° *ab extrinseco*, sive a) *abrogatione legis :* ita plura impedimenta, a codice iuris abrogata, cessarunt ; sive b) *dispensatione* obtenta secundum normas indicatas in quaest. praec.

Notetur a) prius petendam esse dispensationem antequam renovetur consensus, quia dispensatione obtenta personae habiles fiunt ad valide contrahendum ;

b) impedimentum quod causa fuit nullitatis matrimonii tunc tantum indigere dispensatione quando adhuc persistit ; unde ad convalidanda matrimonia nulla ob impedimentum iuris antiqui quod iam est abrogatum, sufficit renovare consensum.

B. *Renovatio consensus* praestanda saltem a parte impedimenti conscia : « haec renovatio *iure ecclesiastico* requiritur ad validitatem, etiamsi utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit » (can. 1133, § 2).

Ex natura sua « renovatio consensus debet esse *novus* voluntatis actus in matrimonium quod *constet* ab initio nullum fuisse » (can. 1134). Requiritur ergo ut pars altera vel utraque de nullitate moneatur, ut *sciens* matrimonium esse invalidum, explicite *novum* consensum praebeat ; secus renovatio non esset nisi confirmatio prioris consensus, ad convalidandum matrimonium inefficax.

Regulae in renovando consensu attendendae praescribuntur a codice, can. 1135 :

1° « Si impedimentum sit *publicum*, consensus ab utraque parte renovandus est *forma iure praescripta* », ordinaria vel extraordinaria secundum circumstantias, sicut dictum est n. 845 et 849 : ut ita de convalidatione publice constet.

2° « Si sit *occultum* et *utrique parti notum*, satis est ut consensus *ab utraque parte* renovetur *privatim* et *secreto* ».

3° « Si sit *occultum* et *uni parti ignotum*, satis est ut *sola pars impedimenti conscia privatim et secreto renovet*, dummodo altera in consensu praestito perseveret ».

Notetur : a) Si impedimentum sua natura publicum sit de facto occultum, potest forma plus minusve secreta de licentia Ordinarii adhiberi, adstringendo testes ad secretum servandum et etiam in aedibus privatis matrimonium celebrando.

b) Si impedimentum occultum utrique parti sit notum, non est opus praesentia sacerdotis vel testium ; sufficit ut utraque consensum exprimat quibuscumque verbis illum significantibus.

c) Si impedimentum occultum sit uni parti notum, non requiritur ut altera pars moneatur impedimenti inscia : in consensu quem celebrando matrimonium praestitit, ipsa perseverat usquedum actu positivo voluntatis eum retractaverit ; sed pars impedimenti conscia consensum explicite renovare debet, quocumque modo *explicito*, ad quod sufficere potest actus mere internus.

931. *Principium II.* **Convalidatio matrimonii irriti ob defectum consensus.** — « Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret ». Ita ex iure naturali et ex can. 1136, § 1.

Hinc 1° omnino requiritur ac sufficit quod pars non consentiens valide consentiat, quin oporteat monere compartem, dummodo eius consensus ante praestitus perseveret non retractatus, sicut dictum est n. praec. ;

2° si consensus ex utraque parte defuit, ab utraque parte de novo praestari debet, ac si primo contraheretur matrimonium ; item si illa quae valide consenserat, postea consensum formaliter retractavit.

Modus renovandi consensum indicatur can. 1136 :

a) « Si defectus consensus fuerit mere *internus*, satis est ut pars quae non consenserat, *interius* consentiat ».

b) « Si fuerit etiam *externus*, necesse est consensum etiam *exterius* manifestare, vel *forma iure praescripta*, si defectus fuerit *publicus*, vel alio *modo privato* et secreto, si fuerit *occultus* ». In hoc ultimo casu, novus consensus, etiam potest exprimi facto, uti cohabitatione vel copula coniugali habita ex intentione consentiendi in matrimonium.

932. *Principium III.* **Convalidatio matrimonii invalidi ob defectum formae.** — « Matrimonium nullum ex defectu formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet *legitima forma* ». Ita can. 1137.

Est autem in hac forma revalidandum publice vel secreto :

1° *Publice*, si nullitas matrimonii *publice nota* est, scil. ad scandalum auferendum ; ad quod tamen non requiritur ut in summo gradu publicitatis fiat : ob speciales enim rationes potest Ordinarius permittere ut matrimonium privatim celebretur, etiam domi, sed coram parocho et testibus *qui revalidationem sunt divulgaturi*, dummodo id sufficiat ad scandalum removendum.

2° *Secreto* coram testibus tamen omnino fidis et secretum servaturis, si nullitas matrimonii *occulta* est seu communiter ignoretur, nempe ad praecavendum scandalum et famam coniugum servandam.

Fieri potest quod una pars in forma legitima contrahere renuat. a) Si tantum renuit pergere ad ecclesiam, sed non renuit consensum renovare coram parocho et testibus, coniungi possunt in domo vel in alio loco ad quem pergere parati sunt. b) Si renuit comparere coram parocho cui nullitas ignota est, sed velit coram confessario, potest hic deputari ut cum duobus fidis testibus nuptiis assistat. c) Si renuit comparere coram parocho aut sacerdoti delegato et testibus, curandum est ut per procuratorem consensum suum coram parocho et testibus exprimat. d) Si etiam hoc renuat, sanatio in radice petenda est, modo constet consensum non fuisse revocatum.

Articulus II.

De Sanatione in radice.

933. **Sanatio in radice** ita vocatur, quia radicem matrimonii, i. e. consensum, vere sed nulliter praestitum, a nullitate sanat, ut matrimonium reddat validum et nullitatis effectum auferat. Consensus scil. ob aliquod obstaculum, ab initio invalidus erat, et invalidus perdurat : cessante autem vel per dispensationem relaxata lege consensum irritante, Ecclesia consensum initio invalidum sanat et simul a lege renovandi consensum dispensat ; insuper fictione iuris sanationem ad momentum praestiti consensus retrotrahit, ut matrimonium quoad effectus iuridicos ita habeatur ac si ab initio validum fuisset et impedimentum nunquam extitisset.

Hinc can. 1138, § 1 : « matrimonii in radice sanatio est eiusdem convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum ».

Igitur : A. *Sanatio in radice duos effectus habet : convalidationem* matrimonii et *retrotractionem :* « convalidatio fit a momento concessionis gratiae ; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur » (can. 1138, § 2).

a) Matrimonium valere incipit, non quidem a momento celebrationis, ac si pro tempore quo invalidum fuit nunc validum redderetur, quod est impossibile ; sed a momento concessionis gratiae, i. e. si detur sanatio in forma gratiosa, statim ac rescriptum subsignatur, si vero in forma commissoria, statim ac executioni mandatur.

b) Effectus vero canonici per iuris fictionem retrotrahuntur ad ipsum initium matrimonii, ac si istud semper validum fuisset ; unde filii ex tali matrimonio nati habentur ut legitimi inde ab inito matrimonio.

c) Quandoque tamen retrotractio non fit ad initium matrimonii sed ad aliquod tempus intermedium, praesertim in sanatione partiali quae respicit tantum prolem legitimandam.

B. *Sanatur matrimonium absque renovatione consensus*, porro « dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest, vel una tantum vel utraque parte nescia » (can. 1138, § 3), quod non repugnat, quia dispensatio est relaxatio legis ecclesiasticae in casu particulari ; legislator autem a lege eximere potest aliquem licet inscium, imo invitum.

Attamen a) raro concedit sanationem, una parte invita ; b) concedit tamen sanationem partialem, quoad effectus iuridicos, scil. legitimationem prolis, alterutra vel utraque parte defuncta, imo utraque invita ; c) sanationem proprie dictam seu plenam utraque parte invita non concedit in casu particulari, sed sanationes generales aliquando concessae fuerunt pro omnibus matrimoniis, etiam si nolint coniuges, modo conditiones requisitae verificentur.

934. *Principium.* **Sanatio in radice non conceditur nisi datis certis conditionibus.**— Iuxta can. 1139, § 1 :

« Quodlibet matrimonium initum cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente, sed iuridice inefficaci ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae, potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret ».

Requiritur ergo :

1° *Consensus utriusque partis naturaliter sufficiens*, ita ut utraque pars verum consensum de se sufficientem praestiterit. Radix enim matrimonii est consensus maritalis, sine quo nec matrimonium concipi potest ; qui consensus si adfuit, sanabilis est, si autem non adfuit nec sanari potest.

Hinc can. 1140, § 1 : « si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice... ; quodsi consensus ab initio quidam defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus ». Unde matrimonium civile etiam sanari potest, dummodo verus consensus matrimonialis adfuerit et non solum intentio ineundi illicitam coniunctionem, at oportet absit scandalum.

2° *Lex irritans ecclesiastica quae consensum reddidit iuridice inefficacem* seu invalidum, sive ob impedimentum dirimens sive ob defectum formae iuridicae legitimae. Si adsit impedimentum iuris naturalis vel divini, nequit Ecclesia illud matrimonium sanare ab inito matrimonio, quia non potest ut validum habere contractum, cui obstat impedimentum a quo dispensare ipsa non potest ; a tempore quo tale impedimentum cessaverit, forsan illud sanare potest, at de facto non facit, saltem regulariter.

Unde can. 1139, § 2 : « Matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti ».

3° *Consensus perseverans non revocatus*. Ad validitatem matrimonii simul consistere debent et habilitas et consensus nupturientium. Dispensatione potest quidem auferri inhabilitas iure ecclesiastico introducta, nequit vero suppleri consensus qui, si revocatus fuerit, iam non perseverat quando inhabilitas aufertur. Ergo omnino requiritur ut consensus non fuerit revocatus.

Hinc can. 1140, § 1 : « matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus ».

Consensus tamen perseverare praesumitur, nisi contrarium constet ; nullatenus vero censeri potest permanere, si alteruter coniux mortuus est aut in perfectam amentiam inciderit, et ideo hisce in casibus proprie dicta sanatio in radice concedi non potest, licet proles suscepta possit declarari legitima.

4° Insuper *gravis et urgens causa*. Est enim sanatio in radice dispensatio extraordinaria, quae sine gravi et urgenti causa concedi non solet ; imo episcopus aliusve delegatus qui id faceret, invalide ageret.

Gravis causa esse potest : a) si impedimentum dirimens uni parti notum non possit alteri manifestari sine magno incommodo ; b) si altera pars ad renovationem consensus adduci nequeat, quamvis in matrimonio velit permanere ; c) si ambo coniuges sint in bona fide, sed propter graves rationes de nullitate matrimonii moneri nequeant.

935. **Animadversiones.** — 1. « Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede » can. 1141. Ignotum est quandonam adhiberi cepit sanatio in radice ; certo tamen in usu est inde a tempore Bonifacii VIII. S. Pontifex utitur ordinarie S. C. S. Officii, S. C. de Sacramentis vel S. Poenitentiaria, pro diversitate casuum ; unde est ad illas petitio dirigenda. Quandoque tamen facultas sanandi *quaedam* matrimonia in *determinatis* adiunctis delegatur Ordinariis locorum.

2. Peti potest sanatio sive a compartibus sive ab alterutra earum sive a tertia persona, puta Ordinario vel confessario, insciis etiam compartibus. Ad eam tamen recurrere non est licitum, nisi in casu quo simplex convalidatio sit in praxi impossibilis.

3. In petitione casus accurate est exprimendus, speciatim num consensus ab initio adfuerit et perduret in utraque parte, num coniuges in bona fide fuerint, et quaenam sint causae quae sanationem in radice postulare videntur.

4. Fulminatio necessaria non est si nullitas matrimonii est partibus ignota nec sine gravi incommodo revelari ipsis potest.

QUARTA PARS.

DE OBLIGATIONIBUS CONIUGUM.

936. Triplex in coniugibus immediate ex matrimonio oritur obligatio seu mutuum officium, ut ex ipsa matrimonii natura eiusque finibus constat :

1° reddendi debitum coniugale,
2° instituendi consortium tori et cohabitationis,
3° mutuum sibi amorem praestandi et adiutorium.

QUAESTIO PRIMA.

DE DEBITO CONIUGALI.

S. Th., Suppl., q. 41, a. 3-4 ; II-II, q. 153, a. 2 ; c. Gent., III, 122 et 126.

937. Debitum coniugale (*le devoir conjugal ; de huwelijksplicht*) est actus proprius vitae coniugalis, scil. copula carnalis de se apta generationi, ad quem coniuges ius habent et quem mutuo sibi reddere debent, cum in hoc essentialiter consistat individua vitae coniugalis consuetudo. Unde constituit primarium inter eos officium, sicut matrimonii finis primarius est procreatio prolis, et ideo ab Apostolo vocatur quasi per excellentiam coniugale *debitum : Uxori vir debitum reddat ; similiter autem et uxor viro* (I Cor. VII, 3). In eo igitur sunt coniuges iure aequales, unde can. 1111 : « utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae ».

Actus ergo coniugalis per se ad generationem prolis aptus, non solum est licitus, si fiat ob debitum finem et cum debitis circumstantiis, ut supra probatum fuit (n. 763), verum etiam tunc est actus ipsius virtutis castitatis, qualis statui coniugali convenit ; et ideo datis requisitis conditionibus, est quoque meritorius.

Hinc S. Thomas, II-II, q. 153, a. 2 :

« Peccatum in humanis actibus est quod est contra ordinem rationis ; habet autem hoc rationis ordo ut quaelibet convenienter ordinet in suum finem ; et ideo non est peccatum si per rationem homo utatur rebus aliquibus ad finem ad quem sunt, modo et ordine convenienti, dummodo ille finis sit aliquid vere bonum. Sicut autem est bonum quod conservetur corporalis natura unius individui ; ita etiam est quoddam bonum excellens quod conservetur natura speciei humanae. Sicut autem ad conservationem vitae unius hominis ordinatur usus ciborum, ita etiam ad conservationem totius generis humani usus venereorum, unde Augustinus dicit : Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis. Et ideo sicut usus ciborum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo et ordine secundum quod competit saluti corporis, ita etiam et usus venereorum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo et ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae ».

Dicemus :
1° de liceitate copulae coniugalis,
2° de circumstantiis copulae coniugalis,
3° de actibus cum copula coniugali connexis,
4° de excessu in usu coniugii,
5° de defectu in usu coniugii.

Articulus I.

De Liceitate Copulae coniugalis.

S. Th., Suppl., q. 49, a. 4-6.

938. *Principium I.* **Copula coniugibus licita est illa quae per se est generationi apta ; ad quod requiruntur tria : penetratio vaginae, effusio seminis intra vaginam, retentio seminis a muliere,** ut scil. in uterum attrahi possit[1]. Unde graviter peccat ille qui unum ex his tribus scienter et volenter non servat aut huic proximo periculo voluntarie se exponit.

Copula coniugalis quae de se apta est generationi, illa est qua, ex ipso modo quo exercetur actus, per se et ex natura rei conceptio prolis et generatio haberi potest, etiamsi aliunde aut per accidens sit impedimentum, ut ex sterilitate, senectute, graviditate, aliisque causis. Ad quod triplex requiritur conditio :

1° ut maritus membro virili penetret vaginam mulieris ;
2° ut in vagina semen effundat et ibi deponat ;
3° ut mulier semen virile recipiat in vagina.

Hinc : a) Quamvis conceptio absolute fieri possit sine penetratione, effundendo semen ad os vaginae, quia sperma motu proprio vitali et attractione uteri subintrare non est impossibile ;

1. Nullatenus attendenda videtur hypothesis, quam aliqui posuerunt, de muliere quae non valeret semen retinere ; naturaliter enim fieri non potest ut totum semen semel receptum reiiciat.

quia tamen omnino raro et per accidens est, non sufficit ad copulam qualem natura eam instituit, nec est modus honestus perficiendi copulam etiam si fiat ob bonum finem, v. g. ad contagium morbi vitandum, sed graviter illicitus : tunc enim revera nulla adest copula, sed solum duae pollutiones simultaneae.

b) Parum tamen penetrare vaginam sufficit, quamvis ita agens peccare possit affectu, saltem venialiter, si sine proportionata causa ita agit, qualis certo non est solus timor procreandae prolis, ut si quis ita conceptionem cavere aut notabiliter difficiliorem reddere exoptet, et modum aptiorem generationis evitare velit[1] ; mortaliter si generationem ita totaliter impedire putet et intendat.

Causa proportionata v. g. est, si mulier recens a partu vel infirma in verendis, coitum perfectum non patiatur.

c) Non tamen sufficeret parumper penetrare vulvam et inter labia deponere semen, quia ita solum ad os, nullatenus in ipsa vagina deponeretur ; et sic nulla esset copula.

d) A fortiori ad copulam non sufficit *inseminatio artificialis* proprie dicta, qua semen extra actum naturalem copulae emissum, arte quadam in vaginam vel uterum introducatur ; quod semper graviter est illicitum.

1° Ita inseminatio artificialis extra matrimonium qua fecundatur femina semine viri cujuscumque arte obtentum et introductum. Ex lege enim naturali et divina proles ortum tantummodo habere potest ex conjunctione matrimoniali.

1. Haec est quaestio de copula, ut aiunt, *dimidiata*, quae a pluribus confessariis considerabatur ut aptum remedium proponendum onanistis. Iamvero episcopi Neerlandiae istam praxim damnarunt confessariorum qui inveteratis onanistis copulam dimidiatam suadebant vel permittebant ne amplius peccarent graviter ; quod ceteroquin erat graviter scandalosum, ac potius ad onanismum viam parare erat natum. Episcopi autem petierunt approbationem S. Officii quod, 23 nov.-1 dec. 1922, sequens dedit responsum :

1° tolerari non potest confessarios sponte sua docere praxim copulae dimidiatae illamque suadere promiscue omnibus poenitentibus, qui timent ne proles numerosior nascatur ;

2° carpendus est confessarius qui, omnibus remediis ad poenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustra tentatis, docet exercere copulam dimidiatam ad peccata mortalia praecavenda ;

3° item carpendus est confessarius, qui in dictis circumstantiis copulam dimidiatam poenitenti aliunde notam suadet vel poenitenti interroganti num hic modus licitus sit, respondet simpliciter licere absque ulla restrictione seu explicatione.

Circa quae animadvertit P. Damen, Th. M., II, n. 896, « ratio primi responsi est, quia nulli et multo minus confessario licet suadere peccatum, sive mortale sive etiam veniale. Ratio secundi responsi est, quia talis modus agendi scandalum involvit, cum copula dimidiata facile viam sternat ad peiora atque ita de facto quoad prolis diminutionem eumdem effectum ac neo-malthusianismus producat, nec ergo ut minus malum suaderi possit. Ratio tertii responsi est, quia suasio est scandalosa et responsio confessarii esset falsa, cum id quod est illicitum, licitum declaret ».

Copula autem dimidiata non est si ad orificium aut inter labia semen deponatur, quia ita nulla nec dimidiata est copula ; sed si, in introitu vaginae eamque, licet parum, penetrando, semen effundatur.

2° Ita etiam inseminatio qua semen a viro quocumque sumeretur ad fecundandam alterius uxorem (hetero-inseminatio), propter eandem rationem.

3° Ita ultimo inseminatio artificialis in matrimonio qua uxor fecundaretur semine maritus proprii non tamen per actum coitus de se aptum ad generationem. Quod locum habet si processu artificiali transmittatur ad organa interna mulieris semen quod habetur ex pollutione voluntaria vel involuntaria, vel quod deponitur ad ostium vaginae, vel quod extrahitur ex organis viri, vel quod colligitur ex copula abrupta vel ex copula condomata. In his omnibus deest modus naturalis procurandi generationem per copulam, nec habetur actio de se tendens ad generationem.

Sane, in casu non una sed revera duplex est actio hominis : prior qua semen expellitur vel extrahitur, quae de se nullatenus tendit ad generationem, sed e contra est generationis impeditiva, utpote semen extra copulam profundens et hac ratione graviter mala ; altera artificialis, qua semen *postea* introducitur in vaginam mulieris vel uterum. Et quamvis sic adhibeatur iam semen ad fecundandam uxorem : actio tamen qua expellitur aut e testiculis extrahitur, quantum est *de se*, ex *natura sua* et *ex modo quo fit* ita semen emittit ut generatio *naturaliter* impediatur, etsi, *per accidens*, ex *alia actione consequenti*, huic defectui obvietur ut semen *artificiali* modo ad generationem conferat. Quod nihilominus est insufficiens ad rectitudinem in priori actione restituendam.

e) Cum penetratio vaginae sit conditio essentialis omnino requisita, ideo qui penetrare et debito modo actum perficere *certo* non valeret, revera est impotens. Quodsi impotentia sit dubia, posset coniugatus ita attentare copulam, quamdiu aliqua spes sit penetrandi et perveniendi ad copulam perfectam ; secus si nulla sit spes, quia sola possibilitas *generationis* non sufficit, sed requiritur probabilis possibilitas *copulae*.

939. *Principium II.* **Omnis copula coniugalis de se apta ad generationem per se licita est, dummodo instituatur ob rectum finem ; unde oportet ut finis ex parte operantis conformetur fini operis.** — Unicus autem *proprius* et principalis finis ex natura operis est generatio prolis, cui iunguntur duo fines secundarii, sed mere *subordinati* ita ut sint vera media quibus securius obtinetur

1. Ab inseminatione proprie dicta, quae semper est illicita, differt inseminatio artificialis improprie dicta qua scilicet, rite peracta copula et semine in vagina vel introitu vaginae deposito, semen recolligitur et modo artificiali profundius ad uterum transfertur. Si vero ad hoc necesse sit semen in syphunculo assumere et etiam syphunculum ex vagina extrahere ratione asepseos v. gr., ex eo probabiliter non esset illicitum. Sic enim salvum manet opus hominis debite praestitum et tantum defectus, in opere naturae corrigitur. — Pro tota quaestione de inseminatione artificiali conferatur : Allocutio Pii Papae XII ad medicos catholicos die 29 septembris 1949.

finis principalis : delectationis fruitio seu sedatio concupiscentiae, et solamen mutuum seu amor mutuus fovendus et servandus (n. 769). Ut ait Pius XI, in enc. *Casti Connubii :* « Neque contra naturae ordinem agere ii dicendi sunt coniuges, qui iure suo recta et naturali ratione utuntur, etsi ob naturales sive temporis sive quorumdam defectuum causas nova inde vita oriri non possit. Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuum adiutorium mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio ».

Hinc : 1° Coniuges possunt *petere* copulam coniugalem, sive ob finem principalem, sive etiam ob finem secundarium sed quatenus subordinetur fini principali atque inserviat.

2° Imo copula etiam exigi potest ab alterutro coniugum, et quidem ex iustitia, ita ut per se et generatim compars ipsam *reddere* teneatur ; quapropter vocatur *debitum* coniugale, de quo loquitur Apostolus, I Cor. VII, 3-5. Unde ad copulam reddendam finis legitimus est reddere comparti quod ipsi ex iustitia est debitum ; qui finis tamen semper supponit finem primarium ipsius actus seu operis, scil. generationem prolis.

3° Consequenter docent Scholastici actum coniugalem legitimari per bona matrimonii, quia per bonum prolis habetur intentio debiti finis, per bonum fidei habetur debita materia in quantum homo ad suam accedit et non ad aliam ; et per haec actus recedit a duobus extremis : a pollutione seu vitio contra naturam et a fornicatione, inter utrumque tenens medium, sicque constituitur in ratione virtutis moralis quae consistit in medio (q. 49, a. 2).

4° Item docent duobus solum modis coniuges omnino recte et honeste posse convenire ita ut totaliter excusentur a peccato, nempe causa generandae prolis, quod spectat primum bonum scil. prolis, et causa debiti reddendi, quod pertinet ad alterum bonum nempe fidei (q. 49, a. 5). Ad quos duos fines reducuntur amor coniugalis fovendus et remedium concupiscentiae, quae implicite tendunt ad bonum prolis et bonum fidei ; nam qui pravae concupiscentiae cederet et peccatum carnis committeret, fidem matrimonialem frangeret et bono prolis nasciturae nocere posset, et qui amorem necessarium non foveret, haec bona periculo exponeret.

940. Corollaria. — Exinde sequuntur conclusiones :

1° Exercens copulam peccat qui finem primarium positive *excludit*, et quidem graviter si illum impedire intendit, vel media ad hoc adhibet.

2° Ideo, qui copulam perficiendo finem secundarium, v. g. delectationem, unice aut praecipue intendit, ita ut finis principalis positive excludatur aut postponatur, peccat venialiter : est enim inversio ordinis, scil. usus inordinatus rei licitae. Cfr. prop. 9, damnata ab Innocentio XI[1].

3° Attamen, qui finem secundarium, v. g. sedationem concupiscentiae, explicite intendit et a fine primario *solum* abstrahit, licite agit, quia implicite intendit finem principalem ad quem ex natura sua tendit actus qui totus qualis est nonnisi ad generationem existit.

4° Item qui incontinentiam in se vel in consorte vitare intendit : hic enim directe agit ex motivo virtutis ad continentiam servandam ; e contra qui solam quaerit delectationem, directe agit ex amore voluptatis. Nec obstat quod periculum incontinentiae implicat defectum virtutis et ideo peccatum : hic defectus malus est sed copulae potius praesupponitur, at stante hoc defectu, ipsi aptum remedium praebere coniugali copula rite exercita, non est malum sed bonum.

5° Nec peccat ille qui, ob paupertatem, infirmam valetudinem vel alium honestum finem, inefficaci desiderio solum exoptat ut proles non concipiatur, dum nullo illegitimo medio utatur ad generationem impediendam, nec illam in actu positive excludat et actus positus generationi aptus sit.

6° Peccat autem, et quidem mortaliter, qui mente adultera ad propriam accedit coniugem, cogitans de aliena persona ut praesente, *aut* cum ea copulam habere cupiens ; non tamen ille qui sine pravo affectu de aliena persona cogitando, suam uxorem alterius pulchritudine exornat ut ad actum coniugalem se excitet, quamvis id sit periculosum. Simili modo dicendum est pro uxore cogitante de alio viro, vel de eius qualitatibus aut vigore.

7° Licitus est usus coniugii etiam sterilibus et senibus, etiam si sterilitas sit certa, dummodo actum possint perficere vel spem habeant perficiendi, quia actus de natura

1. « Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali ».— Cfr. S. Thomas, Suppl., q. 49, a. 5 et 6.

sua ordinatur ad generationem, et si generatio non sequatur, id fit per accidens. Unde Ecclesia eorum matrimonia benedicit.

8º Item licitus est actus coniugalis, etiam si praevideatur ex fecundatione mulierem abortum passuram vel in lucem edituram prolem mortuam, quia talis effectus per accidens occurrit et permitti potest ob aliquem honestum finem ipsius actus.

941. Animadversio. — Ad melius intelligendum quod copula licite haberi possit ob diversos fines, quin procreatio prolis explicite quaeratur vel et possibilis sit, seu quin actus coniugalis directe et immediate propagationi generis humani deserviat, animadvertere iuvat cum Prümmer, Th. M. III, n. 690, oeconomiam propagationis humanae magnopere differre a propagatione brutorum : a) Animalia enim feminini sexus non solent habere instinctum, imo nec potestatem expeditam generandi, nisi brevi et determinato tempore cuiuslibet anni, et ita quod saepe unico congressu conceptio perficiatur, quo congressu facto, iam abhorreant aliam coniunctionem carnalem ; e contra conceptio humana fieri potest quolibet anni tempore et ita ut ordinarie non perficiatur nisi iteratis actibus coniugalibus, eaque obtenta, non cesset inclinatio ad alias congressiones. b) Animalium coniunctiones sunt transeuntes, mutabiles, promiscuae ; coniunctio maritalis hominum est una et stabilis usque ad mortem. c) Coniunctio animalium non ordinatur nisi ad materiale bonum propagationis speciei ; e contra copula coniugalis, cum sit actus humanus, ordinatur ad proprium finem vitae humanae atque bonum coniugum, quod est bonum superius, utpote bonum rationis. Quibus omnibus patet, coniugibus a Creatore permissam esse copulam carnalem eamque esse licitam, licet directe et immediate non habeatur aut intendatur generatio, v. g. durante graviditate aut sterilitate, dummodo inserviat rationali bono ipsorum coniugum.

Articulus II.

De Circumstantiis Copulae coniugalis.

S. Th., Suppl. q. 53, a. 1 ; q. 58, a. 1 et 4 ; q. 59, a. 6 ; q. 62, a. 1 q. 64, a. 1 et a. 6-9.

942. *Principium.* **Actus coniugalis non est licitus in concreto, nisi etiam fiat debitis cum circumstantiis.** —Actus enim humanus moralitatem habet non tantum ex obiecto et fine, sed etiam ex circumstantiis ; unde ut sit honestus, debet esse ex omni parte bonus, obiecti scil., finis et circumstantiarum. Usus ergo matrimonii, sive

consummatus sive inchoatus, quantumvis de se licitus, potest *per accidens illicitus* esse ratione circumstantiarum, et quidem non solum ex parte finis, sed etiam a) ex parte personae agentis ratione impotentiae, aut voti, aut matrimonii dubie validi ; b) ex circumstantia modi ratione situs ; c) ex circumstantia loci ratione scandali ; d) ex circumstantia temporis ratione periculi aut damni.

943. Ex circumstantia personae usus matrimonii illicitus est :

1º *Ex impotentia :* a) Vir qui certo non valet penetrare, aut semen non habet aut illud emittere nequit, vel non in vaginam deponere, non potest copulam exercere, nec uxor cum tali viro.

b) Si impotentia sit *dubia*, copulam attentare possunt, si sit spes eam perficiendi.

c) Quod si impotentia sit omnino certa sed *temporalis*, tenentur per hoc tempus abstinere.

2º *Ex voto :* a) Coniux qui fecit votum castitatis, ex religione prohibetur sub gravi petere debitum, potest tamen et debet reddere illi qui ius habet et iuste exigit, quia unus non privatur iure ob factum alterius. Posset nihilominus etiam petere, si adverteret compartem versantem in periculo incontinentiae et petere non audentem (quod praesertim accidere potest in uxore propter verecundiam) : sic enim reddit potius tacite petenti quam petit.

b) Si uterque separatim voverit, etiam sciente et annuente comparte, nullus potest petere quia libere se privaverunt usu debiti ; sed si de facto aliquis petit, alter tenetur reddere ex iustitia, quia semper manet ius petendi : illicite quidem petit, sed cum iure petit, et ideo peccat contra religionem, non contra castitatem.

c) Si autem uterque voverit mutuo consensu et eodem pacto, uterque prohibetur tum reddere tum petere, quia pactione uterque mutuo iuri suo petendi, quantum ad exercitium, libere renuntiare intendit.

Uxor indirecte potest irritare votum mariti, in quantum suis iuribus contrarium ; maritus votum uxoris, etiam forsan directe. Non autem si mutua pactione voverunt, quia tunc huic iuri irritationis renuntiarunt.

3° *Ex dubio de matrimonii validitate :* a) Dubium de validitate matrimonii, si sit ex utraque parte, prohibet simpliciter usum usquedum debita facta fuerit inquisitio.

b) Manente post debitam inquisitionem vero dubio, licitus est usus, quia in dubio standum est pro valore matrimonii.

c) Si unus tantum dubitet, durante dubio prohibetur petere, sed tenetur reddere quia non potest se exponere periculo laedendi iustitiam, nec alter iure suo privatur propter dubium compartis ; manente dubio post debitam inquisitionem, potest petere et reddere.

Ita certum est si matrimonium bona fide fuit initum. An autem ille qui mala fide matrimonium in dubio contraxit, possit debitum *petere;* et praesertim si matrimonium dubium sit ob impedimentum ligaminis seu vinculum prioris matrimonii forsan perdurans, quod esset in possessione, disputari potest : practice tamen sunt auctores qui id licitum putant, quia *probabile* habent, etiam in ultimo casu, applicari posse principium can. 1014 : « in dubio standum est pro valore matrimonii donec contrarium probetur ».

944. Ex circumstantia modi seu situs illicita copula esse potest. — Situs est a natura indicatus secundum quem vir incubus, mulier succuba, facie ad faciem conversi sint oportet : ille enim *generatim* aptior est ad intimiorem corporum penetrationem et ad seminis virilis infusionem debitamque susceptionem, ac convenit hominibus qui non more brutorum sed ex rationabili amore, videndo et obloquendo se ac sensus suos et affectus communicando, actum generationis exercere debent. Hinc

1° peccat ille qui sine ratione mutat situm naturalem, quia est inversio ordinis naturae ; at quocumque modo res fiat (stando, sedendo, a latere, a tergo, viro succubo, etc.) non est gravis, dummodo actus coniugalis rite possit perfici ad generationem aptus, quia hoc solum est essentiale et situs est aliquid accessorium : mutatio situs de se non pervertit substantiam actus ;

2° imo si ratio sufficiens adsit ut alius eligatur situs quam naturalis, nullum est peccatum.

Quod accidere potest : aliquando tempore praegnationis ne periculum sit abortus, vel ob frigiditatem si situ innaturali facilius frigidus se excitet, vel ob quandam difficultatem aliter copulandi (v. g. ex viri curvitate, obesitate, vel hernia, mulieris defatigatione, alterutrius foetido halitu), vel si ita maior esset spes fecundationis.

Notetur autem, secundum medicos, copulam habitualiter exercere aut succubendo aut praesertim stando, morbos posse inducere pro viro.

945. Ex circumstantia loci illicita esse potest copula, etiam graviter, si fiat loco publico aut non secreto, ratione scil. scandali ; unde, persona fortuito superveniente, potest abrumpi copula etiam si semen extra vaginam forsan effundatur : id enim fit praeter intentionem ad vitandum maius malum morale.

Quocirca monendi coniuges ne sinant pueros ratione compotes (nec etiam antea) secum decumbere in lecto aut in cubiculo. Quodsi paupertas ad id cogat, caveant ne pueri quid deprehendant ; in lecto pueros ad latus patris, puellas ad latus matris retineant.

946. Ex circumstantia temporis potest usus coniugii reddi illicitus. — Per se nullo tempore actus coniugalis ratione *ipsius temporis* prohibetur, quia nulla lex aliquod tempus excludit : sic licite exercetur diebus solemnioribus festivis, diebus ieiunii, ante communionem, etc., quamvis de consilio sit hisce temporibus abstinere ; — per *accidens* tamen, si in aliquo determinato tempore exstat causa cuiusdam periculi sat gravis, illicitus esse potest sed quamdiu exstat illa causa. Ita :

1° Tempore *morbi*, si adsit *grave et proximum* periculum *vitae* v. g. ex contagio. Cum enim nemo sit dominus vitae humanae, copula graviter erit illicita, ita ut coniux non possit eam petere nec reddere, quin saltem de periculo moneat compartem ; haec tamen, accedente iusta ratione, ut incontinentia vitanda, pax domestica servanda, adulterium compartis vitandum, etc..., potest copulam ex charitate admittere, nisi mors immineat. Item si grave periculum sit *valetudinis* v.g. ex phtysi, illicita est copula absque iusta causa, qualis est vitanda incontinentia in se vel in comparte; quapropter saltem moderandus est usus [1].

---

1. Phtysis non tam contagiosus, sed potius hereditarius est morbus, saltem eo sensu quod proles hereditate accipiat maximam dispositionem

« Hic est ordo naturalis, ait S. Thomas, ut prius aliquid in seipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet ; et hic est etiam ordo charitatis quae naturam perficit. Et ideo cum uxor in viro potestatem non habeat, nisi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea quae sunt de conservatione individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his quae ad generationem prolis spectant, salva tamen prius personae incolumitate... Uxor non habet potestatem in corpus viri, nisi salva consistentia personae ipsius..., unde si ultra exigat, non est petitio debiti, sed iniusta exactio, et propter hoc vir non tenetur ei satisfacere » (q. 64, a. 1 et ad 2).

Hinc a) illi qui morbo syphilitico vel venereo est infectus, copula est illicita, in illis morbi stadiis in quibus periculum moraliter certum existit inficiendi compartem ;

b) haec tamen ex charitate admittere copulam potest ;

c) non est illicita ob periculum inficiendi prolem aut eam in egestate relinquendi, quia, ut ait S. Thomas, « melius est sic esse quam non esse » q. 64, a. 1, ad 4, praesertim ob visionem beatificam animae destinatam.

2° Illicita tempore *praegnationis* est copula, si ex ipsa sit periculum abortus, quod tamen raro accidit, nisi forsan copula saepius et vehementius peragatur.

3° Item tempore *purgationis puerperalis* praesertim *incipiente*, si inde damnum grave uxori immineat, quod primis diebus (2 vel potius 8 aut aliquando plus) facile fieri potest ; in his rebus ratio conditionis habenda est cuiuslibet personae, et in dubio medicus consulendus.

Melius tamen est abstinere per 15 dies. Tempore autem *purgationis puerperalis progrediente* aut ad finem versante, item tempore *lactationis*[1], post copiosum prandium, balneum aut venae sectionem, non est illicita copula, quidquid olim aliqui dixerint; nec etiam per se durante *fluxu menstrui* ordinario, vel et extraordinario, quia solum levis oritur irritatio ex copula ; nisi per accidens si morbus quidam inde multum ingravesceret[2].

---

ad hunc morbum contrahendum ; syphilis, et etiam fluxus seminis gonorrhaea, species plerumque quaedam morbi contagiosi est ; e contra leucorrhaea, seu fluor albus quo feminae praegnantes saepe laborant, non est maleficus. Cfr. *R. Eccl. de Liége*, VIII, maii 1913, n. 6, p. 383.

1. Tempore lactationis raro conceptio fit. Quodsi fiat, non ideo inficitur lac, at minuitur vel et desinit, sed proles aliter nutriri potest, vel et lactatione artificiali.

2. In V. T. tempore menstrui prohibebatur sub mortis poena (Lev. XX, 16), sed ratio potest esse quod in regionibus Asiae calidissimis mulieres copiosum fluxum patiantur, et saepe pars sanguinis iam omnino corrupti in vagina remaneat; unde oriri potuit periculum ne viri gravem morbum in genitalibus contraherent.

Articulus III.

De Actibus accessoriis cum Copula connexis.

947. Notiones. — Praeter ipsam copulam, etiam sunt actus plus minusve cum ea connexi, qui inter coniuges in carnali commercio occurrunt ; qui ad triplicem speciem possunt revocari :

a) actus ordinati ad naturam excitandam in actum coniugalem seu ad carnem ideo commovendam ;

b) actus nocivi actui coniugali seu contra naturae ordinationem, ut pollutio in se vel in causa voluntaria, et sodomia improprie dicta, aut proxima ad eas occasio ;

c) actus qui nec ordinati ad copulam coniugalem nec nocivi sunt et dicuntur praeter generationem, v. g. agere ob solam voluptatem, inutiliter se tangere.

948. Principia. — Hinc tria statui possunt principia :

A. Quidquid fit secundum debitum finem et generationem, seu ad actum coniugalem est necessarium vel utile, est licitum.

B. Quidquid fit praeter finem, sed non contra generationem, non excedit veniale.

C. Quidquid est contra finem debitum, generationem prolis, est graviter illicitum, et participat de malitia adulterii seu fidei violatae.

Ex quibus principiis diiudicari potest quomodo coniuges possunt peccare per excessum, et iam intelliguntur conclusiones sequentes.

949. *Principium I.* **De actibus venereis imperfectis inter coniuges praesentes :** *Actus venerei liciti sunt qui ordinantur ad copulam coniugalem habendam aut habitam perficiendam.* — Itaque :

1° Liciti sunt actus imperfecti seu impudici, ut aspectus, tactus, oscula, amplexus, item colloquia, etiam omnino turpia, etc., inter *coniuges praesentes* exerciti in ordine ad copulam nunc habendam, quatenus ad illam perfectius,

delectabilius et facilius peragendam conducunt : sunt enim praeparatio et inchoatio (vel et complementum) huius actus tanquam finis ; quod si finis sit honestus, etiam media ad illum naturaliter ordinata. Dummodo adhibeatur diligentia ne semen emittatur extra vaginam,nec praestetur consensus in pollutionem fortuito casu orituram.

2° Item liciti sunt, *cum quadam restrictione*, ad fovendum vel servandum mutuum amorem qui est matrimonio et copulae necessarius, praesertim si hic et nunc adsit quaedam gravis et proportionata ratio, v.g. gravis suspicio infidelitatis vitanda vel propensionis ad aliam personam, necessitas praebendi signum speciale amoris, amputandum initium libidinis adulterinae, instans omnino petitio compartis, etc. ; quae ratio eo gravior sit oportet quo maius sit periculum pollutionis. *Restrictio vero haec est :* dummodo actus non sint per se et omnino proxime provocantes delectationem satiativam seu pollutionem, aut ipsi pollutioni aequivaleant, nec sit periculum consentiendi in eam si aliquando sequatur ; igitur ubi coniuges advertunt periculum pollutionis proxime adesse, ab actibus cessare debent.

3° Si autem hic et nunc nulla sit ratio, ita ut coniuges hic et nunc copulam perficere non possint aut non velint, et illos actus quaerant propter se et intendant solam voluptatem, illiciti sunt quia in intentione agentis non ordinantur ad suum finem naturalem et debitum : per se solum venialiter, quia est solus excessivus seu inordinatus usus rei licitae ; — etiam graviter si adsit periculum proximum pollutionis vel delectationis venereae completae.

4° Actibus imperfectis adnumeranda est inchoatio copulae per penetrationem vaginae eo modo facta ut unio abrumpatur antequam delectatio satiativa sive apud virum sive apud mulierem locum habeat vel proxime futura sit. Quae unio vocatur « copula reservata » vel « carezza » vel « copula modo orientali » et licita est iisdem sub conditionibus et restrictionibus ac dictum est sub numero 2°. Sacerdotes tamen, secundum monitum C. S. Officii diei 30 junii 1952, « in cura animarum et in conscientiis dirigendis numquam sive sponte sive interrogati ita loqui

praesumant quasi ex parte legis christianae contra « amplexum reservatum » nihil esset obiiciendum ». Quamvis enim copula reservata etiam si prolongetur vel frequenter repetatur, de se non sit illicita nequidem venialiter, tamen periculo exponit conjuges ne nimis indulgeant voluptati sexuali propter se et intemperate quaesitae et incidant, si non in praxim, saltem in mentalitatem onanisticam secundum quam in vita conjugali finis primarius matrimonii, procreatio scilicet et educatio prolis, momentum et valorem debitum non habet.

In praecedentibus agitur de tactibus vere impudicis ; pudici enim et honesti *liciti* sunt etiam cum periculo pollutionis, dummodo aliqualis ratio adsit ac desit periculum consensus ; — e contra *graviter illiciti* sunt tactus vere turpes cum tertia persona exerciti.

950. *Principium II.* **De actibus venereis imperfectis solitariis absente comparte :** *Actus venerei imperfecti solitarie exerciti per se sunt saltem venialiter illiciti.* — Ratio est, quia actus imperfecti *solitarii*, absente comparte exerciti, ob solam voluptatem fiunt, nisi forsan in quibusdam adiunctis utiles sint ad praeparandam copulam futuram, alendum appetitum sexualem, aestum obtinendum, etc.... Ergo per se illiciti sunt : mortaliter, si adsit periculum proximum pollutionis vel delectationis satiativae, aut consensûs in illam ; secus ad minus venialiter, quia, secundum plures, essentiali ordini coniugii non adversantur sed, ratione status coniugalis, de se naturaliter referuntur ad copulam matrimonialem licitam, quae tamen hic et nunc excluditur ; secundum alios multos e contra semper mortaliter, quia, cum coniuges per se non habeant ius in proprium corpus, actus illi sunt de se inchoatio pollutionis [1], nec ordinem dicunt ad copulam, nisi aliquando ratione specialium adiunctorum. Quam ultimam sententiam S. Alphonsus dicit in praxi *suadendam*, non imponendam.

Quod intelligendum de actibus externis. *Delectatio morosa* enim de copula cum suo coniuge habita vel habenda, vel eius

1. Animadvertere tamen liceat actus imperfectos de se non esse contra naturam nec iuxta naturam, quia de se nihil tale dicunt. Unde in casu idem est, ac si coniuges praesentes actus illos exerceant et copulam perficere nolint.

desiderium, quia sunt de re licita, non sunt peccata, nisi adesset periculum pollutionis : tunc enim sunt peccatum mortale ; aut nisi omnino inutiliter et otiose quis iis inhaereret : tunc enim sunt veniale ; — delectatio vel desiderium de actibus venialiter malis est leve peccatum ; — de actibus sub gravi prohibitis est mortale.

951. *Principium III.* **De actibus venereis sive solitariis sive mutuis cum periculo pollutionis aut delectationis satiativae habitis :** *Actus venerei imperfecti, solitarie vel mutuo exerciti cum periculo proximo pollutionis aut satisfactionis completae separatae, sunt de se graviter mali.* — Ratio est quia terminantur ad luxuriam contra naturam, vel huius proximum periculum includunt cui se exponere est peccaminosum ; et ita directe sunt contra ipsum primarium finem organorum generationi destinatorum atque ipsius coniugii, ac proinde graviter mali.

952. De quibusdam actibus copulae praeparatoriis aut eam comitantibus :

1° Inchoare copulam in vaso indebito, v. g. in vase postero vel in ore, cum intentione eam consummandi in vagina ; item genitalibus tangere vas posterum aut ore ea lambere, non sunt mortale, dummodo praecaveatur profusio seminis et excludatur affectus sodomiticus, qui tamen facile aderit si praedicta non obiter fiant sed aliquo tempore durent ; — imo si quaerantur ut solum medium et praeparatio actus debiti et adsit ratio sufficiens, v. g. quia aliter excitari quis non possit, non sunt peccatum [1].

2° Mulier potest tactibus sive propriis sive mariti se excitare ad delectationem satiativam et perfectam habendam, et ita copulam *statim* complere, postquam vir intra vaginam seminaverit ; — e contra id esset illicitum si vir modo onanistico seminavisset extra vaginam, quia tunc nulla esset copula apta generationi, ac proinde nullus actus communis complendus ; unde, si fieret, adesset peccatum solitarium.

3° Nec licitum esset viro actum continuare, si uxor se retractaverit, quia non esset nisi inutilis pollutio.

4° An possit uxor perfectam voluptatem quaerere *immediate* ante seminationem viri, disputant theologi. Non videtur illicitum, saltem *si vir eam penetret antequam sit sedata*. Id fiet sine peccato mortali, et quando ratio adsit, etiam sine veniali, si propter minorem caliditatem in ipso congressu moveri et aliter delectationem completam experiri non possit, vel si ipse vir vix aliter ac

1. Actus enim incompletus de se non est contra naturam, nec iuxta naturam, sed ab utroque abstrahit, ut dictum est.

visa excitatione uxoris excitetur ac copulam perficere possit : videtur enim sufficere quod in actu coniugali ambo coniuges *moraliter* simul aestum voluptatis experiantur. Conandum tamen est ut etiam adsit simultas physica, quia naturae magis convenit et valetudini, et voluptatem magis fovet et amorem.

5° Non peccat, saltem mortaliter, uxor, quae consulto cohibet commotionem, distillationem et delectationem completam, quia ad copulam et generationem non sunt necessariae, et ideo non est causa quod semen viri prodige suo fine destituatur. Esset tamen reprehendenda si id faceret ex ira vel aversione erga maritum, et hortanda ut etiam in hoc facilem se praebeat ut placeat viro et unionem amoris foveat.

953. Animadversio. — Actus venerei imperfecti, cum ex natura sua non sunt liciti nisi in ordine ad copulam, illiciti sunt illis quibus petere vel et reddere copulam est *absolute* prohibitum : ita v.g. ratione voti aut impotentiae permanentis.

Quod tamen non est intelligendum de omnibus tactibus, aspectibus aut osculis : sunt enim tales actus de se liciti in coniugio, quia coniugi competit eos exercere in corpus consortis quod suum est ; nec sunt de se et necessario venerei, sed solum quando in iis quaeritur delectatio venerea, aut huiusmodi periculum includunt. Sic autem prohibiti sunt iis quibus copula omnino prohibetur.

Articulus IV.

De Excessu in Usu Coniugii

S. Th., II-II, q. 154, a. 11-12.

954. Excessus seu abusus in usu coniugii esse potest :

a) ratione finis, ut si fiat exclusive ob delectationem ;

b) ratione indebitae circumstantiae, v. g. situs, si actus fiat alio modo praeter illum quem natura indicat ;

c) maxime ratione modi contranaturalis, si ita fiat ut ipsa generatio exinde impediatur, v. g. modo sodomitico, in vase innaturali et organo indebito, scil. in vase postero vel in ore.

Iamvero modus peccandi per excessum contranaturalis hodiernis temporibus valde frequens est *Onanismus*, ita vocatus ex facto de Onan narrato in Gen. XXXVIII, 9 [1].

1. Praxis illa saepe vocatur Neo-Malthusianismus. Propter rationes oeconomicas Malthus (1798) conceptionis limitationem sed mediis licitis, scil. abstinendo ab actu coniugali, proposuerat. Nunc autem Neo-Malthusianistae media illicita promovent.

Est copula vaginalis eo modo quaesita quo generatio positive impediatur et ex effusione seminis sequi non possit; sive quia vir ante seminationem se retrahit et semen extra vaginam effundit, sive quia ipse vel mulier adhibet instrumentum vel alia media quibus impeditur ne semen ad uterum transeat.

Variis modis fieri potest :

1° *Ex parte viri :* a) si copulam incipit in vagina sed *se retrahit* ante seminationem et semen extra vaginam effundit ; b) si induit membrum virile vel solum huius glandem aliquo tenui *indumento* seu palliolo (*condom*[1], *capote anglaise*) intra quod retinetur semen.

2° *Ex parte mulieris :* a) si, *durante copula*, utitur *pessario occlusivo (sterilet)* i. e. quadam re in imam vaginam introducta ad occludendum os uteri ne semen in illum transeat, v. g. claustro metallico, spongia, gossypio, filis lini, etc. ; vel *pseudo-vagina* i. e. membrana subtili intra totam vaginam disposita in qua semen emittitur ; b) si, *copula peracta*, facit *lotionem vaginalem* qua ope syphunculi seu irrigatorii semen expellitur aqua vel substantia antiseptica ; aut si, immediate ante vel post copulam peragit *substantiae chemicae* (v. g. pulveris anticonceptionalis) *iniectionem aut liquoris acidi*, qua semen enecatur[2].

955. *Principium.* **Onanismus et omnis alius modus copulam peragendi, quo naturali suo ordine ad generationem destituitur, est intrinsece contra naturam et ideo essentialiter et graviter malus.** — *Certum* est ex constanti et formali traditionis christianae et Ecclesiae doctrina.

Peccatum mortale est, utpote fini primario matrimonii et copulae matrimonialis directe contrarium et fidei coniugali adversum, merus abusus organorum genitalium contra ordinem a Deo et natura institutum, quo rem nobilissimam pervertunt in turpissimum actum passionis ignominiae : caret enim debito ordine ad finem suum naturalem et ad bonum speciei. Unde malitia actui est intrinseca, adeo ut nulla causa quamvis urgenti cohonestari valeat.

1. Ita vocatur quia inventorem habuit doctorem Condom.
2. Nullus tamen modus est omnino certus. Indumentum praeservativum enim (condom vel pseudo-vagina) potest lacerari ; pessarium occlusivum male adaptari aut, durante copula, a loco amoveri ; simplex retractio vel lotio vaginalis non semper impediunt quominus aliquid spermatis ante retractionem eiaculetur, vel ante lotionem in uterum iam transierit ; substantia chemica ante copulam sparsa per totam vaginam non semper perfectam habet efficaciam.

Probatur : 1° *Ratione naturali :* Actum de industria a fine detorquere ad quem naturaliter destinatur, est agere contra naturam et intrinsece malum. Atqui omnis actus coniugalis naturaliter destinatur ad procreationem generis humani. Ergo illum ab hoc fine detorquere, est contra naturam et intrinsece malum. Idque graviter, quia contra naturalem ordinem ipsius naturae humanae et directe contra ipsum bonum commune humani generis.

2° *Ex doctrina Ecclesiae*, quae elucet ex prop. 49 damn. ab Inn. XI et multis ac repetitis declarationibus S. Officii (20 maii 1851 ; 19 apr. 1853 ; 26 mart. 1897 ; 23 nov. 1922) et S. Poenitentiariae (duodecies a 15 nov. 1816 ad 3 iun. 1916), novissime ex enc. *Casti Connubii* in qua Pius XI non haesitavit declarare talem esse ipsam *christianam doctrinam* ab initio et semper traditam : « Cum igitur quidam, a christiana doctrina iam inde ab initio tradita neque unquam intermissa manifeste recedentes, aliam nuper de hoc agendi modo doctrinam solemniter praedicandam censuerint, Ecclesia catholica, cui ipse Deus morum integritatem honestatemque docendam et defendendam commisit, in media hac morum ruina posita, ut nuptialis foederis castimoniam a turpi hac labe immunem servet, in signum legationis suae divinae, altam per os nostrum extollit vocem atque denuo promulgat : *quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari* ». Ubi affirmantur tria : usum matrimonii qui de industria vi sua generandi destituitur, 1) esse contra legem divinam ; 2) esse contra legem naturae ; et 3) esse peccatum grave.

Hinc circa Onanismum statuuntur conclusiones sequentes :

1° Vir onanista nequit absolvi nisi poeniteat et proponat ; item mulier formaliter cooperans seu consentiens, vel quae semen lotionibus expellere nititur. Imo qui medio praeservativo utitur, illud tamquam occasionem peccati destruere tenetur ante absolutionem ; quod a confessario per se et regulariter est urgendum.

2° Uxor non peccat si ob causam *mediocriter gravem* viro onanistae ante seminationem sese retrahenti debitum reddat aut etiam ab eo petat ; gravis autem causa, ut constat ex responsis S. Poenitentiariae, est si secus incurrat mala gravia v. g. dissidia in coniugio, verbera, adulterium mariti, propriam incontinentiam, vel diuturnam ab usu matrimonii abstinentiam [1], etc... Ratio est quia actio debito modo incipit ita ut de se sit apta generationi ; quodsi indebite terminetur, totus reatus se tenet ex parte viri, et ex parte mulieris sola adest cooperatio materialis et *mediata* quae propter grave motivum praestari potest peccato alieno. Id enim est, ait Pius XI, *pati potius quam patrare peccatum*. Quod intelligendum est : dummodo uxor ipsi modo agendi contra naturam non consentiat, sed illum detestetur et ad eum mere passive sese habeat, secus esset cooperatio formalis ; — posset tamen active cooperari, immediate ante copulam et durante ea se excitando, et de voluptate (etiam perfecta) gaudere, *quamdiu* debito modo actio fiat ; item gaudere de bono effectu talis copulae v. g. de praeservatione a molestiis et laboribus graviditatis aut partus, quamvis id sit periculosum [2].

At etiam tunc tenetur mulier propter charitatem monere virum et repugnantiam propriam ostendere, idque non una vel altera vice sed saepius, non tamen intempestive, sed opportune ; imo, si possit, blanditiis, precibus aliisque affectus testimoniis virum ab hoc crimine deterrere (S. Poen. 15 nov. 1816), etiam denegatione debiti si ita speret procurare emendationem mariti.

3° Uxor autem non potest voluntarie cooperari et debitum reddere viro onanistae instrumentum praeservativum adhibenti, sive involucrum ipse induat sive indumentum occlusivum uxori imponat, quia est participatio *immediata* in actione intrinsece mala et ideo est vere patrare peccatum : tunc enim non adest copula de se apta generationi. Talis scil. ex utraque parte admissus congressus ab initio est vitiatus et intrinsece malus, unde cooperatio voluntaria etiam mere materialis et passiva est omnino illicita ; et ideo uxor tenetur pro viribus positive resistere (v. g. se agitando vel manibus utendo) et non potest cedere nisi praevalenti vi, ad instar mulieris oppressae, quo casu, ex tali *gravissima* causa quantum ad id quod impedire nequit, mere permissive sese habere potest, dummodo omnem consensum in delectationem excludat (S. Poen. 19 apr. 1853 et 3 iun. 1916 ; Conc. Prov. Mechl. n. 84.)

4° Item peccaret graviter uxor si virum induceret ad onanismum, sive directe sive indirecte, v.g. producendo insistentes

1. Ergo potest copulam petere a viro sese retrahente, et solum aliquando, scil. semel vel altera vice, tenetur abstinere ratione charitatis ; non saepius, quia iam esset grave incommodum, dum charitas tamen non obligat cum gravi incommodo ad vitandum scandalum mere passivum.

2. Idem *theoretice* valet pro viro, dum ante seminationem mulier se retrahat ; at *in praxi* ordinario non adest gravis ratio sufficiens ex parte viri, quia retractionem mulieris sat facile, etiam physica vi, potest impedire.

querimonias de numerosiore prole, de doloribus partus, de incommodis gestationis, etc.

5° Uxore utente pessario occlusivo vel aliis mediis generationem impedientibus, debet vir auctoritate maritali illud prohibere et eam ab istis removere, imo, si fieri possit, media et instrumenta auferre et destruere ; quod si nihil proficiat et gravia incommoda timenda sint, censent aliqui virum posse etiam debitum petere et copulam perficere, dummodo mere materialiter et passive sese habeat quoad impedimentum generationis. Iamvero :

a) *Certo* illicitum esset si uxor uteretur pseudo-vagina, quia tunc ab initio actus esset intrinsece malus.

b) E contra *probabiliter* est licitum, si, contradicente viro, pulvere anticonceptionali utatur aut medicamento quo semen enecetur, saltem si fiat post actum, vel lotione vaginali illud expellere nitatur ; quia tunc idem substantialiter manet et actus et organum genitale mulieris : ipse actus enim bene fit et semen in vase debito deponitur, vitium autem non est ex modo agendi, sed existit independenter ab actu et est ei posterius solique uxori est tribuendum.

c) Quodsi spongia utatur uxor vel pessario occlusivo, an eadem ratio valeat, dirimere nos ipsi non auderemus, sed viderint sapientiores [1]. Res non tam clara est, num in casu ipsa copula sit ab initio vitiata, licet ab initio et durante copula adsit impedimentum conceptionis ex occlusione uteri ; quia os uteri non est organum quod, sicut penis, partem habet in copula, sed ista debito modo perficitur si semen in vagina naturali deponatur. Id in casu accidit, licet actio naturae post copulam continuanda impediatur, sed a muliere. Unde *in praxi*, donec Ecclesia pronuntiet, maritus absolvi poterit, dummodo paratus sit stare mandatis S. Sedis.

Nec obstat : si mulieri illicitum sit cooperari viro utenti instrumento praeservativo, pari iure et viro debet esse illicitum cooperari mulieri quae simili utitur instrumento. Potest enim dubitari an instrumentum, quantum ad copulam, sit omnino simile. Et quamvis iura sint paria, non *tamen eaedem sunt partes viri et mulieris* in actu coniugali, sed maiores sunt apud virum ;

1. P. Vermeersch in prima editione sui operis *De Castitate* affirmavit, sed postea se retractavit (cfr. *Periodica de re canonica* 1925, f. II, et *Th. M.*, t. IV, 69). Actus nunc videtur ipsi ab initio malus, quia vagina iam est substantialiter vitiata : haec enim essentialiter est canalis ducens ad uterum ; cum autem in casu occludatur, etiam canalis esse cessat. Unde mulier quae habet vaginam naturaliter occlusam est impotens. — Argumentum, salvo meliori iudicio, non videtur certum. Nam alia est occlusio naturalis, alia mere artificialis ; aliud organum propter suam structuram occlusum, aliud apte constructum sed occlusum ob accidentale impedimentum ab extrinseco appositum, quod vaginam relinquit perfecte integram. Iuvat etiam notari hoc modo solum impediri transitum seminis in uterum et ita ad ovum. Iamvero si uterus fuerit ablatus vel oviductus interruptus, et transitus ad ovulum iam impossibilis factus, actus coniugalis tamen manet licitus ; item, durante graviditate, dum transitus in uterum impeditur quia iste clauditur.

et ideo facilius cooperari vir poterit peccato uxoris, quam ista peccato viri.

956. Corollaria. — 1. Ex principiis enuntiatis responderi potest quaestioni : *utrum uxor cooperari possit copulae sodomiticae ?* quae etiam adversatur fini naturali copulae, ac fidei coniugali postulanti ne coniuges utantur corpore nisi modo generationi apto : neuter enim habet ius in corpus alterius contra naturam. Iamvero, respondendum est sicut pro onanismo *artificiali :* tali copulae, utpote intrinsece malae et ab initio vitiatae, positive seu active cooperari nunquam licitum est, nec etiam mere passive cooperari ; — sed oportet ut uxor concubitum viri sodomiticum positive resistendo quantum possit (v. g. agitatione et manibus) impedire conetur, et si invita nihilominus praevalenti vi cedere cogatur, ut nunquam venereae delectationi inde forsan orienti consentiat. Si enim onanismo artificiali cooperari nunquam est ipsi licitum, a fortiori id valet de modo sodomitico qui magis est perversus (Cfr. S. Poen. 3 apr. 1916).

2. Ab onanismo et sodomia improprie dicta distingui debet *actus quo coniuges congrediuntur animalium more,* ita tamen ut copula fiat in vagina ; quo casu nonnulli dicunt se retrorsum vel a tergo congressos esse. Tunc interrogare debet confessarius, utrum hoc modo generatio fuerit possibilis ; si respondent eam fuisse possibilem, infertur actum non fuisse contra naturam sed solum inordinatum in situ, praeter naturam ; quod peccatum veniale non excedit. Sponte de situ in copula habendo sermonem nunquam habeat confessarius.

3. Ab onanismo differt omnino praxis copulam solo tempore *ageneseos* habendi, quo tempore nullatenus aut rarius accidit conceptio ; unde ista praxi generatio fit parum probabilis. Talis enim agendi ratio non est de se peccaminosa, cum coniuges possint sese continere quamdiu volunt, et aliunde nil contra finem matrimonii agant tempore quo congrediuntur (S. Poen., 16 iun. 1880); dummodo ita fiat ex recta intentione seu iusto motivo et servatis debitis circumstantiis. Merito tamen monent episcopi

Belgii : « ne autem ipsis coniugibus proponatur tempus ageneseos ac si per illud generatio certe vitaretur » [1].

---

1. Tempus ageneseos olim a medico Capellmann aliisque fuit ita statutum : a decem vel quatuordecim diebus post inceptam usque ad tres quatuorve dies ante novam menstruationem ; putabant enim ovulationem ac proinde fertilitatem cum menstruatione coincidere, ita ut durante mense esset mulier :

fertilis	sterilis	fertilis
a die 1 ad 14	a 15 ad 25	a 26 ad 28

At compertum fuit menstruationem cum ovulatione non coincidere, licet sit phenomenon connexum ; sed locum habere inter duas ovulationes. Ita D[r] Siegel statuit mulierem fertilem esse a die 5 ad 20 a menstruatione habita, sterilem a die 1 ad 4, et a 21 ad 28. Nunc autem iuxta recentissima experimenta doctoris Knaus, mulier esset fertilis a die 11 ad 17 a menstruatione habita, sterilis a die 1 ad 10 et a die 18 ad 28. Secundum doctorem Ogino mulier esset fertilis a die 12 ad 19 ante menstruationem sequentem (exceptionaliter ad diem 24), sterilis autem per 11 dies ante menstruationem sequentem et per 9 dies (exceptionaliter tantum per 4) post menstruationem habitam. Quod ita schematice proponi potest :

	sterilis	fertilis	sterilis
Iuxta Siegel :	a die 1 ad 4	a 5 ad 20	a 21 ad 28
Iuxta Knaus :	a die 1 ad 10	a 11 ad 17	a 18 ad 28
Iuxta Ogino :	a die 1 ad 9 (except. a 1 ad 4)	a 10 ad 17 (except. a 5 ad 17)	a 18 ad 28

Circa quae notandum :

1° Computus est approximativus, unde ad certo vitandam conceptionem abstinere deberent coniuges a die 4 ad diem 19 vel 20 post menstruationem.

2° Experimenta nondum sunt sufficienter certa, quia : a) incertum est tempus durante quo ovum et sperma ad fecundationem manent apta ; b) experimenta non sunt satis numerosa ad omnimodam certitudinem faciendam ; et c) plura non in specie humana sed in animalibus fuerunt facta, unde ex eis tantum concludi potest per analogiam.

3° Ovulatio praecox aut tardior aut supplementaria semper est possibilis, unde et de facto, fecundationes locum habuerunt aliis temporibus.

4° Hinc alii dicunt non dari, hac in re, legem generalem, sed rem dependere a diversa conditione mulieris ; alii vero dicunt nullum esse tempus in quo conceptio non sit stricte possibilis.

Ex quibus constat quam caute in affirmando vel consulendo hac in re procedere debet confessarius ; nec ista doctrina spargenda est in populum quia noceret bono communi.

Speciatim : a) Praxis copulam solo tempore ageneseos exercendi, etsi de se non sit illicita, est tamen male sonans, quae exigit rationem cohonestantem.

b) Ergo, ut in casu concreto sit honesta, opus est ut fiat ex bono fine, qualis non est vitare omnem prolem, aut voluptati indulgere, aut luxuosam vel commodiorem vitam mundanam ducere ; secus erit peccatum veniale.

c) Etiam si adsit bonus finis, insuper requiritur ut fiat in circumstantiis

4. Nec onanismus cum *copulae abruptione* confundi debet. Haec enim licita esse potest propter gravem rationem, v. g. ad vitandum scandalum persona ex improviso superveniente, ob spasmum exortum in suris, ob subortam infirmitatem : tunc copula abrumpitur non iam ut semen extrinsecus effundatur, sed ex alio fine, unde seminis effusio praeter intentionem eveniens pollutioni involuntariae aequiparatur. Deficiente gravi ratione, id per se loquendo non est mortale, dummodo coniuges in hoc consentiant nec adsit periculum seminandi extra vas : illa enim penetratio vasis feminei tunc reputatur ad instar tactus impudici, qui inter coniuges permittitur vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis.

Diximus :

a) *si ambo consentiunt*, nam si alter se retrahit sine alterius consensu, certo graviter peccat contra obligationem reddendi debitum, ut magis patebit ex art. seq. ;

b) *per se loquendo*, nam saepe est mortale quia frequenter adest periculum ex tali retractione effundendi semen, nisi coniuges experti sint oppositum, quo casu, ordinario tamen non possunt excusari a veniali ;

c) *si non adsit periculum pollutionis;* unde peccat graviter maritus qui, sine causa iusta, seminationem cohibeat, postquam uxor delectationem completam experta sit vel ad eam proxime sit parata, quia ita est causa quod actio uxoris fini suo destituatur et sit mera pollutio.

5. Graviter *intentione* peccant mulieres quae inefficaci ratione (vano remedio, cohibendo distillationem, surgendo ad mingendum) copulam sterilem reddere voluerint.

---

debitis, v. g. de mutuo consensu et absque periculo incontinentiae ; secus adesset peccatum mortale.

d) Hinc talis praxis non est publice proponenda, nec etiam privatim positive suadenda, quia id natum est generare scandalum, imo ducere ad onanismum : cum enim utriusque praxeos sit idem effectus, nonne periculum adest quod utriusque differentiam non satis perspiciant, et tandem modo innaturali, faciliore et securiore, sint usuri?

e) Sed *quandoque* potest confessarius *caute* illam praxim suggerere : ita si adsit ratio sufficiens omnem conceptionem vitandi et poenitens non possit continentiam servare, posset confessarius dicere *in hoc casu* id non esse malum ; vel si inveteratus onanista sit incorrigibilis, cui talis modus agendi proponi posset ut *minus* malum.

Haec est doctrina satis communis inter moralistas.

Nec marito talia in hunc finem iubenti parere possunt nisi prius ipsum de suo errore monuerint.

Quodsi medium adhibeant voluntarie quo expellatur aut enecetur semen receptum, *actus exterioris graviter peccaminosi* reae sunt ; hinc mulieres vaginam *regulariter* irrigare non debent statim, sed solum aliquot (2 vel 3) post copulam horis [1].

Sub nullo itaque praetextu citius fieri potest munditiei, aut consuetudinis, aut sanguinis affluxus cum pruritu, aut fluoris albi, vel inflammationis vaginalis, aut sanitatis ; quae causae ceteroquin non sunt proportionatae, imo generatim lotio vaginalis potius est sanitati nociva [2]. Esset tamen lotio immediate post copulam licita, si esset *medium hic et nunc necessarium* ad infectionem aut morbum contagiosum avertendum, quod sane raro accidit.

957. **Animadversio.** — Praeter inordinationem contra naturam, Onanismo intrinsecam, etiam *plura mala ex eo nata sunt sequi consectaria*, ut notat Tanquerey (Suppl. ad tr. de Matr., n. 41-43) :

« a) *Ipsi coniuges* saepe ex eo multa mala patiuntur ; sicut enim filii sunt *commune bonum et commune vinculum* quo firmius et arctius coniuges connectuntur, ita ex adverso qui prole carent multo facilius dissentiunt et ab invicem separantur. Nec dicatur, ad hunc finem attingendum unum vel alterum filium sufficere ; nam quo numerosior proles, eo firmior coniugum unio ; aliunde haud raro onanistae puniuntur praematura morte unius vel alterius filii quem genuerant ; hinc saepe parentes filii unici angoribus et timoribus premuntur, ne forte hic e vivis rapiatur et familiae nomen deleatur. — Praeterea copula maritalis quae, legitime peracta, remedium est concupiscentiae, eam non sedat sed incendit quando onanistice perficitur ; femina praesertim non complete delectatur, nec quiescit nisi cum uterus virili semine eius ardorem temperante irrigatur. — Hinc etiam uno ore conclamant medici onanistas multis morbis obnoxios esse, qui praesertim *ex nervorum excitatione* oriuntur [3] ; commotio enim quam concubitus causat non sedatur nisi virilis spermatis naturali effusione ac susceptione.

b) *Proles* etiam haud raro ex onanismo parentum aliquod detrimentum patitur, quod ita describit Concil. *Pictaviense* (1868) : saepe saepius accidit ut *filius ille indulgentius educetur*, aut Deo iubente vitam breviter finiat, aut, aetate deterior factus,

---

1. Cfr. de hac re opusculum nostrum *De Castitate et Luxuria*, ed. 4ª, p. 119-120, in nota.

2. Ita Dr Schockaert, *Les dangers de l'avortement et du néo-malthusianisme pour l'organe féminin*, in *Revue médicale de Louvain*, *1932*.

3. Vel etiam mulierem ex defectuosa variarum praxium applicatione aut ex mediis chemicis. De quo rursus Dr Schockaert in dicto articulo.

dulci fratrum sororumque amore ac praesidio destitutus, seipsum amans, parentibus non obediens, elatus, ingratus, sine affectione, familiam suam ignominia moeroreque afficiat.

c) Nec minus societati nocet onanismus. Si quidem praecipuum societatis robur ac praesidium in numero ac virili civium educatione situm est ; iamvero onanismus, generationem impediendo, civium numerum minuit, ita ut nationes olim florentes paulatim deficiant ; obstat pariter virili puerorum educationi : ubi enim unicus est filius, generatim indulgentius educatur, voluptati potius quam officio addicitur, ac saepe patriae omnino inutilis evadit ».

958. Monitum pro confessariis. — De Onanismo etiam *interrogandi et monendi sunt fideles in confessione*. De quo S. Poen., 10 mart. 1886 ; et Instr. ep. Belgii 1909[1] ; atque Conc. prov. Mechl., n. 84-86 ; imo ipse S. Pontifex in enc. *Casti Connubii* scribere non dubitat : « Sacerdotes igitur, qui confessionibus audiendis dant operam, aliosque qui curam animarum habent, pro suprema nostra auctoritate et omnium animarum salutis cura, admonemus, *ne circa gravissimam hanc Dei legem fideles sibi commissos errare sinant*, et multo magis, ut ipsi se ab huiusmodi falsis opinionibus immunes custodiant, neve in iis *ullo modo conniveant*. Si quis vero confessarius aut animarum pastor, quod Deus avertat, fideles sibi creditos aut in hos errores ipsemet induxerit, aut saltem sive approbando, sive *dolose tacendo* in iis confirmarit, sciat se supremo iudici Deo de muneris proditione severam redditurum esse rationem, sibique dicta existimet verba Christi, Mt. XV, 14 : Caeci sunt, et duces caecorum ; caecus autem, si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt ».

Agitur enim de malo gravissimo, ubique sparso et bono communi valde nocivo, de quo bona fides iam vix existere possit, cuius praxis apud bonos et pios facile erit aliis ob scandalum damnosa, quaeque ob silentium confessariorum existimabitur permitti aut tolerari posse.

1. Cuius instructionis ad instar commentarii haberi potest opusculum auctoris A. Knoch, *L'Onanisme conjugal et le tribunal de la Pénitence*. Praeterea conferri utiliter possunt : *Instructio pro confessariis de usu et abusu matrimonii*, Eichstaett, Seminarium 1931 ;— *Ami du Clergé*, 1931. — Creusen, *L'Onanisme conjugal*, in *N. R. Th.*, 1932.

Quibus inspectis confessarius :

1° Nisi positivo iudicio appareat poenitentem ab illo vitio immunem, *regulariter* ignotos coniuges interroget saltem interrogatione generali, sed clara : utrum omnia in matrimonio recte se habeant, an opus naturae non impediant, an nihil circa hoc perturbet conscientiam.

2° Si onanista detegatur, nunquam potest positive permittere vitium, et *regulariter* monere debet, non solum si absit bona fides aut probabilis sit spes fructus, sed etiam his deficientibus, imo, monet S. Poen. 10 mart. 1886, « si praevideat plures a bona fide esse deturbandos, multosque sacramenta derelicturos » : tum *generatim*, quia si confessarii generatim silerent, nocerent bono communi, tum in casu *particulari* si timeatur ne silentium confessarii divulgetur, vel exemplum fidelibus sit scandalum. « Hac enim in re, ait Conc. Prov. Mechl., n. 85, praestat severitate uti magis quam indulgere laxitati ».

3° Extraordinarie solum, in casu raro, si ista absint incommoda et periculum scandali atque nimii abusus, poenitentem poterit relinquere in bona fide, quae facilius existere potest in uxore, dum est in gravi morbo aut totam rem relinquit marito.

4° Quodsi coniux, attento modo quo vitium committatur, copulam bene inchoare vel inchoatam admittere legitime possit, de hac facultate eam instruat, ut ipsa vitet deinceps peccata formalia.

5° Remedia quoque contra vitium praebeat :

a) ostendat gravitatem peccati quod fini primario actus coniugalis et matrimonii directe adversatur, ac gravem obligationem illud derelinquendi ;

b) exponat effectus nocivos in prole nata, et in parentibus qui systema nerveum debilitant, aut ex instrumentis male applicatis vel chemicis lotionibus ;

c) si poenitens obiicit difficultatem alendi et educandi numerosiorem prolem, fiduciam excitet in Dei providentiam, et exponat familias numerosiores generatim esse aliis feliciores, et emergere energia membrorum maiorique unione ac virili amore ;

d) si mors ex novo partu timeatur, insinuet periculum a medicis nonnullis facile exaggerari, neminem hac in re posse certum praenuntiare eventum, naturam ceteroquin mulieri praegnanti adiumentum ferre, ac artem medicam ita profecisse ut periculum potius possit averti ;

e) tandem discreto modo ut se contineant aut rarius congrediantur suadere potest, vel quandoque iis caute insinuare adesse tempus fecundationi minus aptum, eo modo quo supra fuit expositum, n. 956, 3.

6° Denique recidivo sine ulla emendatione regulariter absolutio differatur, nisi signa extraordinaria afferat.

Articulus V.

De Defectu in Matrimonii Usu.

S. Th., Suppl., q. 64 ; q. 59, a. 6 ; q. 62.

959. **Defectus in usu coniugii** non habetur si alteruter coniux, de consensu compartis, vel uterque, ex mutuo consensu, non velit uti iure suo ad actus vitae coniugalis, sed quando, altero ius suum urgente et debitum coniugale iuste exigente, alter illud sine iusta ratione denegat. Cum enim usus coniugii sit virtute morali castitatis regulandus, quae est in medio rationis, in eo, sicut excessus, ita et defectus esse potest. De quo valent principia sequentia.

960. *Principium I.* **Actus coniugalis per se est obligatorie reddendus comparti ius ad illum habenti et iuste exigenti.** — Copula enim *ex iustitia* exigi potest ab alterutro coniugum quia habet potestatem in corpus compartis, et quidem ex contractu bilaterali oneroso, ita ut per se et generatim compars ipsam reddere teneatur ; quapropter *debitum coniugale* solet vocari. Unde coniuges hac in re sunt iure aequales (can. 1111), estque inter eos iustitia stricte dicta et commutativa. Hinc Apostolus, I Cor. VII, 3-4 : *Uxori vir debitum reddat ; similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

A. *Petendi* nulla *per se* est obligatio, quia nemo tenetur uti iure suo ; per accidens obligatio ex *charitate* et pietate potest existere, v. g. si iudicet coniux (praesertim vir) compartem versantem in periculo incontinentiae non audere ex verecundia petere, aut si usus coniugii necessarius appareat ad fovendum amorem vel dissidia avertenda.

B. *Reddendi* existit obligatio *per se gravis ex iustitia*, quoties una pars rationabiliter, serio et legitime petit, sive expresse sive tacite, quia ad usum coniugalem corpora mutuo tradiderunt in contractu matrimoniali ; id autem negare de se gravem molestiam affert alteri. Per accidens tamen erit levis, ut si raro denegetur debitum, v. g. saepius petenti semel in mense, si ad breve tempus differatur, v. g. a die ad noctem, a nocte ad mane, si alter remisse, non instanter, petat et neganti facile acquiescat ; dummodo in his circumstantiis absit periculum incontinentiae aut alterius gravis incommodi.

961. *Principium II.* **Cessat obligatio debitum coniugale reddendi in uno, cessante iure petendi in altero.** — Quod multiplici ratione fieri potest :

a) Si coniux petens admiserit adulterium (sodomiam proprie dictam, bestialitatem) formale, certum, consummatum : frangenti enim fidem, fides frangitur. Excipe si alter similiter peccaverit, vel peccati complex fuerit, vel peccatum sciens et volens condonaverit (can. 1129).

b) Si petens usu rationis prorsus careat vel in statu perfectae ebrietatis sit, quamdiu status duret : qui enim caret usu rationis non petit rationabili et humano modo [1].

c) Si copula sit causa *gravis* periculi seu incommodi extrinseci, vel pro reddente, vel pro petente, vel pro prole iam concepta [2] ; sufficiente tamen accedente ratione (v. g. vitandis dissidiis vel sui aut compartis incontinentia), posset aliquis, ex charitate, comparti reddere et proprio periculo se exponere, nisi tamen ex copula mors immineret [3].

---

1. Etiam potest esse periculum pro prole concipienda ex copula post multam potationem inebriativam instituta, scil. ne fatua nascatur, vel surdomuta, vel ebrietati obnoxia.

2. In specie adest *grave incommodum* negandi :
a) si uxor incipienti cancro uteri laborat, ita ut post coitum copiosae sanguinis emissioni subiicatur ;
b) si coitum subit cum dolore valde acuto qui in singulis copulis repetitur ;
c) si ipsa graviter aegrotat vel si compars morbo contagioso laborat, uti lepra, morbo venereo, qui vel celeris infectionis periculum adducit, vel insuperabilem horrorem commovet ;
d) si alteruter vitio organico cordis laborat : tunc enim coitus non solummodo valde nocet, sed mortem etiam subitaneam producere potest ;
e) si uxor experientia aut medici iudicio novit se in partu grave mortis periculum subire.
Hinc dicit P.Vermeersch, o.c. n. 225 : « Si medicus novam conceptionem *certo exitiosam uxori fore* declaret, uxor copulam declinare debet. Si autem mors non ita immineat, uxor in periculum ob gravem causam se inferre potest. Etenim, cum ipsa conceptio dubia sit, nec ortum nec proximum periculum esse videtur. De his autem medicum simul peritum et timoratum adire oportet. Non desunt enim qui propter *modica* indicia personas parum continentes honesto coniugii usu inconsiderate prohibent. Quare Génicot existimat rarissime tale periculum ex futuro partu constare ob quod gravis obligatio sit abstinendi coniugii ».

3. Id esse ad mentem S. Thomae constat ex eius responsione ad 4, a. 1 q. 64.

d) Si compars petat immoderate v. g. pluries (ter quaterve) in eadem nocte[1].

e) Si petat modo non solum ex parte agentis sed ex parte ipsius actus illicito, v. g. ut fiat onanistice, sodomitice, cum scandalo aliorum, etc.

Gravius autem nocumentum requiritur ad debitum absolute negandum, quam ad eiusdem redditionem differendam vel restringendam. Ita debilitas uxoris aut magna defatigatio, quae non sufficit ad copulam absolute denegandam, potest esse ratio ad redditionis dilationem vel ad eam denegandam adeo frequentem qualis a viro expetitur. Hinc :

1° Peccant graviter uxores quae in reddendo debito se difficiles et morosas praebent cum periculo incontinentiae aut adulterii in viro, aut cum animo illum deterrendi a petitione ; item si debitum non concedunt nisi coacte, si viro dure et contumeliose suas petitiones exprobant, imo si obstinate negant, etiam pro una vice dum serio et instanter petit.

2° Graviter etiam peccant viri qui, sive ex avaritia ad vitandam prolem, sive ex malevolentia, raro cognoscunt uxores suas.

3° Tenentur coniuges ad torum communem (can. 1128) propter obligationem reddendi, ideo per se illicitum est uni, absque consensu alterius vel cum periculo incontinentiae, diutius abesse : id enim aequivalet denegationi debiti ; per accidens licitum est propter graves causas v. g. bonum notabile reipublicae vel familiae.

4° Hinc *iniustus* est ille qui *illicite* se separat vel divortium civile postulat.

5° Illicitum est coniugibus se inhabiles reddere ad copulam aut generationem, nimiis laboribus, vigiliis, austeritatibus, aut a fortiori pollutionibus, adulteriis aliisve actibus illicitis. Unde gravis et *specialis* iniustitiae rei sunt mariti qui, invita uxore, vasectomiam ideo admiserint vel castrationem ut generare non possint, vel corpus ita extenuant ut actui coniugali fere impares se reddant, vel artes neo-malthusianas exercent ; item ex adverso uxores quae, inscio vel invito marito, non ex necessitate praesentis infectionis, sed ad sterilitatem obtinendam aut graviditatem futuram, etiam periculosam, vitandam, excisionem ovariorum vel interruptionem oviductus sibi procurant, aut pessarium occlusivum ad ostium uteri apponunt, aut aliis mediis neo-malthusianis utuntur ; item medici qui arte sua praedictas excisiones aut operationes exercent aut aliquo modo iis cooperantur.

6° Non excusantur coniuges ab obligatione reddendi propter

1. Non solent viri, multo minus uxores, modum excedere in petendo debito nisi primis a contracto matrimonio mensibus, quo tempore etiam exigua erit difficultas moralis, seu quia vir rarius ius strictum urgere intendit, seu quia modeste deprecanti uxori libenter annuet (Génicot, *Th. M.*, II, n. 554).

incommoda inhaerentia matrimonio, v.g. numerosiorem prolem, incommoda gestationis, difficultates ordinarias partus, dolores graves et insolitos sed breves, dolores leves licet diuturnos, etc..., quia haec onera sunt matrimonio adnexa et ineundo matrimonium ea susceperunt.

7° Videtur tamen uxor a reddendo debito excusari, si vir culpa sua in summa egestate uxorem relinquat, aut prolem alere nolit, aut nullam curam familiae habeat.

962. Animadversiones. — 1. Ordinarie non tenetur confessarius nec eum decet interrogare uxores, nisi modestiore quo possit modo, num debitum reddiderint, v. g. an obediant viro in rebus quae ad matrimonium spectant, vel an aliquid conscientiam angat circa matrimonium ; de ceteris taceat nisi interrogatus fuerit. Plerumque hac in re interrogandae sunt uxores parum timoratae, praesertim quando se maritis suis iratas fuisse confitentur. Haec autem interrogatio ordinario omittenda est cum uxoribus timoratae conscientiae.

2. Interrogatus confessarius triplicem regulam supra indicatam, n. 948, proponere potest coniugatis qui circa turpiora quae inter se agant anxietate premuntur ; — ab ulterioribus interrogationibus circa naturam facti generatim abstineat ; — praeterea singuli edoceantur : a) maritus ut debitum non petat iis temporibus quibus copula uxori graviter noxia esse potest, v. g. tempore purgationis vel gravis morbi ; b) uxor se sub gravi peccato teneri viro obedire in debito reddendo, nisi ex iusta causa excusetur, v. g. ob infirmitatem.

3. Puellam interrogantem quid sibi licitum sit aut praeceptum in matrimonio mox contrahendo, iubeat confessarius interrogare matrem vel aliam consanguineam cui fidere possit ; quodsi nullam huiusmodi feminam praesto habeat, honestiore modo et breviter doceat. Ad maritum illam simpliciter remittere ut omnibus huius desideriis se conformet, iam hodie non videtur expedire, cum tot viri iam media contra naturam quaerant ; — nisi casu quo honestas mariti sit omni exceptione maior. Nonnunquam provisorie dicere poterit : viro esse obediendum, nisi clare constet de peccato ; quod si dubium sit, illud esse postea confessario exponendum.

4. Caveat confessarius ne coniugibus de variis coëundi modis intempestivas aut nimias quaestiones faciat, quippe quae non modo inutiles sint, sed et scandalum gignere possint. Quare si poenitens prudentem suspicionem ingerat, satis erit confessario inquirere num adfuerit aliquid contra naturam vel voluntaria pollutio ; de ceteris non loquatur nisi interrogatus.

5. In matrimonio, ut feliciore modo res procedant, attendant coniuges ut in usu coniugii alterius satisfactioni potius quam suae propriae consulant ; speciatim :

a) ut vir : 1. non fero sed *suavi* modo ad uxorem accedere

incipiat ; 2. *discrete* utatur iure suo, et ita 3. affectum amoris in uxore foveat et augeat ;

b) similiter uxor marito praebeat : 1. *facilitatem* qua parata sit reddendo debito ut placeat viro, item 2. *munditiem*, ac 3. *ordinem* et nitorem domus.

6. Castitati matrimoniali duplex occurrit periculum ex duplici vitiosa inclinatione : ad adulterium scil. et ad onanismum.

A. Ad primum impediendum vitandae veniunt occasiones : ne itaque maritus ita imprudens sit ut frequentem societatem uxoris aut amicitiam ad alios viros foveat ; item uxor : a) ne aliam feminam iuniorem, v. g. sororem aut pulchram ancillam, ad virum introducat aut domi retineat ; b) ne marito frequentationes theatrales aut mundanas separatas permittat ; c) ne ipsa cubitum separatum habeat.

B. Ad onanismum vitandum oportet imaginationem reprimere simul ac egoismum. Speciatim coniuges :

a) in vera humilitate, modesta sua conditione contenti, non altioris desiderio torqueantur,

b) divitiis cumulandis aut otio praeferant laborem pro alendis numerosis filiis,

c) in spiritu christianae abnegationis, variis delectationibus privari velint pro bona institutione prolis.

7. Ceterum ut castitatem coniugalem exercere valeant, oportet ut coniuges, virtute praediti, passionem dominentur et continentiam per tempus servare apti sint, ut quandoque necessarium est durante praegnatione, vel tempore partus et purgationis, vel propter morbum aut infirmitatem. Quodsi id possint, etiam sat facile vitare onanismum valebunt.

QUAESTIO SECUNDA.

DE CONIUGUM COHABITATIONE.

S. Th., Suppl., q. 62.

963. Cohabitatio seu vitae communis consortium est altera obligatio ad quam coniuges per se tenentur ex iustitia, et sine qua moraliter impossibile est officia implere pertinentia ad individuam vitae consuetudinem, cuius proinde est pars integralis. Complectitur de se consortium tori, mensae et tecti.

964. *Principium I.* **Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset.** — Ita can. 1128.

Constat ex ipsa coniugii natura, et ex finibus matrimonii qui exigunt individuum et inseparabilem convictum. Unde legitur Gen. II, 24 et Mt. XIX, 5 : *Relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae ;* et I Cor. VII, 10 : *Iis qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.*

Hinc : 1° Neuter coniugum potest discedere, altero invito, ad longum tempus, nisi adsint iustae causae, nempe ob bonum publicum, vel ad alendam aut tuendam familiam, vel ad vitandum damnum.

2° Si vir diu debeat alibi manere, tenetur, si commode potest, uxorem eo adducere ut secum cohabitet, vel frequenter eam invisere. Similiter vir per se teneretur comitari uxorem, si necessitas eam ad mutandum domicilium cogeret.

3° Regulariter uxor tenetur sequi virum mutantem domicilium, etiamsi mutet sine iusta causa, modo causa non sit turpis ; imo etiam si longe discedat et ibi per multum tempus sit moraturus ; — nisi ita uxor exponeretur gravi periculo vitae aut valde gravis detrimenti, unde non teneretur sequi virum huc illuc vagantem, nisi ipsa, ante matrimonium, virum vagantem esse noverit.

4° Communio tori intelligenda est qualis ex ipsa natura coniugii exigitur ; unde non est necessario sumenda sensu strictiore, etsi ita plerumque sit in usu, sed sufficit consortium thalami, distincto adhibito lecto. Imo subsistere potest, si vir et mulier distincta habeant contigua inter se iuncta cubilia, licet in praxi, ob inconvenientia facile oriunda, iste usus sit minus probandus, utpote unioni animorum nocivus.

965. *Principium II.* **Divortium a toro et habitatione licitum esse potest iustis de causis, quales sunt adulterium coniugis, grave periculum animae vel corporis, et mutuus consensus.** — *Certum est* ex definitione Conc. Trid., sess. 24, can. 8, contra Protestantes qui, dissolutionem vinculi admittentes ob adulterium, omnes causas separationis reiiciunt.

Principium constat tum ex verbis Christi, qui declarat id quandoque licitum (Mt. XIX, 29), atque explicite adulterium tamquam causam legitimam separationis indicat (Mt. V, 31 ; XIX, 9), tum ex apostolo qui supponit id ob causam legitimam fieri posse (I Cor. VII, 11 sq.), tum ex iure (can. 1128-1131), tum denique ex eo quod cohabitatio non ad essentiam matrimonii pertineat, sed tantum ad eius integritatem.

Separatio fieri potest in perpetuum vel ad tempus, totaliter vel partialiter.

966. Prima causa separationis est adulterium coniugis, iuxta can. 1129, § 1 : « propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem ; nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit ». Quod explicite declaravit ipse Christus, Mt. V, 32 : *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari* (cfr. XIX, 9). Ratio est quia fidem promissam frangendo, adulter omne ius amisit erga compartem quantum ad officia coniugalia.

Ut autem ius separationis conferat, adulterium debet esse *formale, consummatum, moraliter certum, cui alter non consenserit aut causam dederit, et nec condonatum nec mutuum.*

Debet esse :

1° *formale* i. e. scienter et libere commissum ;

2° *consummatum* ipsa copula cum seminatione, etsi onanistice peracta, cui aequiparantur sodomia proprie dicta et bestialitas in quibus par est ratio iniuriae illatae ; non vero sufficiunt actus impudici, etiam graves, absque copulatione ;

3° *moraliter certum*, ita ut de eo vere constet, secus non potest alter iure possidentis privari; quin tamen requiratur physica certitudo quae in tali materia difficulter obtinetur ;

4° *cui alter coniux non consenserit aut causam dederit*, ut explicite dicitur in can. 1129, § 1 : causam dare censetur qui uxorem deseruit aut debitum coniugale saepius reddere omiserit ;

5° *nec condonatum :* si enim libere fuerit condonatum, a coniuge innocenti, hic ipso facto iuri suo discedendi renuntiavit. Potest autem condonatio fieri *expresse* aut *tacite;* « *tacita* condonatio *habetur*, si coniux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero coniuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit ; *praesumitur* vero, nisi sex intra menses coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit » (can. 1129, § 2) ;

6° *nec mutuum :* crimen enim unius crimine alterius compensatur ; nihil autem refert, uter coniugum prius vel pluries adulterium patraverit.

Notetur virum non teneri uxorem dimittere adulteram, nisi desset unicum medium ad eius emendationem, aut ad scandalum vitandum ne putaretur fautor delicti eo quod retineat ipsam, nec timeantur maiora mala ; uxorem vero probabiliter nunquam teneri virum dimittere.

967. Altera causa separationis potest esse grave periculum animae vel corporis, quale oritur ex adiunctis enumeratis in can. 1131, § 1 : « si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit ; si prolem acatholice educaverit ; si vitam criminosam et ignominiosam ducat ; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat ; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus, sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet, et periculum sit in mora ».

Circa quae notandum :

1° « In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est. Sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore » (can. 1131, § 2).

2° Raro ob supervenientem *haeresim vel apostasiam* expedit separatio, ex qua saepius pro coniugibus aut societate timenda sunt maiora damna ; nisi grave esset fidei periculum pro uxore vel prole (Tit. III, 10).

3° *Periculum animae* est incitatio seu inductio ad grave peccatum, cum gravi consensus periculo praesertim si secus tolli non possit (Mt. XVIII, 9 ; Lc. XIV, 26) ; non vero sufficit mera peccati occasio.

4° *Periculum corporis* oriri potest ob furorem compartis vel ex morbo contagioso, quo casu licita est separatio a toro, ut dictum est n. 961.

5° *Saevitiae* habentur si coniux consortem crudeliter tractat, ut si maritus uxorem capitali odio prosequatur, eius vitae insidias paret, mortem vel mutilationem serio minetur ; non vero sufficit verberatio, nisi sit valde gravis et immoderata atque pluries repetita, aut in posterum repetenda.

6° *Molesta cohabitatio* ex iurgiis et rixis continuis, denegatione alimentorum, derelictione in aegritudine, magna incuria in administrandis bonis, imminutione ad conditionem vilioris servae, etc. etiam causa esse potest separationis, quia ita salus animae et corporis periclitatur.

968. Tertia causa legitimae separationis potest esse mutuus consensus : sive quoad torum sive quoad habitationem, sive ad tempus sive in perpetuum.

Ex verbis Christi constat id licitum esse ad perfectionem : *Omnis, qui reliquerit domum... aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit* (Mt. XIX, 29).

Hinc : 1) Si matrimonium non fuerit consummatum, unicuique coniugum est ius eligendi statum perfectiorem, imo ipsa professione religiosa solemni matrimonium ratum dissolvitur, ut dictum est n. 818, B.

2) Attamen ex iure vigenti, ad ingrediendam religionem vel ut vir possit recipere ordines sacros, praeter consensum compartis requiritur dispensatio apostolica (can. 542 et 987) ; a fortiori si matrimonium fuerit consummatum.

3) Separatio a tecto perpetua requirit interventum episcopi, non vero temporanea quae licita est ob causam proportionatam, ut dictum est n. 964.

4) Separatio a toro, ex mutuo consensu, fieri potest propria auctoritate, sed regulariter non expedit nisi ad tempus, ob periculum nempe incontinentiae, monente apostolo, I Cor. VII, 5 : *Nolite fraudare invicem, nisi forte e consensu et ad tempus, ut vacetis orationi* (aut si alia iusta causa existat) ; *et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.*

969. Corollaria. — 1. Separatio quoad habitationem, cum sit de foro externo, regulariter fieri non potest auctoritate privata vel de consilio confessarii, sed exigit interventum auctoritatis publicae, unde uxor etiam malitiose deserta non censetur legitime separata nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem (com. int. 14 iul. 1922) ; e contra separatio quoad torum quae de se occulta est, et ideo institui potest privata auctoritate. Speciatim attendenda veniunt Statuta particularia ; ex iure autem communi :

a) Si agitur de amplectendo statu religioso vel clericali, semper requiritur dispensatio s. Sedis, ut dictum est n. praec.

b) Si separatio fiat ob adulterium, requiritur sententia Ordinarii, nisi adulterium sit certum et notorium, quo casu licitum est discedere propria auctoritate.

c) Si separatio fiat ob alia motiva, fieri debet auctoritate Ordinarii, et solum propria auctoritate si de eis *certo* constet *et* periculum sit in mora (can. 1131, § 1) ; mora ergo cessante recurrendum est ad Ordinarium. Separatio autem forma *administrativa* decernenda est, nisi ab Ordinario aliter statuatur ex officio vel ad instantiam partium, eademque forma est quoque in secundo gradu servanda (com. int. 25 iun. 1932).

2. Pars innocens servat ius revocandi partem dimissam, modo altera pars de consensu prioris expresso vel tacito statum matrimonio contrarium non susceperit (can. 1130) ; altera tamen a redeundo excusaretur si graves saevitias merito timeret sibi inferendas.

3. Non tamen tenetur pars innocens rursus admittere alteram ad vitae consortium, si perpetua separatio legitime facta fuerit ob adulterium (can. 1130); si vero agatur de separatione temporaria ob alias causas, « causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est ; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore » (can. 1131, § 2).

4. « Instituta separatione, filii educandi sunt penes coniugem innocentem, et, si alter coniugum sit acatholicus, penes coniugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorumdem catholica educatione, aliud decreverit » (can. 1132).

970. Animadversiones practicae.— 1. Cum gravia mala soleant esse separationis consectaria, parochus et confessarius pro posse ab ea coniuges dissuadeant, nisi certae causae adsint quae illam vere necessariam reddant.

2. Non coniugum nec potestatis civilis est, sed solius auctoritatis ecclesiasticae, causam separationis examinare et de ea sententiam ferre ; quare confessarius coniugem, qui vult causam separationis proponere, ad iudicem ecclesiasticum dirigat. Coniux, regulariter per parochum, ad auctoritatem Ordinarii recurrere debet.

3. Coniuges qui, inconscii obligationis ad episcopum recurrendi, ob gravia motiva putant privata auctoritate aut iudicio civili separationem instituere aut iam separati sunt, regulariter monendi sunt nec facile sunt in bona fide relinquendi, tum quia saepe motiva non sunt sufficienter certa, tum quia de se et ordinario timendum est scandalum, maxime si periculum sit novae unionis civilis.

4. Quantum ad sacramentum Poenitentiae : a) Non est a sacramentis arcenda uxor, quam publice constat fuisse a viro suo inique expulsam ; sed maritus non est absolvendus nisi vitae consortium restituat. — b) Non est inquietandus, qui ob adulterium notorium secessit a comparte ; reus autem non est admittendus ad sacramenta, nisi iniuriam et scandalum reparaverit. — c) Absolutione indigni sunt, qui ob infelix matrimonium v. g. ob mutuam aversionem, privato consilio se separarunt ; nisi constet eos versari in bona fide. Quo casu tamen regulariter monendi sunt, ut dictum est, nisi certum esset monitionem fore inutilem et simul certum esset non timendum esse scandalum aut aliud gravius malum.

QUAESTIO TERTIA.

DE MUTUO AMORE ET ADIUTORIO.

971. Amor mutuus atque adiutorium est necessaria conditio atque fundamentum vitae coniugalis. Non intelligitur tam intima ac individua vitae consuetudo quae in

debito coniugali sibi reddendo perficitur et consortio tecti et tori integratur, ita ut coniuges sibi invicem ad exclusionem alterius personae adhaereant, non intelligitur, diximus, nec illa firma consistere potest, absque intima unione animorum constanti amore roborata, et absque mutuo adiutorio ad invicem praestando in variis domesticae vitae necessitatibus. Et sane :

1° *Ad hunc amorem inclinat natura*, quae movet ad matrimonium et ad mutuum viri et mulieris amorem, ut sub huius influxu sibi invicem subsidio sint et adiutorio ; quem amorem fovet et nutrit copula maritalis, promovet et firmat communis proles.

2° *Dilectionem praecipit christiana doctrina :* « Viri, ait Apostolus, Eph. V, 25, 28, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea... Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit » ; et similiter vult ut mulieres « viros suos ament, filios suos diligant ; prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis » Tit. II, 4-5.

3° *Ratio* quoque *confirmat :* Ubi enim est specialis coniunctio, specialis oportet esse dilectio. Inter maritum et uxorem specialis omnino et maxime intima adest coniunctio in coniugali vita, ita ut etiam sint una caro. Ergo inter illos specialis omnino et intima debet esse dilectio ; ex qua natum est sequi mutuum subsidium et adiutorium, quia verus amor est naturaliter operosus.

Vero et intimo amori coniugali adversatur :

a) *amor*, ut dicitur, *platonicus* erga personam solutam diversi sexus nutritus ; quo coniux *cor* suum alteri coniugi subtrahit ut det *extraneae* personae, coniugi tamen corpus ad actus coniugales relinquit ;

b) a fortiori *amicitia adulterina*, quae cum extraneis personis libidinosum affectum admitteret vel actum ; cui indulgendum dicunt nostris diebus, cum affectum ad coniugem restrictum « obsoletam quamdam censent mentis animique debilitatem, aut abiectam et vilem zelotypiam », et « eo vel magis quod non pauci habeant congenitam indolem sexualem, cui intra angustos connubii monogamici limites satisfacere non possint », ut denuntiat Pius XI ;

c) item *caeca indolis convenientia atque mera ingenii sympathia*, quam moderni quidam tamquam coniugii fundamentum substituere intendunt germano amori coniugali, seu deliberatae ac constanti animorum coniunctioni et mutuae charitati, et « qua cessante, relaxari vinculum docent quo solo uniuntur animi ac plene dissolvi » ;

d) denique *zelus coniugalis*, qui non solum ex imprudentia vel culpa alterius coniugis oriri potest, sed etiam ex mera suspicione zelosi, atque in eo est quod, ubique et in omnibus actionibus compartis, signa perspiciat amoris diminuti erga ipsum et amorem indebitum erga alienam personam. Cui defectui optimum remedium, ait Prümmer, Th. M. III, n. 688, « est candidus et apertus modus loquendi et agendi inter coniuges semper adhibitus, sine omnibus ambagibus et secretis. Tamquam regula consulenda est : Uterque coniux in vita sua privata, nihil celet compartem suam ». Quod sane ad vitam suam professionalem, monet laudatus auctor, et ad secreta commissa non est extendendum.

972. **Officia respectiva viri et uxoris.** — Omnis amor oportet esse ordinatus ; in amore autem coniugali debet esse *ordo subordinationis*, quia vir diligitur a muliere ut caput eius, et mulier a viro non tamquam serva aut ancilla sed ut socia et amica. Hinc ait apostolus, Eph. V, 22-23 : *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino ; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae* (item I Petr. III, 1 ; I Cor. XI ; Col. III, 18 ; I Tim. II, 12 ; Tit. II, 5); sicut etiam addit : *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, quam sibi elegit scil. ut sociam. Unde, quamvis vir et mulier aequales sint iure, quoad ea quae propria sunt personae humanae in ordine scil. ad ultimum suum finem, et quantum ad ipsum primarium contractus matrimonialis obiectum seu coniugale debitum, minime tamen aequales sunt, sed inaequales quantum ad ea quae spectant vitam domesticam.

Et ideo alia sunt officia viri, alia mulieris.

A. Vir est caput mulieris et familiae, et ideo debet

1° mulierem protegere,

2° congruam sustentationem ei praebere secundum statum suum,

3° dirigere eam ac gubernare, non tamen ut servam, sed ut sociam et amicam, et ideo curare ut munia sua adimpleat et eam corrigere delinquentem, moderate tamen et iuxta suam dignitatem,

4° diligenter administrare res temporales familiae.

B. Mulier est socia viri, sed ipsi tamquam capiti subdita, et ideo debet

1° reverentiam ipsi exhibere ut capiti et rectori,

2° obedientiam praestare in gubernatione domus et bonis moribus,

3° diligentur curare rem domesticam.

Contra quae respective peccare possunt variis delictis, ut notavimus II, n. 831-832.

Ut autem monet Pius XI, subordinatio illa :

1) non libertatem negat neque aufert quae ad mulierem pleno iure pertinet, sive pro personae humanae praestantia praesertim in ordine ad suum ultimum finem, sive in primario ipsius coniugii officio, in quibus duobus est viro aequalis, sive etiam pro aliis nobilissimis uxoris, matris, sociae muneribus, quae a viro abrogari sane non possunt, licet sub eius regimine, cum debita ad eum subordinatione, sint exercenda ;

2) consequenter, neque obsecundare mulierem iubet quibuslibet viri optatis, ipsi forte rationi vel uxoris dignitati minus congruentibus ;

3) nec denique uxorem aequiparandam docet personis, quae in iure minores dicuntur, quibus liberum suorum iurium exercitium concedi non solet.

Sed vetat exaggeratam licentiam aut aequalitatem, quae essentiali ordini societatis domesticae adversatur cum maximo totius familiae detrimento et proximo ruinae periculo.

Nunc autem moderni complures hanc subordinationem « indignam esse alterius coniugis erga alterum servitutem effutiunt ; aequalia inter coniuges omnia esse iura ; quae cum unius servitute violentur, quamdam mulieris *emancipationem* superbissime praedicant... peragendam. Hanc autem triplicem... statuunt, et *socialem*, *oeconomicam*, *physiologicam* vocant : *physiologicam* quidem, quatenus mulieres ab oneribus uxoris, sive coniugalibus sive maternis, pro sua libera voluntate solutas aut solvendas volunt... ; *oeconomicam* vero, qua volunt mulierem, etiam inscio et repugnante viro, libere posse sua sibi negotia gerere, administrare, liberis, marito familiaque tota posthabitis ; *socialem* denique, quatenus ab uxore curas domesticas sive liberorum sive familiae removent, ut, iis neglectis, suo ingenio indulgere valeat, et negotiis officiisque etiam publicis addicatur.

At ne haec est vera mulieris emancipatio neque illa rationi congruens... ; potius est muliebris ingenii et maternae dignitatis corruptio et totius familiae perversio, qua maritus privatur uxore, proles matre, domus familiaque tota vigili semper custode. Quinimo in ipsius mulieris perniciem vertitur haec falsa libertas et non naturalis cum viro aequalitas ; nam si mulier ab regia illa descendit sede, ad quam per Evangelium intra domesticos parietes evecta est, brevi in veterem servitutem, — sin minus specie, re tamen vera, — redigetur, ut apud ethnicos erat, merum viri instrumentum ».

Et quamvis haec mulieris subordinatio varia esse possit pro variis personarum, locorum, temporum conditionibus, atque sociales et oeconomicae conditiones mulieris nuptae, ob mutatos conversationum humanarum modos et usus, aliquo pacto mutari debeant et civilia uxoris iura ad huius temporis necessitates aptari, imo nec semper reprobandum videatur ut negotiis etiam publicis mulier aliquatenus indulgeat : ita tamen, habita ratione eorum quae exigunt diversa sexus feminei indoles naturalis et commune familiae bonum, et « modo essentialis ordo societatis domesticae incolumis maneat, qui altiore quam humanae, i. e. divina auctoritate atque sapientia conditus est, et nec legibus publicis nec privatis beneplacitis mutari potest » : « *ipsam familiae structuram eiusque legem praecipuam, a Deo constitutam et firmatam, evertere aut tangere nunquam et nusquam licet* ».

973. **Animadversio.** — De obligationibus diximus coniugum, in quantum formaliter coniuges sunt, quae proinde immediate et per se ex ipso matrimonio oriuntur. Aliae ipsis competere possunt erga prolem, in quantum parentes, aut erga alios domesticos, in quantum curam domus habentes, de quibus dictum est ubi de virtute pietatis, II, n. 824 et sq.

974. **Perfectio amoris in christiano coniugio impletur**, in quo tenet *principatum nobilitatis*, ait Pius XI, ex divina scil. charitate :

« Postulat matrimonii fides ut vir et uxor singulari quodam sanctoque ac puro amore coniuncti sint ; neque ut adulteri inter se ament, sed ut Christus dilexit Ecclesiam : hanc enim regulam Apostolus praescripsit, cum ait : *Viri, diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, quam certe immensa illa charitate, non sui commodi gratia, sed sponsae tantum utilitatem sibi proponens, complexus est. Charitatem igitur dicimus, non carnali tantum citiusque evanescente inclinatione innixam, neque in blandis solum verbis, sed etiam in intimo affectu positam atque, siquidem probatio dilectionis exhibitio est operis, opere externo comprobatam. Hoc autem opus in domestica societate non modo mutuum auxilium complectitur, verum etiam ad hoc extendatur oportet, imo hoc imprimis intendat, ut coniuges inter se iuventur ad interiorem hominem plenius in dies conformandum perficiendumque ; ita ut per mutuam vitae consortionem in virtutibus magis magisque in dies proficiant, et praecipue in vera erga Deum proximosque charitate crescant, in qua denique universa Lex pendet et Prophetae. Scil. absolutissimum totius sanctitatis exemplar hominibus a Deo propositum, quod est Christus Dominus, omnes cuiuscumque sunt conditionis et quamcumque honestam vitae rationem inierunt, possunt ac debent imitari, atque, Deo adiuvante, ad summum quoque christianae perfectionis fastigium, ut complurium sanctorum exemplis comprobatur, pervenire.

Haec mutua coniugum interior conformatio, hoc assiduum sese invicem perficiendi studium, verissima quadam ratione, ut docet Catechismus Romanus, etiam primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio, consuetudo, societas accipiatur ».

Vere itaque tenet amor, in matrimonio christiano, *principatum nobilitatis*, non quidem ratione finis, ac si esset coniugii finis primarius, ut quidam erronee interpretati sunt, exinde concludentes copulam licite exerceri ad amorem fovendum, quantumvis ipsa conceptio impediatur; — sed quia est *primaria causa* ad matrimonium impellens, ac *ratio* ex qua praecipuam suam excellentiam consequi potest atque totam suam significationem.

Ne autem intelligatur amor carnalis voluptatis, ita ut coniugium non esset, ut quidam dixerit, nisi honestum quoddam luxuriae tegumentum; sed amor nobilis dilectionis, verae coniugum ad invicem devotionis, propriaeque abnegationis.

Quod parentum christianorum filii, quotquot sunt, ipsi potuerunt experiri quanta cum devotione et charitate parentes se ament et filios suos, et quantum, mutuo exercitio virtutum et officiorum adimpletione, in medio difficultatum et onerum sese perficere valeant. Ita, adiuvante divina gratia, coniugium christianum factum est vera schola sanctitatis et eminentis perfectionis, atque potuit ad maiora erigere, imo ad exercitium heroicae virtutis.

APPENDIX.

DE MATRIMONIO IN LEGISLATIONE CIVILI.

975. Matrimonium civile vocari solet contractus maritalis coram magistratu civili et iuxta praescripta legis civilis celebratus, atque ex solius formae civilis observantia valorem in foro civili accipiens, extra omnem societatis religiosae interventum et sanctionem.

Triplici sub specie occurrit, estque proinde :

1° *Obligatorium*, quando omnibus indiscriminatim imponitur, et omnes contrahentes obligantur ad consensum matrimonialem coram magistratu civili exhibendum ut eorum matrimonium in foro civili pro valido

habeatur. Ita in multis Europae regionibus. Et quamvis matrimonium religiosum etiam inire libere possint, illud tamen, tamquam res mere privata, nullum effectum habet in foro civili, quod non curat de legibus matrimonialibus Ecclesiae ; imo quandoque a lege prohibetur quominus matrimonium religiosum celebretur ante civile matrimonium.

2° *Facultativum*, quando contrahentibus quibuscumque facultas seu optio datur ineundi matrimonium religiosum aut civile, illudque celebrandi aut coram societate religiosa aut coram magistratu civili, ita ut utrumque in foro civili pro valido habeatur et utrique effectus civiles tribuantur. Ita in Anglia et pluribus Statibus Americae septentrionalis, et etiam, post concordatum recenter initum, in Italia.

3° *Subsidiarium* seu *necessitatis*, quando contrahentibus solum in casu necessitatis permittitur ut matrimonium ineant coram magistratu civili, vel quia religiosum matrimonium non habent ut quidam infideles vel areligiosi et indifferentes, vel quia ad religiosas nuptias inveniuntur inhabiles. Ita erat in Austria, et nunc est in Hispania.

Iamvero :

A. *Quantum ad valorem :*

1° Matrimonium civile, tum infidelium, tum acatholicorum extra Ecclesiam catholicam baptizatorum nec ad eam conversorum, inter se contrahentium, est validum, dummodo intentionem habeant verum ineundi matrimonium nec obstet impedimentum quo ligentur dirimens.

2° Matrimonium civile catholicorum inter se, vel inter partem catholicam et acatholicam aut infidelem, est invalidum matrimonium, eo iam solo quod non celebretur in debita forma, scil. coram parocho et duobus testibus.

3° Matrimonium civile non potest esse, in intentione catholicorum, nisi consensus matrimonialis coram magistratu civili eo fine initus, ut matrimonium in foro civili tamquam verum et legitimum agnoscatur et effectus civiles obtineat.

Hinc : a) Graviter peccant catholici qui verum matrimonium coram magistratu civili inire intendunt, et qui notorie in matrimonio civili vivunt, habendi sunt ut publici peccatores utpote in turpi concubinatu viventes (S. Pœn., 15 ian. 1866), neque ad sacramenta admitti possunt, nisi prius aut ab invicem separentur aut in foro Ecclesiae coniungantur.

b) Civiliter iuncti, qui coram Ecclesia contrahere intendunt, examini sponsorum coram parocho subiiciendi sunt, eorumque matrimonium, si non adsit gravis ratio hac in re dispensandi, publice est proclamandum.

c) Matrimonium civile exclusive initum, habet rationem matrimonii attentati, unde si concurrit cum adulterio, quia una pars coniugata est, ex eo oritur impedimentum criminis (can. 1075, § 1) ; si vero sit cum cohabitatione, impedimentum publicae honestatis (can. 1078). Atque exinde clerici in sacris et religiosi incurrunt excommunicationem, imo et qui cum iis contrahunt (can. 2388).

B. *Quantum ad liceitatem :*

1° Ecclesia reiicit et damnat matrimonium mere civile posse valere aut sufficere pro christianis ; atque proscripsit hanc propositionem, 33^{m} Syllabi : Vi contractus *mere* civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium. Unde illicitum est matrimonium civile inire ex intentione ipsum coniugale vinculum contrahendi coram magistratu civili.

2° Licite tamen matrimonium civile iniri potest, dummodo matrimonium in foro Ecclesiae initum sit aut mox ineundum, atque intentio restricta sit ad ponendas conditiones requisitas ut hoc matrimonium agnoscatur validum et effectibus civilibus donetur.

3° Imo regulariter exsurgit obligatio indirecta contrahendi matrimonium civile, ubi est obligatorium, quia charitas contrahentes urget, tum pro seipsis tum pro filiis, ut matrimonium effectibus civilibus donandum curent. Ita S. Poen., 15 ian. 1866.

Praestat matrimonium ecclesiasticum contrahere ante matrimonium civile. Ita per se ; at ubi id a lege prohibetur, nupturientes moneantur :

a) ne contractum civilem ineant antequam certo constet eorum matrimonio nullum obstare impedimentum ;

b) tempore, quod inter matrimonium civile et religiosum intercedit, ipsos non esse coniuges, nec proinde ut coniuges conversari posse ;

c) curandum esse ab iis, ut utrumque matrimonium eodem die celebretur, vel saltem ut inter utrumque exigua tantum mora intercedat, sicut ait S. Poen., in instr. allegata.

C. *Quantum ad cooperationem* a magistratu civili et testibus praestitam :

Licite illi assistere civili matrimonio possunt :

1° Quoties fideles coram magistratu civili comparentes, solum intendunt agnitionem obtinere matrimonii et magistratum reddere certiorem de matrimonio contracto vel contrahendo, quia hi nihil intendunt nec faciunt nisi licitum.

2° Etiam si contrahentes catholici solum matrimonium civile inire intendunt, dummodo gravis adsit assistendi causa, nam ut testem assistere actui malo non est ex natura sua semper intrinsece malum, sed ex causa proportionata licitum.

3° Imo nec semper illicitum videtur, si contrahentes impedimento affecti invalidum matrimonium inire intendunt, vel si coniux valido matrimonio iunctus, obtenta civilis divortii sententia, vivente adhuc comparte, matrimonium civile inire attentat : dummodo adsit gravissima causa evitandi damni, saltem si magistratus declaret se non intendere nisi caeremoniam civilem et non curare de valore in conscientia et coram Ecclesia, aut si haec significatio ex circumstantiis sufficienter innotescat. Quod magis patebit ex infra dicendis, ubi de divortio civili. Ita de se, et nisi maius sequatur malum.

976. **Stipulationes iuris civilis de conditionibus matrimonii** variae sunt pro variis regionibus, ita ut in opere indolis generalis non videatur expedire ad particularitates iurium descendere. Spectant autem sponsalia, matrimonii praeparationem ut consensum parentum et faciendas denuntiationes, formam celebrationis, mutua iura coniugum et officia, conditiones ad consensum requisitas, habilitatem personarum et impedimenta. Iamvero stipulationes iuris civilis :

1° Quoad matrimonia infidelium sunt validae, quia in casu potestas civilis est competens ; nisi contradicant iuri naturali aut divino.

2° Quoad matrimonia fidelium, per se non sunt validae, quia in his potestas civilis nullam habet competentiam ; exceptis iis quae spectant effectus *mere* civiles.

3° Nihilominus, per accidens, recta possunt statuere, quantum ad rem, et ita vim habere, in quantum scil. confirment ius naturale, divinum aut canonicum vel ipsis conformes sint.

4° Non est licitum fidelibus eas servare ex intentione agnoscendi hac in re potestatis civilis competentiam.

5° Generatim tamen, ad vitanda incommoda, servandae sunt in quantum iuri naturali, divino et ecclesiastico non adversentur, praesertim si valor matrimonii in foro civili ab iis pendeat ; sed ea intentione ut fideles nil aliud faciant quam ut civilem caeremoniam exequantur.

Plures stipulationes spectant potestatem maritalem aut paternam,

legitimitatem filiorum, bonorum regimen, haereditatem, capacitatem uxoris et minorennium, etc., sed ista respiciunt virtutem iustitiae.

977. **Divortium civile** (*divorce civil ; burgerlijke echtscheiding*) vocatur illud quod a magistratu civili iuxta praescripta legis civilis pronuntiatur, ita ut in foro civili vinculum matrimonii contracti censeatur iam non existere et ideo facultas sit novas ineundi nuptias. Iamvero, sicut matrimonium civile, ita in pluribus regionibus etiam existit divortium civile ; de quo haec notanda veniunt.

A. *Quantum ad valorem*, divortium civile :

1° Non dissolvit ipsum matrimonium in conscientia et coram Deo, nec matrimonium infidelium, cum id natura sua sit indissolubile nec Deus legi civili potestatem dederit illud solvendi.

2° Potest nihilominus per accidens declarare veritatem, si nempe matrimonium de facto sit nullum aut legitime fuerit solutum in casibus supra indicatis, n. 818-821.

3° Dissolvit *valide* contractum mere civilem, ita ut matrimonium iam non donetur effectibus *mere* civilibus qui unice a lege civili pendent.

B. *Quantum ad liceitatem*, lex divortium civile concedens coniugibus vero matrimonio iunctis, est iniqua, quia duplicem errorem et iniuriam involvit contra exclusivam Ecclesiae competentiam in vinculum matrimoniale, et contra indissolubilitatem matrimonii rati et consummati, atque divortiis favendo consectaria inducit nociva pro individuis, familiis et societate. Attamen :

1° Licitum est, etiam parti catholicae, divortium sollicitare, et magistratui illud pronuntiare, dum solum adest matrimonium civile, quia matrimonium scil. non est verum et, pro catholicis, ab Ecclesia invalidum declaratum, vel quia auctoritate Ecclesiae legitime fuit solutum ; dummodo non fiat ex animo agnoscendi competentiam fori civilis, sed uno fine ut libertas civilis acquiratur ineundi novas nuptias (S. Off., 9 sept. 1823).

2° Item licitum est vinculum veri matrimonii defendere contra partem quae divortium civile exquirit, atque divortium denegare, dummodo nihil fiat quod a principiis iuris naturalis et canonici deflectat (S. Off., 20 maii 1860 ; 3 apr. 1877 ; 24 iun. 1885).

3° Imo non videtur semper illicitum petere et pronuntiare divortium civile, quia non probatur esse intrinsece malum, quamvis sit actus male sonans qui cohonestari debeat ; unde non erit licitum nisi a) animus desit agnoscendi competentiam fori civilis, b) gravis omnino adsit causa vitandi mali quod secus vitari non potest, c) non fiat ex intentione contrahendi alias nuptias, d) nec exinde sequatur maius malum vitandum.

Docuerunt tamen plures id esse intrinsece malum, atque nunquam licitum esse divortium petere vel pronuntiare. Divortium civile, aiunt, ex natura sua inducit libertatem civilem partium, pronuntiat coniuges veros deinceps coram lege civili nullum ius vel officium matrimoniale ad invicem habere et filios fore illegitimos, matrimonium cum tertia persona fore validum, legitimas relationes et filios legitimos cum omnibus consequentiis. Atqui existente vinculo sacro matrimonii, illa civilis partium libertas est intrinsece mala. Ergo divortium civile est intrinsece malum. Et sane, si lex divortium sanciens est iniqua, pariter sententia illud pronuntians.

Alii vero censent divortium civile non esse intrinsece malum, ita ut ex iusta causa aliquando peti vel pronuntiari possit, et sic ratiocinantur : Divortium civile est solutio solius vinculi civilis a vinculo sacro omnino distincti ; est solutio vinculi reapse non existentis et denegatio effectuum mere civilium. Atqui solutio vinculi reapse non existentis est per se

moraliter indifferens, nam sicut matrimonium civile est actus per se indifferens respectu matrimonii sacri, ita indifferens per se est annullatio illius actus. Ergo divortium civile est per se moraliter indifferens; quamvis ratione circumstantiarum saepius sit malum. — Lex autem iniqua est ex intentione legislatoris et ex pravis consequentiis; sed intentio legislatoris non cadit sub lege, et in executione legis ab ea separari potest; consequentiae vero nocivae in casu particulari abesse possunt, aut maiore bono consequendo vel malo vitando compensari ita ut sufficiens sit ratio eas permittendi.

Nec quaestio ex auctoritate fuit soluta; nam decisiones Sedis apostolicae, quamvis pluries fuerunt datae, non tamen videntur rem dirimere, nec sunt generales sed potius spectant casus particulares. Plures sunt severiores (v. g. S. Off., 25 iun. 1885 et 27 maii 1886), sed explicari possunt specialibus adiunctis gravioris scandali aut cooperationis in introducenda divortii lege ex animo hostili erga Ecclesiam lata, ut in Gallia; at etiam quaedam sunt mitiores, et nominatim pro Belgio, ubi lex iamdiu existit nec ex animo hostili lata fuit, mediante nuntio apostolico responsum fuit severiore declaratione pro Gallia data nihil in Belgio fuisse immutatum (14 sept. 1886).

C. *Quantum ad cooperationem* divortio civili a magistratibus, advocatis, procuratoribus aliisque officialibus praestitam:

Cum petitio et pronuntiatio divortii civilis non sit intrinsece mala et quandoque licite fieri possit, etiam licita esse potest cooperatio materialis ipsi praestita, nec solum in eo casu quo licita sit petitio aut pronuntiatio, sed etiam si sit illicita: dum cooperatio sit mediata, adsit causa proportionate gravis, et non sit maius malum aut scandalum vitandum.

D. *In praxi*, certum est plura et gravissima mala ex civili divortio consequi, nam exinde invalent falsae notiones de competentia iudicis civilis quoad causas matrimoniales, imo circa indissolubilitatem matrimonii; insuper denegantur matrimonio valido effectus quorum nonnulli ex iure naturali et divino profluunt, ut legitimitas filiorum postea procreatorum; tandem novum permittitur matrimonium civile cum omnibus effectibus civilibus.

Quapropter ut tales effectus permitti valeant, requiritur gravis et proportionata causa. Haec vero *interdum* adesse potest tum pro ipsis coniugibus, tum pro advocatis et procuratoribus, tum etiam pro iudicibus. Nam maxime interest Ecclesiae et reipublicae ut viri in his muneribus constituti sint vere et practice catholici. Praeter hanc rationem boni communis urgere possunt rationes ordinis privati sive quoad bona temporalia, sive quoad sustentationem et educationem familiae, sive quoad legitimam separationem obtinendam in locis ubi lex nullam aliam concedat nisi divortium proprie dictum. Itaque:

1° Excusatur cooperatio iudicis moraliter coacti aut ad sententiam divortii pronuntiandam aut ad munus suum reponendum, saltem si moneat se non velle attingere nisi effectus civiles vel id sufficienter notum sit; nisi tamen maius timeatur scandalum omnino vitandum.

2° Excusatur cooperatio procuratoris et advocati, quando vel ipsi moraliter coguntur agere vel saltem partes ipsae licite agunt in petendo divortio; non vero excusatur cooperatio advocati qui libere suscipit causam divortii illicite introductam, nam mala quae ex divortio civili sequi diximus, non compensantur pecunia quam advocatus posset lucrari.

3° Imo ipsae partes in gravissimis circumstantiis licite possunt petere divortium ad *gravissima* mala vitanda, v. g. quando civile divortium apparet tamquam medium unicum impediendi ne spurii adulterini in familiam introducantur. Similiter, quando tribunal educationem filiorum daret coniugi inhonesto et culpabili, nisi pars innocens prius peteret divortium, aut si pars innocens timeret subsistentiam insufficientem in sola separatione corporum.

Verum fatendum:

a) Non satis fundatas esse multas rationes quas partes catholicae afferunt petendo divortio, ipsosque advocatos catholicos non semper satis perpendere gravitatem motivorum exigendorum. Unde Sedis apostolicae decisiones memores, ad auctoritatem Ordinarii recurrere soleant ab eaque flagitent in casibus particularibus utrum introductio causae divortii tuta conscientia fieri possit.

b) Speciatim in Belgio, cum iam eadem iura et privilegia, sicut divortio, ita et separatione a toro et habitatione generatim obtineri possint, aegre existere potest causa sufficiens petendi divortium; in casu raro non est tamen omnino impossibile, et ideo ad diiudicandum an adsit ratio sufficiens, recurrendum est ad Ordinarium, ut praescribit Conc. prov. Mechliniense, n. 81.

c) Id etiam valet pro Gallia. Ibi tamen, ratione scandali, rigorosior praxis erat iniuncta, et ideo: num et quibusnam in casibus, mutatis forsan circumstantiis, iam licitum esse possit benigniorem praxim sequi, id diudicare non pertinet ad privatos, sed ad episcopos, ad quos proinde in singulis casibus recurrere oportet.

De his inspici meretur Kiselstein, in *Rev. Eccl. de Liége*, 1923 et juil. 1927.

978. Separatio a toro et habitatione seu, ut dicitur, *corporum et bonorum* (*séparation de corps et de biens*) vel *a toro et mensa* (*scheiding van tafel en bed*), ubi iure civili sancitur, a fortiori licite quaeri potest, non tamen cum animo agnoscendi competentiam fori civilis quoad matrimonia fidelium. Hinc licitum est parti catholicae separationem iuridice exquirere, et iudici eam pronuntiare, dum adsit causa iusta ab Ordinario comprobata, aliud tribunal non possit adiri ut in foro civili separatio valeat, et nullus alius sit effectus quam dicta separatio (S. Off., 19 dec. 1860 et 3 apr. 1877).

979. Corollarium. — Si qui absque licentia Ordinarii divortium obtinuerunt, parochi et confessarii:

1° Eos inducant ad poenitendum de admissa culpa.

2° Iubeant partem, quae divortium petiit, ut reconciliationem pro posse procuret, si ista sit moraliter possibilis, nec adsit causa sufficiens separationis corporalis.

3° Secus, ad Ordinarium recurrendum est ut ad sacramenta possit ipsa admitti, quia separatio pertinet ad forum externum, utpote factum publicum.

4° Quodsi novum inierunt matrimonium civile, sunt ipso facto infames infamia iuris (can. 2356), privantur sepultura ecclesiastica (can. 2357, § 2 cum 1240, § 1, 6°), et non possunt admitti ad sacramenta, nec in morte, nisi concubinatum cessaverint et scandalum reparaverint; est autem hoc scandalum in eo quod mulier pergit nomen viri portare, quod ambo in contemptum divinae legis simul manent et quod insuper in occasione proxima publice versantur peccati.

Non sufficit, regulariter, ut propositum concipiant vivendi tamquam frater et soror, quod in praxi aegre ad executionem deducitur nec proinde exequendum praesumi potest, et quod non est medium aptum tollendi scandalum: factum enim cohabitationis illorum qui civiliter iuncti sunt est pravum exemplum, de se et necessario ad malum inducens. Qui plura cupit, adeat nostras *Quaestiones de Variis Peccatis in sacramentali confessione medendis*, c. II, B, q. 2, VIII.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM.*

Numerus indicat subdivisiones articulorum, non paginas.

Abbas. Eius, in suo territorio, potestas. *v.* EPISCOPUS : II,) III.)

Ablutio : materia proxima baptismi 123. Ablutio per immersionem, infusionem vel aspersionem 123, 124. Ablutio requisita ad baptismi : validitatem 124, liceitatem 125.

Abortus. Punitur excommunicatione 682-B-d-4. Baptismus foetus abortivi 157—160.

Abruptio conjugalis debiti 956-4.

Absens absolvitur : invalide a peccatis 447-2°, valide a censuris 681-D-3°-d.

Absolutio : forma sacramenti Poenitentiae 417-4, 441. Non est tota sacramenti essentia 437-4. Debet esse indicativa, non deprecativa 442, 443. Eius significatio 444. Requisita ad eius validitatem : quoad verba 445, quoad modum : vocalis 446-A, facta praesenti 446-B, 447-3°, sine conditione de futuro 446-C. Eius invaliditas si fiat : per litteras, per internuntium 447-1°, per telephonium, 447-6°, cum conditione de futuro contingenti 81-3°. Eius ritualis formula 669. Conditio adhibenda est : « si es capax », non : « si es dispositus » 618. Absolutio : concedenda ex iustitia 614, deneganda incapaci vel indigno 615, differenda dubie disposito 616, 617, deneganda vel differenda ratione conditionis poenitentium : *v.* POENITENS. Absolutio in articulo mortis 447-5, 652, quoties iteranda 655-3. Absolutio complicis *v.* COMPLEX. Absolutio a reservatis *v.* RESERVATIO. II. Absolutio generalis seu Benedictio papalis 673-I-a. Absolutio generalis seu Benedictio apostolica in articulo mortis 708.

Acatholici. *v.* HAERETICUS. INFIDELES.

Acceptatio in matrimonio 787, in sponsalibus 830, 831.

Accusatio falsa sollicitationis 643-C.

Acolythatus, ordo minor 729-4°. Eius materia et forma 729-4°. Potestas per eum collata 729-4°. Requisita aetas 739-2, scientia 739-3. Acolythatus probabiliter est sacramentum 727.

Actio ad petendum matrimonium 833-4°-5°, 835-1°.

Adiutorium mutuum inter coniuges 971—974.

Administrator apostolicus. Eius ordinaria iurisdictio in foro sacramentali 580-1.

Admonitio poenitenti facienda 611.

Adnotatio baptismi, confirmationis, matrimonii, *v.* INSCRIPTIO.

Adoptio, ut impedimentum matrimonii : prohibens 866, dirimens 909, 910.

Adoratio SS. Eucharistiae 240.

Adulterium, cum promissione vel attentatione matrimonii, seu impedimentum criminis 898, 975-A-c, item, cum coniugicidio 899, *v.* CRIMEN. Dispensatio ab hoc impedimento 924-C-e. Adulterium compartis : causa licita imperfecti divortii 966; requisitae conditiones 966, privans iure petendi debitum 961.

---

* Multas gratias agimus optimo confratri, R. P. Van Langenhove, qui magna cum cura tabulas alphabeticas pro tota Summa Theologiae Moralis bene voluit conficere.

Adultus, ut subiectum Baptismi 142-4. Eius obligatio suscipiendi Baptismum 143; requisitae dispositiones 144, 145. Caeremoniae, vel caeremoniarum suppletio, in Baptismo adultorum 169-4.
Advena, quoad absolutionem a censuris 681-D-2°.
Advocatus. Eius cooperatio ad divortium civile 977-B-2°-3°, C, D-2°-3°, 978.
Aegroti. Eorum privilegium recipiendi S. Communionem non ieiuni 283-5, *v.* Infirmi. Cessatio, quoad ipsos, reservationis peccatorum 597-B.
Aetas qua suscipi potest : Confirmatio 192, S. Communio 275, fieri debet communio prima paschalis 295, prima confessio 649. Aetas requisita ad suscipiendos varios ordines 739-2. Aetas ut est impedimentum matrimonii dirimens 873—875. Dispensatio ab impedimento aetatis 857, 875.
Affectata ignorantia non excusat a censuris 681-C.
Affinitas, impedimentum matrimonii dirimens 912—914. Dispensatio ab hoc impedimento 913, 917.
Agenesis. Tempus ageneseos in actu coniugali 956-3.
Aggravantes circumstantiae quando in confessione sint declarandae 522-D.
Agnus Dei, benedictio constitutiva et invocativa 108-3, reservata S. Pontifici 110-2. Agnus paschalis, sacramentum Veteris Legis 6.
Alapa, caeremonia Confirmationis : eius significatio 193.
Altare 389-A. Altare fixum, mobile, fixatum, *ibid.*, petra sacra cum sanctorum reliquiis, *ibid.*, praeceptum celebrandi in altari consecrato, *ibid.*, *et Notae* a-c, prohibitio recondendi subtus altare defunctorum cadavera, *ibid.*, *nota* e, altarium exsecratio, *ibid.* Altaris ornatus 389-B. Altare privilegiatum 676. Missa celebranda in altari privilegiato 378-4°-b.
Alumni religiosorum : quoad Viaticum 339; absolutionem recipiendam : valide 581-b, 588, licite 588-C; extremam unctionem 701-3.
Amentes sunt capaces : Baptismi 146, Confirmationis 190. Amentes quinam sint capaces S. Communionis et Viatici 275, Absolutionis sacramentalis 650, Extremae Unctionis 704-4, 705-3.
Amor : Dei perfectus et imperfectus 493-3. Amor Dei : initialis, in attritione 500, perfectus, in contritione 493. Amor mutuus inter coniuges 971—974.
Amplexus impudici inter coniuges 949.
Anathema 682.
Animae purgatorii. Applicatio, animabus illis : sacrificii Missae 354, 356, satisfactionum 547, 548-4—6, indulgentiarum 671, 676, 680-C.
Annus sanctus, seu iubilaeum ordinarium 680.
Anticipatio : Missae, quoad horam canonicam 387-B, applicationis, in Missa 353-2-4.
Antimensia (Graecorum) 389-A-*nota b.*
Apostasia a fide catholica non est verum matrimonii impedimentum 864.
Apostatae, tenentur, per se, ad Ecclesiae leges 861. Arcentur a munere patrini : in baptismo 171-3, in confirmatione 195, a munere testis in celebratione matrimonii 845-2. Ipsis, defunctis, denegatur applicatio Missae publica, non tamen privata 356.
Apparitiones Christi in SS. Eucharistia 254.
Applicatio formae ad materiam in sacramentis 14, 15. Applicatio, in sacrificio Missae : fructûs generalis 350-1°, 351, 354, fructûs specialissimi 350-3°, 351, fructûs specialis 350-2°, 352, 356; quomodo et quando a celebrante sit facienda 349. Quid in casu : duplicis applicationis 353-1°, applicationis anticipatae 353-2—4. Pro quibus liceat, vel non liceat applicare 356. Applicatio facienda ratione : officii 365—369, beneficii 370, 372, stipendii 373—379, obedientiae et voti 382, promissionis 383-2. Applicatio indulgentiarum *v.* Indulgentia.

Appretiative summa : contritio 483.
Approbatio confessarii 582-1°, 583-D, 604-5.
Aqua, materia Baptismi 120, quaenam sit materia valida, invalida, dubia 121, usus aquae consecratae, benedictae 122. Aqua in conficiendo pane eucharistico 217-2. Aqua cum vino sub gravi miscenda in Missa 222-4, 223. Aqua lustralis 108-3.
Arrha, in sponsalibus 835-2.
Artes liberales quaenam interdicantur clericis 744-6°.
Aspectus impudici inter coniuges 949.
Aspersio, modus baptizandi 123, quaenam valida 124, licita 125.
Assensus fidei requiritur in baptismo adultorum 144.
Asservatio SS. Eucharistiae 393.
Assistens (sacerdos) celebranti Missam 389-E-*nota* c.
Assistentia parochi, vel Ordinarii, vel delegati, in celebratione matrimonii 845. Conditiones assistentiae : validae 846, licitae 847. Assistentia ex delegatione 848. Assistentia testium, in forma celebrationis iuridica : ordinaria 845-2, extraordinaria 849. — Assistentia in contractu sponsalitio 832.
Attentatio matrimonii. Eius invaliditas : ex Ordine sacro 890, ex voto solemni castitatis 892. Poenae canonicae in attentantes 893. Attentatio : cum crimine qualificato, seu impedimentum criminis 897, cum matrimonio mere civili 975-A-c.
Attentatum matrimonium 749-C.
Attentio requisita : in ministro sacramentorum 85-2.
Attritio 497. Eius honestas ac utilitas 498, 501. Eius efficacia 499. An requirat amorem initialem 500. Sensus adagii : *ex attrito fit contritus* 503. Attritio requisita in baptismo adultorum 144-c.
Augmentum gratiae, in sacramentis vivorum 38, speciatim, in SS. Eucharistia 262, 265.
Auricularis confessio 509-II-c.
Aurora, quoad celebrotionem Messoee 387-B.
Austeritates, ut sunt opera satisfactoria 556, 557-3°-b.
Azymus panis, materia SS. Eucharistiae in Ecclesia latina 218-3. Huius consuetudinis antiquitas ac rationabilitas 219. Azymus panis non requiritur ad validitatem consecrationis, *ibid.* Facultates a iure concessae circa distributionem vel receptionem S. Communionis in azymo vel in fermentato, *ibid.*

Balsamum, oleo admixtum, in materia Confirmationis 181.
Banna nuptialia 838. Eorum obligatio, *ibid.* Officia parochi quoad proclamationes 842, 843. Proclamationum : tempus, forma, locus 839. Sunt regulariter omittendae in matrimoniis mixtis 838. Fidelium obligatio revelandi impedimenta 840. Dispensatio a bannorum proclamatione 841.
Baptismus. (Tractatus de Baptismo. Divisio Tractatûs : 114) .
I.) Baptismi : definitio 112, varia nomina 113, a Christo institutio 115—117 ;materia remota 120 : qualis ad validitatem 121, ad liceitatem 122, quaenam habenda ut valida, invalida, dubia 121 ; materia proxima 123 : qualis ad validitatem 124, ad liceitatem 125 ; forma 126—129 : verba ad validitatem requisita 127, verborum mutationes quibus forma fit invalida vel dubia 127, 129-2, requisita ad liceitatem formae 128, forma praescripta in Ecclesia graeca, *ibid.*, simultanea materiae et formae applicatio 129, 14-nota 1.
II.) Baptismi : effectus : regeneratio 130, remissio peccatorum 130-A, gratia 130-B, remissio poenarum 131, character 112-7°,

130-C, signum, res, res et sacramentum 118; necessitas 133; baptismus fluminis, flaminis et sanguinis 134, 135. Peccatum in eius nimia dilatione 148.

III.) Baptismi minister 136; minister : ordinarius 137, extraordinarius 138, baptismi privati 139. Ordo inter ministros servandus 139-2°. Ministri plures simul baptizantes 140. Testes baptismi 141-1. Patrini, eorumque obligationes 171. Baptismi : subiectum 142—163, caeremoniae 169, locus et tempus 170, inscriptio 172.

IV.) Baptismi : initerabilitas 132, iteratio sub conditione 164—168, iteratio sub conditione in impedimento disparitatis cultus 887. Baptismi distinctio a sacramento Poenitentiae 428, 429, 463-B. Eius valida sed illicita susceptio est materia sacramenti Poenitentiae 436-2. Errores circa Baptismi : institutionem 115, materiam 119, necessitatem 133, subiectum 147.

Baptisterium 170-2.

Bellum. Militia quaenam impedit simpliciter susceptionem et exercitium ordinum 745-5°.

Benedictio apostolica in articulo mortis 708. Benedictio papalis 673-I-a.

Benedictio : paramentorum et ustensilium Missae 389-B-D; SS. Oleorum, 181, 692; nuptiarum solemnis 791, 852-B, C, 853-2; nuptiarum simplex 852-C-*in fine*. Benedictio nuptialis : peti non potest a ministro excommunicato aut personaliter interdicto 110-A; quando et quibus sit impertienda, quando omittenda 852-B-C.

Benedictiones annumeratae sacramentalibus 107, sunt : constitutivae, vel invocativae, vel constitutivae simul et invocativae 108. Earum : efficacia 109, minister 110-A, ritus 110-B, subiectum 110-C. Benedictiones reservatae 110-A-1—3.

Beneficium ecclesiasticum 370. Beneficium simplex in fundatione missarum 370-2. — Beneficiatus fundatione missarum 370, eius obligationes 371, 372, quoad reductionem numeri missarum 372-3, quoad stipendia 372, 374-3°.

Bibliopolae. Ipsis interdicta negotiatio ex stipendiis missarum 380.

Bigamia 881, *v.* POLYGAMIA. Poenae canonicae in bigamos 884.

Binatio missae 387-C, quoad stipendium 374-2°.

Bona tria matrimonii 793, 795.

Caeremoniae sacramentorum 104, earum utilitas 105, obligatio eas servandi 106. Caeremoniae : Baptismi 169, earum suppletio 169-4; Confirmationis 193; Missae, *v.* CELEBRATIO, S. Communionis et Viatici 392-C; Poenitentiae 669; Ordinationis 729; Matrimonii 852.

Calendarium, pro Missa celebranda 390.

Calix, cum patena, in Missa 389-C. Eius exsecratio 389-C, *in fine*. Materia remota in ordinatione subdiaconi 729-3. Calix cum vino, patena cum oblatis, materia remota ordinationis presbyteri 717—719.

Candelabrum, in ordinatione acolythi 729-4°. Candelabra in celebratione Missae 389-B-3°.

Candelae, in celebratione Missae 389-B-3°, in expositione SS. Sacramenti 393-3°.

Canon Missae. Omissiones vel mutationes in canone 390. Consecratio hostiarum incepto iam canone allatarum 215-5.

Capellanus militum. Eius iurisdictio in foro sacramentali 580-1, eius facultas delegandi 581-1. Eius facultas quoad assistentiam in Matrimonio 845-1° *in fine*.

Cardinales habent privilegium eligendi sibi confessarium 583-A-1°; habent iurisdictionem ordinariam in foro sacramentali 580-1, quam delegare non possunt 583-E; possunt : concedere indulgentias quasdam 673-I-c, administrare Confirmationem 187-1, conferre minores ordines 734.

Castitas. Castitatis votum : simplex, impediens matrimonium 865, — solemne, dirimens matrimonium 889—892. Castitas coniugalis 937.

Casus reservati, *v.* RESERVATIO. Casus « *urgentiores* », in quibus cessat reservatio 597-C; in quibus concedi potest dispensatio super impedimentis matrimonialibus : ab Ordinario 921, a parocho vel a confessario 922 ; in quibus concedi potest dispensatio super irregularitatibus, 742-3°.

Causae : excusantes ab integritate materiali confessionis 525, 526. Causae dispensandi ab impedimentis matrimonialibus 924 : causae « *canonicae* » 924-A, causae « *non canonicae* » seu « *rationales* » 924-B.

Causalitas sacramentorum, *v.* SACRAMENTUM III.)

Cautelae, *v.* CAUTIONES.

Cautiones praestandae in matrimonio mixto 867-3°, in dispensatione super impedimento disparitatis cultus 888-2-3.

Celebratio Missae, I.) Dies. Quotidianae celebrationis commendatio. Dies excepti 387. Hora. Disciplina hodie vigens. Exceptiones, speciatim in nocte Nativitatis Domini 387-B. Quoties in die. Gravis prohibitio celebrandi pluries in die, cum exceptis diebus et casu binationis 387-C. Tempus missae impendendum 387-D. Dies quibus prohibetur Missa pro sponso et sponsa 852-B-6°-c.

II.) Locus : regularis 388, exceptionalis : oratorium privatum, privata coemeteriorum aedicula (de licentia Ordinarii), oratoria domestica (ex indulto Apostolicae Sedis), 388-1°; (extra locum regularem) supra petram sacram 388-2°, in altari portatili 388-30. Quid liceat navigantibus in mari 388-4°. Prohibetur celebratio in templis haereticorum vel schismaticorum 388-4°, item in ecclesia exsecrata, violata, interdicta 388-4°.

III.) Requisita ad celebrationem: altare eiusque ornatus 389, calix cum accessoriis 389-C, vestes sacrae 389-D, minister inserviens, 389-E. Quid : de sacerdote celebrante in aliena ecclesia 388-5°, de presbytero assistente 389-E-2-c. Ritus sub gravi vel sub levi servandi 386, 390.

IV.) Defectus in celebratione occurrentes : ex omissione caeremoniarum 391, ex interruptione Missae 391-B, ex defectibus in pane, in vino, vel in utraque materia 391-C.

Censura, poena ecclesiastica. Eius definitio 681. Ecclesiae potestas ferendi censuras 681-A, potestas ordinaria et potestas delegata 681-A. Censurarum : subiectum 681-B, obiectum 681-C. Reservatio censurarum, *v.* RESERVATIO. Absolutio a censuris 681-D, 597-C, praemittenda absolutioni a peccatis 669-*Nota* 4, absolutionis conditiones 681-D, absolutio in foro interno et externo 681-D, absolutionis formula 681-D-*in fine*. Censurarum species : excommunicatio 682, suspensio 683, interdictum 684.

Cereus, in Confirmatione 193-4, in ordinatione acolythi 729-4°. Cerei in celebratione Missae 389-B-3°-4°-a, in expositione SS. Sacramenti 393-3°.

Certitudo confessarii de peccatis et dispositionibus poenitentis 610.

Cessatio iurisdictionis : ordinariae 580-3, delegatae 583-C; suspensionis 683-C, interdicti 684-C, impedimentorum matrimonii, *v.* DISPENSATIO.

Character sacramentalis. Eius : definitio 59, existentia 60, essentia 61—63, indelebilitas 64, effectus 62, 63, 66. Sacramenta quae characterem imprimunt 65. Character : Baptismi 130-C, Confirmationis 184-B, Ordinis 723-B, 731-3-4, 732-2.

Chirurgica operatio. Eius liceitas vel necessitas ad baptizandum foetum 155.

Chrisma, materia remota Confirmationis 181.

Chrismatio, num sit de essentia Confirmationis 179, 180. Est sacramenti materia proxima 182.

Cibi vetiti : ratione legis ieiunii eucharistici 282.

Circumcisio, sacramentum Veteris Legis 5. Eius : significatio 6-*in fine*, effectus 53—55.

Circumstantia. Circumstantiae quaenam in confessione sint declarandae 522-D.

Clandestinum matrimonium 749-B-2. Hodierna legislatio canonica circa ipsum 844. Clandestinitas non est impedimentum stricte dictum, *ibid.*, 856-*in fine.*

Clavis tabernaculi eiusque custodia 393-2°-b. Clavis, materia remota in ordinatione ostiarii 729-7°. Potestas clavium 419-570. Christus eam contulit Ecclesiae 421—424, 426. Est potestas illimitata 423. Eius exercitium in Ecclesia primitiva 425.

Clericus. Significatio nominis 730. Translatio laici, per primam tonsuram, ad statum clericalem 730. Statûs clericalis existentia 715-1°. Clericorum privilegia et obligationes 730. Clerici maioristae subiiciuntur impedimento ordinis 890; poenae canonicae in maioristas matrimonium attentantes 893.

Coelibatus ecclesiasticus, obligatio orta ex susceptione subdiaconatus 729-3°, oritur immediate ex voto subdiaconatui annexo, *ibid.*, 890 et simul ex lege ecclesiastica, *ibid.* Conditiones contrahendae obligationis 890. Eius obligatio in Ecclesia orientali 889.

Coemeterium. Sepultura fidelium in coemeterio interdicto 684-A-3.

Coena. De die Ultimae Coenae controversia 210. Sacrificium Coenae comparative ad Sacrificium Missae 324-4.

Cognatio legalis ut est matrimonii impedimentum : prohibens 866, dirimens 909, 910. Impedimenti dispensatio, ut est prohibens 866, dirimens 910.

Cognatio naturalis, sive carnalis, *v.* CONSANGUINITAS.

Cognatio spiritualis, effectus : Baptismi 171-5-B, Confirmationis 195-*in fine.* Est impedimentum dirimens matrimonii ortum ex Baptismo, non ex Confirmatione 907. Existit inter baptizatum — ac baptizantem et levantem 908. Requisitae, ut existat, conditiones 908. Non existit, ex Novo Iure, inter baptizati parentes — ac baptizantem et patrinum 908-C, nec inter baptizatum et infidelem baptizantem 908-B. Impedimenti multiplicatio 908-*in fine.*

Cohabitatio coniugum 963. Eius obligatio 964. Causae permittentes separationem 966—970, *v.* DIVORTIUM. Cohabitatio coniugum fraterna 927.

Colloquia impudica in usu matrimonii 949.

Commendatitiae litterae sacerdotis in ecclesia aliena celebraturi 388-*in fine.*

Commercium, ex Missarum stipendiis, prohibitum 380.

Communicatio civilis cum excommunicato vitando 682-A *in fine*; clerici communicantes excommunicationem incurrunt 682-B-c-4.

Communio. I.) Valida SS. Eucharistiae sumptio 268. Eius modus : sacramentalis, spiritualis, sacramentalis simul et spiritualis 269. Communio specierum est de integritate, non de essentia, sacrificii Missae 317.

II.) Communionis subiectum 270. Requisita, in adulto ad sumptionem validam, intentio, 270. Requisitae, ad sumptionem fructuosam, dispositiones : ex parte animae : praeter fidem, probatio statûs gratiae 271, vel confessio sacramentalis 271-273, instructio et discretio 275, reverentia ac devotio 276; ex parte corporis : habitus decens 279, mundities 280, ieiunium 281. Cibi et potus, quoad fractionem ieiunii 282, causae a ieiunio excusantes 283, 284, privilegium infirmorum 283-5°, sacerdotum 283-6°, 284. Malitia communionis sacrilegae 274.

III.) Communionis necessitas : quoad sumptionem : realem 291, in voto 292. Necessitas ex praecepto : divino 293, 294, ecclesiastico, seu obligatio communionis paschalis 295, in ordine ad matrimonium 837-II c. Communio sub una vel sub utraque specie, quoad necessitatem vel opportunitatem 297—299. Communio sub specie vini quandonam sit laicis licita 300.

IV.) Administrandae Communionis minister : ordinarius 336, extraordinarius 337. Minister Viatici, *v.* VIATICUM. Quid liceat clericis diacono inferioribus, vel etiam laicis 338. Ministri requisita iurisdictio vel licentia 339, 340. Ritus dispensationis quoad tempus, locum, defectus occurrentes 392.

Communio frequens 286. Eius, etiam si quotidiana, commendatio 287. Conditiones requisitae 288, optandae dispositiones 288-a-b. Officium : confessarii 288-c, parochorum et concionatorum 289-1, superiorum 289-2. Commendanda : communionis libertas 289-4-5, hebdomadaria confessio 289-6.

Communio spiritualis 290.

Communitates, sive collegia aut societates : ut possunt esse subiecta interdicti ecclesiastici 684-A-5.

Commutatio : operum pro lucrandis indulgentiis praescriptorum 674-D, pro iubilaeo, 680-B; satisfactionis sacramentalis 562.

Competentia Episcopi ordinantis 735.

Complex. Revelatio complicis, facta confessario 526. Inquisitio de nomine complicis, vetita confessario 526-3. Casus licitae inquisitionis, *ibid.*— Absolutio complicis in peccato turpi 631—638; complicitas : ratione personae complicis et ratione turpis peccati 632, peccati requisitae qualitates 633. Complicitas non restringit sed aufert confessarii in complicem iurisdictionem 634, reddit absolutionem invalidam 634. Absolutio complicis in mortis articulo vel periculo 631, 635. Periculum mortis quodnam sit 635-B. Poenae canonicae in confessarium delinquentem 636, quandonam incurrantur vel non 636. Delinquentis absolutio 636-*in fine*, 638. Quid confessario agendum ne absolvat complicem 637.

Concubinatus : ut arcens a receptione sacramentorum 89; ut inducens impedimentum publicae honestatis 916; est causa canonica obtinendae dispensationis ab impedimentis matrimonialibus 924-A-12, 15.

Conditio. Administratio sacramentorum sub conditione 84, 85-3. Iteratio baptismi sub conditione 164, item, sacrae ordinationis 722. Sacramentalis absolutio sub conditione 446-C, an sit valida 618. Conditio « si es capax » praeferenda conditioni : « si es dispositus » 618-C. Conditio in contractu : sponsalitio 835, matrimoniali 801. Conditiones contra substantiam matrimonii 801.

Confessarius. I.) Minister sacramenti Poenitentiae, eiusque potestas ordinis et potestas iurisdictionis 568. Distinctio utriusque potestatis 569. Habitudo potestatis confessarii ad potestatem clavium 570. Necessitas, ad validitatem sacramenti : potestatis ordinis 572—574, potestatis iurisdictionis 576—578. Confessarii iurisdictio, *v.* IURISDICTIO. RESERVATIO. Confessarii facultates speciales, *v.* IURISDICTIO.

II.) Confessarii obligationes, in genere : audiendi confessiones, ex iustitia 601-A, ex charitate 601-B; acquirendi scientiam 604, prudentiam 605, bonitatem vitae 606.

Eius obligationes in actu confessionis 607 : interrogare poenitentem 608, 609, ferre iudicium de eius peccatis ac dispositionibus 610, eum instruere et monere 611, ei apta indicare remedia 612, ei, indisposito, apta contritionis motiva proponere 613. Obligationes quoad

absolutionem : ipsam, *v.* ABSOLUTIO, ratione variae poenitentium conditionis, *v.* POENITENS. Obligationes quoad imponendam satisfactionem *v.* SATISFACTIO. Obligationes speciales : monere peccatorem peccati reservati reum 599-3-4, monere personam sollicitatam ut sollicitantem denuntiet 642-C, monere onanistas 957, monere coniuges divortium petentes 970, 979.
Eius obligationes post actum confessionis : servare secretum, *v.* SIGILLUM, non uti notitia ex confessione habita 628, corrigere : errores impedientes sacramenti : validitatem 629-A, integritatem 629-B; errores damnificantes poenitentem 629-C.
Eius peccata ex abusu sacramenti, *v.* COMPLEX. SOLLICITATIO.
III.) Confessarii prudentia : in permittendo : primam puerorum communionem 275-6°, frequentem communionem 289, in tractando suspectum de reticentia 610-2, in inquirendo, in casu necessitatis, de nomine complicis 526-3, in dimittendo suum complicem apud se confiteri volentem 637, in procurando denuntiationem confessarii sollicitantis 645, in tractando consuetudinarios et recidivos 660, 661, 662, in imponendo satisfactionem sacramentalem 549, 550, in absolvendo a peccato reservato 599-3—5, in absolvendo sub conditione 619, in servando sigillum 630-3—5, in inquirendo de impedimento criminis 901-5, in iudicando de impotentiae impedimento 880, in declarando nullitatem matrimonii 927, in interrogando et monendo de onanismi malitia 958, in instruendo poenitentem de coniugali debito 962, in tractando coniuges divortio separatos 970, 979.
Confessio, pars sacramenti Poenitentiae 507. Eius divina institutio ac necessitas 509, 510, eius utilitas 509-III. Confessionis praeceptum : divinum 512, ecclesiasticum (de annua confessione) 513. Confessionis definitio 514. Est actus virtutis poenitentiae 515. Eius requisitae qualitates 517. Confessio vocalis, eiusque necessitas 518, 519. Confessionis integritas, formalis et materialis, eiusque necessitas 521 : integritas : quoad ipsa peccata 522-A, 527, quoad peccatorum : numerum 522-B, speciem infimam, 522-C, circumstantias, 522-D, quoad peccata dubia, 522-D, 523. Causae ab integritate materiali excusantes 525 : ignorantia vel oblivio 525-A, impossibilitas physica 525-B, impotentia moralis 525-C, periculum diffamationis : ipsius confitentis 525-C, alterius personae 526. Confessionis fidelitas seu sinceritas 529-531. Confessionis effectus 532.
Confessionale 670, quoad peccatum sollicitationis 641-5.
Confirmatio. (Tractatus de sacramento Confirmationis. Divisio Tractatûs 175.) Confirmationis : notio, definitio, varia nomina 173, 174, a Christo institutio 177, 178, materia 180 : remota 181, proxima 182, forma 183, effectus 184, signum tantum, res, res et sacramentum 46. Eius : minister : ordinarius 186, 188, extraordinarius 187, 189, subiectum 190, necessitas 191, necessitas in ordine : ad S. Ordinationem 738-4°, ad matrimonium 837-II-3-b; initerabilitas 185-2, caeremoniae 193, tempus et locus 194. Patrini 195. Errores circa eius institutionem 176.
Congregationes (Sacrae) adeundae pro dispensatione in impedimentis matrimonialibus 920-3°, 925, pro matrimonii sanatione in radice 935.
Coniugale debitum. Non est de essentia matrimonii 773, 774-A, 777-5°. Eius liceitas 763-764, 937. Eius liceitas vel illiceitas : ex modo 938, ex fine intento 939—941, ex circumstantiis : personae 943, sitûs 944, loci 945, temporis 946, habitudinis corporalis 946-1—3. Liceitas vel illiceitas actuum in ordine ad debitum 949, 952. Illiceitas talium actuum : si solitarii 950—952, si mutui 951, 952, 956-5. Abusus debiti coniugalis 954 : onanismus 954, eius malitia : in se 955, in suis effectibus 957; sodomia improprie dicta 956 ; debiti : exercitium modo non naturali 956-2, exercitium tempore

ageneseos 956-3, abruptio 956-4-5. Reddendi debiti : obligatio 960, 961-1°—6°, obligationis cessatio 961. Debiti petitio : in casu voti castitatis 943-2°, in dubio de validitate matrimonii 943-3°, in casu onanismi 955-2°—5°, in casu morbi 946. Debitum redditum, de se non impedit S. Communionem 280-2°.
Coniuges. Eorum obligationes in usu matrimonii, *v.* CONIUGALE DEBITUM. Obligatio cohabitationis 963—970, *v.* DIVORTIUM. Obligatio mutui amoris et adiutorii 971—974.
Coniugicidium, impedimentum matrimonii, *v.* CRIMEN.
Consanguinitas, impedimentum matrimonii dirimens 903. Computatio graduum secundum ius canonicum et ius civile 903. Consanguinitatis multiplicatio 905-2. Invalidatio in linea recta 904, in linea collaterali 905. Ecclesiae potestas quoad dispensationem 906-2-3. Impedimentum quoad infideles 906-4.
Conscientia. Matrimonium conscientiae seu occultum 749-B-3.
Consecratio, actio conficiens Eucharistiam 206-C. Verba consecrationis ut constitutiva Sacramenti 245. Consecratio facta virtute verborum 226. Specialia quaesita : quoad intentionem consecrantis 212-3°, quoad hostias in altari positas inscio sacerdote 212-3-b, vel extra corporale relictas 212-3-d, quoad guttas vini calici inhaerentes 212-3-f, 215-3, quoad consecrationem unius materiae sine altera 213: an talis consecratio licite fiat ad praebendum viaticum 214. Consecratio, ut est essentia Sacrificii 315, *v.* MISSA.
Consecrationes, quae sunt sacramentalia 108. Earum minister 110. Consecratio: episcopi 736-A, chrismatis 181.
Consensus : Consensus parentum ad ineunda sponsalia 835-3°. Consensus, forma et materia Matrimonii 787, 788, eius necessitas 796, 797, 798, eius obiectum 797, eius requisitae qualitates 799, eius expressio 800, eius forma conditionata 801, eius vitia 802—807, ut causa efficiens matrimonii 798-1-2, an possit suppleri 798-3. Consensus : renovandus ad convalidationem matrimonii 930, 931, non renovandus, si perseveraverit, in sanatione in radice 934.
Consuetudinarius 657, quoad absolutionem 659.
Consuetudo, seu habitus, peccandi 657, quandoque declaranda in confessione 522-D.
Continentia. Eius obligatio ex ordine sacro 729-3°, ex voto, durante matrimonio 943-2°.
Contritio. Eius : notio 474, necessitas medii et praecepti 475, definitio 476; est actus virtutis poenitentiae 477. Eius : obiectum, scil. culpa 478, 479; eius requisitae qualitates : vera et interna, formalis et explicita 481, supernaturalis 482, summa : appretiative, non intensive 483, universalis 484. Contritio debet referri ab absolutionem 489, eam praecedere 491, ei moraliter uniri 490—492. Etiam requiritur in baptismo adultorum 144.
Contritio perfecta et imperfecta 493. Contritionis, extra sacramentum, sed cum eius voto, efficacia 494, 495. Variae theologorum opiniones circa eam, ex qua oriri debet, virtutem 496-3, charitatem 496-5, charitatis perfectionem 496-1, 505, charitatis causam motivam formalem 496-4. Contritionis effectus : ut est pars sacramenti 504-1, ut est actus virtutis 504-2. An sacramentum Poenitentiae possit esse simul validum et informe 506. Sensus adagii : *ex attrito fit contritus* 503.
Contumacia, conditio censurae 596-5°, 681.
Convalidatio matrimonii 927. Fit : vel per simplicem convalidationem vel per sanationem in radice 928. Convalidatio simplex : in casu impedimenti dirimentis 930, eius conditiones : cessatio impedimenti 930-A, renovatio consensus, 930-B. Convalidatio : in casu consensûs vitiosi 931, in casu defectûs formae 932. Sanatio in radice

933. Eius effectus : convalidatio, retrotractio 933-A. Dispensatio a renovando consensu 933-B. Dispensationis conditiones ex parte consensus 934. Confessarii officia : in convalidatione 927, in sanatione in radice 935.
Convictores (religiosorum), *v.* ALUMNI.
Cooperatio ad haeresim et infidelitatem quantum ad sacramenta 79. Cooperatio ad matrimonium civile 975-C, ad divortium 977-C.
Copia confessarii 272-B.
Copula, *v.* CONIUGALE DEBITUM.
Coronae SS. Rosarii et aliae 678. Quoad amissionem benedictionis et indulgentiarum 675.
Corpus. Corporis dispositiones in S. Communione 278—284, in celebratione Missae 384, 389-D *in fine*. Irregularitates ex defectibus corporalibus 743-2.
Corruptio verborum in forma sacramentali 19—21.
Crassa ignorantia non excusat a censuris, nisi lex requirat praesumptionem, 681-C.
Crimen. Irregularitates ex crimine, seu delicto 744. Crimen : impedimentum matrimonii dirimens 897 : ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii 898, ex adulterio cum coniugicidio 899, ex solo coniugicidio 900. Impedimentum : est dispensabile 901-1, non ligat infideles 901-2, eius ignorantia non excusat 901-3. Eius multiplicatio 901-4.
Crux Christi. Crux altaris 389-B-3. Indulgentia : Viae Crucis 677, Crucifixi Viae Crucis 677-C.
Culpa, proprium obiectum contritionis 478.
Cultûs disparitas, impedimentum matrimonii dirimens 885—888.

Daemon. Adiuratio daemonis (exorcismus) quando et a quibus fieri possit 729-5.
Damnum ut causa excusans ab integritate materiali confessionis 525-C-5.
Debitum, *v.* CONIUGALE DEBITUM.
Decani. Eorum facultas : concedendi licentiam ad binationem 387-C, absolvendi a reservatis 598-2, dispensandi a proclamatione bannorum 841.
Decentia requisita in S. Communione 278—280.
Declaratio nullitatis matrimonii 927. — Declaratio mortis coniugis pro novo ineundo matrimonio 883-b.
Defectus. An cadant sub sigillo sacramentali 625-C. Defectus confessionis, a confessario reparandi 629. Defectus, excusantes ab integritate materiali confessionis 525. Irregularitates ex defectu 743. — Defectus occurrentes in celebratione Missae 391, in dispensatione S. Communionis 392-D.
Defunctis applicatio : sacrificii Missae 356, indulgentiarum 671, 672-E, indulgentiae altaris privilegiati 676, *v. etiam* ANIMAE.
Delatio, *v.* DENUNTIATIO.
Delegata iurisdictio, *v.* IURISDICTIO.
Delegatio sacerdotis : ad ministrandum Confirmationem 187, 189, ad audiendas confessiones, *v.* IURISDICTIO, ad conferendos minores ordines 734, ad assistendum celebrationi Matrimonii 848 (quae nequit fieri ad assistendum sponsalibus 832). Delegatio diaconi ad ministrandum : baptismum solemnem 138, S. Communionem 337. Delegatio clerici ad ferendam censuram 681-A.
Delictum quale est censurae obiectum 681-C, *v. etiam* CRIMEN.
Denegatio : sacramentorum 88, 89, S. Communionis 277, 279; absolutionis : ratione incapacitatis vel indignitatis 615, ratione peculiaris condicionis in poenitente, *v.* POENITENS.

Denuntiatio confessarii sollicitantis, *v.* SOLLICITATIO. Denuntiatio impedimentorum : ad sacros ordines 740-B-3, ad matrimonium 840.
Desiderium operis coniugii 950. — Baptismus desiderii 135-2.
Destructio peccati, intenta a virtute Poenitentiae 398, effecta per Poenitentiae sacramentum 444, 453—456; per contritionem perfectam 476, 494—496; per attritionem cum sacramento 499, *v. etiam* REMISSIO.
Detestatio peccati in contritione 476, 481. Non est proprie actus poenitentiae 405.
Deus, causa poenitentiae 404.
Devotio in S. Communione requisita 276.
Diabolus, *v.* DAEMON.
Diaconatus, ordo maior et sacramentum 729-2°. Requisita aetas 739-2°, scientia 739-3°. Diaconus, minister extraordinarius : baptismi solemnis 138, dispensationis SS. Eucharistiae 337. Non est minister Extremae Unctionis 700-2. Quas dare potest benedictiones 110-4. Non probatur peccare mortaliter, si, in statu peccati mortalis existens : ministrat in Missa solemni 77-5, dispensat SS. Eucharistiam 77-3, nec fit irregularis si solemniter baptizat sine delegatione 138. Deferat stolam in susceptione SS. Eucharistiae 279-5°.
Dies, quibus non licet celebrare Missam 387, dispensare S. Communionem 392, celebrare missam pro sponso et sponsa 852-B-c, dare solemnem nuptiarum benedictionem 852-B-b. Dies, quibus fieri potest sacra ordinatio 736-E.
Dilatio : baptismi infantis 148, baptismi adulti 143, confirmationis 188, 191, 192, communionis paschalis 295-6, missae celebrandae : ex officio 368-4, ex beneficio 371-2, ex stipendio 378-3; conversionis et poenitentiae 414, 415; sacramentalis : absolutionis 616, satisfactionis 560.
Dilectio coniugum ad invicem 971—974.
Dimissoriae litterae 735-B. A quibus concedi possunt pro ordinandis : religiosis 735-A-b, saecularibus 735-B. Earum necessitas quoad Episcopum ordinantem 736-D, quoad ordinandos 740-F-II, 741-3.
Discessus e territorio : quoad absolutionem a reservatis 597-B-3°, 597-C-2°, quoad celebrationem matrimonii 847.
Disparitas cultus 885—888. Eius dispensatio 888.
Dispensatio ab irregularitate 742. — Dispensatio ab impedimentis matrimonialibus 918 : potestas S. Pontificis et SS. Congregationum 919, 920, Ordinarii loci 921, parochi, sacerdotis delegati, confessarii: 922, 923, habentis indultum 922-B, 923. Dispensationis causae 924 : causae « *canonicae* » 924-A, causae « *rationales* » seu « *non canonicae* » 924-B; obreptio et subreptio in expositione causarum 924-C. Dispensationis : petitio 925, quaenam in libello supplici exprimenda 925, executio 926, *v. singula impedimenta dispensabilia* (857, D).
Displicentia peccati, in contritione 476. Non efficitur directe per actum poenitentiae 398-3-1.
Dispositio ad gratiam, a sacramentis effecta, seu « *res et sacramentum* » 46, 48; est causa reviviscentiae sacramentorum 57-III-c, 58. — Dispositiones requisitae in sacramentorum : ministro 76, subiecto 96, speciatim quoad : Baptismum (adultorum) 144; Eucharistiam : dispositiones animae 270—277, et corporis 278—285; Poenitentiam 656. Signa, quoad poenitentem, dispositionis sufficientis aut insufficientis 617-A, dispositionis dubiae 617-B, indispositionis 615.
Dissensus parentum, an obstet liceitati sponsalium 835-3.
Dissimulatio denegationis Sacramentorum 90.
Dissolubilitas matrimonii adversatur : iuri naturae 816, iuri divino 817. Dissolubilitas : matrimonii rati tantum 818-B, matrimonii infidelium, seu privilegium Paulinum 819. Dissolubilitas sponsalium 834.
Distractio in S. Communione 276.

Divortium. I.) Divortium proprie dictum 815, adversatur iuri naturali 816, iuri divino 817. Eius liceitas : in matrimonio rato tantum 818, ex privilegio Paulino 819, 820, 821.

II.) Divortium imperfectum. Eius causae legitimae 964—968. Necessaria dispensatio S. Sedis, si fiat ob ingressum in religionem vel statum clericalem 968, 969. Necessaria sententia Ordinarii si fiat ob alia motiva 969. Iura et obligationes compartis innocentis, 969-2-3, educatio prolis 969-4.

III.) Divortium civile 977. Eius valor 977-A, liceitas 977-B. An sit intrinsece malum 977-B-3. Quid liceat : parti catholicae 977-B-1-2, magistratui civili 977-C-D, iudici 977-D-1°, advocato 977-D-2-3. Separatio civilis a toro et habitatione 978.

Dolor, de peccato, actus virtutis poenitentiae 405. Dolor in contritione, quoad huius : essentiam 474, 476, obiectum 478, qualitates 481-484. Dolor in attritione, 497, 498, 501.

Domicilium, quasi-domicilium. Quomodo requiruntur pro baptismo 137, pro sacra ordinatione 735-A, pro proclamatione bannorum 839-C, pro celebratione matrimonii 847.

Donationes inter sponsos 835-2.

Duellum. Excommunicatio in duellantes eiusque complices, 682, B,c, 8.

Ecclesia, ut est societas. Eius potestas in matrimoniis baptizatorum : quoad vinculum 818, 821, quoad causas matrimoniales 823, 824, 826, quoad impedimenta 859, 860, quoad dispensationem in impedimentis 918—921.

Ecclesia, ut est templum. Gravis prohibitio celebrandi missam in ecclesia exsecrata 388. Observanda a sacerdote celebraturo in aliena ecclesia 388 *in fine*. Ecclesia visitanda ad lucrandas indulgentias 674-C-3. Ecclesia, locus ordinationis, 736-F, celebrationis matrimonii 853-B.

Ectopicus foetus. Quoad eius baptismum 153.

Educatio filiorum acatholica est ratio separationis, 967. Cui coniugum incumbat, facto divortio 969-4.

Effectus malus in confessione declarandus 522-A-30.

Electio statûs perfectionis solvens : sponsalia 834-3, matrimonium ratum tantum 818-B.

Eleemosyna ut opus poenale satisfactorium 550-3, 556, 557, pro lucranda iubilaei indulgentia 680-5°. Eleemosynae pro missis, *v.* STIPENDIUM.

Epiclesis, in Consecratione 224.

Episcopales casus et censurae 595; reservationis : conditiones 595, 597, cessatio 597. Censurae a iure episcopo reservatae : excommunicationes 682-d, suspensiones 683-B-b, interdictum 684-B-2. Absolutio a casibus et censuris episcopalibus, *v.* RESERVATIO II.)

Episcopatus, ordo presbyteratui supereminens, ab eo non adaequate distinctus 731. Non imprimit novum characterem 731-4. Eius materia et forma 731-5. Requisitae : aetas 739-2, scientia 739-3. Potestas collata 732-4.

Episcopus. I.) Eius potestas ordinis 731. Est minister ordinarius : Confirmationis 186, 188, Ordinis 735, 736; est minister, ex mandato apostolico, consecrationis episcopalis 736-A. Episcopo reservantur : consecratio chrismatis 181, benedictio olei infirmorum 692-3, consecrationes constitutivae et quaedam benedictiones 108, 110. Potest sibi eligere confessarium 583-A-1°, concedere indulgentias quasdam 673.

II.) Episcopus, ut Ordinarius loci. (*Hic posita spectant omnes Ordinarios locorum.*) Potest, ex iure sibi reservato, baptizare solemniter 137, dare licentiam solemniter baptizandi : sacerdoti 137, ac diacono 138. Potest ; delegare diaconum ad dispensandam SS. Eucharistiam 337, dare licentiam binandi 387-C-2, permittere expositionem SS. Sacramenti 393-3, taxare stipendia missarum 375, tenetur ad celebrandam missam pro grege 366. Potest, ex ordinaria iurisdictione, excipere subditorum confessiones 580, approbare et delegare confessarios 581, 582, in specie, confessarios religiosarum 589; procedere contra confessarium de sollicitatione accusatum 645. Potest dare benedictionem papalem cum indulgentia plenaria 673-a. Potest concedere dimissorias pro saecularibus, etiam ad maiores ordines 735-B, conferre primam tonsuram et ordines minores 734-1°, et (supposita ordinis potestate) maiores ordines 735-B-4 *Nota*, permittere exorcismum 729-5°. Potest : assistere, ut testis qualificatus contractui sponsalitio 832, iudicare de sufficientia causae solvendi sponsalia 834-6°, dispensare a bannorum proclamatione 841, a proclamationum forma consueta 839-B, assistere matrimonio 845, 846, 847, delegare sacerdotem ad assistentiam 848, permittere solemnem nuptiarum benedictionem 853, prohibere, in certis casibus, matrimonium 860, dispensare, in urgenti necessitate, super impedimentis matrimonialibus 921-3°.

III.) Episcopus, ut Ordinarius. (*Hic posita spectant omnes, etiam locorum, Ordinarios.*) Potest, ex iurisdictione ordinaria, dispensare, ac dare licentiam dispensandi, SS. Eucharistiam 339, vigilare super exoneratione missarum 381, designare unum altare privilegiatum 673-1-b. Potest ferre censuras 681-A, reservare casus et censuras 595, sacerdotes sibi subditos delegare ad confessiones subditorum audiendas 581-b, dispensare in quibusdam irregularitatibus 742. *V. etiam* : SUPERIOR RELIGIOSUS.

Error in matrimonio : error iuris et error facti 804-3. Error vitians consensum matrimonialem 804-3°. — Error communis ad suppletionem iurisdictionis sacramentalis 586. Obligatio confessarii corrigendi errores 629. Error non est, ex novo Iure, impedimentum matrimonii stricte dictum 856.

Eucharistia. Eius perfectio ac varia nomina 197-198. Eius figurae 199. Eius differentia ab aliis sacramentis 206.

I.) Tractatus de SS. Eucharistia ut est *sacramentum*. Divisio Tractatûs 202. Eucharistiae : definitio 201, existentia 203, essentia 204, 205, unitas 207, 208, institutio a Christo 209, 210, signum tantum, res, res et sacramentum 206-B.

II.) Eucharistiae *signum tantum*. Eius materia remota 211; requisita ad consecrationis : validitatem, ex parte utriusque materiae 212, in specie, ex parte panis 216, 217, ex parte vini 220; liceitatem, ex parte utriusque materiae simul consecrandae 213, 214, in specie, ex parte panis 218, 219, ex parte vini 222, 223. Eius forma 224, formae : essentialia 225, virtus instrumentalis 226; forma consecrationis : panis 227—229, vini 230—232.

III.) Eucharistiae *res et sacramentum* : praesentia Christi vera, realis et substantialis 234—240; per transsubstantiationem 241—245; sub speciebus panis et vini : remanentibus 246—248, sine subiecto 255—257; sub utraque specie 249; vi verborum, vel etiam per concomitantiam 250; sub tota specie 251; per modum substantiae 252, 253. Apparitiones Christi in Eucharistia 254. Cessatio realis praesentiae 258—260.

IV.) Eucharistiae *res*, seu *effectus* : primarius, i. e. unio cum Christo per gratiam et charitatem 261, 266; secundarius, in generali : nutritio spiritualis 262, in specie : praeservatio a peccatis 263, adeptio gloriae 264, remissio poenarum 267. Gratiae impedimenta 265. Eucharistiae : sumptio, *v.* COMMUNIO; asservatio et expositio 393.

V.) Eucharistia ut est *sacrificium*, *v.* MISSA.
Errores contra Eucharistiae : existentiam 203, essentiam 204, formam 224. Contra Christi : praesentiam 234, 237-D, 239, modum praesentiae 242. Contra permanentiam accidentium 246.
Examen : confessariorum 582, ordinandorum 740, sponsorum 837, conscientiae 528.
Excommunicatio 682. Excommunicationes hodie vigentes 682.
Excommunicatus, 682, toleratus, vel vitandus, bona et munera ei interdicta 682. Tenetur impedimentis matrimonii etiam ecclesiasticis 838.
Exempti : *v.* RELIGIOSI III.)
Exercitia spiritualia ab ordinandis peragenda 740 E.
Exomologesis 424-B-*nota*, 507-5°.
Exorcismus 108-4, 729-5°.
Exorcistatus, ordo minor 729-5°. Requisitae : aetas 739-2°, scientia 739-3.
Explicita intentio ministri sacramentorum 83.
Expositi infantes, quoad baptismum 166.
Expositio SS. Sacramenti 393.
Exsecratio : altaris 389-A-*in fine*, calicis et patenae 389-C-*in fine*, sacrarum vestium 389-D-*in fine*.
Extensio iurisdictionis sacramentalis : ordinariae 580, delegatae 582-2.
Extrema Unctio. (Tractatus de Extrema Unctione. Divisio Tractatûs 687.) Eius : notio ac nomina 685, definitio 686, existentia 688, 689, unitas 690, a Christo institutio 691, materia remota 692, proxima 693, 695, forma 694, effectus 697—699. Huius sacramenti : signum, res, res et sacramentum 696. Eius minister, quoad validitatem 700, quoad liceitatem 701. Obligatio ministrandi ex iustitia 702-I, ex charitate 702-II. Eius subjectum 704, requisitae in eo conditiones 705. Sacramenti : commendatio 706, iterabilitas 707; eius ritus ac caeremoniae 703. Benedictio apostolica in articulo mortis 708. Errores contra sacramenti existentiam 688.

Facultates confessariorum speciales, *v.* IURISDICTIO III.)
Fama. Periculum famae, excusans ab integritate materiali confessionis 525-C.
Familiares S. R. E. Cardinalium, quoad electionem confessarii 583-A-2. Familiares religiosorum, *v.* ALUMNI.
Fecundatio artificialis 938-d.
Femina, incapax sacrae ordinationis 737.
Feriatum tempus 852-B, 853.
Fermentatus panis, *v.* AZYMUS.
Fervor amoris, remittens peccata venialia 457, 459, 460-2, 4.
Festa : in quibus non licet celebrare missam in oratorio privato 388-1°, in quibus celebranda est missa pro grege 366, conferri possunt ordines 736-E.
Fictio in sacramentis : suscipiendis 56, 57, administrandis 90. Fictio : confessionis, in peccato sollicitationis 641-4, absolutionis, in casu complicitatis 631, 636, consensûs in contractu matrimoniali 803.
Fidelitas seu sinceritas in confessione 529—531.
Fides coniugalis 793, 822-5, sponsalitia 833, 834-2°.
Filii. Sunt matrimonii : finis 769, bonum 822-5.
Fines matrimonii 768—770.
Flamen. Baptismus Flaminis 135.
Foetus quando censeatur animatus 159. Foetus, in utero baptizatus, post ortum rebaptizandus est sub conditione 154-IV. An extrahi debeat ut baptizetur 155. Modus baptizandi foetum non editum 156. Foetus abortivus 157, 158, modus ipsum baptizandi 159.

Forma canonica : sponsalium 832, matrimonii 845. Forma sacramentorum 12, *v. singula sacramenta.*
Forum internum et externum 569. Iurisdictio in foro interno quibus competit : ordinaria 580, delegata 581. Effectus, quoad forum externum, absolutionis a reservatis quae in foro interno datur : in casu periculi mortis 585-4°-5°, religioso utenti privilegio eligendi confessarium 588-A, in casu urgentis necessitatis 597-C, a confessario reservationem ignorante 597-C-3, a confessario sine debita facultate scienter absolvente 599-5. Dispensatio super impedimentis matrimonialibus : in foro externo 918—921, in foro interno 922, 923. Executio in utroque foro, dispensationis in forma commissoria 926.
Fructus, seu effectus SS. Eucharistiae 261—264, quomodo impediantur 265. Fructus Sacrificii Missae 350—352, 360, 361.
Fuga periculorum peccandi 663—668.
Fulminatio dispensationis 926.
Fundatio missarum 370—372.
Funus. Funera fidelium tempore interdicti 684-A-3-6.

Gradus in consanguinitate 903. Gradus : qui matrimonium irritant 904, 905, in quibus Ecclesia dispensare potest 906-2, 3. Graduum computatio 906-5. Gradus in impedimentis : affinitatis 913, publicae honestatis 916.
Gratia : Gratia sanctificans, effectus sacramentorum 30-31. Gratia sacramentalis, seu res sacramenti 34, 46; eius formalis ratio 35, eius, in diversis sacramentis : diversitas 36, inaequalitas 38, 40. Gratia prima et gratia secunda 39. Gratia, ut effectus Sacrificii Missae 347-c.
Gregorianae missae 378-4-g.
Grex. Obligatio celebrandi missam « pro grege » 365—369.

Habitualis intentio, in ministro sacramentorum 81, in adulto, ad sacramenta suscipienda 93—97.
Haereticus. Haereticorum baptismus sub conditione 168-*et nota*, idem baptismus in ordine ad matrimonium : contrahendum 887-A, iam contractum 887-B. Eorum baptismus filiorum, insciis aut invitis parentibus 151. Possunt conferre baptismum necessitatis 139. Examen baptismi ab ipsis collati 168. Ipsis interdicitur : munus patrini in baptismo 171-3, in confirmatione 195, ac munus testis in matrimonii celebratione 845-2. Licet privata missae pro ipsis applicatio 356-2°. Quid liceat quoad eorum : absolutionem in articulo mortis 653, extremam unctionem 705-5. Canones Ecclesiae circa eorum matrimonia : quoad formam iuridicam 850, quoad formam liturgicam 852, 853-B-2, quoad impedimenta generatim 861, quoad impedimentum mixtae religionis 867, 868, et disparitatis cultûs 886. Haeresis compartis ut motivum imperfecti divortii 967.
Honestas publica, impedimentum matrimonii 915—917.
Hora : Missae celebrandae 387-B, S. Communionis ministrandae 392.
Hostia. Hostiarum requisitae qualitates ad consecrationem : validam 217, licitam 218, 219. Licitus usus minoris hostiae, deficiente maiore 218-3. An sint consecratae hostiae : repositae in altare, inscio celebrante 212-3-b, relictae extra corporale 212-3-c, clausae in ciborio, vel pyxide, cooperto, 212-2. Licet consecrare hostias allatas incepto iam canone 215-5, non vero peracta consecratione 215-5, nec licet consecratas auferre ante communionem celebrantis 320-6-7. Quomodo sint consecrandae hostiae, quae miscentur hostiis iam consecratis 215-2. Asservatio hostiarum consecratarum, earumque renovatio 393-1. Regulae canonicae in distributione S. Communionis servandae 392-D.

Ieiunium eucharisticum 281-282, *v.* Communio. Ieiunium ut opus poenale satisfactorium 556, 557-3°-b.
Ignorantia. An excuset ignorantia : reservationis, a reservatione, censurae, a censura 593-b, irregularitatis, ab irregularitate 742, impedimenti matrimonialis, ab ipso incurrendo 862, (cfr 901-3.) Ignorantia : vitians consensum matrimonialem 804. Ignorantia : excusans ab integritate materiali confessionis 525.
Illegitimi filii. Eorum inscriptio in libro baptismali 172-2. Eorum irregularitas quoad sacros ordines vel beneficia 743-1°.
Immersio, in baptismo, quoad validitatem 123, liceitatem 125.
Immodestia habitûs in sacra Communione 279.
Immunitas ecclesiastica. Poenae canonicae in violatores : excommunicationes : S. Sedi reservatae : specialissime 682-B-a, specialiter 682-B-b-8—10, simpliciter 682-B-c-5, 7; Ordinario reservatae 682-B-d-3, nemini reservatae 682-B-e-3; suspensiones : reservatae 683-B, non reservatae 683-B-d-3.
Impedimenta matrimonii. Eorum : definitio 856, essentia, ex Novo Iure 856-*in fine*, genericae divisiones 857. Impedimenta : prohibentia et dirimentia 856-5, 857-B, dispensabilia et indispensabilia 857-D. Ecclesiae potestas statuendi impedimenta 858, 859. Potestas S. Pontificis 860. Quid possint Ordinarius loci et parochus 860. Quinam impedimentis subiiciantur 861. Quomodo obligat impedimentum ignoratum, servatu impossibile, dubium 862. Praescripta de impedimentis inquisitio 836. Parochi officia : in sponsorum examine 837, in proclamatione bannorum 839, in dubio de existentia alicuius impedimenti 842-A, detecto impedimento certo 842-B. Fidelium obligatio revelandi impedimenta 840.
Impedimenta *prohibentia* 864 : votum simplex 865, cognatio legalis 866, mixta religio 867—871.
Impedimenta *dirimentia* 872 : aetas 873—875, impotentia 876—880, vinculum seu ligamen 881—884, disparitas cultûs 885—888, ordo sacer et votum solemne 889—893, raptus et crimen 894-901, consanguinitas 902-906, cognatio spiritualis 907, 908, cognatio legalis 909, 910, affinitas 912—914, honestas publica 915—917.
Dispensatio ab impedimentis, *v.* Dispensatio.
Impedimenta ordinationis 745.
Imperfectio moralis. Ut est obiectum virtutis poenitentiae remotum 399-6, 436-1, ut est materia confessionis sacramentalis 436, 527-3.
Impletio satisfactionis sacramentalis 558—561.
Implicita intentio in sacramentorum : ministro 81, subiecto 93.
Impoenitentia 415-3.
Impositio : nominis in baptismo 169-3 ; manuum : in confirmatione 179, 180, 182-6°, in poenitentia, an sit de essentia sacramenti 437-3, in sacra ordinatione 717—719.
Impotentia excusans : ab integritate materiali confessionis 525, a satisfactione sacramentali 561, ab impedimento matrimoniali 862-B. — Impotentia, impedimentum matrimonii dirimens 876—880.
Impuberes, *v.* Minorennis.
Inadvertentia ut est vitium consensûs matrimonialis 804.
Incardinatio, titulus sacrae ordinationis 735-3°.
Incontinentia. Incontinentes in peccato 657-3-b.
Indispositio poenitentis, eiusque signa 615.
Indissolubilitas matrimonii 815. Est intrinseca et extrinseca 815. Oritur ex iure naturali 816, ex iure divino 817. Indissolubilitas, ex iure divino, matrimonii rati et consummati 818; dissolubilitas matrimonii legitimi etiam consummati in favorem fidei, seu ex privilegio Paulino 819—821. Dissolubilitas matrimonii rati tantum 818-B.
Indulgentia. I.) Eius notio 671. Potestas Ecclesiae concedendi indulgentias, harumque valor in utroque foro 671. Variae indulgentiarum divisiones 672. Conditiones concessionis : potestas concedentis 673-I; iusta causa 673-II; debita forma 673-III, forma publicationis 673-III-3, forma applicationis 673-III-3-a; conditiones consecutionis : quoad personam 674-A, quoad opera praescripta 674-B, quoad operum commutationem 674-D, quoad multiplicatam consecutionem 674-E. Interpretatio : concessionis 674-III-3-c, facultatis concedendi, huiusque usus 673-III-3-b, c. Cessatio indulgentiarum 675.
II.) Indulgentia plenaria 672-A. Eius conditiones 674-B-IV-C
E. Indulgentiae : altaris privilegiati 676, Viae Crucis 677, SS. Rosarii 678, S. Scapularis 679, Iubilaei 680, benedictionis papalis 673-I-ai benedictionis apostolicae in articulo mortis 708.

Infamatio, *v.* Fama.
Infans, *v.* Minorennis.
Infideles : Possunt conferre baptismum necessitatis 139. An valide ac licite baptizentur eorum filii, insciis aut invitis parentibus 149, 150. Licite applicatur eis privatim Sacrificium Missae 355, 356. Eorum matrimonia : subsunt legi unitatis 814, reguntur etiam iure civili 825, sunt dissolubilia in favorem fidei, seu ex privilegio Paulino 819—821. Matrimonium infidelis cum fideli, regitur iure canonico 826; quibus impedimentis subiaceat pars infidelis quando baptizatur 861.
Infirmitas, excusans : a lege ieiunii eucharistici 283-5, ab integritate materiali confessionis 525, ab integra imponenda sacramentali satisfactione 550-3, 551. — Infirmitas qualis requiratur ad Extremam Unctionem 704.
Infirmus. Eius privilegium quoad ieiunium eucharisticum 283-5. Prudentia servanda in ministrando infirmis S. Communionem 260, 280.
Informe sacramentum, eiusque reviviscentia 57, 58. An sacramentum Poenitentiae possit esse simul validum et informe 506, 533. Informia sponsalia 832, matrimonium informe 844.
Infusio, in baptismo 123. Requisita ad eius validitatem 124-b, liceitatem 125.
Inhabilitas ex irregularitate 742, quos afficit : ex defectu 743, ex delicto 744, ex simplici impedimento 745. Inhabilitas contrahendi matrimonium est essentia impedimentorum 856-*in fine*.
Inscriptio : baptismi 172, confirmationis 187-5, 196, stipendiorum missarum 381, matrimonii 854, dispensationis ab impedimento matrimoniali 923-2-3, rescripti dispensationis 926-C.
Instructio poenitentis : officium confessarii 611. Instructio requisita pro baptismo adulti 144, pro S. Communione 275, pro matrimonio 837-II.
Instrumentorum traditio, materia sacrae ordinationis 717—719.
Integrales partes sacramenti Poenitentiae 471—473.
Integritas confessionis, *v.* Confessio.
Intemperati in peccato 657-3-b.
Intentio. Intentio ministri, in sacramentis 80. Requisitae conditiones : ex parte ipsius intentionis 81, ex parte eius obiecti 81-4. Insufficientia intentionis externae 82. Intentio « *faciendi id quod facit Ecclesia* » 81-4, 83. Illiceitas vel liceitas intentionis conditionatae 84, 85-3, 618-C, 801. Intentio suscipientis sacramenta 92. Requisitae conditiones : ipsius intentionis 93-A, eius obiecti 93-B, non sufficit mere interpretativa 93-3.
Interdictum, censura 684. Interdicta hodie vigentia 684.
Interpellatio, in privilegio Paulino 819-2-c.
Interpres : in confessione 525-B-3, in matrimonio 800.
Interpretatio indulgentiarum 673-III-c.
Interrogatio : poenitentis, officium confessarii 608, 609, sponsorum, officium parochi 837-II.

Interruptio : formae, in sacramentis 20-II-III; missae 391-B.
Interstitia, in ordinatione 740-D.
Intimatio concessae iurisdictionis 582-3, dispensationis ab impedimentis matrimonii 926.
Irregularitas 742. Irregularitates : ex defectu 743, ex delicto 744.
Iteratio : Baptismi, sub conditione 164; S. Communionis et Viatici, eodem die 294, Viatici, in eadem infirmitate 296; confessionis invalidae 629, absolutionis pro moribundo 655; Extremae Unctionis 707, S. Ordinationis, sub conditione 721, 722, consensûs, in convalidatione matrimonii 930-B.
Iubilaeum 680.
Iudex. Eius cooperatio ad divortium civile 977-D-1°, 978.
Iuramentum suppletorium : in ordinatione 740-F-*nota* b, in sponsalibus 839-C-2-c, 842-A-1°, in matrimonio 836.
Iurisdictio. I.) Iurisdictio publica ecclesiastica 569.
II.) Iurisdictio in foro interno, seu sacramentali 568. Eius distinctio a potestate ordinis 569. Eius habitudo ad potestatem clavium 570. Eius definitio 569-3. Eius concessio per superiores ecclesiasticos 576, 577, necessitas concessionis ad validitatem sacramenti 577, 578. Eius distinctio in ordinariam et delegatam 579 ; quibus competit : ordinaria 580, delegata 581; canones Ecclesiae circa iurisdictionem delegandam : religiosis 581, sacerdotibus per mare itinerantibus 582-5. Iurisdictionis : conditio, i. e. approbatio sacerdotis 582-1, 583-D, extensio 582-2, 583-A, concessionis modus seu forma 582-3, revocatio et suspensio 582-4, subiectum 582-5, cessatio 583-C. Iurisdictionis ab Ecclesia suppletio 584; suppletio in periculo mortis 585, in casu erroris communis 586, in casu dubiae iurisdictionis 586-B. Iurisdictionis limitatio quoad religiosos 588, quoad religiosas 589, 590. Iurisdictionis restrictio quoad reservata, *v.* RESERVATIO.
III.) Facultates connexae : *simplicis confessarii.* Eius facultates, concedi solitae, tempore Iubilaei 680-B-C; facultas absolvendi : in determinato casu, a reservatis peccatis 597-B-2, in casibus urgentioribus, a censuris latae sententiae 597-C; facultas dispensandi, in casibus occultis urgentioribus, super irregularitatibus ex delicto occulto 742-3-b, item, dispensandi super impedimentis matrimonialibus 922, 923-3, 923-5-c. Facultas : *confessarii regularis exempti* absolvendi a casibus in religione reservatis 588-A, item, *confessarii regularis,* dispensandi ab irregularitatibus ex delicto occulto 742-3-a, item, *confessarii ordinis mendicantis,* absolvendi a casibus Ordinario a iure reservatis 598-B-2, item, *Canonici Poenitentiarii, parochorum et missionariorum* quoad casus quos Episcopus sibi reservavit 598-A-2-3.
Iusiurandum, *v.* IURAMENTUM.

Kalendarium, quoad Missae celebrationem 390.

Laicus, minister extraordinarius : Baptismi 139, S. Communionis 74-3, non tamen regulariter nec Viatici 338-2; casus in quibus ipsi licet sumere Eucharistiam sub specie vini 300. Ministrans, in statu mortalis peccati, baptismum non probatur peccare mortaliter 77-1. Confessio olim laicis facta 573, 574-4.
Lectoratus. Ordo minor 729-6°. Requisita : aetas 739-2, scientia 739-3.
Legitimatus filius; quoad irregularitatem ex defectu natalium 743-1°.
Lenitas. Irregularitates ex defectu lenitatis 743-6°, 744-4°-*nota a.*
Libellus : pacis, in ordine ad remissionem peccatorum olim usitatus 574-2; repudii, apud Hebraeos 817-3; supplex, ad petendam dispensationem super impedimentis matrimonialibus 925.

Libertas, conditio consensûs matrimonialis 799, 837-II. Libertas amoris, contra matrimonii indissolubilitatem 815-B.
Ligamen, impedimentum matrimonii 881—884.
Litterae dimissoriae 735-B, 736-D, 741. Litterae testimoniales 735-B, 740-F-I-II, 739. Litterae commendatitiae sacerdotis in aliena ecclesia celebraturi 388-4°.
Locus debitus : pro Missa celebranda 388; pro administratione : Baptismi 170-2, Confirmationis 194, S. Communionis 392-B, Poenitentiae 670, ordinationis 736-F; pro bannorum proclamatione 839-C, pro celebratione matrimonii 853-B. — Locus originis, pro ordinando 735-A-3.
Loquelae defectus, excusans ab integritate materiali confessionis 525-B-3.
Luxuria in usu coniugii, *v.* CONIUGALE DEBITUM.

Macerationes : ut sunt opera poenalia satisfactoria 557-3-b.
Magister novitiorum, quoad eorum confessiones 588-C.
Magistratus civilis. An ipsi liceat assistere matrimonio civili 975-C, pronuntiare : divortium civile 977-B-1—3, C,D, separationem a toro et habitatione 978.
Malitia. « *Malitia supplet aetatem* » 873.
Mandatum, ad contrahendum matrimonium 800-3.
Maritus. Eius obligationes et iura in usu matrimonii, *v.* CONIUGES. Eius erga uxorem officia pietatis 972.
Martyrium : baptismus sanguinis 135.
Massones. Sunt excommunicati 682-B-c; si notorii, non possunt fungi munere : patrini in Baptismo 171-3-4, nec in Confirmatione 195, nec testis in matrimonio 845-2; in Ecclesia catholica baptizati, tenentur ad formam matrimonii canonicam 850. Sectae massonicae adscriptio non constituit strictum matrimonii impedimentum 867-3, 871.
Mater. In procuratione directa abortus excommunicatur 682-d-4. Eius obligatio quoad caesaream operationem 155.
Materia sacramentorum 12, 13; *v. singula sacramenta.*
Matrimonium. (Tractatus de Matrimonio. Divisio Tractatûs 750. Matrimonii : nomen 747, definitio 748, distinctiones, ratione : proprietatis 749-A, celebrationis 749-B, validitatis 749-C.
I.) Matrimonium, ut est in officium naturae. Eius : origo 752—755; praeceptum : est aliquod praeceptum naturale 756, 757, quod per se non obligat singulos individuos 758, 759, sed directe imponitur communitati generis humani 760, 761; honestas, in se 762—764, postponenda virginitati servata ex motivo virtutis 765—767; fines : essentiales 769, accidentales 770, 771; essentia 772 : essentia *in fieri,* seu consensualis contractus 773—775, essentia *in facto esse,* seu vinculum 776; proprietates 777.
II.) Matrimonium, ut est sacramentum. Eius elevatio ad dignitatem sacramenti 779, 780, 783. Sacramenti a Christo institutio 781, 782. Sacramenti a contractu inseparabilitas 785, 786. Sacramenti materia et forma 787, 788, 791. Eius minister 789, 790. Eius causa efficiens, i. e. consensus 796 : consensûs : necessitas 796—798, obiectum 797, requisitae qualitates 799, expressio 800 : quae esse potest conditionalis 801 ; consensûs vitia : fictio 803, ignorantia 804, error iuris 804-3-A, facti 804-3-B, vis et metus 806. Sacramenti : effectus : naturales 793, supernaturales 794; signum, res, res et sacramentum 782-2°; proprietates : unitas 810—814, *v.* UNITAS, indissolubilitas 815—822, *v.* INDISSOLUBILITAS. Matrimonium gaudet favore iuris 808, 943-3°.
III. Matrimonii : Regimen : per Ecclesiam 823, 824; per civilem

potestatem 823, 825, 827, 828, quoad mixta matrimonia 826; Celebratio : sponsalia 830—835, *v.* SPONSALIA, examen sponsorum 837, proclamationes 838—841, *v.* BANNA, officia parochi 842, 843; Observanda forma iuridica : ordinaria 844, 845 : ad validitatem 845, 846, ad liceitatem 847, assistentia sacerdotis delegati 848, ad iuridicam formam quinam teneantur 850, forma iuridica extraordinaria 849, vetita matrimonii celebratio coram ministro acatholico 868-2, 870, forma liturgica 852-853. Inscriptio matrimonii 854. Matrimonium : conscientiae 749-B-3, morganiticum, *ibid.*

IV.) Matrimonii : impedimenta 855, *v.* IMPEDIMENTUM; convalidatio 927, *v.* CONVALIDATIO; sanatio in radice 933—935. Obligationes coniugum 936, *v.* CONIUGES.

V.) Errores circa matrimonii : originem 752, obligationem 756, honestatem 762, sacramentalem dignitatem 779, essentiam 784, unitatem 810, indissolubilitatem 815, regimen ecclesiasticum 813.

Matrimonium civile 975. Distinguitur : obligatorium, facultativum, subsidiarium 975. Ipsum contrahunt : valide, acatholici, invalide, catholici, horum peccata et censurae 975-A. Conditiones quibus licite a catholicis iniri potest vel debet 975-B. Potest subiici sanationi in radice 934-1°. Cooperatio magistratûs civilis et testium 975-C. Stipulationes circa ipsum iuris civilis 976.

Matrina, *v.* PATRINUS.

Medica (ars). Irregularitas ex eius usu illegitimo 744-6.

Medicinae quoad ieiunium eucharisticum 281, 282-2°-d.

Medicinales poenae, *v.* CENSURA.

Medium. Necessitas medii : in sacramentis 102, speciatim : in Baptismo 133, in Eucharistia 291—295, in Poenitentia, ut est virtus 411—413, ut est sacramentum 449, in contritione 475, in confessione 509, 511, 512.

Mendacium in sacramentali confessione 529—531.

Mensa communis, titulus sacrae ordinationis 739-5-B.

Merita Christi in sacramentis 42, in Sacrificio Missae 359, in indulgentiis 671.

Metus, vitium consensûs matrimonialis 806. Excusat a censura 681-C. Non constituit impedimentum matrimoniale stricte dictum 856-*in fine.*

Militia, *v.* BELLUM.

Minister sacramentorum : principalis 73, secundarius : ordinarius, extraordinarius 74. Ad validitatem sacramenti non requiritur, in ministro, nec fides, nec sanctitas 75, sed requiritur : potestas 74; intentio 80, huius qualitates 81, intentio « externa » non sufficit 82, sufficit implicita 81-2, 83, intentio praedominans 83-5°. Ad liceitatem sacramenti requiritur, in ministro : status gratiae 76—78, attentio 85-2; grave peccatum ministrantis : sine intentione requisita 84-1°, sub conditione occulta, extrinseca vel intrinseca sacramento 84-2-3, casus dubii, a peccato saltem gravi excusantes 84-A-C. Obligatio ministrandi, si minister habet curam animarum 86, si non habet 87. Obligatio denegandi sacramenta 88, 89, 90-2. Simulatio et dissimulatio sacramentorum 90. Eorum petitio a ministro indigno 79.

Minister inserviens Missae 389-E.

Minorennes. I.) Minorennes, qui a iure canonico, vocantur : *infantes,* vel *parvuli* 142-4. Eis conferuntur : valide et licite Baptismus 147, et Confirmatio 192; valide, non licite, Eucharistia 270, 275 et Ordo 737. Ecclesiae canones : circa baptizandos infantes : iudaeorum et infidelium 149, 150, haereticorum et schismaticorum 151, catholicorum 148, 152; circa infantes expositos 166, infantem in utero matris baptizandum 153, 154; circa impedimentum disparitatis cultûs, prout contrahitur ab infantibus in Ecclesia baptizatis 886.

II.) Minorennes, qui a iure canonico vocantur *impuberes,* tam pueri quam puellae 874-3°. Ab adepto rationis usu tenentur lege communionis paschalis 295. Quid eis liceat quoad S. Communionem et Viaticum 275, quoad confessiones 649, quoad Extremam Unctionem 704. Ecclesiae canones, quoad ipsos, circa poenas latae sententiae 681-B, circa impedimentum aetatis 874, disparitatis cultûs 886.

III.) Minorennes : qui a iure canonico censentur *puberes* 874-3; quantum ad impedimentum aetatis 874. Subiiciuntur poenis latae sententiae 681-B.

Missa. (Tractatus de Missae sacrificio. Divisio Tractatûs 309.)

I.) Ratio sacrificii in Missa, *v.* SACRIFICIUM. Missae nomen ac definitio 308. Missae : existentia 311, 312, materia, seu victima oblata 313, 314, essentia, i. e. consecratio 315, 316, cum, ad integritatem, communione specierum 317, 318. Missae sacrificium : est essentialiter repraesentativum cruentae immolationis Christi 321, repraesentat symbolice et mystice per separationem specierum 322, seu, sacramentaliter 322-3°, offertur hac ipsa incruenta seu symbolica immolatione 323; non est immolatio vere nova, nec fit nova hostia 324-1-, 2, est substantialiter unum, cum sacrificio Crucis, sacrificium, modaliter duplex, 324-3, idem est, quoad substantiam, cum sacrificio coenae, ab eo differt tamen accidentaliter 324-4.

II.) Missae: fines et effectus 341—343; effectus : a quonam dependent 345, quomodo obtinentur 346—348; fructus, *v.* APPLICATIO, valor 358—361; conveniens ordinatio 390-B.

III.) Sacrificii : minister principalis 326—329; minister secundarius 330—333; quonam sensu Ecclesia et fideles dicuntur offerentes 334; minister dispensationis Eucharistiae, *v.* COMMUNIO. Obligatio celebrandi : ex sacerdotio 363, 364, ex officio pastorali 365—369, ex beneficio simplici missarum fundatarum 370—372, ex obedientia et voto 382, 383, ex stipendio, *v.* STIPENDIUM. Requisita ad licite celebrandum 384 : ieiunium 281—285, mundities corporis 280, status gratiae 271—274, observantia caeremoniarum et rituum 385, 386, *v. etiam* CELEBRATIO MISSAE.

Errores circa Missae : institutionem 310, 312, ministrum 329, 330, 335.

Missionarii. Eorum facultas absolvendi a reservatis 598-A-3.

Mixta religio, impedimentum matrimonii 867. Conditiones obtinendae dispensationis 867, 868. — Mixtum matrimonium 867. Regulariter omittendae sunt : bannorum proclamationes 838-*in fine,* et omnes ritus sacri 852-C. Obligationes Ordinarii vel parochi 869, 871. Obligationes ipsorum contrahentium 868. Peccatum illicite contrahentium 869-b. Poenae in eos, si catholici, canonicae 870.

Mola, quoad baptismum 159-5.

Moniales, *v.* RELIGIOSAE.

Monitio poenitentis, officium confessarii 611. Monitio canonica ante censuram 681-3.

Monogamia 810—814, *v.* UNITAS MATRIMONII.

Monstrum, quoad baptismum 161—163.

Morbus qualis requiritur ad validitatem Extremae Unctionis 704-4; morbus contagiosus, an excuset ab obligatione administrandi sacramenta 86, 87, ab integritate materiali confessionis 525-C-1, ab obligatione reddendi debitum coniugale 961.

Morganaticum matrimonium 749-B-*in fine.*

Moribundi. Regulae agendi cum ipsis : in administratione sacramentorum 93-B, in specie : Baptismi 145, Eucharistiae 94-3-a, 277, Poenitentiae, quoad confessionem 525-B, quoad absolutionem 447-5°, 652, 655-3°, quoad absolutionem haeretici vel schismatici 653, Extremae Unctionis 705. Facultas dispensandi moribundos ab impe-

dimentis matrimonialibus, concessa : Ordinario 921, parocho et confessario 922, 923.

Mors. Mortis periculum, permittens : Baptismum adultis 145, Eucharistiam : puero 275, non confesso 272, non ieiuno 283. Mortis periculum, tollens omnem casuum et censurarum reservationem 585, permittens absolutionem complicis 635, excusans ab integritate materiali confessions 525-C, excusans a proclamatione bannorum 836-a, a forma canonica matrimonii 849-B. Mortis periculum : ut causa dispensationis in impedimentis matrimonialibus 921, 922, ut conditio Extremae Unctionis 704-4. Benedictio apostolica in articulo mortis 708.

Mortale peccatum. Eius remissio per poenitentiam 453—456 ; est materia remota et necessaria sacramenti Poenitentiae 433. Eius conditiones : ut cadat sub censura 681-C, sub reservatione 596.

Mortificationes. Ut sunt opera poenalia satisfactoria 556, 557-3.

Mortui. Sacramenta dicta « mortuorum » 38, 39. Apparenter mortui quoad absolutionem et extremam unctionem 654.

Mundities corporis, in S. Communione requisita 280.

Mutatio materiae et formae in sacramentis 19.

Mutilati. Modus eis administrandi Extremam Unctionem 693-4.

Motus, quoad confessionis modum 525-B-3°, quoad lucrandas indulgentias 674-D-b.

Naturales filii, *v.* Illegitimi.

Navigantes in mari. Quid eis liceat quoad celebrationem Missae 388-4, quoad confessiones audiendas 582-5.

Necessitas. Baptismus necessitatis 139, 141, necessitas medii, *v.* Medium.

Negotiatio vetita cum stipendiis missarum 380.

Neoconversi. Eorum baptismus sub conditione et confessio 168. Eorum baptismus sub conditione in ordine ad matrimonium 887. Canones Ecclesiae circa conversos ex haeresi aut schismate, quoad formam iuridicam matrimonii 850, quoad impedimentum disparitatis cultûs 886 ; conversi ex infidelitate : sunt simpliciter ab ordine impediti, donec sufficienter probati fuerint 745-6° ; quibus tenentur matrimonii impedimentis 861-2-b, quibus conditionibus uti possunt privilegio Paulino 819-2°.

Nomen baptizando eligendum 169-3.

Nonnati 153. Canones Ecclesiae circa eorum baptismum 154, circa operationem caesaream 155. Modus eos baptizandi 156.

Novitii. Canones Ecclesiae circa eorum confessarios 581-b, 588-B-C.

Nullitas : censurae 681-C ; matrimonii, ex vitio consensus 803-806, ex defectu formae iuridicae 844, ex impedimento dirimente 856 ; sacramenti ex defectu materiae et formae 20, ex defectu ministri 80-82, ex defectu subiecti 92-93. *v. singula sacramenta.*

Numerus peccatorum : quomodo in confessione declarandus 522 ; numerus approximativus quomodo diiudicandus 522-B.

Numismata. Modus ea ditandi indulgentiis 673-III-3-a, b. Numismata quae loco scapularis deferri possunt 679-5°.

Nuptiae. Tempus vetitum pro earum solemni celebratione 843-A-3. Earum solemnis benedictio, *v.* Benedictio.

Obex gratiae in sacramentis 56, 57. Eius remotio et sacramentorum reviviscentia 57-c. Obex non impedit impressionem characteris in Baptismo 130-C, in Confirmatione 184-B, in Ordine 724. An obex semper impediat validitatem sacramenti Poenitentiae 58-4°, 506.

Oblatio sacrificalis 303, 304. Oblatio Christi in Sacrificio Missae, *v.* Missa I.)

Obligatio voti, *v.* Votum.

Oblivio, excusans a confessione ante communionem vel celebrationem Missae 271, excusans ab integritate materiali confessionis 525-A. Oblivio inculpabilis peccati reservati, in confessione, non invalidat absolutionem 599-6.

Obreptio, quoad dispensationem super impedimentis matrimonialibus 924-C.

Obstetrices. Sunt instruendae de recto modo baptizandi 141-2. Modus examinandi baptismum ab ipsis collatum 141-3, 165.

Occasio, occasionarius, *v.* Poenitens.

Occultus peccator, quoad sacramenta concedenda vel deneganda 89. Potestas dispensandi ab irregularitatibus ex delicto occulto 742-3. Occultum matrimonium 749-B-3. Occulta matrimonii impedimenta 857-E. Dispensatio super impedimentis occultis, concessa ab Ordinario loci 921, a parocho vel confessario 922, 923.

Odium peccati in contritione 476.

Officium pastorale, imponens applicationem Missae pro grege 365—369.

Oleum. Eius usus in Baptismo 169, in Confirmatione 181, in Extrema Unctione 692, 695, in Ordine 717, 721-5.

Omissio alicuius partis in Missa celebranda 390, 391-A.

Onanismus inter coniuges 954, eius malitia : in se 955, in suis effectibus 957. Coniugis cooperatio, quando licita 955-2-5, illicita 955-3-5. Onanistae quoad absolutionem 955-1, 958.

Operatio caesarea 155.

Opus operatum, opus operantis, in sacramentis 30.

Oratio ut est opus poenale satisfactorium 556, 557-3-c.

Orationes liturgicae sub quanam obligatione dicendae : ante et post Missam 390, post distributionem S. Eucharistiae 392-C-2, post Viaticum 392-C-3, ante et post absolutionem sacramentalem 669, ante Extremam Unctionem 703 ; *v. etiam* Preces.

Oratoria, quoad : celebrationem Missae 388 ; distributionem SS. Eucharistiae 392-B ; collationem minorum ordinum 736-F.

Ordinandus. Requisitae in ordinando conditiones ad ordinationem : validam 737, licitam 738. Requisitae in eo qualitates ac dotes : vocatio divina 739-1, aetas canonica 739-2, scientia debita 739-3, mores congruentes 739-4, sustentationis titulus 739-5. Dispositiones iuris canonici quoad eorum : examen 740-A, publicationes 740-B, gradationem 740-C, interstitia 740-D, exercitia spiritualia 740-E, testimoniales vel dimissorias litteras 740-F, professionem fidei 741. Instructiones speciales recentissime datae, pro clericis 740-G-1, pro religiosis 740-G-II. Poenae canonicae in indebite accedentes 741-2-3. Preces ordinatis ab Episcopo impositae 741-4.

Ordinans, seu Episcopus proprius, ordinandi saecularis 735-A, ordinandi religiosi 735-A-b. Ordinans delegatus, praeviis dimissoriis litteris 735-B. Delegatio, ex commissione Pontificia, sacerdotis ad conferendos ordines presbyteratu inferiores 734. Delegatio, ex iure, sacerdotis ad conferendos ordines minores 734-1°. Canones Ecclesiae circa testimonia Episcopo proprio afferenda 740-F, circa litteras dimissorias 736-D, 735-B, circa dimissorias concedendas ab Ordinario religioso 735-A-b, 735-B-4, 740-F-II, circa ordinationis : tempus 736-E, locum 736-F.

Ordinarius loci, ordinarius 645. Eorum iurisdictio, *v.* Episcopus II,) III.)

Ordo inter ministros baptismi necessitatis 139.

Ordo, sacramentum. (Tractatus de Ordine. Divisio Tractatûs 712.) Ordinis : notio 710, definitio 711, existentia 714, a Christo institutio 716. Eius materia 717—719, 721. Eius forma 720, 721. Ordinis : signum, res, res et sacramentum 715-3°, eius effectus : gratia 723,

character 723-B, 732-2. Distinctio ordinum 725, 726; ordines maiores 728; tonsura non est ordo 730, singuli ordines sunt sacramenta 727-A, constituunt unum Ordinis sacramentum 727-B; potestas et actus singulorum ordinum 729, 732-4. Supereminentia episcopatûs 731, *v.* EPISCOPATUS. Ordinis : minister ordinarius : ad validitatem 733, ad liceitatem 735, 736, minister extraordinarius 734; *v.* ORDINANS. Ordinis subiectum, *v.* ORDINANDUS. Ordinis : initerabilitas 724-2; iteratio sub conditione 721, 722. — Errores circa Ordinis institutionem et essentiam 713.

Ordo sacer, impedimentum matrimonii dirimens 889—891.
Orientales, *v.* RITUS.
Ornatus : altaris 389-B, celebrantis 389-D.
Oscula impudica inter coniuges 949.
Ostentum. Eius baptismus 161—163.
Ostiariatus, ordo minor 729-7°.

Panis, materia Eucharistiae 216—219. Defectus circa materiam panis occurrentes 391-C.
Papa, *v.* PONTIFEX.
Paramenta sacra 389-D.
Parentes. Cui parentum incumbunt erga filios officia in casu divortii 969-4. Obligatio parentum quoad baptismum filiorum 148, 137-5, 139-c, 171-3; quoad eorum sponsalia 835-3.
Parochus, ac sacerdotes parocho a iure aequiparati 580, 845. Parochus « proprius » sponsorum 832, 839-C; parochus « proprius » matrimonium contrahentium 845—847.

I.) Parochi iurisdictio. *Includit* : facultatem : baptizandi solemniter 137, ad idem delegandi alium sacerdotem 137, vel diaconum 138; facultatem dispensandi, in sua paroecia, S. Eucharistiam 339, idemque committendi diacono 337; iurisdictionem Ordinariam, pro suo territorio, in foro sacramentali 580, facultatem absolvendi subditos, toto tempore paschali, a casibus quos Ordinarius sibi reservavit 598-A-3, etiam extra dioecesim 599-2; facultatem delegandi sacerdotem qui matrimonio assistat 848; facultatem dispensandi, in casu urgentis necessitatis, ab impedimentis matrimonialibus 922, 923-1—3; — *Non includit* : potestatem : ferendi censuras 681-A, subdelegandi iurisdictionem sacramentalem 583-E, statuendi impedimenta matrimonii stricte dicta 860, dispensandi a bannorum proclamationibus 841.

II.) *Parochi officia* : administrare sacramenta 86; curare ut parvuli quamprimum baptizentur 148; celebrare missam pro grege 366 ; suadere communionem frequentem 289; invigilare ne pueri indebite S. Eucharistiam suscipiant 275, 296-3; curare ut infirmi recipiant Viaticum 296-2, item, Extremam Unctionem 702; audire confessiones 601; facere publicationes ordinandorum 740-B; instituere examen sponsorum 836, 837, banna proclamare 838, 839, investigare impedimenta ac necessaria colligere documenta 842, 843; adnotare in libro speciali : collatum baptismum 172, collatam confirmationem 196, contractum matrimonium 854, 926-C.

III.) *Officia parocho de se reservata* : conferre baptismum solemnem 137; Eucharistiam ad infirmos publice deferre 339-2, item, Viaticum, sive publice sive privatim 339-4 ; admittere pueros ad primam communionem solemnem 296-4, exonerare fundationes missarum suae ecclesiae 372-2; administrare Extremam Unctionem 701, 702; assistere sponsalibus 832; assistere Matrimonio 845, 847; dare solemnem nuptiarum benedictionem 852-B. Benedictiones parocho reservatae 110-A-2.

Passio Christi, origo virtutis sacramentorum 50; repraesentatur in Sacrificio Missae 320—322.
Patrimonialia clericorum bona, ut sunt titulus sustentationis ordinati 739-5.
Patrinus : in baptismo, et muneris patrini effectus 171; in confirmatione, munerisque effectus 195. Munus patrini : quibus prohibetur 171-3-4, 195.
Peccatores publici, quinam sint 89; eis denegari debent : sacramenta 89, Viaticum 277, Extrema Unctio 705-5-6, forma matrimonii canonica 871, ecclesiastica sepultura, 682-5°, 979. Peccatores occulti quoad receptionem sacramentorum 89.
Peccatum ut materia confessionis 432-433, 521-522, ut distinctum in mortale et veniale, *v.* MORTALE, VENIALE.
Peccatum originale remittebatur, ante Christum, sacramento legis naturae, deinde circumcisione 54, 55, deletur in Lege Nova per baptismum 130, non tolluntur eius reliquiae 131, non est proprie poenitentiae obiectum 399-4, 478-4.
Peregrini, quomodo teneantur censuris ab Episcopo loci latis 679-B. A quonam possint : baptizari 137-2, absolvi sacramentaliter 582-5, absolvi a reservatis, in loco originis : peccatis 597-B, censuris 597-C-2. Quis sit parochus proprius pro eorum : sponsalibus 832, proclamationibus 839-C, matrimonio 847.
Periculum peccati distinctum ab occasione peccati 663, 664. Pericula animae vel corporis, causae legitimae imperfecti divortii 967. Pericula mortis, *v.* MORS. (*pariterque* : FAMA. SCANDALUM. SIGILLUM, etc.)
Petra sacra altaris 389-A. Eius exsecratio 387-A-*in fine*.
Pietas. Officia pietatis mutua inter coniuges 971—974.
Plenaria indulgentia 672, 674-B-IV, C. E, *v.* INDULGENTIA II.)
Pneumatici 574, 420-C.
Poena. Remissio poenarum : per Baptismum 130, per Sacrificium Missae 347-2, per Poenitentiam 461—465, 565, per indulgentias 671. Remissa culpa, non semper remittitur omnis poena 463. — Poena vindicativa et poena medicinalis *v.* CENSURA. Poenae medicinales in satisfactione sacramentali 553.
Poenalis lex. Opera poenalia in satisfactione sacramentali 555—557.
Poenitens, ut subiectum sacramenti Poenitentiae 647. Requisitae, in poenitente, conditiones ad sacramenti susceptionem : validam 648, et fructuosam 656; requisita : in pueris 649, in semiamentibus 650, un surdo-mutis 651, in moribundis 652, in moribundis haereticis et schismaticis 653, in apparenter mortuis 654.

II.) Poenitens : *consuetudinarius*, seu habituatus in peccato 657 ; requisitae conditiones contrahendi habitûs 657-1-3; consuetudinarii incontinentes et intemperati 657-4, consuetudinarius non recidivus 658; quoad absolutionem 659; — *recidivus* 658 : formalis et materialis 658, quoad absolutionem 659-B-C; officia confessarii circa ipsos 660—661; — *occasionarius*. Occasio peccati 663 : remota et proxima 664-A, absoluta et relativa 664-B, continua et interrupta 664-C, voluntaria et necessaria 664-D; obligatio removendi occasionem 665, 666; absolutio concedenda vel deneganda 667; media ad removendas occasiones 668.

Poenitentia. (Tractatus de)

I.) Poenitentia, ut est virtus. Divisio Tractatûs 394. Definitio poenitentiae secundum quod est vel actus, vel habitus 395. Est virtus specialis, una, connexa cum iustitia 396. Eius obiectum materiale, materiale primarium et formale 398, eius obiectum remotum, seu peccatum personale 399. Eius habitudo ad alias virtutes 401, ab eisque distinctio 402—404. Eius medium 403-1. Distinctio actuum poenitentiae ratione finis 400. Poenitentiae : actus eliciti, i.e. contri-

tio, confessio, satisfactio 405; actus imperati 406. Poenitentiae: subiectum: proximum, i. e. voluntas 408, remotum, i. e. omnis homo capax peccati 409, 410; necessitas: medii 411, 412, praecepti 413, 414; necessaria duratio 451-2.

II.) Poenitentia, ut est sacramentum. Divisio Tractatûs 418 Sacramenti: necessitas 416, definitio 417. Potestas, cuius est effectus i. e. potestas clavium 419; huius potestatis: a Christo collatio 421—424, extensio 423, exercitium sub forma iudicialis actûs 422-B-3°, 426, distinctio a potestate baptizandi 422-B-3°, usus in Ecclesia primitiva 424-C, 425.

III.) Sacramenti: existentia 427, 428, distinctio a baptismo 429. Eius: materia remota 432: necessaria 433, sufficiens 434; materia proxima: quae non est impositio manûs 437-3, nec sola sententia iudicialis 437-4, nec sola confessio 437-4-c, sed est poenitentis contritio, confessio et satisfactio 438. Eius forma, i. e. absolutio, *v.* ABSOLUTIO.

IV.) Sacramenti: a Christo institutio 448, necessitas, in re vel in voto 449, necessitas ad probationem statûs gratiae ante celebrationem Missae vel S. Communionem 272, 273, iterabilitas 450, 451. Eius effectus 452, ex opere operato 456-3°: deletio peccatorum mortalium 453—456, peccatorum venialium 460, remissio poenarum 461—465, reviviscentia virtutum 466, reviviscentia meritorum 467—470. Sacramenti signum tantum, res, res et sacramentum 430. Sacramentum validum simul et informe 506, 533.

V.) Sacramenti: partes integrales 471—473, *v.* CONTRITIO. CONFESSIO. SATISFACTIO; minister, *v.* CONFESSARIUS; subiectum, *v.* POENITENS; ritus poenitentialis 669, 670.

VI.) Errores circa Poenitentiae: ut est virtus: essentiam 407, necessitatem 411; ut est sacramentum: existentiam 420, 427, necessitatem 449, 464, efficaciam 420, 423, materiam proximam 437, necessitatem contritionis 475, 494, efficaciam attritionis 497, necessitatem confessionis 508, necessitatem satisfactionis 535, 538, efficaciam absolutionis 439, 444, 456-3, necessitatem: potestatis ordinis 571, potestatis iurisdictionis 576.

Poenitentiaria (Sacra). Eius officium circa dispensationes super impedimentis matrimonialibus 920-3; modus petendi dispensationem 925. Recursus ad S. Poenitentiariam post absolutionem, in casu urgentiori, a censuris latae sententiae 597-C.

Poenitentiarius (canonicus). Eius iurisdictio: in foro sacramentali 580-2, 583-E; circa reservata 598-2.

Pollutio graviter culpabilis impedit, post confessionem, S. Communionem sub veniali 280-3°.

Polyandria, *v.* POLYGAMIA.

Polygamia: successiva vel simultanea, polyandria vel polygynia 810. Polygamia simultanea repugnat iuri naturae 811, polyandria: eius praeceptis primariis 811-A, polygynia: eius praeceptis secundariis 811-B, item iuri divino 812. Polygamia successiva est licita et est verum sacramentum 813. Etiam infidelibus prohibita est polygamia simultanea 814.

Pontifex Romanus. Eius potestas regendi Ecclesiam 732-6. Eius iurisdictio in utroque foro 569. Eius potestas: regendi baptizatorum matrimonia 824, 826, statuendi impedimenta matrimonialia 859, 860, in ipsis dispensandi, 919, 920, dispensandi in matrimonio rato tantum 818-B. Summo Pontifici: reservatus casus 594, reservatae censurae 594: excommunicationes 682-B-a-c, suspensiones 683-B, interdictum 684-B-1; reservata consecratio episcopalis 736-A, ordinatio 736-B, reservatae benedictiones 110.

Potestas: Potestas ordinis 723-B, 569. Potestas iurisdictionis 569. Potestas clavium 419-422-A, 570. In confessario: potestas ordinis 571-572, potestas iurisdictionis 576-578.

Potus, quoad ieiunium eucharisticum 282.

Praeceptum quoad sacramenta 102, baptismi 133, 143, communionis 293-295, confitendi peccata ante communionem 271-272, confitendi quamprimum pro celebrantibus absque praevia confessione 273, servandi ieiunium naturale ante communionem 281-284, poenitentiae 413-416, confessionis 511-515, matrimonii 577-760, servandi in celebratione matrimonii formam iuridicam 845 sq., et liturgicam 852, celebrandi Missam 363 sq. *v.* MISSA III.) Utrum sit praeceptum confirmationis 191, extremae unctionis 706.

Praedominans intentio: in ministro sacramentorum 83-5, in applicatione fructûs specialis Sacrificii Missae 353-1.

Praefectus apostolicus. *v* VICARIUS APOSTOLICUS.

Praelatus religiosus, *v.* SUPERIOR RELIGIOSUS. — Praelatus nullius, *v.* EPISCOPUS II.) III.)

Praesentia realis Christi in Eucharistia 234—240, *v.* EUCHARISTIA III.) Praesentia materiae requisita ad consecrationem 212. Praesentia poenitentis, ad validam absolutionem 446, 447.

Praesumpta intentio suscipiendi sacramenta 93-3. Praesumpta concessio iurisdictionis sacramentalis 582-3. Praesumptum matrimonium 749-C.

Preces. Obligatio dicendi: preces pro lucrandis indulgentiis 674-B-IV, pro indulgentiis plenariis 674-C-2, pro indulgentia iubilaei 680-A; *v. etiam*: ORATIONES.

Presbyter, *v.* SACERDOS.

Presbyteratus ordo 729-1°. Eius materia 717—719. Eius forma 720. Eius effectus: gratia 723-A, character 723-B. Requisita aetas 739-2, scientia 739-3. Iteratio, in dubio, ordinationis 721, 722.

Privilegium. Altare privilegiatum 676. Privilegium statûs ad electionem confessarii 583-A-2. Privilegium Paulinum 820, 821.

Proclamationes: ordinandorum 740-B; nuptiales, *v.* BANNA.

Procurator: in baptismo 171-3; in sponsalibus 832-3, in matrimonio 800-A-1-3; B-2.

Professio fidei, ab ordinandis emittenda 741-1.

Proles, *v.* FILII.

Promissio futuri matrimonii, *v.* SPONSALIA. Promissio matrimonii in impedimento criminis 898.

Propositum, conditio contritionis 476, 486—488.

Pubertas, quoad impedimentum aetatis 873, quoad censuras 681-B.

Publicum: peccatum 98-B; matrimonium 749-B.

Puer, puella, *v.* MINORENNES II.)

Putativum matrimonium 749-C.

Pyxis 393-1.

Quadragesimae tempus, quoad celebrationem matrimonii 853.

Quaestus illicitus ex missarum stipendiis 380.

Quasi-domicilium, *v.* DOMICILIUM.

Quasi-parochi 845.

Raptus, impedimentum matrimonii 894—896.

Ratum matrimonium 749-A. Dissolubilitas matrimonii rati tantum 818-B.

Rebaptizatio, sub conditione 164—168.

Recidivus 658, *v.* POENITENS.

Recursus. Onus recurrendi ad superiorem post absolutionem a censura 597-C.

Reductio missarum fundatarum 372-3.
Regulares, *v.* RELIGIOSI IV.)
Reincidentia. Absolutio ad reincidentiam 597-C.
Religiosae. Canones iuris circa earum confessiones 589, 590; circa Extremam-Unctionem 701-3, et Viaticum 339-4.
Religiosi. I.) Religiosi *omnes.* Ipsis vetitum munus patrini in Baptismo et Confirmatione 171-4, 195-*in fine.* Eorum facultates : quoad missas mediae noctis Nativitatis Domini 387-5, quoad expositionem SS. Sacramenti 393-3; quoad electionem confessarii 588. Eorum exemptio a iure parochi quoad Extremam Unctionem 701-3.
II.) Religiosi *clerici, non exempti.* Eorum, quoad ordinationem : Episcopus proprius 735-A-b, litterae testimoniales 740-F, titulus ordinationis 739-B-2, publicationes 740-B. Eorum iurisdictio sacramentalis 581-a, 582-1.
III.) Religiosi *clerici exempti.* Eorum, quoad ordinationem : Episcopus proprius 735-A-b, litterae dimissoriae 735-A-b, 735-B-4, 740-F-II, titulus ordinationis 739-5-B-2, publicationes 740-B. Accipiunt iurisdictionem et approbationem ad audiendas confessiones ab Ordinario loci 581-a, 582-1, 583-D, et simul a proprio superiore pro huius subditis 581-b; possunt absolvere a reservatis in sua religione 588-A-1; tenentur observare taxam dioecesanam pro missarum stipendiis 375-3.
IV.) Religiosi *regulares : praeter dicta I) et III)* possunt dispensare ab irregularitatibus ex delicto occulto 742-3-a; dare benedictionem papalem cum indulgentia plenaria 673-a. — Regulares mendicantes possunt dispensare in votis non reservatis 865-*in fine*; item absolvere a casibus Ordinario a iure reservatis 598-B-2. V. *etiam* SUPERIOR RELIGIOSUS.
Reliquiae peccati, earumque sanatio : per poenitentiam 465-2, per Extremam Unctionem 697. — Reliquiae sanctorum ponendae in sepulchro altaris 389-A.
Remeda peccatorum, a confessario imponenda 553.
Remissio peccatorum per Baptismum 130. — Remissio, per Poenitentiam : peccatorum mortalium 453—456, peccatorum venialium 457—460. — Remissio peccatorum : per contritionem perfectam 494—496, 503, 505, per attritionem cum sacramento Poenitentiae 499, per Extremam Unctionem 697, 698, per Eucharistiam 263, per Missae sacrificium 347, 348. Ecclesiae potestas remittendi peccata 420—426. Remissio peccatorum in Veteri Lege 416-1-3. — Remissio poenarum, *v.* POENA.
Renovatio consensûs, in convalidatione matrimonii 930-B, 931.
Reordinatio, sub conditione 721, 722.
Reparatio damni ob iniustam rescissionem sponsalium 835-4.
Repudium. Libellus repudii apud Hebraeos 817-3.
Res : Res sacrae. Earum ad Dei cultum deputatio 108—110. — Res symbolica in signo sacramentali 10, 11. Res quae sunt materia sacramentorum 12, 13. Res sacramenti 46. Res et sacramentum 46, 47-3.
Rescissio sponsalium 834.
Rescriptum dispensationis in causis matrimonialibus : eius usus 926-A, eius asservatio 926-C.
Reservatio casuum : I) quid sit 592. Potestas reservandi casus cuinam competat 592. Reservatio duplex : peccatorum et censurarum 593. Reservationis : finis 593, effectus : reservatio afficit confessarium, censura poenitentem 593-a. Casus S. Pontifici reservati 594. Potestas Ordinariorum circa reservationem : peccatorum 592, 595, censurarum 595-B, 599-1. — Qualitates peccati : ut sit reservatum 596, ut possit reservari 596-5-a, b, ut annexa censura incurratur 596-5°, ut annexa censura sit reservata 596-5-c, effectus, quoad reservationem, ignorantiae 593-b. — Cessatio omnis reservationis in mortis periculo 597-A, 586, extra mortis periculum : quoad peccata 597-B, quoad censuras 597-C.
II.) Facultates absolvendi : a reservatis censuris 681-D; a censuris Ordinario a Iure reservatis 598-B, a casibus quos Ordinarius sibi reservaverit 598-A; *v. etiam* IURISDICTIO III.) Absolutionis conditiones 681-D. Absolutio directa vel indirecta 599-5. Absolutio : data a confessario qui reservationem ignorat 597-C-3; data poenitenti qui declarationem peccati reservati in confessione omisit 599-6; danda cum onere recurrendi ad superiorem, sub poena reincidentiae 597-C; valor absolutionis datae : in foro externo, pro foro interno; in foro interno, pro foro externo 681-D-*nota* 1. Absolutio a censuris praemittenda absolutioni a peccatis 669-4. Obligationes confessarii erga reum 599-3, 4. Poenae canonicae in confessarios indebite absolventes 599-5.
Reticentia peccatorum in confessione 529—531. Confessarii modus agendi erga poenitentem de reticentia suspectum 610-2.
Retrotractio : effectus sanationis matrimonii in radice 933.
Revalidatio, *v.* CONVALIDATIO.
Revelatio complicis, in confessione 526. Revelatio impedimentorum : ordinationis 740-B, matrimonii 840.
Reviviscentia meritorum et virtutum per sacramentum Poenitentiae 466—470, reviviscentia sacramentorum 57-c, 58.
Revocatio iurisdictionis sacramentalis 582-4.
Ritus. Catholicis, ritûs orientalis, licet, devotionis causa, suscipere S. Communionem ritu latino 219, non tamen Viaticum nisi urgente necessitate, *ibid.* Canones Ecclesiae circa eorum promotionem, ritu latino, ad sacros ordines 732-3, 736-C. Tenentur ad formam canonicam matrimonii dum contrahunt cum catholicis ritus latini, non tenentur dum contrahunt inter se 850; idem valet quoad eorum sponsalia 832. Ritus sacramentales, *v.* CAEREMONIAE.
Rosarium B. Mariae V. 678.
Rubricae, *v.* CAEREMONIAE.

Sacerdos. Eius dignitas 724. Est minister secundarius sacramentorum 74; est minister extraordinarius : Confirmationis 187—189; Ordinationis, ex delegatione, ad aliquos minores ordines conferendos 734. Eius, ex sacerdotio, celebrandi obligatio 363. Sacerdos *assistens* in missa 389 E-*in fine*, in missa quae celebratur in navi 388-4.
Sacramentalia 107—110.
Sacramentum. (Tractatus de Sacramentis in genere. Divisio Tractatûs 4.)
I.) Sacramenti : nomen ac notio 3, definitio 5, 6. Sacramenta : sunt in genere *signi* 5-A, 7; sunt signa conventionalia symbolica 9, 10, quae constant *rebus* et simul *verbis* 11, i. e. materiâ et formâ 12. Materia : est res exterior huiusque usus 13-3, distinguitur : remota et proxima 13-4; forma sunt verba 12, quae sunt consecratoria 32. Ad validitatem Sacramenti requiritur unio materiae et formae 14, ab eodem facienda ministro 15. Materiae et formae : determinatio facta a Deo 16, mediante Christo 17, 18. Utriusque vitanda mutatio 19, essentialis vel accidentalis 20, habens sacrilegii malitiam 22. Utriusque usus in dubio de earum validitate 23.
II.) Sacramentorum : necessitas 25—28, effectus 29 : principalis, *v.* GRATIA, secundarius, *v.* CHARACTER. In omni sacramento distinguuntur tria : sacramentum, seu signum tantum, res, res et sacramentum 46, 47-3.
III.) Sacramentorum causalitas, ex opere operato 30—33; causalitas an sit : accidentalis 42-A, moralis 42-B, 43, instrumentalis 44,

instrumentalis dispositiva 45, 46, instrumentalis perfectiva et physica 48, an sit virtus intentionalis vel realis 49; causalitatis : origo 50—52; conditio, i. e. absentia fictionis et obicis 56, 57; tempus 57; reviviscentia 57-c, 58.
IV.) Sacramentorum : causa instituens : Deus 68, Christus 69—72; causa ministrans, *v.* MINISTER ; causa suscipiens, i. e. subiectum 91; requisita, ad validitatem, subiecti : capacitas 91, intentio, saltem habitualis implicita 93—95, non sufficit intentio mere interpretativa 93-A-3, nec sola intentio salutis 93-B; requisitae, ad liceitatem, subiecti dispositiones 96, 97.
V.) Sacramentorum : numerus 98, ordo 100—103, caeremoniae 104—106. Errores circa sacramentorum efficaciam 31—33.
VI.) Sacramenta Veteris Legis quae fuerint 5-B-3-*nota*, 5-B-1-*nota*. Eorum : imperfectio 7-2; differentia a sacramentis N. L. : ratione finis 5-3, 28-2, ratione significationis 6, 11-c; modus praefigurandi sacramenta N. L. 28-3, 507; causalitas 53—55.
Sacrificium. Eius nomen ac notio 302. Sacrificii stricte dicti definitio 303. Sacrificii essentia : externa oblatio, Deo facta, rei sensibilis, significans internam animae Deo oblationem 303, 304-1 ; sacrificii formale constitutivum in ratione actûs religiosi et in ratione externi sacrificii 304-3; sacrificii formale constitutivum ut est immutatio vel destructio rei oblatae 303-3, 304-7; destructio rei oblatae : qualis constituat sacrificium 303-3, destructio fit sacrificalis per significationem 304-4, huius significationis positiva institutio 304-5. — Sacrificii diversae species 305. Sacrificia Veteris Legis 305. Duplex Novae Legis sacrificium : Sacrificium cruentum in cruce 306; Sacrificium incruentum in Eucharistia, eius perpetuitas, eius fructus 307, *v.* MISSA.
Sacrilegium in indigna sacramentorum : ministratione 76—78, 84, susceptione 97. Communio sacrilega 274, per eam non satisfit praecepto paschali 295-6-b, nec praecepto Viatici 294-3. Confessio sacrilega : quid valeat quoad absolutionem a censuris 599-6; per eam non satisfit praecepto confessionis annuae 513-3.
Sanatio in radice 933—935, *v.* CONVALIDATIO.
Sancti. Missa in eorum honorem 344.
Sanctificatio hominis, per sacramenta 5-3.
Sanctitas requiritur in sacerdote 723-1. Non requiritur ad validitatem sacramenti in huius ministro 75.
Sanguis. Baptismus sanguinis 134, 135.
Satisfactio, actus poenitentiae 405. Satisfactio, pars sacramenti Poenitentiae 534. Satisfactio : in proposito, in re 534; sacramentalis, extrasacramentalis 534; de congruo, de condigno 537. Est actus virtutis poenitentiae, iustitiae annexae 536. Eius necessitas : in se 535, in ordine ad sacramenti validitatem et integritatem 539. Gravis obligatio confessarii iniungendi, regulariter ante absolutionem, sacramentalem satisfactionem 540—542. — Conditiones satisfactionis extrasacramentalis 543 : in operibus satisfactoriis 544, in satisfaciente : pro se 545, pro aliis 546, 548-1—3, pro defunctis 547, 548-4—6.— Sacramentalis satisfactionis debita quantitas et qualitas 549 : ratione peccatorum 550-1, ratione poenae adhuc solvendae 550-2, ratione facultatis poenitentium 550-3, ratione operis imponendi 552, 555—557, ratione medelae praestandae 553; causae minuendi satisfactionem 551, 554. — Satisfactionis : acceptatio et impletio 558, 559; implendae : modus 560, 563, 566; implendae, causae excusantes 561; effectus 564—567. — Satisfactio iniungenda reo absoluto a censura 599-4, 597-C-1-g.
Satisfactiones Christi, applicatae per sacramenta 50, per indulgentias 671.

Scandalum. Periculum scandali : excusans a ieiunio eucharistico 283-3, ab integritate materiali confessionis 525-C-4.
Scapularia, eisque annexae indulgentiae 679.
Schedula confessionis, danda vel deneganda 630-4.
Schismatici. Eorum conditionis effectus canonici, *v.* HAERETICI.
Scientia requisita in confessario 604, in ordinandis 739-3. — Usus scientiae, seu notitiae, in confessione acquisitae 628.
Secretum confessionis, *v.* SIGILLUM. Secretum : servandum in matrimonio conscientiae 749-B-3; excusans ab obligatione revelandi matrimonii impedimenta 840-4.
Sectio caesarea 155.
Semiamentes, semifatui : quoad S. Communionem 275-3, quoad absolutionem 650.
Senes : quoad : Extremam Unctionem 704, matrimonium 878-4.
Sensibus destituti : quoad receptionem Sacramentorum, *v.* MORIBUNDI.
Separatio, *v.* DIVORTIUM.
Sepultura ecclesiastica : prohibetur excommunicato 682-A-5°; fieri prohibetur in coemeterio interdicto 684-A-3; pro defuncto, cui denegata fuerit, non licet publice applicare missam 356.
Servitus ut impedit matrimonium 804 *in fine*.
Sigillum sacramentale 621. Ex quibus oritur iuribus 621. Eius obligatio : ex religione, ex iustitia 622, ex omni et sola sacramentali confessione 623. Quinam ad sigillum teneantur 624, quaenam sub sigillo cadant 625. Sacrilegium in violatione sigilli 622, violatio sigilli : directa, indirecta 626 : per verba 627-A, per facta 627-B. Poenae canonicae in violantes sigillum 630. Periculum violandi sigillum : tollit, in aliquo determinato casu, reservationem peccati 597-B-2°; excusat ab integritate materiali confessionis 525-C-3 ; permittit dispensationem ab impedimento matrimonii occulto 922-A-2-d ; excusat ab obligatione revelandi matrimonii impedimenta 840-5.
Signum. Signa, in poenitente, indispositionis 615, dispositionis sufficientis 617-A, dispositionis dubiae 617-B. — Signa vocationis ad statum clericalem 739. Signum, in sacramentis 9—11.
Simulatio, in sacramentis, *v.* FICTIO.
Sinceritas, seu fidelitas, confessionis 529—531. Munus confessarii in dubio de sinceritate poenitentis 610-2.
Sodomia inter coniuges 956.
Solemnia vota, impedimentum matrimonii 892.
Solemnitates nuptiarum prohibitae tempore clauso 853.
Sollicitatio ad turpia 640. Requisita : ex parte ipsius sollicitationis 640, ex parte eius connexionis cum sacramento 641. Obligatio denuntiandi 642; denuntiandi qui sunt 642-A, denuntiare qui debent 642-B; obligatio confessarii monendi personam sollicitatam de obligatione denuntiandi 642-C; obligatio in casu dubiae sollicitationis 644. Poenae canonicae in sollicitantes 643-A, 646, in sollicitatos denuntiare negligentes 643-B, in falso denuntiantes apud iudices ecclesiasticos 643-C-a, apud superiores 643-C-b. Modus faciendi denuntiationem 645.
Species infima peccatorum est in confessione declaranda 522. — Species eucharisticae, *v.* EUCHARISTIA III.) In sacrificio Missae, species non sunt pars rei oblatae 313, sicut nec offertur panis aut vinum 314. Communio sub utraque specie non est omnibus fidelibus necessaria 297, et Ecclesia melius iudicavit ut non sumatur sub utraque specie 298. Communio sub una specie non confert minorem gratiam 299, 297. Communio sub specie vini, certis in casibus, permittitur laicis 300.
Spiritus Sanctus. Peccata in Spiritum Sanctum quo sensu dicuntur irremissibilia 423.

Sponsalia. Eorum nomen ac definitio 830, 831. Eorum canonica forma 832. Eorum effectus 833, 835-1, 4. Legitimae causae dissolvendi sponsalia 834. Sponsalia inita : sub conditione, cum appositione poenae conventionalis, sub arrhis 835-2; insciis aut invitis parentibus 835-4. Sponsalium proclamatio, *v.* BANNA.
Sponsi 830. Eorum obligationes 833, 835-4. Eorum iura ad solvenda sponsalia 834. Examen sponsorum a parocho peragendum 837. Cautiones a sponsis praestandae in casu : mixtae religionis 867-*in fine,* disparitatis cultûs 888, quid agendum, quoad utrumque impedimentum, in casu baptismi dubii 887. Cessatio, pro sponsis, reservationis peccatorum 597-B-1, censurarum 597-C. Dispensatio, quae ipsis concedi potest, in casu urgentis necessitatis, super impedimentis matrimonialibus 921, 922, 901-1°. Missa pro sponso et sponsa 852-B-*in fine.*
Status clericalis 715-1; suscipitur per primam tonsuram 730.
Status seu potestas civilis quoad matrimonium : non potest regere matrimonia fidelium 824-2, 827, nisi quoad effectus civiles 824-3, 859; regere potest matrimonia infidelium 825, et forsan matrimonium inter fidelem et infidelem 826. Non potest absolute et in perpetuum prohibere a matrimonio vel imponere sterilizationem 755-6. Status : quoad matrimonium civile 975, 976, quoad civile divortium 977, quoad civilem separationem a toro et habitatione 978.
Status gratiae : non requiritur ad valide conficienda et ministranda sacramenta 75, sed requiritur ad eorum licitam confectionem et ministrationem 76—79, itam ad licitam susceptionem sacramentorum vivorum 96, in specie : SS. Eucharistiae 271—274, 333, sacrae ordinationis 738-1°; requiritur ad lucrandas indulgentias 674-A.
Status liber. Comparanda moralis certitudo de libero statu : ordinandorum 740-B, sponsorum 836, 837, 842, 843, 847-1.
Sterilitas 876-1, 877-B.
Sterilizatio 755-6.
Stipendium Missae 373; eius liceitas et origo 373; eius titulus, i. e. sustentatio sacerdotis 375; eius taxatio, per decretum Ordinarii loci, vel loci consuetudinem 375, 1-2, 376; obligatio iustitiae ex stipendio orta 377; obligatio implenda : quoad personam, numerum, tempus, locum, qualitatem aliasque circumstantias 378, 379. Canones Ecclesiae circa stipendiorum inscriptionem 381. Prohibita negotiatio ex missarum stipendiis 380. — An liceat sacerdoti : accipere stipendia : pro secunda et tertia missa in die Nativitatis, in die Animarum, pro secunda missa in binatione 374-2, pro fructu specialissimo 350-3; an liceat neosacerdoti accipere stipendia pro missis ab Episcopo consecrante impositis 741-4-d. An liceat accipere : stipendium pro missa antea applicata 379-A-1, pro missa alio titulo iam debita 379-A-2, unum stipendium pro sola celebratione, aliud pro applicatione eiusdem missae 379-A-4; duplex stipendium pro eadem missa 379-A-3 ; accipere, etiamsi sit religiosus exemptus, stipendium supra vel infra taxam dioecesanam 375-3, 376. — Ad quid teneatur sacerdos qui unam missam, ex stipendio debitam, celebrare omiserit 377; qui stipendium sine culpa perdiderit 379-C : qui missas gregorianas interruperit 378-4-g. — Qualis dilatio missarum celebrandarum permittatur 378-3, 379-E, F. — Quid praescriptum quoad stipendia Episcopo dioecesano transmittenda 381-2, 3, vel alio sacerdoti tribuenda 378-1; an liceat talium stipendiorum partem retinere 380-2.
Subdelegatio sacerdotis : ad assistendum matrimonio 848, nequit fieri ad assistendum sponsalibus 832; nec fieri potest subdelegatio iurisdictionis sacramentalis 579-3.
Subdiaconatus 729-3, est ordo sacer et probabiliter sacramentum 727—728. Requisita : aetas 739-2, scientia 739-3. Potest conferri a sacerdote delegato 734. Subdiaconus ministrans in statu peccati mortalis non probatur peccare mortaliter 77-5.

Subditus. Modi quibus poenitentes possunt fieri subditi eorum qui ordinariam habent iurisdictionem 583. Subditus, quantum ad baptismum 137, quantum ad Viaticum 345-2°-4, quantum ad extremam unctionem 701, quantum ad ordinem 735, quantum ad matrimonii celebrationem 847.
Subreptio, in petitione dispensationis super impedimentis matrimonialibus 924-C.
Suffragium. Defunctis indulgentiarum applicatio per modum suffragii 671. Privatio suffragiorum, effectus excommunicationis 682-A-4.
Superior religiosus. I. Superiores quibus *competit* facultas : concedendi licentiam celebrandi extra ecclesiam vel oratorium 388-2, designandi unum altare privilegiatum 673-1-b, imponendi sacerdoti subdito missae celebrationem 382-2; iurisdictio ministrandi : Eucharistiam 339-1, Viaticum 339-4, Extremam Unctionem 701-3; iurisdictio ad audiendas subditorum confessiones 580-2, 588; potestas concedendi subditis sacramentalem iurisdictionem 581-b, 582; potestas absolvendi subditos a censuris Ordinario a iure reservatis 598-B; potestas reservandi peccata 592, 595-A-2, 3, potestas ferendi censuras 681-A, 595-B; facultas dispensandi ab irregularitate ex delicto occulto 742-3.
II. Superiores quibus *incumbit* : obligatio celebrandi missam pro grege 365, 366; officium vigilandi super onera missarum 381; officium deputandi confessarios pro suis subditis 588, 581-b-2, officium concedendi litteras dimissorias 735-A-b, 735-B-4, vel testimoniales 740-F-1, 11.
Superiorissae tenentur suis subditis permittere liberam confessarii electionem 589-B, C.
Suppletio, per Ecclesiam, iurisdictionis sacramentalis 584—586.
Surdo-mutus, quoad S. Communionem 275-5, quoad confessionem 519, 525-B, C, quoad absolutionem 651, quoad indulgentias lucrandas 674-D-b.
Surdus : quoad confessionem 525-C; quoad munus testis in matrimonii celebratione 845-2, 3.
Suspensio : iurisdictionis sacramentalis 582-4, gratiarum ac facultatum, tempore iubilaei 680-C. Suspensio, censura 683; suspensiones hodie vigentes 683.
Sustentatio sacerdotis, titulus stipendii 375. Titulus sustentationis, ordinando necessarius 739-5.

Tabernaculum 393-2.
Tactus physicus : baptizandi 124-2-b, 171-3; instrumentorum in Ordinatione 719-2, 721-2. — Tactus impudici inter coniuges 949—953.
Taxa, in dispensatione super impedimento matrimoniali 925-6.
Taxatio stipendiorum missarum 375, 376.
Telegraphus, telephonium : valide adhibentur ad notificandam concessam iurisdictionem 582, ad praestandum consensum matrimonialem 800, invalide in absolutione sacramentali 447-6.
Tempus : pro collatione baptismi 170, pro collatione confirmationis 194, pro dispensatione S. Communionis 392-A, pro impletione praecepti paschalis 295-5, pro celebratione Missae 387, pro celebratione missarum ex stipendio debitarum 378-3, pro collatione sacrorum ordinum 736-E, pro proclamatione bannorum 839-A. Tempus quo prohibetur solemnis nuptiarum benedictio 852-B, 853. Tempus vetitum : impedimentum matrimonii hodie sublatum 853.

Testimoniales litterae ordinandorum, 735-B, quaenam in eis sint exprimenda 740-F, a quibus afferri debeant 740-B-3-b, 740-F.
Testimonium, seu schedula, confessionis 630-4. Testimonia ab ordinandis Episcopo afferenda 740-F. — Testimonia a sponsis parocho afferenda 837-II-3-b.
Testis. Testes in baptismo necessitatis 141-1, in sponsalibus 832, in celebratione : matrimonii 845, 849, matrimonii civilis 975-C.
Timor. Timor Dei, eius distinctio a virtute poenitentiae 403-3. — Timor gehennae et poenarum in attritione 497- 498, 501.
Tituli : competentiae Episcopi ad conferendos ordines 735; sustentationis, pro ordinandis 739-5.
Toleratus (excommunicatus), 682.
Tonsura, praeambulum ad sacros ordines 730. Requisita : aetas 739-2, scientia 739-3.
Traditio instrumentorum, materia proxima sacrae ordinationis 717—719.
Transsubstantiatio 241—245.
Trinitas (Sanctissima) : est: necessario exprimenda in forma Baptismi 127-5; credenda a baptizandis adultis, et a poenitentibus 144.

Unctio : in Baptismo 169, in Confirmatione 181, 182, in Ordinatione 717, 721-5. *v.* EXTREMA UNCTIO.
Unio cum Christo in S. Communione 261, 266. Unio materiae et formae in sacramentis 14, 15.
Unitas, proprietas matrimonii 809. Ei opposita polygamia 810. Polygamia simultanea repugnat iuri naturae 811, cuius praeceptis primariis repugnat polyandria 811-A, secundariis, polygynia 811-B. Liceitas, in lege mosaica, polygyniae 812-3; obligatio, in lege evangelica, monogamiae 812, 814. Liceitas polygamiae successivae 813.
Usurpatio ordinis sacri inducit irregularitatem 724-7. Usurpatio bonorum ecclesiasticorum punitur excommunicatione 682-B-b-10.
Usus notitiae in confessione acquisitae 628.
Uxor. Eius officia pietatis : erga maritum 872. Eius debita vel iura in casu voti castitatis 943. Eius cooperatio : ad onanismum viri 955, ad alios matrimonii abusus 954, 956. Uxori liciti vel illiciti ad opus coniugii praeparatorii vel id comitantes actus 952.

Vagi 843-3. Vagi : quoad baptismum 137-1; absolutionem a peccatis 582-5, 583-A-3, absolutionem a reservatis 599, lucrandas indulgentias 674-A, proclamationes bannorum 839-C-1, celebrationem matrimonii 843-3, 847.
Valor sacrificii Missae 358—361.
Vasa sacra et accessoria, in Missa, eorum usus, eorum consecratio vel benedictio, eorum exsecratio 389-C.
Veniale peccatum, materia sacramenti Poenitentiae libera sed sufficiens 434. Eius remissio : per fervorem charitatis 457, 459, 460-2, 4; per poenitentiam 399-2, 457, 1-4, sine nova infusione gratiae habitualis 458; per sacramentum Poenitentiae 460, 435; per Eucharistiam 263, per Extremam Unctionem 698. Remissio unius venialis sine altero 460-3. Requisita : attritio 457, 460, 484-3, et propositum 488-4. Sola peccata venialia non imponunt obligationem confessionis paschalis 513-2. Venialia quomodo impediunt fructum S. Communionis 265.
Veracitas, *v.* VERITAS.
Veritas, veracitas : ut est qualitas confessionis 529.
Vestes sacrae, in Missa, earum usus, benedictio, exsecratio 389-D, vestes sacrae in dispensando : S. Communionem 392-C, S. Communionem vel Viaticum infirmis 392-C-3.

Vetitum Ecclesiae, ut impedit matrimonium 864, 860.
Via crucis 677.
Viaticum. Eius ex praecepto divino obligatio 294; praecepto non satisfit per sacrilegam communionem 294-3; praeceptum non obligat infirmum qui eadem die Communionem suscepit 294-1°. Requisita in suscipiente : intentio 270, instructio ac discretio 275; non requiritur ieiunium 283; quoties iterari potest 296; quibus denegari debet 277. Eius minister ordinarius 339-1°, 2°—4, obligatio ministrandi etiam cum vitae periculo 86. An possint, in casu necessitatis, sacerdos et diaconus sibi ministrare Viaticum 338-1°, an idem liceat clericis aliis, vel laicis 338-2. An possit sacerdos, ad praebendum Viaticum, celebrare non ieiunus 284-3, consecrare unam materiam 214. — Modus deferendi ac ritus ministrandi Viaticum 392-C-3; illicite ministratur sub specie vini 300, vel, extra urgentem necessitatem, ritu diverso a proprio moribundi ritu 219; defectus praecavendi 392-D-4.
Vicarius Apostolicus : quoad iurisdictionem in utroque foro, *v.* EPISCOPUS II,) III.)
Vicarius Capitularis : quoad iurisdictionem ordinariam in utroque foro, v. EPISCOPUS II,) III); excipitur reservatio casuum 692.
Vicarius Generalis habet iurisdictionem ordinariam in foro interno 580; non habet potestatem ordinariam ferendi censuras 681-A, nec reservandi sibi casus 592. Potest, ex speciali tamen Episcopi mandato, concedere litteras dimissorias pro saecularibus 735-B-2.
Vicarius foraneus, seu Decanus, potest aliquando permittere binationem 387-C; ipsi habitualiter impertiatur facultas absolvendi a peccatis ab Ordinario reservatis, addita facultate, certis contenta limitibus, subdelegandi confessarios 598-2; potest aliquando dispensare a proclamatione bannorum 841.
Vicarii paroeciales, ut sunt testes qualificati in celebratione matrimonii 845, sponsalium 832.
Vinculum matrimoniale 776. Eius proprietates : firmitas et indissolubilitas 815. — Vinculum, seu ligamen, impedimentum matrimonii 881.
Vinum, materia remota Eucharistiae 211. Eius requisitae qualitates : ad validitatem sacramenti 220, 221, ad liceitatem 222. Gravis obligatio admiscendi vino consecrando modicissimam aquae quantitatem 222-4°, 223. Guttulae vini calici inhaerentes an sint consecratae 215-3. Defectus in Missa occurrentes circa materiam vini 391-C.
Violatio sigilli sacramentalis 626, 627.
Vir, *v.* MARITUS.
Virginitas. Votum virginitatis : est causa iusta solvendi sponsalia 834-3; est impedimentum matrimonii prohibens 865.
Vis, vitians consensum matrimonialem 806, 807, non est impedimentum matrimonii stricte dictum 856-*in fine*.
Visitatio ecclesiae, ad lucrandas indulgentias 674-C-3.
Vitandus (excommunicatus), 682. Excommunicationis effectus quoad vitandos 682-A. Applicatio missae pro vitando 356, 357.
Vivorum sacramenta 38, 39.
Vocatio divina, in ordinando requisita 739-1.
Votum. Discrimen inter votum simplex et votum solemne 892. Votum castitatis vel virginitatis quoad sponsalia iam contracta 834-3. Votum castitatis a coniugibus emissum 943. — Votum ut est matrimonii impedimentum : prohibens 865, dirimens 892.
Votum, seu desiderium : Baptismi 134, Eucharistiae 292, Poenitentiae 449.

Zelus animarum, in confessario 606. Zelus coniugalis 971-d.

INDEX ANALYTICUS

Prologus 7

DE SACRAMENTIS

INTRODUCTIO GENERALIS 9

TRACTATUS

DE SACRAMENTIS IN GENERALI

Introductio 11

PRIMA PARS. DE ESSENTIA SACRAMENTI

QUAESTIO PRIMA. De Notione et significatione signi sacramentalis 14
QUAESTIO SECUNDA. De Partibus signi sacramentalis 18
Art. I. De Materia et Forma sacramentorum 18
Art. II. De Unione Materiae et Formae 23
QUAESTIO TERTIA. De Determinatione signi sacramentalis . . . 25
Art. I. De Causa determinante materiam et formam 25
Art. II. De Mutatione materiae et formae 28

SECUNDA PARS. DE NECESSITATE SACRAMENTORUM

QUAESTIO UNICA. De Sacramentis diversorum temporum 33

TERTIA PARS. DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM

Caput I. De Effectu principali : Gratia 35
QUAESTIO PRIMA. De Gratia causata 36
Art. I. De Gratia gratum faciente a sacramentis causata. . . 36
Art. II. De Gratia speciali seu sacramentali 39
Art. III. De Inaequali sacramentorum gratia 41
QUAESTIO SECUNDA. De Modo quo sacramenta gratiam causant . 43
Art. I. De Causalitate sacramentorum proprie dicta et efficienti 44
Art. II. De Causalitate sacramentorum instrumentali 46
Art. III. De Virtute causativa sacramentorum 52
Art. IV. De Causalitate sacramentorum V. Legis 53
QUAESTIO TERTIA. De Tempore quo gratia causatur a sacramentis 55

Caput II. De Effectu secundario : Charactere 58

QUAESTIO PRIMA. De Existentia characteris 58
QUAESTIO SECUNDA. De Essentia characteris 60
QUAESTIO TERTIA. De Sacramentis characterem imprimentibus . 62

QUARTA PARS. DE CAUSA SACRAMENTORUM 63

QUAESTIO PRIMA. De Causa Instituente 64
QUAESTIO SECUNDA. De Causa Ministrante 67
Art. I. De Variis Ministris sacramentorum 67
Art. II. De Fide et Sanctitate ministri ad licitam ministrationem requisitis 68
Art. III. De Intentione ministri ad validam ministrationem requisita 73
Art. IV. De Iis quibus sacramenta sunt ministranda 79
QUAESTIO TERTIA. De Causa Suscipiente 84
Art. I. De Conditionibus ad validam susceptionem requisitis . 84
Art. II. De Conditionibus ad licitam susceptionem requisitis . 88

QUINTA PARS. DE NUMERO SACRAMENTORUM

QUAESTIO PRIMA. De Numero Septenario sacramentorum . . . 88
QUAESTIO SECUNDA. De Ordine sacramentorum 91

APPENDIX. De Caeremoniis sacramentorum et Sacramentalibus . 93
Art. I. De Caeremoniis sacramentorum 93
Art. II. De Sacramentalibus 93

TRACTATUS

DE BAPTISMO

Introductio 96
QUAESTIO PRIMA. De Ipso Baptismi Sacramento 98
Art. I. De Baptismi Institutione 98
Art. II. De Materia Baptismi 100
Art. III. De Forma Baptismi 105
QUAESTIO SECUNDA. De Effectibus Baptismi 109
QUAESTIO TERTIA. De Baptismi Necessitate 112
QUAESTIO QUARTA. De Ministro Baptismi. 114
QUAESTIO QUINTA. De Subiecto Baptismi. 118
Art. I. De Adultis baptizandis 119
Art. II. De Pueris baptizandis 121
Art. III. De baptizandis Acatholicorum Filiis 123
Art. IV. De baptizandis Nonnatis. 125
Art. V. De baptizandis Foetibus abortivis 130
Art. VI. De Monstris baptizandis 132
Art. VII. De Rebaptizandis sub conditione 134
APPENDIX. De Caeremoniis Baptismi 136

TRACTATUS

DE CONFIRMATIONE

Introductio 141
QUAESTIO PRIMA. De Ipso Confirmationis Sacramento 142
Art. I. De Institutione Confirmationis 142
Art. II. De Partibus Confirmationis constitutivis. . . . 145
QUAESTIO SECUNDA. De Effectibus Confirmationis 150
QUAESTIO TERTIA. De Confirmationis Ministro 152
QUAESTIO QUARTA. De Subiecto Confirmationis 156
APPENDIX. De Confirmationis Caeremoniis 158

TRACTATUS

DE SS. EUCHARISTIA

Introductio 161

Sectio A. De Ipso Eucharistiae Sacramento 163

PRIMA PARS. DE SACRAMENTO EXTERNO

QUAESTIO PRIMA. De Ipso Sacramento seu Signo 165
Art. I. De Existentia Sacramenti Eucharistiae 165
Atr. II. De Essentia Sacramenti Eucharistiae 166
Art. III. De Eucharistiae Institutione 169
QUAESTIO SECUNDA. De Materia Eucharistiae 170
Art. I. De Materia in generali 170
Art. II. De Pane 176
Art. III. De Vino 179
QUAESTIO TERTIA. De Forma Eucharistiae 182
Art. I. De Forma in generali 182
Art. II. De Forma consecrationis panis 186
Art. III. De Forma consecrationis vini 188

SECUNDA PARS. DE CORPORE ET SANGUINE CHRISTI QUAE SUNT RES ET SACRAMENTUM

QUAESTIO PRIMA. De Actione qua Christus fit praesens 190
Art. I. De Reali Praesentia Christi 190
Art. II. De Desitione et Conversione panis et vini 199
Art. III. De Accidentibus remanentibus 205
QUAESTIO SECUNDA. De Modo quo Christus est praesens . . . 207
QUAESTIO TERTIA. De Speciebus sub quibus Christus est praesens 212

TERTIA PARS. DE EFFECTIBUS QUI SUNT RES SACRAMENTI.

QUAESTIO PRIMA. De Ipsis Effectibus secundum se 215
QUAESTIO SECUNDA. De Usu Eucharistiae ad effectus obtinendos . 220
Art. I. De Dispositionibus animae 222
Art. II. De Dispositionibus corporis 229
Art. III. De Frequentia communionis 236
Art. IV. De Communionis Necessitate 242

Sectio B. De Sacrificio Eucharistiae 249

PRIMA PARS. DE IPSO SACRIFICIO

QUAESTIO PRIMA. De Existentia sacrificii 257
QUAESTIO SECUNDA. De Materia sacrificii seu re oblata 263
QUAESTIO TERTIA. De Forma sacrificii 265
Art. I. De Actione qua Christus offertur 265
Art. II. De Modo quo Christus offertur 270
QUAESTIO QUARTA. De Ministro sacrificii 276
Art. I. De ministro principali 276
Art. II. De ministro secundario celebrationis 279
Art. III. De ministro secundario dispensationis 282
QUAESTIO QUINTA. De Fine et Effectibus sacrificii 285
Art. I. De variis sacrificii effectibus 286
Art. II. De modo quo effectus producuntur. 288

Art. III. De iis quibus effectus obveniunt 292
Art. IV. De iis pro quibus sacrificium offerri potest 295
Art. V. De valore sacrificii et quantitate eius effectuum. . . 297

Secunda Pars. De Praeceptis pertinentibus ad Sacrificium Altaris

Quaestio prima. De Obligatione celebrandi sacrificium 300
Art. I. De obligatione ex sacerdotio 300
Art. II. De obligatione ex officio 301
Art. III. De obligatione ex beneficio 304
Art. IV. De obligatione ex stipendio 306
Art. V. De obligatione ex praecepto obedientiae aut voto . . 315
Quaestio secunda. De Requisitis ad celebrationem. 316

Appendix. De Ritibus, Caeremoniis aliisque Praeceptis in Eucharistiae celebratione ac dispensatione servandis 317

TRACTATUS

DE POENITENTIA

Introductio : De Virtute Poenitentiae 337
Art. I. De ipsa Virtute Poenitentiae. 337
Art. II. De Obiecto Poenitentiae 340
Art. III. De Distinctione Poenitentiae ab aliis virtutibus . . 343
Art. IV. De Actibus Poenitentiae 347
Art. V. De Subiecto Poenitentiae. 349
Art. VI. De Necessitate Poenitentiae 350
Art. VII. De Relatione inter virtutem Poenitentiae et sacramentum 357

Prima Pars. De Ipso Poenitentiae Sacramento

Quaestio prima. De Existentia sacramenti 361
Art. I. De Existentia Potestatis Clavium 361
Art. II. De Existentia ipsius sacramenti 373
Quaestio secunda. De Elementis constitutivis sacramenti . . . 376
Art. I. De Materia remota. 376
Art. II. De Materia proxima 380
Art. III. De Forma 387
Quaestio tertia. De Institutione, Necessitate et Iteratione sacramenti 396

Secunda Pars. De Effectibus Poenitentiae 400

Quaestio prima. De Remissione Peccatorum Mortalium . . . 400
Quaestio secunda. De Remissione Peccatorum Venialium. . . 404
Quaestio tertia. De Remissione Poenarum 408
Quaestio quarta. De Restitutione Virtutum et Reviviscentia Meritorum 411

Tertia Pars. De Partibus Poenitentiae 415

Caput I. De Contritione 417
Quaestio prima. De Essentia et Obiecto contritionis 418
Quaestio secunda. De Qualitatibus et Dotibus contritionis . . 420
Art. I. De dotibus ipsius contritionis. 421

Art. II. De dotibus propositi 428
Art. III. De contritione ad sacramentum ordinata 431
Quaestio tertia. De Divisione contritionis 434
Art. I. De ipsa contritione perfecta 436
Art. II. De attritione seu contritione imperfecta 441
Quaestio quarta. De Effectu contritionis 449
Caput II. De Confessione. 452
Quaestio prima. De Necessitate confessionis 453
Art. I. De necessitate medii 453
Art. II. De necessitate praecepti 460
Quaestio secunda. De Essentia confessionis. 465
Quaestio tertia. De Dotibus confessionis 466
Art. I. De necessitate confessionis vocalis 467
Art. II. De integritate confessionis 468
Art. III. De fidelitate confessionis 483
Quaestio quarta. De Effectu confessionis 487
Caput III. De Satisfactione 488
Quaestio prima. De Essentia et Necessitate satisfactionis . . . 489
Quaestio secunda. De Qualitatibus et Dotibus satisfactionis . . 496
Art. I. De satisfactione extrasacramentali. 496
Art. II. De satisfactione sacramentali. 502
Quaestio tertia. De Impletione satisfactionis seu de operibus poenalibus 513
Quaestio quarta. De Effectu satisfactionis 523

Quarta Pars. De Ministro Poenitentiae

Quaestio prima. De Ipsa Potestate ministri. 525
Art. I. De potestate ordinis 528
Art. II. De potestate iurisdictionis 532
Quaestio secunda. De Concessione et Limitatione potestatis . 535
Art. I. De iurisdictione in genere, ordinaria et delegata . . 535
Art. II. De iurisdictione quam supplet Ecclesia 542
Art. III. De limitatione iurisdictionis quoad personas . . . 545
Art. IV. De restrictione iurisdictionis quoad peccata reservata . 550
Quaestio tertia. De Officiis ministri in ordine ad usum potestatis 560
Art. I. De officiis ante actum confessionis seu de ministri dotibus 563
Art. II. De officiis in actu confessionis 567
Art. III. De officiis post actum confessionis 582
Quaestio quarta. De Abusu potestatis ministri 597
Art. I. De absolutione complicis in peccato turpi. 598
Art. II. De sollicitatione poenitentis ad turpia 605

Quinta Pars. De Subiecto Poenitentiae 618

Quaestio prima. De Requisitis ad capacitatem subiecti et validam receptionem 619
Art. I. De pueris, amentibus et surdomutis 619
Art. II. De moribundis 622
Quaestio secunda. De Requisitis ad dispositionem subiecti et fructuosam receptionem 626
Art. I. De consuetudinariis et recidivis 626
Art. II. De occasionariis 633

Appendix. De Ritu poenitentiali, Indulgentiis et Censuris . . 640
Art. I. De Ritu poenitentiali. 640
Art. II. De Indulgentiis 642
Art. III. De Censuris. 657

TRACTATUS

DE EXTREMA UNCTIONE

Introductio 669
QUAESTIO PRIMA. De Ipso Sacramento Extremae Unctionis . . 670
Art. I. De Institutione sacramenti. 670
Art. II. De Partibus Extremae Unctionis constitutivis . . . 674
QUAESTIO SECUNDA. De Effectibus Extremae Unctionis . . 679
QUAESTIO TERTIA. De Ministro Extremae Unctionis. 682
QUAESTIO QUARTA. De Subiecto Extremae Unctionis . . . 684
APPENDIX. De Benedictione Apostolica in articulo mortis . . 688

TRACTATUS

DE ORDINE

Introductio 689
QUAESTIO PRIMA. De Ipso Sacramento Ordinis 691
Art. I. De Institutione Ordinis 691
Art. II. De Partibus Ordinis constitutivis 695
QUAESTIO SECUNDA. De Effectibus Ordinis 701
QUAESTIO TERTIA. De Diversis Ordinibus. 704
QUAESTIO QUARTA. De Ministro Ordinis 713
QUAESTIO QUINTA. De Subiecto Ordinis 718
APPENDIX. De Irregularitatibus aliisque impedimentis . . . 729

TRACTATUS

DE MATRIMONIO

Introductio 735

PRIMA PARS. DE IPSO MATRIMONIO

QUAESTIO PRIMA. De Matrimonio ut est in officium naturae . . 742
Art. I. De origine matrimonii 742
Art. II. De praecepto matrimonii 749
Art. III. De matrimonii honestate 755
Art. IV. De matrimonii finibus 758
Art. V. De matrimonii essentia 762
QUAESTIO SECUNDA. De Matrimonio ut est sacramentum . . . 771
Art. I. De institutione sacramenti 771
Art. II. De essentia sacramenti et partibus constitutivis . . 777
Art. III. De ministro sacramenti 781
QUAESTIO TERTIA. De Effectibus et Bonis Matrimonii . . . 782
QUAESTIO QUARTA. De Causa matrimonii seu de Consensu . . 786
Art. I. De Qualitatibus Consensus. 790
Art. II. De Vitiis Consensus 792
QUAESTIO QUINTA. De Proprietatibus Matrimonii 799
Art. I. De Unitate 799
Art. II. De Indissolubilitate. 806
QUAESTIO SEXTA. De Matrimonii Regimine 827

SECUNDA PARS. DE CELEBRATIONE MATRIMONII 833

QUAESTIO PRIMA. De Praeparatione ad Matrimonium seu de Sponsalibus 833
QUAESTIO SECUNDA. De Praeviis ad Matrimonium seu deBannorum proclamatione 840
QUAESTIO TERTIA. De Forma seu Ritu celebrationis Matrimonii. 851

TERTIA PARS. DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII 867

QUAESTIO PRIMA. De Impedimentis in generali 868
QUAESTIO SECUNDA. De Impedimentis impedientibus 875
QUAESTIO TERTIA. De Impedimentis dirimentibus 884
Art. I. De Aetate. 884
Art. II. De Impotentia 886
Art. III. De Vinculo seu Ligamine 892
Art. IV. De Disparitate Cultus 894
Art. V. De Ordine sacro et Voto solemni 898
Art. VI. De Raptu et Crimine 902
Art. VII. De Cognatione carnali, spirituali et legali . . . 908
Art. VIII. De Affinitate et Publica Honestate. 915
QUAESTIO QUARTA. De Dispensatione ab impedimentis 920
QUAESTIO QUINTA. De Matrimonii Convalidatione 934
Art. I. De Convalidatione simplici 935
Art. II. De Sanatione in radice. 938

QUARTA PARS. DE OBLIGATIONIBUS CONIUGUM 942

QUAESTIO PRIMA. De Debito Coniugali 942
Art. I. De Liceitate copulae coniugalis 943
Art. II. De Circumstantiis copulae coniugalis 948
Art. III. De Actibus cum copula connexis. 953
Art. IV. De Excessu in usu coniugii 957
Art. V. De Defectu in usu coniugii 968
QUAESTIO SECUNDA. De Cohabitatione 972
QUAESTIO TERTIA. De Mutuo Amore et Adiutorio 977

APPENDIX. De Matrimonio in legislatione civili 982

INDEX ALPHABETICUS. 989
INDEX ANALYTICUS 1025

LES PRESSES SAINT-AUGUSTIN
Imprimé en Belgique

320.00.09